ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/collegiisalmanti0012vari

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

COLLEGII

SALMANTICENSIS

CARMELITARUM

DISCALCEATORUM

CURSUS THEOLOGICUS

ANICII. — EX TYPIS MARCHESSOU FILIORUM.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

COLLEGII

SALMANTICENSIS

FR. DISCALCEATORUM

B. MARIÆ DE MONTE CARMELI

Primitivæ Observantiæ,

CURSUS THEOLOGICUS

Juxta miram Divi Thomæ Præceptoris Angelici doctrinam.

TOMUS DUODECIMUS

COMPLECTENS DUOS TRACTATUS : PRIMUM DE CHARITATE, SECUNDUM DE STATU RELIGIOSO : IN ORDINE XIX & XX.

ILLUSTRISS. ac REVERENDISS. IN CHRISTO PATRI D. D.

CAROLO AMABILI DE LA TOUR - D'AUVERGNE - LAURAGUAIS

ARCHIEPISCOPO BITURICENSI

DICATUS

EDITIO NOVA, CORRECTA



ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

E SOCIETATE GENERALI LIBRARIÆ CATHOLICÆ

PARISIIS
APUD VICTOREM PALMÉ
RECTOREM GENERALEM
25, via Grenella, 25

BRUXELLIS
APUD J. ALBANEL
SUCCURSALIS RECTOREM
29, via Parochianorum, 29

GENEVÆ
APUD GROSSET & TREMBLEY
4, via vulgo dicta Corraterie, 4

1879

INDEX TRACTATUUM

ÆSTIONUM, DISPUTATIONUM ET DUBIORUM

QUÆ IN HOC TOMO XII CURSUS THEOL. SALMANT. CONTINENTUR.

TRACTATUS XIX

DE CHARITATE THEOLOGICA.

rocœmium.

QUÆSTIO XXIII.

e charitate secundum se, in octo artis divisa.

rt. 1. Utrum charitas sit amicitia. 2

rt. 2. Utrum charitas sit aliquid creain anima. id.

rt. 3. Utrum charitas sit virtus. 3

rt. 4. Utrum charitas sit virtus speis. 4

Disputatio I.

e possibilitate, et existentia charitatis ratione supernaturalis, et strictæ amie hominis ad Deum. id.

ub. 1. Utrum sit possibilis supernatus, ac stricta amicitia inter Deum et hoes? id.

1. Amicitiæ diffinitio, illiusque species licantur. id.

2. Catholica sententia elucidatur. 6

3. Communis objectio, et recentiorum tio. 7

4. Legitima objectionis solutio. 9

5. Diluuntur fundamenta contrariæ entiæ, præter ultimum. 12

6. Ultimum argumentum pro contraria entia. 15

ub. 2. Utrum sit de facto inter Deum, omines stricta, ac supernaturalis ami, illaque sit charitas? 17

1. Duplici assertione difficultas exper. id.

§ 2. Duplex objectio contra primam astionem. 19

§ 3. Quæ obstent secundæ assertioni, diluuntur. 21

Dub. 3. Utrum ratio amicitiæ conveniat charitati essentialiter, et adæquate; an vero inadæquate, et accidentaliter? 23

§ 1. Deciditur prima pars dubii. id.

§ 2. Absolvitur posterior difficultas. 27

§ 3. Fit satis argumentis contra primam assertionem. 29

Dub. 4. Utrum sit possibilis hominis ad Deum amicitia naturalis, et stricte dicta? 33

§ 1. Difficultas status. id.

§ 2. Legitima resolutio dubii. 16

§ 3. Præcluditur triplex evasio. 37

§ 4. Contraria sententia cum suis argumentis. 39

QUÆSTIO XXIV.

De charitatis subjecto.

Art. 1. Utrum voluntas sit subjectum charitatis. 43

Art. 2. Utrum charitas causetur in nobis ex infusione. id.

Art. 3. Utrum charitas infundatur secundum capacitatem naturalium. 44

Art. 4. Utrum charitas augeri possit. id.

QUÆSTIO XXV.

De charitatis objecto.

Art. 1. Utrum dilectio charitatis sistat in Deo, an se extendat etiam ad proximum. 45

Hc 2578

Disputatio II.

De objecto charitatis. id.
Dub. 1. Utrum Deus sit objectum formale, et adæquatum charitatis. id.
§ 1. Vera sententia. 46
§ 2. Objectiones in contrarium diluuntur. 47
Dub. 2. Quænam sit ratio formalis sub qua charitatis theologicæ? 49
§ 1. Præmittuntur quædam ad dubii decisionem. id.
§ 2. Communis sententia duplici ratione fulcitur. 52
§ 3. Alia ratio pro vera sententia. 55
§ 4. Prior opinio nostræ conclusioni opposita. 58
§ 5. Reliquæ opiniones veræ sententiæ contrariæ. 62
Dub. 3. Utrum charitas habeat rationem amicitiæ respectu proximi. 65
§ 1. Statuitur prior assertio. 66
§ 2. Secunda assertio. 68
§ 3. Opposita sententia cum suis argumentis. 72
Dub. 4. Utrum præter charitatem theologicam detur de facto, aut de possibili alia moralis, et infusa, quæ sit per se amicitia erga proximum? 74
§ 1. Patrum sententia eligitur, et elucidatur. 75
§ 2. Alia ratio pro vera sententia. 78
§ 3. Diluuntur argumenta contrariæ sententiæ, præter ultimum. 82
§ Ultimus. Ultimum argumentum pro contraria sententia. 87

QUÆSTIO XXVI.

De ordine charitatis.
Art. 1. Utrum in charitate sit ordo. 90

Disputatio III.

De ordine diligendorum ex charitate. id.
Dub. unic. Utrum in charitate sit ordo, et unde attendatur? 91
§ 1. Deciditur prima pars dubii. id.
§ 2. Examinatur posterior difficultas. 95
§ 3. Consectaria præcedentis doctrinæ. 96
§ 4. Quæ obstant in contrarium, diluuntur. 101
§ 5. Alia ejusdem doctrinæ corollaria. 105

Disputatio IV.

De actu principali charitatis, qui est amor Dei super omnia. 112
Dub. 1. Utrum actus charitatis per absolutam Dei potentiam procedere valeat immediate ab Spiritu sancto, sicut a principio activo? id.
§ 1. Communis, et vera sententia statuitur. 114
§ 2. Triplex adversariorum solutio exploditur. 115
§ 3. Duplex alia ratio pro vera sententia. 119
§ 4. Diluuntur argumenta contrariæ sententiæ, præter ultimum. 121
§ 5. Ultimum argumentum pro contraria sententia. 124
Dub. 2. Utrum secundum ordinariam Dei providentiam, et potentiam actus charitatis procedere possit ab auxilio actuali, vel potius oriri debeat a gratia sanctificante, et ipsa charitate habituali? 126
§ 1. Vera sententia ratione fulcitur. 127
§ 2. Alia ratio pro assertione. 130
§ 3. Refertur sententia contraria cum suis argumentis, 131
Dub. 3. Utrum saltem per absolutam Dei potentiam possit actus charitatis oriri effective a solo auxilio actuali. 141
§ 1. Statuitur assertio, fundamentalique ratione munitur. id.
§ 2. Præcluditur duplex evasio recentiorum. 142
§ 3. Exploditur alia evasio ex Cajetano. 146
§ 4. Refertur opinio contraria. 148

Disputatio V.

De augmento charitatis. 152
Dub. 1. Utrum charitas sit capax augmenti? id.
§ 1. Prima pars dubii expeditur. id.
§ 2. Dirimitur secunda difficultas. 154
§ 3. Ultima pars dubii absolvitur. 155
§ 4. Referuntur opiniones contrariæ. 156
Dub. 2. Utrum charitas augeatur physice dispositive nostris actibus. 160
§ 1. Prælibantur aliqua. id.
§ 2. Præfertur D. Thomæ sententia. 162
§ 3. Refertur sententia contraria. 165
Dub. 3. Utrum actus charitatis remissi

mereantur de condigno charitatis augmentum. 168
§ 1. Observationes nonnullæ. 169
§ 2. Duæ assertiones stabiliuntur pro dubii resolutione. 173
§ 3. Alia conclusio ad magis expediendam difficultatem. 179
§ 4. Præcipuæ difficultatis resolutio. 181
§ 5. Refertur prima sententia contraria. 187
§ 6. Secunda sententia contraria cum suis fundamentis. 189
§ 7. Duo præcedentis doctrinæ consectaria. 195
§ 8. Aliud antecedentis doctrinæ corollarium. 200
§ 9. Proponitur ultimum corollarium ejusdem doctrinæ. 205
§ 10. Occurritur objectionibus adversus doctrinam hactenus traditam. 212
§ 11. Quæstionis incidentis decisio. 217
§ 12. Quæ doctrinæ hucusque traditæ possunt opponi, diluuntur. 232
Dub. 4. Quando charitatis augmentum, quod actibus ejus remissis correspondet, physice consideratur. 248
§ 1. Proponitur prima conclusio. id.
§ 2. Statuitur secunda conclusio. 253
§ 3. Ultima conclusio dubium directe resolvens. 259
§ 4. Refertur opinio primæ assertioni contraria. 261
§ 5. Diversorum placita referuntur contra secundam, et ultimam assertionem. 266
§ 6. Consectarium præcedentis doctrinæ, notatu dignum. 270

Disputatio VI.

De diminutione, seu remissione charitatis. 274
Dub. unic. Utrum charitas diminuatur per peccata venialia. 275
§ 1. Communis sententia probatur ratione a priori. id.
§ 2. Probatur eadem assertio ab inconvenienti. 278
§ 3. Motivis contrariæ sententiæ occurritur. 281

Disputatio VII.

De perfectione virtutis charitatis. 286
Dub. 1. An charitas sit virtus, et utrum unica, an multiplex. 287
§ 1. Resolutio dubii quoad priorem partem. id.
§ 2. Posterior dubii pars absolvitur. 290
§ 3. Refertur opinio secundæ assertioni contraria. 292
Dub. 2. Utrum charitas sit simpliciter perfectior, quam fides. 296
§ 1. Præsupponenda in hoc dubio. id.
§ 2. Eligitur communior sententia, et fulcitur authoritate D. Thomæ. 299
§ 3. Expenditur ratio fundamentalis ex D. Thoma desumpta. 302
§ 4. Refertur opinio contraria. 306
Dub. 3. An, et quomodo charitas sit forma cæterarum virtutum. 309
§ 1. Statuitur communis Theologorum assertio. 310
§ 2. Alia conclusio pro perfecta dubii resolutione. 313
§ 3. Referuntur sententiæ contrariæ. 318
Dub. 4. Utrum charitas viæ possit esse æqualis charitati patriæ. 322
§ unicus. Resolutio dubii duabus assertionibus explicatur. 323

—

TRACTATUS XX.

DE STATU RELIGIOSO IN COMMUNI.

Disputatio I.

De essentia status religiosi in communi. 326
Dub. 1. An essentia status religiosi consistat in tribus votis, obedientiæ, castitatis, et paupertatis. id.
§ 1. Vera, et communis sententia aliquibus assertionibus explicatur. 328
§ 2. Aliquibus objectionibus contra præcedentes assertiones satisfit. 332
Dub. 2. Utrum status religiosus sit ex institutione divina. 336
§ Unicus. Defenditur vera, et communis sententia. 337
Dub. 3. Utrum ad statum religiosum requiratur approbatio Ecclesiæ, potestas clavium, certa regula, et vivere in communitate. 340
§ Unicus. Resolutio difficultatum, quæ in titulo proponuntur. 341
Dub. 4. An, et quomodo differat professio per vota simplicia, et professio per vota solemnia. 346

§ 1. Vera D. Thomæ sententia defenditur. 347
§ 2. Incidentis dubii desisio. 353
§ 3. Refertur opinio contraria, ejusque motiva eliduntur. 357
Dub. 5. Quo jure professio solemnis dissolvat matrimonium ratum non consummatum. 364
§ 1. Aliqua prælibantur. id.
§ 2. Vera sententia aliquibus assertionibus explicatur. 368
§ 3. Referuntur sententiæ contrariæ. 371
Dub. 6. Quo jure solemnis professio dirimat sequens matrimonium. 373
§ 1. Vera Divi Thomæ sententia definitur 374
§ 2. Satisfit argumentis opinionis adversæ. 377
§ 3. Observatio appendix ad tria dubia præcedentia. 382
Dub. 7. An Summus Pontifex possit dispensare cum solemniter professo, ut contrahat matrimonium. 387
§ 1. Eligitur negativa sententia, et authoritate D. Thomæ firmatur. id.
§ 2. Expenditur ratio fundamentalis Doctoris Angelici. 389
§ 3. Duplex aliud motivum pro vera D. Thomæ sententia. 395
§ 4. Refertur opinio contraria, ejusque fundamenta diruuntur. 400

Disputatio II.

De perfectione status religiosi in communi. 409
Dubium primum. An status religionis sit status perfectus, et Ecclesiæ utilis. id.
§ unicus. Defenditur veritas catholica. id.
Dub. 2. Utrum status religiosus sit aliis statibus perfectior. 412
§ 1. Statuitur prima conclusio. id.
§ 2. Proponitur alia assertio. 416
Dub. 3. Qualiter religiones inter se comparentur in perfectionis excessu. 419
§ 1. Supponenda ad difficultatis resolutionem. id.
§ 2. Proponitur prima conclusio. 423
§ 3. Statuitur alia assertio. 423
§ 4. Aliquibus objectionibus contra secundam assertionem satisfit. 428

Disputatio III.

De antiquitate status religiosi. 434
Dub. 1. Utrum in Ecclesia ante legis Evangelicæ tempus fuerint aliqua consilia et vota? 435
§ 1. Necessaria aliqua prælibantur. id.
§ 2. Resolutio dubii duabus assertionibus explicatur. 442
Dub. 2. Utrum aliqui in Ecclesia ante legis evangelicæ statum fecerint votum castitatis. 446
§ 1. Proponuntur tres conclusiones ad principalem resolutionem præambulæ. id.
§ 2. Resolutio præcipuæ difficultatis. 450
§ 3. Eadem resolutio fundatur in Scriptura. 452
§ 4. Eadem assertio firmatur in Essenis. 455
§ 5. Roboratur eadem assertio gravium Doctorum authoritate. 458
§ 6. Refertur sententia contraria, et ejus motiva eliduntur. 460
Dub. 3. Utrum in Ecclesia ante statum legis Evangelicæ fuerit paupertatis votum. 468
§ 1. Affirmans sententia eligitur, et multiplici fundamento firmatur. 469
§ 2. Refertur opinio adversa, ejusque motivis occurritur. 474
Dub. 4. Utrum in Ecclesia ante legis Evangelicæ tempus fuerit votum obedientiæ. 479
§ 1. Præfertur sententia affirmativa, et pluribus suadetur. id.
§ 2. Refertur opposita sententia, et ejus fundamenta convelluntur. 484
Dub. 5. Utrum in veteri lege fuerit aliqua personarum traditio ad cultum Dei. 488
§ unicus. Sententia affirmativa defenditur. id.
Dub. 6. An in Ecclesia ante legis evangelicæ tempus potuerit esse status religiosus. 492
§ 1. Pars affirmativa eligitur, et probatur. id.
§ 2. Satisfit motivis opinionis adversæ. 495
Dub. 7. Utrum in Ecclesia ante legis evangelicæ tempus fuerit status religiosus. 501
§ 1. Præfertur sententia affirmans, et D. Th. authoritate fulcitur. id.

§ 2. Expenditur præcipuum assertionis fundamentum. 506
§ 3. Eadem assertio alio fundamento munitur. 508
§ 4. Præcedens fundamentum amplius roboratur. 510
§ 5. Urgentior alia præcedentis argumenti confirmatio. 514
§ 6. Refertur opinio contraria. 519
Dub. 8. Utrum assertio dubio præcedenti stabilita sit evidenter probabilis. 525
§ 1. Affirmativa sententia demonstratur. 526
§ 2. Expenditur grave aliud fundamentum ejusdem assertionis. 532
§ 3. Roboratur amplius eadem conclusio. 534
§ 4. Refertur sententia contraria. 538
Dub. 9. Utrum status religiosus in veteri Testamento inchoatus perseveraverit usque ad legem gratiæ, et modo continuetur in Ecclesia. 540
§ 1. Defenditur affirmativa sententia. 541
§ 2. Probatur primo ex Summorum Pontificum bullis. 543
§ 3. Probatur secundo ex Officiis Ecclesiasticis. 544
§ 4. Probatur tertio ex revelationibus probatissimis. 545
§ 5. Probatur quarto ex perpetua Ordinis Carmelitani traditione. 547
§ 6. Probatur quinto ex gravissimis externorum testimoniis. 548
§ 7. Probatur sexto ex falsarum opinionum confutatione. 555
§ 8. Confutatio aliarum opinionum. 561
§ 9. Motiva contraria sententiæ referuntur, et diluuntur. 564

INDEX LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ

QUÆ IN HOC TOMO DUODECIMO CONTINENTUR

UBI PRIOR NOTA ARITHMETICA PAGINAM,
POSTERIOR MARGINALES NUMEROS DESIGNANT.

EX VETERI TESTAMENTO.

Ex Genesi.

3. *Crescite et multiplicamini, et replete terram*, p. 447, n. 17.

Ex Exodo.

32. *Aut dimitte illis hanc noxam, aut dele me de libro tuo*, p. 102, n. 22.

Ex Levitico.

7. *Animal, quod immolari potest Domino, si quis voverit, sanctum erit, et mutari non poterit, nec melius malo, nec pejus bono*, p. 390, n. 94 *et* p. 488, n 64.

Ex Deuteronomio.

7. *Non erit apud te sterilis utriusque sexus*, p. 447, n 27.
17. *Si difficile, et ambiguum apud te judicium esse perspexeris, etc*, p. 495, n. 71.

Ex 3 Regum.

10. *Ecce nubecula parva quasi vestigium hominis*, p. 467, n. 41.
19. *Qui statim relictis bobus cucurrit post Eliam*, p. 468, n. 42.

Ex 4 Regum.

4. *Pone ollam grandem, et coque pulmentum filiis Prophetarum*, p. 471, n. 45.

Ex Proverbiis.

8. *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum*, p. 19, n. 19.

Ex Canticis.

7. *Ordinavit in me charitatem*, p. 91, n. 1.
6. *Una est columba mea*, p. 436, n. 3.

Ex Sapientia.

12. *Bonæ spei fecisti filios tuos*, p. 437, n. 5.
16. *Dulcedinem tuam, quam in filios habes. demonstrabas*, p. 437, n. 5.

Ex Isaia.

56. *Non dicat eunuchus : ecce ego lignum aridum*, p. 458, n. 24.

Ex Jeremia.

35. *Pater noster Rechab præcepit nobis dicens, Non bibetis vinum vos, et filii vestri*, p. 473, n. 47.

Ex Daniele.

3. *Benedicite omnes religiosi Domino Deo deorum*, p. 491, n. 66.

Ex Lib. 2 Machabæorum.

3. *Virgines, quæ conclusæ erant, præcurrebant ad Oniam*, p. 464, n. 36.
14. *Alcymus autem videns charitatem illorum, etc.*, p. 1, *col.* 2.

EX NOVO TESTAMENTO.

Ex Matthæo.

5. *Audistis, quia dictum est antiquis : Diliges amicum tuum*, p. 65, n. 35.

16. *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* p. 497, n. 75.
19. *Si vis perfectus esse, abi, et vende omnia quæ habes,* p. 327, n. 3, *et* p. 337, 17, *et* p. 349, n. 38.
21. *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet,* p. 368, n. 67.
22. *Diliges proximum tuum sicut te ipsum,* p. 100, n. 20.

Ex Luca.

1. *Ipse præcedet ante illum in spiritu et virtute Eliæ,* p. 515, n. 91.
18. *Oportet semper orare,* p. 443, n. 12.
15. *Gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, etc.,* p. 198, n. 81.

Ex Joanne.

16. *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos,* p. 74, n. 54.

Ex Actibus Apostolorum.

2. *Erant autem in Hierusalem habitantes Judæi, viri religiosi,* p. 491, n. 66.

Ex Paulo ad Romanos.

5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum,* p. 113, n. 1.
12. *Plenitudo legis est dilectio,* p. 327, n. 2.

Ex Epistola 1 ad Corinthios.

10. *Omnia in figura contingebant illis,* p. 444, n. 14.
13. *Charitas nunquam excidit,* p. 291, n.7.

Ex Epistola 2 ad Corinthios.

4. *Habentes eumdem spiritum fidei,* p. 436, n. 3.

Ex Epistola 1 ad Timotheum.

4. *Exercitatio corporalis ad modicum utilis est,* p. 232, n. 140.

Ex Epist. ad Hebræos.

7. *Nihil ad perfectum adduxit lex,* p. 444, n. 14.

Ex Epist. 1 Joannis.

3. *Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo,* p. 327, n. 2.

Ex Apocalypsi.

7. *Vidi turbam magnam, quam denumerare nemo poterat,* p. 440, n. 6.

LAUS DEO.

TRACTATUS XIX

DE CHARITATE THEOLOGICA

A QUÆSTIONE 23 SECUNDÆ SECUNDÆ ANGELICI D. D. THOMÆ.

PROŒMIUM.

Tractatus iste (si materiam attendas) inter præcipuos Theologiæ computari debet ; habet enim pro objecto charitatem, quæ est virtutum princeps et regina, ut constat ex Apostolo 1, *ad Corinth.* 13, ubi hanc virtutem miris laudibus effert et cæteris anteponit. Quem imitati sunt omnes Sancti Patres, ex quibus D. Prosper *in lib. de vita contemplativa*, his verbis charitatem describit : « Charitas (inquit) est recta voluntas, ab omnibus terrenis, præsentibus, « ac futuris prorsus adversa, juncta Deo « inseparabiliter et unita, igne quodam « Spiritus sancti, a quo est, et ad quem refertur, incensa, inquinamenti omnis extranea, corrumpi nescia, nulli vitio mutabilitatis obnoxia, super omnia quæ « carnaliter diliguntur, excelsa, affectionum omnium potentissima, divinæ contemplationis avida, in omnibus semper « invicta, summa bonarum actionum, salus morum, finis cœlestium præceptorum, mors criminum, vita virtutum, « virtus pugnantium, palma victorum, « sanctarum mentium armatura, causa « meritorum bonorum, præmium perfectorum, sine qua nullus Deo placuit, cum « qua aliquis Deo displicere non potuit, ex « qua quidquid est boni operis, vivit. » Plura alia charitatis encomia afferunt D. Zeno Veron. *serm. de fide, spe et charitate*, Albert. Magn. *lib.* 5 *Compendii Theolog. cap.* 26, August. Gregor. et alii, quæ brevitatis causa omittimus.

Disputant autem de hac materia Scholastici cum Magistro *in* 1, *dist.* 17, *et in* 3, *dist.* 27, *et deinceps usque ad* 32. D. Thom. *in eis-dem locis et in hac* 2, 2, *a quæst.* 23 *usque ad* 46, ubi charitatis naturam a causis, ab effectibus, a peccatis illi oppositis, ac denique a dono sapientiæ, quod illi correspondet, explicare intendit. Cujus doctrinam elucidare curabimus in hoc tractatu. Idque ut clarius fiat, animadvertendum est, priusquam ad disputationes accedamus, *charitatis* nomen derivari a voce Græca *charis*, quæ gratiam, sive gratuitum amorem significat. Unde charitas (nominis etymologia spectata) idem est, ac gratuitus et liberalis amor, ut etiam animadvertit Cicero *lib.* 1, *de natura Deorum.* Cicero.

Quadrifariam autem usurpatur. Primo pro familiaritate et amicitia naturali, qua se homines prosequuntur, ut constat ex illo 2, Machab. 14 : *Alcymus autem videns charitatem illorum, venit ad Demetrium.* Ibi enim charitas naturalem amicitiam significat. 2 Mach. 14.

Secundo accipitur pro amore æterno et increato personali : quo pacto solus Spiritus sanctus sub charitatis voce intelligendus venit, cui et hujus virtutis effectus, et ipsius nomen specialiter attribuuntur, ut patet ex illo Hymni Ecclesiastici : *Fons vivus, ignis, charitas et spiritalis unctio.* Vel sumitur pro amore increato essentiali ; et hac ratione tota Trinitas *charitas* appellatur, juxta illud 1, Joan. 4 : *Deus charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet.* 1 Joan. 4.

Tertio sumitur charitas pro suis effectibus, ut pro dulci colloquio, pro eleemosynis, et præsertim pro convivio ex dilectione instituto. Nam 1, *ad Corinth.* 15, ubi textus Latinus habet, *jam non est dominicam cœnam manducare*, Græcus loco *cœnæ* legit *charitatem.* Et nostratum rusticiores convivia, quæ 1 ad Corinth. 11.

in memoriam defunctorum, vel alicujus Sancti venerandi causa pauperibus, et aliis undique convenientibus proponuntur, *charitates* appellant. Id quod etiam solemne fuit apud antiquos ; nam teste Ovid. 2, *Fast.* et Valer. Maxim. *lib.* 2, *cap* 1, convivium quod cognati instituebant ad celebrandas exequias parentum defunctorum, vel conciliandam pacem, *charitas*, seu *charistia vocabatur.*

Quarto, et ultimo accipitur charitas pro habitu supernaturali, qui inclinat homines ad diligendum Deum amicabiliter et super omnia. Et in hac acceptione, quæ est propriissima illius, sumitur charitas in præsenti, et est materia hujus Tractatus, diffiniturque a Magistro *in* 3, *dist.* 27, in hunc modum : « Charitas est virtus, qua diligi- « tur Deus propter se, et proximus propter « Deum et in Deo. »

QUÆSTIO XXIII

De charitate secundum se, in octo articulos divisa.

Consequenter considerandum est de charitáte.
Et primo de ipsa charitate : secundo de dono sapientiæ ei correspondente.

ARTICULUS I.

Utrum charitas sit amicitia.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod charitas non sit amicitia. Nihil enim est ita proprium amicitiæ, sicut convivere amico, ut dicit Philosophus in 8 Ethic. Sed charitas est hominis ad Deum, et ad Angelos, quorum non est cum hominibus conversatio, ut dicitur Dan. 2. Ergo charitas non est amicitia.

Præterea : Amicitia non est sine redamatione, ut dicitur in 8 Ethic., sed charitas habetur etiam ad inimicos, secundum illud Matth. 5 : Diligite inimicos vestros. Ergo charitas non est amicitia.

Præterea : Amicitiæ tres sunt species secundum Philosoph. in 8 Ethic. scilicet amicitia delectabilis, utilis, et honesti. Sed charitas non est amicitia utilis, aut delectabilis. Dicit enim Hieron. in epistola ad Paulinum, quæ ponitur in principio Bibliæ, illa est vera necessitudo, et Christi glutino copulata, quam non utilitas rei familiaris, non præsentia tantum corporum, non subdola, et palpans adulatio, sed Dei timor, et divinarum Scripturarum studia conciliant. Similiter etiam non est amicitia honesti, quia charitate diligimus etiam peccatores ; amicitia vero honesti non est nisi ad virtuosos, ut dicitur in 8 Ethic. Ergo charitas non est amicitia.

Sed contra est, quod Joan. 15 dicitur : Jam non dicam vos servos, sed amicos meos. Sed hoc non dicebatur eis nisi ratione charitatis. Ergo charitas est amicitia.

Respondeo dicendum, quod secundum Philosophum in 8 Ethic non quilibet amor habet rationem amicitiæ, sed amor, qui est cum benevolentia, quando scilicet sic amamus aliquem, ut ei bonum velimus. Si autem rebus amatis non bonum velimus, sed ipsum eorum bonum nobis velimus, sicut dicimur amare vinum, aut equum, aut aliquid hujusmodi, non est amor amicitiæ, sed cujusdam concupiscentiæ. Ridiculum enim est dicere, quod aliquis habeat amicitiam ad vinum, vel ad equum. Sed nec benevolentia sufficit ad rationem amicitiæ, sed requiritur quædam mutua amatio, quia amicus est amico amicus. Talis autem mutua benevolentia fundatur super aliqua communicatione. Cum ergo sit aliqua communicatio hominis ad Deum, secundum quod nobis beatitudinem communicat, super hanc communicationem oportet aliquam amicitiam fundari. De qua quidem communicatione dicitur 1 ad Corinth. 1 : Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem Filii ejus. Amor autem super hanc communicationem fundatus est charitas. Unde manifestum est, quod charitas amicitia quædam est hominis ad Deum.

Ad primum ergo dicendum, quod duplex est hominis vita. Una quidem exterior, secundum naturam sensibilem et corporalem ; et secundum hanc vitam non est nobis communicatio, vel conversatio cum Deo, et Angelis. Alia autem est vita hominis spiritualis secundum mentem ; et secundum hanc vitam est nobis conversatio et cum Deo, et cum Angelis, in præsenti quidem statu imperfecte. Unde dicitur Philip. 3 : Nostra conversatio in cœlo est. Sed ista conversatio perficietur in patria, quando servi ejus servient Deo, et videbunt faciem ejus, ut dicitur Apocal ultim. Et ideo hic est charitas imperfecta, sed perficietur in patria.

Ad secundum dicendum, quod amicitia se extendit ad aliquem dupliciter. Uno modo respectu sui ipsius ; et sic amicitia nunquam est nisi ad amicum ipsius. Alio modo se extendit ad aliquem respectu alterius personæ, sicut si aliquis habet amicitiam ad aliquem hominem, ratione ejus diligit omnes ad illum hominem pertinentes, sive filios, sive servos, sive qualitercumque ei attinentes : et tanta potest esse dilectio amici, quod propter amicum amentur hi, qui ad ipsum pertinent, etiamsi nos offendant, vel odiant. Et hoc modo amicitia charitatis se extendit etiam ad inimicos, quos diligimus ex charitate in ordine ad Deum, ad quem principaliter habetur amicitia charitatis

Ad tertium dicendum, quod amicitia honesti non habetur, nisi ad virtuosum, sicut ad principalem personam. Sed ejus intuitu diliguntur ad eum attinentes, etiamsi non sint virtuosi Et hoc modo charitas, quæ maxime est amicitia honesti, se extendit ad peccatores, quos ex charitate diligimus propter Deum.

Conclusio : *Charitas est amicitia quædam hominis ad Deum.*

ARTICULUS II.

Utrum charitas sit aliquid creatum in anima.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod charitas non sit aliquid creatum in anima. Dicit enim August. in 8 de Trin. Qui proximum diligit, consequens est, ut ipsam dilectionem

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

tionem diligat. Deus autem dilectio est : consequens est ergo ut præcipue Deum diligat. Et in 15 de Trin. dicit : Ita dictum est, Deus charitas est ; sicut dictum est, Deus spiritus est. Ergo charitas non est aliquid creatum in anima, sed est ipse Deus.

Præterea : Deus est spiritualiter vita animæ, sicut anima vita corporis, secundum illud Deut. 30 : Ipse est vita tua. Sed anima vivificat corpus per seipsam : ergo Deus vivificat animam per seipsum. Vivificat autem eam per charitatem, secundum illud 1 Joan. 3 : Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Ergo Deus est ipsa charitas.

Præterea : Nihil creatum est infinitæ virtutis, sed magis omnis creatura est vanitas ; charitas autem non est vanitas, sed magis vanitati repugnat, et est infinitæ virtutis, quia animam hominis ad bonum infinitum perducit. Ergo charitas non est aliquid creatum in anima.

Sed contra est, quod August. dicit in 3 de Doctrina Christiana : Charitatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum. Sed motus animi est aliquid creatum in anima. Ergo et charitas est aliquid creatum in anima.

Respondeo dicendum, quod Magister persecutatur hanc quæstionem in 17 dist. primi lib. Sent. et ponit, quod charitas non est aliquid creatum in anima, sed est ipse Spiritus sanctus mentem inhabitans. Nec est sua intentio, quod iste motus dilectionis, quo Deum diligimus, sit ipse Spiritus sanctus ; sed quod iste motus dilectionis est a Spiritu sancto, non mediante aliquo habitu, sicut a Spiritu sancto sunt alii actus virtuosi mediantibus habitibus aliarum virtutum, puta habitu fidei, aut spei, aut alicujus alterius virtutis. Et hoc dicebat propter excellentiam charitatis. Sed si quis recte consideret, hoc magis redundat in charitatis detrimentum. Non enim motus charitatis ita procedit a Spiritu sancto movente humanam mentem, quod humana mens sit mota tantum, et nullo modo sit principium hujus motus, sicut cum aliquod corpus movetur ab aliquo exteriori movente. Hoc enim est contra rationem voluntarii, cujus oportet principium in ipso esse, sicut supra dictum est. Unde sequeretur quod diligere non esset voluntarium, quod implicat contradictionem ; cum amor de sui ratione importet, quod sit actus voluntatis. Similiter etiam non potest dici, quod sic moveat Spiritus sanctus voluntatem ad actum diligendi, sicut movetur instrumentum ; quod etsi sit principium actus, non tamen est in ipso agere, vel non agere. Sic enim etiam tolleretur ratio voluntarii, et excluderetur ratio meriti ; cum tamen supra habitum sit, quod dilectio charitatis est radix merendi. Sed oportet quod sic voluntas moveatur a Spiritu sancto ad diligendum, quod etiam ipsa sit efficiens hunc actum. Nullus autem actus perfecte producitur ab aliqua potentia activa, nisi sit ei connaturalis per aliquam formam, quæ sit principium actionis. Unde Deus qui omnia movet ad debitos fines, singulis rebus indidit formas, per quas inclinatur ad fines sibi præ-titutos a Deo, et secundum hoc disponit omnia suaviter, ut dicitur Sapient. 8 : Manifestum est autem, quod actus charitatis excedit naturam potentiæ voluntatis. Nisi ergo aliqua forma superadderetur naturali potentiæ, per quam, inclinaretur ad dilectionis actum, esset actus iste imperfectior actibus naturalibus, et actibus aliarum virtutum, nec esset facilis, et delectabilis. Quod patet esse falsum, quia nulla virtus habet tantam inclinationem ad suum actum sicut charitas, nec aliqua ita delectabiliter operatur. Unde maxime necesse est, quod ad actum charitatis in nobis existat aliqua habitualis forma superaddita potentiæ naturali, inclinans ipsam ad charitatis actum, et faciens eam prompte, et delectabiliter operari.

Ad primum ergo dicendum, quod ipsa essentia divina charitas est, sicut et sapientia est, et bonitas est. Unde sicut dicimur boni bonitate, quæ est Deus ; et sapientes sapientia, quæ est Deus (quia bonitas qua formaliter boni sumus, est participatio quædam divinæ bonitatis ; et sapientia, qua formaliter sapientes sumus, est participatio quædam divinæ sapientiæ) ita etiam charitas, qua formaliter diligimus proximum, est quædam participatio divinæ charitatis. Hic enim modus loquendi consuetus est apud Platonicos, quorum doctrinis imbutus fuit Aug. Quod quidam non advertentes, ex verbis ejus sumpserunt occasionem errandi.

Ac secundum dicendum, quod Deus est vita effective, et animæ per charitatem, et corporis per animam. Sed formaliter charitas est vita animæ, sicut et anima corporis. Unde per hoc potest concludi, quod sicut anima immediate unitur corpori, ita charitas animæ.

Ad tertium dicendum, quod charitas operatur formaliter. Efficacia autem formæ est secundum virtutem agentis, qui inducit formam. Et ideo patet, quod charitas non est infinita, sed quod facit effectum infinitum, dum conjungit animam Deo, justificando ipsam : hoc demonstrat infinitatem virtutis divinæ, quæ est charitatis author.

Conclusio *est affirmativa.*

Hanc difficultatem late discutiemus *disp.* 4, *dub.* 1 *cum sequentibus.*

ARTICULUS III.

Utrum charitas sit virtus.

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod charitas non sit virtus. Charitas enim amicitia est quædam. Sed amicitia a Philosophis non ponitur virtus, ut in 8 lib. Ethic. patet. Neque enim connumeratur inter virtutes morales, neque etiam inter intellectuales. Ergo etiam neque charitas est virtus.

Præterea : Virtus est ultimum potentiæ, ut dicitur in lib. de cœlo et mundo. Sed charitas non est ultimum, sed magis gaudium et pax. Ergo videtur quod charitas non sit virtus, sed magis gaudium et pax.

Præterea : Omnis virtus est quidam habitus accidentalis : sed charitas non est habitus accidentalis, cum sit nobilior ipsa anima. Nullum autem accidens est nobilius subjecto. Ergo charitas non est virtus.

Sed contra est, quod Aug. dicit in lib. de moribus Eccles. Charitas est virtus, quæ (cum nostra affectio est rectissima) conjungit nos Deo, qua eum diligimus.

Respondeo dicendum, quod humani actus bonitatem habent secundum quod reguiantur debita regula et mensura. Et ideo humana virtus, quæ est principium omnium bonorum actuum hominis, consistit in attingendo regulam humanorum actuum. Quæ quidem est duplex, ut supra dictum est, scilicet humana ratio, et ipse Deus. Unde sicut virtus moralis diffinitur per hoc quod est secundum rectam rationem, ut patet in 2 Ethic. ita etiam attingere Deum constituit rationem virtutis, sicut etiam supra dictum est de fide et spe. Unde cum charitas attingat Deum, quia conjungit nos Deo, ut patet per authoritatem Aug. adductam, consequens est, charitatem esse virtutem.

Ad primum ergo dicendum, quod Philosophus in 8 Ethic. non negat amicitiam esse virtutem ; sed dicit, quod est virtus, vel cum virtute. Posset enim dici, quod est virtus moralis circa operationes, quæ sunt ad alium, sub alia tamen ratione, quam justitia. Nam justitia est circa operationes quæ sunt ad alium sub ratione debiti legalis. Amicitia autem sub ratione beneficii cujusdam debiti amicalis et moralis ; vel magis sub ratione beneficii gratuiti, ut patet per Philosophum in 8 Ethic. Potest tamen dici, quod non est virtus per se ab aliis distincta. Non enim habet rationem laudabilis et honesti nisi ex objecto, secundum scilicet quod fundatur super honestatem virtutum. Quod patet ex hoc, quod non quælibet amicitia habet rationem laudabilis, et honesti, sicut patet in amicitia delectabilis, et utilis. Unde amicitia virtuosa magis est aliquod consequens ad virtutem, quam sit virtus. Nec est simile de charitate, quæ non fundatur principaliter super virtutem humanam, sed super bonitatem divinam.

Ad secundum dicendum, quod ejusdem virtutis est diligere aliquem, et gaudere de illo. Nam gaudium amorem consequitur, ut supra habitum est, cum de passionibus ageretur. Et ideo magis ponitur virtus amor, quam gaudium, quod est amoris effectus. Ultimum autem quod ponitur in ratione virtutis, non importat ordinem effectus, sed magis ordinem excessus cujusdam, sicut centum libræ excedunt quadraginta.

Ad tertium dicendum : Omne accidens secundum suum esse est inferius substantia, quia substantia est ens per se, accidens autem in alio. Sed secundum rationem suæ spe-

cici, accidens quidem, quod causatur ex principiis subjecti, est indignius subjecto, sicut effectus causa. Accidens autem quod causatur ex participatione alicujus superioris naturæ, est dignius subjecto, in quantum est similitudo superioris naturæ, sicut lux diaphono. Et hoc modo charitas est dignior anima, in quantum est participatio quædam Spiritus sancti.

Conclusio *est affirmativa.*

ARTICULUS IV.

Utrum charitas sit virtus specialis.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod charitas non sit virtus specialis. Dicit enim Hieron. (ut breviter omnem virtutis diffinitionem complectat) : Virtus est charitas, qua diligitur Deus et proximus. Et Augustinus dicit in lib. de moribus Ecclesiæ, quod virtus est ordo amoris. Sed nulla virtus specialis ponitur in diffinitione virtutis communis. Ergo charitas non est specialis virtus.

Præterea : Id quod se extendit ad opera omnium virtutum, non potest esse specialis virtus. Sed charitas se extendit ad opera omnium virtutum, secundum illud primæ ad Corinth. 13 : Charitas patiens est, benigna est, etc. Extendit etiam se ad omnia opera humana, secundum illud 1 ad Corinth. ult. : Omnia opera vestra in charitate sunt. Ergo charitas non est specialis virtus

Præterea : Præcepta legis respondent actibus virtutum. Sed August. in lib. de perfectione humanæ justitiæ, dicit quod generalis jussio est, Diliges : et generalis prohibitio, Non concupisces. Ergo charitas est generalis virtus.

Sed contra : Nullum generale connumeratur speciali. Sed charitas connumeratur speci libus virtutibus, scilicet spei et fidei, secundum illud 1 ad Corinth. 13 : Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc. Ergo charitas est specialis virtus.

Respondeo dicendum, quod actus et habitus specificantur per objecta, ut ex supra dictis patet. Proprium autem objectum amoris est bonum, ut supra habitum est. Et ideo ubi est specialis ratio boni, ibi est specialis ratio amoris. Bonum autem divinum in quantum est beatitudinis objectum, habet specialem rationem boni. Et ideo amor charitatis, qui est amor hujus boni, est specialis amor. Unde et charitas est specialis virtus.

Ad primum ergo dicendum, quod charitas ponitur in diffinitione omnis virtutis, non quia sit essentialiter omnis virtus, sed quia dependent ab ea æqualiter omnes virtutes, ut infra dicetur. Sicut etiam prudentia ponitur in diffinitione virtutum moralium, ut patet in 2 et 6 Ethic. eo quod virtutes morales dependent a prudentia.

Ad secundum dicendum, quod virtus, vel ars, ad quam pertinet finis ultimus, imperat virtutibus vel artibus, ad quas pertinent alii fines secundarii : sicut militaris imperat equestri, ut dicitur in 1 Ethic. Et ideo quia charitas habet pro objecto ultimum finem humanæ vitæ, scilicet beatitudinem æternam ; ideo extendit se ad actus totius humanæ vitæ per modum imperii, non quasi immediate eliciens omnes actus virtutum.

Ad tertium dicendum, quod præceptum de diligendo, dicitur esse jussio generalis ; quia ad hoc reducuntur omnia alia præcepta sicut ad finem, secundum illud 1 ad Timoth 1: Finis præcepti charitas est.

Conclusio *est affirmativa.*

Doctrinam quam D. Thom. proponit in his duobus articulis, et in sequentibus usque ad finem quæstionis inclusive, explicandam reservamus *in disp.* 7. ubi commodiorem sedem habet juxta ordinem hujus Tractatus.

DISPUTATIO I.

De possibilitate, et existentia charitatis in ratione supernaturalis, et strictæ amicitiæ hominis ad Deum.

Quamvis absoluta charitatis existentia constet liquido ex Apostolo 1 *ad Corinth.* 13, Trident. *sess.* 6, *cap.* 7, D. Thom. et ejus Interpretibus 1, 2, *quæst.* 62, non tamen ex eisdem locis præcipue habetur, possibilem esse veram amicitiam inter Deum et homines, illiusque rationem competere prædictæ virtuti charitatis ; sed utrumque manet difficultatibus obnoxium, quas non facile superabimus. Quare cum alias prima cujuslibet scientiæ disputatio eo tendere et collineare debeat, ut *an est* sui subjecti formalis examinet, nisi illud aliunde supponat exploratum ; ideo in hoc Tractatu, in quo virtutem charitatis sub ratione amicitiæ hominis ad Deum per se primo respicimus, hujus dilectionis possibilitati et existentiæ examinandis primam disputationem merito dedicamus. 1 ad Corinth. 13. Conc. Trid. D. Th.

DUBIUM I.

Utrum sit possibilis supernaturalis, ac stricta amicitia inter Deum et homines ?

Nequit proposita difficultas convenienter expediri, quin prius amicitiæ quidditatem, passiones, et species agnoscamus. Quapropter ex pluribus, quæ de hac materia scribunt Aristot. 8, *et* 9 *Ethic.* D. Thom. *ibidem*, Tullius *in Lælio*, et alii plures, nonnulla oportet modo prælibare. Arist. Tullius

§ I.

Amicitiæ diffinitio, illiusque species explicantur.

1. Amicitia ergo (ut communiter diffinitur) *est mutuæ benevolentiæ amor in alicujus boni communicatione fundatus.* Quæ diffinitio tria exprimit ad veram amicitiam necessaria. Primum est *benevolentia*, quæ ex sua formali ratione dicit velle bonum alicui personæ propter ipsam ; ad irrationalia quippe non extenditur. Secundum est *dilectio*, quæ supra benevolentiam addit unionem Amicitiæ diffinitio.

nem amantis ad amatum, ita ut amans reputet amatum quasi idem sibi. Tertium est, quod prædictus benevolentiæ amor sit mutuus, manifestus, et super alicujus boni communione fundatus. Ad amicitiam quippe necessaria est redamatio non latens; nam amicus dicitur quasi amans amatus, sive alteri amicatus. Mutuus autem benevolentiæ amor persistere nequit, nisi fundetur in alicujus boni communicatione, vel societate. Unde tria hæc, quæ modo exposuimus, requiruntur et sufficiunt ad veram et strictam amicitiam.

isio ici- æ.

2. Cujus multiplex est divisio; nam primo dividitur ex parte objecti, sive finis, in amicitiam honesti, utilis et delectabilis. Cujus partitionis sufficientiam probat Philosophus 8 *Ethic. lect*, 2, ex eo quod amicitia dicitur per respectum ad objectum amabile, seu amicabile : amabile autem coincidit cum bono ; ut enim ibi tradit Aristot. *Amabile bonum, unicuique autem proprium:* sed bonum dividitur adæquate in utile, honestum, et delectabile : ergo amicitia adæquate dividenda est ex parte objecti in utilem, honestam, et delectabilem.

ist.

Amicitia utilis illa dicitur, quæ vult bonum amico, non quidem gratia ipsius, sed propter utilitatem amantis, quam respicit ut finem. Hæc enim amicitia illiberalis est, et quæstuaria, ob idque frequenter invenitur inter mercatores, qui solius utilitatis gratia, quam unus assequitur ex negotiatione alterius, amicitiam ineunt, illiusque obsequia sibi impendunt. Amicitia vero delectabilis appellatur illa, in qua etiam amans non diligit amatum, nisi in quantum est sibi delectabile, et propter voluptatem, quam ex illius communicatione capit. Unde hæc amicitiæ species maxime familiaris est juvenibus ; hi enim cum non sequantur judicium rationis, sed inclinationem passionum, delectationem sensuum prosequuntur, et voluptates corporeas ardenter aucupantur. Amicitia autem honesti illa est, quæ fundatur super communicatione, et similitudine in bono virtutis, et per quam amans vult bona amico gratia ipsius, vel propter ipsum sicut finem.

3. Unde quia solum bonum honestum est bonum simpliciter naturæ intellectivæ, firmumque de se, et stabile ; idcirco sola amicitia honesti est amicitia absolute et simpliciter, aliæ vero duæ secundum quid tantum, et per analogiam ad illam, quatenus scilicet participant aliquid tum de conceptu benevolentiæ quam includit amicitia virtutis, tum etiam utilitatis et delectationis, quibus prædicta amicitia abundat. Quamvis enim virtuosus non quærat in amico delectationem, aut utilitatem propriam, illas tamen abunde consequitur, quia nihil utilius, ac delectabilius est veris amicis, ut probant Philosophi *loco citato*, et D. August. *lib. de amicitia.* D. Aug.

Ulterior divisio.

Quæ dividitur secundo ratione communicationis quam supponit, in naturalem, domesticam, civilem, et divinam, ad quas reducuntur plures aliæ. Naturalis est velut insita consanguineis, fundatur enim super communicatione naturæ, quæ per generationem traducitur. Domestica est propria illorum, qui sub unius patrisfamilias providentia in eadem domo convivunt, et in domesticis communicant officiis. Civilis seu politica amplectitur oppidanos, seu concives ; nam sicut inter milites est amicitia ratione societatis, et communicationis militiæ ; inter eruditos ratione communicationis in doctrina : ita etiam potest esse inter illos, qui communicant in unius loci habitatione, et operibus civilibus. Divinæ vero amicitiæ nomine intelligitur charitas, quæ, ut intra constabit, est vera amicitia inter Deum et homines, fundata in communicatione donorum supernaturalium, præsertim gloriæ, ad quam per gratiam coaptamur.

4. Denique amicitia alia est æqualitatis, quæ idcirco hoc sibi nomen vendicat, quia petit ad sui consistentiam æqualitatem cum personarum ; tum etiam, et maxime obsequiorum, quæ sibi debent rependere invicem amici: alia vero excellentia, qualis invenitur inter patrem, et filios, maritum et uxorem, Principem et subditos. Et hujusmodi amicitia non exposcit æqualitatem personarum, aut obsequiorum, sed illorum dumtaxat proportionem ; non enim eadem sibi præstare debent parentes et filii, subditus et Princeps ; sed æqualia secundum proportionem ad personas. Unde cum Rex impendit subditis curam, providentiam, et alia dona, subditi vero retribuunt ei honoris, gratitudinis, et obedientiæ obsequium, salvari potest inter illos stricta amicitia excellentiæ. Quæ non est eadem specifice inferioris personæ ad personam superiorem, sive excellentem, et hujus ad illam ; sed diversa, ut ex Philosopho advertit D. Thom. 8 *Ethic. lect.* 7. D. Tho.

Utrum autem amicitia naturalis simpli-

citer dicta, qualis est amicitia honesti, tam æqualitatis, quam excellentiæ, sit specialis virtus? Non diffinivit Philosophus, et adhuc sub lite res est. Dici potest pro nunc, et quidem satis probabiliter, quod est specialis virtus moralis, et pars potestativa justitiæ, quæ reddit unicuique amorem. Sicut enim benefactori ratione beneficii præstiti debita est ex decentia aliqua gratiarum retributio; ita qui sapientia, virtute, sanguine, aut simili bono excellit, et nobiscum communicat, jus habet, ut speciali benevolentia a nobis diligatur; quoniam omnes illæ dotes dignæ sunt speciali amore. Unde sicut ad satisfaciendum debito orto ex beneficiis acceptis, ponitur specialis virtus moralis, scilicet gratitudo, quæ est potentialis pars justitiæ; ita pro solutione juris ad specialem benevalentiæ amorem fundati in communi bono doctrino, virtutis, consanguinitatis, etc. constituenda est specialis virtus moralis, quam dicimus amicitiam. Sed de hoc infra fusius agemus *disp.* 7, *num.* 4.

Amicitiæ proprietates.

Circa proprietates autem veræ et perfectæ amicitiæ, uti præcipue est illa, quam laudabilium morum, studiorumque similitudo conglutinat, late diffunditur calamus Scriptorum. Omnes tamen possunt ad quatuor revocari. *Prima* est, ut amicus amico gaudenti congaudeat, dolenti condoleat, eique animi consilia, et pectoris secreta confidat. *Secunda*, ut amicus familiaribus amici colloquiis delectetur, præsentiam suspiret; illum tamen ita veneretur, ut in illius conspectu nihil indecens agere, aut loqui præsumat. *Tertia*, ut omnia amicorum bona sint communia, sibique in necessitatibus, si forte occurrerint, sponte subveniant. *Quarta* denique, et quæ omnes alias complecti videtur, ut amans habeat se in omnibus ad amicum sicut ad seipsum; quia amicitia est virtus, quæ eo dilectionis, ac dulcedinis fœdere amicos conjungit, ut ex eis cor unum, et animam unam efficiat. Sed de his, aliisque ad hanc materiam spectantibus videri possunt Authores supra citati; nobis enim satis fuerit nonnulla breviter prælibasse pro decisione præsentis quæstionis, quæ intelligenda est de amicitia excellentiæ; nam æqualitatis amicitia extra dubium est, quod non possit competere Deo erga creaturas.

§ II.

Catholica sententia elucidatur.

Conclusio.

5. Dicendum ergo est, possibilem esse inter Deum, et homines veram, strictamque, ac supernaturalem amicitiam. Hæc assertio est adeo communis, et certa, ut nonnulli eam censeant de fide. Quam docet D. Thom. 1 *p. quæst.* 20, *art.* 2 *ad* 3, *et in* 3, *dist.* 23, *quæst.* 1, *art.* 1 *ad* 2, *et in præsenti art.* 1, ubi Cajet et Bannez, Arauxo *concl.* 1 *et* 2, Joan. a S. Thom. *disp.* 14, *dub.* 1, Gonet. *disp.* 10, *art.* 1, Ferre *quæst.* 1, § 1, Labat *disp.* 3, *dub.* 1, § 1, N. Philipp. a SS. Trin. *disp.* 11, *dub.* 1, Lorca *disp.* 2, Valentia *disp.* 3, *quæst.* 1, *punct.* 2, Suarez *disp.* 3, *Sect.* 2, Vasquez *lib.* 1, *de adorat. disp.* 6, *cap.* 2, Granad. *controvers.* 3, *de charit. disp.* 3, *sect.* 1, et alii plures.

D. Tho Cajet Bannez. Arauxo. Joan. S. Tho Gonet. Ferre. Labat N. Phi Lorca Valent Suarez Vasq. Granad

Fundamentum ab authoritate.

Probatur primo testimoniis Sacræ Scripturæ, in quibus perspicue continetur. Hujusmodi sunt illud Psal. 12: *Nimis honorati sunt amici tui Deus.* Et illud Sapient. 7: *Infinitus thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei.* Et Cant. 2: *Surge, propera amica mea.* Et cap. 5: *Ipse est amicus meus, filiæ Jerusalem.* Et Joan. 15: *Vos amici mei estis.* Et Luc. 12: *Dico autem vobis amicis meis.* Et alia plura, quæ intelligenda sunt de vera, et propria amicitia: tum quia verba Sacræ Scripturæ accipi debent in sensu proprio, et rigoroso, quoties ex hac intelligentia nullum sequitur inconveniens, ut tradit D. August. ab omnibus receptus: nullum autem apparet inconveniens in eo quod de propria, et stricta amicitia intelligantur. Tum etiam, quia hoc pacto ea interpretantur communiter SS. Patres. D. Hilarius *in Ps.* 13. D. August. *tract.* 85, *in Joan.* D. Ambrosius *lib.* 2 *Epistolar. epist.* 7, D. Bernard. *in Cant.* et plures alii, a quorum sensu non licet abscedere.

Psal. 1 Sap. 7 Cant. 5 Joan. 15. Luc. 1 D. H D. A D. Am D. Ber

Ratio

Deinde suadetur eadem assertio ratione; nam amicitia proprie dicta, ut modo vidimus, est mutuæ benevolentiæ amor in peculiari quadam communione fundatus: sed inter Deum et homines possibilis est mutuæ benevolentiæ amor fundatus super communione perfectissimi boni, scilicet beatitudinis, qua Deus est in seipso summe felix: ergo et supernaturalis, strictaque amicitia. Major, et consequentia constant. Minor autem suadetur primo, quia non repugnat, ut Deus et homines communicent in supernaturali

turali bono æternæ beatitudinis; nulla enim apparet hujus communicationis implicatio, quia, ut ostendunt ex fide Theologi in materia de visione, possibilis est visio intellectiva, qua homines intueantur Deum prout est in se, et in formali ejus beatitudine participative communicent. Omnis autem peculiaris boni communicatio nata est parere mutuum benevolentiæ amorem inter eos, qui in illo communicant; similitudo quippe gignit amicitiam, ut docet Phil. 8 *Ethic. lect.* 1, et constat experientia; virtuosi namque facile inter se amicantur, quia communicant in bono virtutis : milites sunt inter se amici propter communionem et societatem in militia, et sic de aliis.

Secundo, quia homines justi possunt velle, et de facto volunt Deo, quia Deus est, et propter ipsum maxima bona, cum intrinseca, ut eum esse, qualis est, justum, omnipotentem, etc. in hoc enim summam complacentiam habent : tum extrinseca, ut quod ab omnibus adoretur et colatur. Deus item vult ipsis justis supernaturalia bona tam gratiæ, quam gloriæ, non quidem ex concupiscentia ad utilitatem, vel delectationem, quas ex illis capiat, utrumque enim summæ Dei felicitati repugnat; sed ex benevolentia ad ipsos, qua diligentes se diligit, ut dicitur *Parabolar.* 8. Est igitur inter ipsum, et homines mutuæ benevolentiæ amor, qui cum fundetur alias in communione perfectissimi, et supernaturalis boni, scilicet beatitudinis, quam Deus ut author supernaturalis impertitur justis in via per gratiam, in patria per gloriam, ut modo vidimus, non potest constituere inter ipsos perfectam, et supernaturalem amicitiam.

Confirmatur primo. Inter Patrem, et filios adoptivos intercedit propria, et perfecta excellentiæ amicitia, eo quod adoptio imitatur naturalem filiationem, quæ prædictam dilectionem inducit : sed possibile est, quod Deus ut author supernaturalis eligat homines in filios adoptivos, quia et de facto plures sic elegit, conferendo eis supernaturalem gratiam adoptionis, qua clamamus, *Abba Pater*, participamusque ipsam naturam divinam, et acquirimus jus ad gloriæ hæreditatem : ergo possibilis est inter Deum, et homines supernaturalis, et perfecta excellentiæ amicitia. Major et consequentia non indigent probatione : minor vero quoad primam illius partem suadetur perspicue, tum ex secunda, quæ constat ex illo Joan : 1 : *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Et 1 ad Corinth. 1 : *Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem filii ejus.* Et Rom. 8 : *Ipse Spiritus Sanctus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei :* et aliis hujuscemodi. Tum etiam, quia nulla adduci potest implicationis ratio in eo quod Deus eligat homines in filios adoptivos, eosque proinde ad suæ naturæ consortium admittat, cum id sit opus insignis liberalitatis, quæ divinam bonitatem maxime decet. Videantur quæ diximus *tract.* 14, *disp.* 4, *dub.* 2, § 2.

ad Corinth. 1. Ad Rom. 8.

Confirmatur secundo. Inter sponsos adest propria, et strictissima excellentiæ amicitia, ut quæ fundatur in maxima unione : sed animæ rationales possunt ad hanc gratiam, et societatem elevari, ut Deo sicut sponso intime copulentur : illarum igitur ad ipsum Deum possibilis est propria, et stricta excellentiæ amicitia. Minor, quæ sola indiget probatione, suadetur. Tum ex non repugnantia prædictæ unionis. Tum etiam, quia ab actu ad potentiam optima est consequentia : constat autem ex sacris Litteris Deum uniri de facto animabus justis ut sponsum sponsabus, cum quibus contrahit mysticum, et spirituale matrimonium, in hac quidem vita inchoatum per fidem et charitatem, quasi per verba de futuro; in patria vero per visionem, et præsentiam consummatum. Id enim non obscure ostendunt verba illa Oseæ 2 : *Sponsabo te mihi in fide.* Et Apocalyp. 19: *Gaudeamus, et exultemus, quia venerunt nuptiæ agni, et uxor ejus præparavit se.* Et alia plura hujusmodi, necnon et omnis scena dramatica libri Canticorum, quam de Christo et fidelium animabus, quibus ille ut sponsabus per verum, et mysticum matrimonium conjungitur, intelligunt communiter SS. Patres, quibus subscribunt Theologi videndi super hac re 1, 2, *q.* 4.

Alia confirmatio.

Oseæ 2. Apoc. 19.

§ III.

Communis objectio, et recentiorum solutio.

6. Contra hanc tamen assertionem est communis objectio, cui oportet satisfieri antequam sententiam contrariam, illiusque fundamenta proponamus. Objicies ergo : nam Dei ad creaturas non potest esse benevolentiæ amor : ergo nec amicitiæ. Consequentia liquet, et antecedens probatur; quia objectum motivum amoris benevolentiæ debet esse bonum, quod alteri volumus, sive potius ipsa persona amici, cui illud volumus; nam

Objectio.

benevolentia, ut supra vidimus, dicit ex sua formali ratione velle bonum alicui propter ipsum; hinc enim ab amore concupiscentiæ distinguitur, quæ non vult bonum amato propter ipsum, sed propter amantem. Constat autem, quod nullum bonum creatum potest esse objectum motivum actus divini, et increati : tum quia objectum motivum actus coincidit cum objecto primario, et specificativo, quod respectu divinæ voluntatis, et actuum illius non potest esse aliquid creatum, sed solum divina bonitas, ut docent communiter Theologi 1 *p. q.* 19, *art.* 1. Tum etiam, quia objectum motivum alicujus actus est vera illius causa finalis, utpote cujus proprium est movere : implicat autem quod actus divini, et increati sit causa finalis, vel alia quælibet.

Quædam solutio. Lorca. Arare. Torres. Coninch. Hurtad. Lessius.

Huic objectioni occurrunt Lorca *in præsenti, disp.* 2, *num* 9, Alarcon 2 *p. tract.* 3, Torres *in hac* 2,2, *disputat.* 66. *dub.* 2, Coninch *disp.* 21, *dub.* 8, Hurtardo *disp.* 121, *sect.* 6, *subsect.* 1, Lessius *de justitia et jure cap.* 36, *dub.* 3, et alii, concessa majori, negando minorem. Ad cujus probationes respondent non esse inconveniens, quod aliquis actus liber divinæ voluntatis adæquate acceptus, vel saltem inadæquæte secundum aliquam sui formalitatem, desumat speciem ab objecto creato, illudque respiciat ut proprium motivum, et finem primarium, sive proximum, sive etiam ulti, mum, non quidem privative, sed præcisive, idest in quo, quantum est ex suis meritis et formali ratione, sistat.

Refellitur.

Cæterum hæc solutio sustineri nequit. Tum quia finis, sive proximus, sive ultimus alicujus actus est vera causa illius: implicat autem, quod aliqua entitas creata sit vera causa actus divini, vel formalitatis intrinsecæ illius; quia cum hujusmodi actus adæquate acceptus sit ens a se, repugnat ei omnino dependentiæ imperfectio, quæ essentialis est omni enti habenti causam, in quantum hujusmodi. Tum etiam, quia objectum primarium, et motivum tribuit speciem actui, ad quem movet; repugnat autem, quod actus internus divinæ voluntatis mutuetur adæquate, vel inadæquate speciem ab objecto realiter a se distincto, quale est bonum creatum ob dependentiam, quæ essentialiter in hac specificatione includitur. Implicat enim, quod actus desumat speciem ab objecto realiter a se distincto, et quod non dependeat intrinsece ab illo sicut a causa formali extrinseca; quoniam specificari formaliter ab alio, nihil aliud est, quam ab illo sicut a forma dependere, eique ut causæ formanti, et exemplanti commensurari. Tum præterea, qui ab eo quivis actus delibat suam perfectionem, a quo speciem sortitur; quoniam sicut unitas, et multitudo, ita perfectio, et imperfectio rei speciem consequuntur : sed actus divinus non potest desumere suam perfectionem sive totaliter, sive partialiter ab objecto creato, ut ex se liquet : ergo nec speciem, ut male astruit hæc solutio. Tum denique, quia in voluntate divina nulla inordinatio potest cadere; caderet autem, si Deus vellet bonum creaturæ propter ipsam, sicut propter finem in quo præcisive sisteret, ut astruunt Lessius, Torr. et Hurt. quoniam talis actus esset contrarius rectæ rationi; hæc enim dictat, ut Deus omnia velit propter se sicut propter ultimum finem. Lessius. Torres. Hurtad.

Quæ argumenta etiam probant, quod bonum creatum esse non potest objectum motivum, seu primarium amoris Dei erga homines quantum ad terminationem illius activam (quæ est solutio Arrubalis 1 *p. disp.* 54, *cap.* 4, *et* Martinez de Ripalda, *in præsenti, disp.* 31, *sect.* 1.) Tum quia terminatio activa actus divini non distinguitur ab intrinseca entitate illius; quare sicut hæc non potest habere pro objecto motivo, et primario aliquid creatum, ita neque illa. Tum etiam, quia objectum specificativum, sive primarium, et motivum divinæ voluntatis liberæ, tam secundum entitatem, quam secundum extensionem, et terminationem activam ad creaturas, est immensa bonitas essentiæ Dei, non vero aliquid creatum, ut ex D. Thom. 1 *p. quæst.* 19, *art.* 2, *et in* 1, *dist.* 41, *art.* 3, ostendimus *tom.* 1, *tract.* 4, *disp.* 3, *dub.* 2, ad quem locum remittimus lectorem. Arrub. Martin. Ripalda D. Tho.

Replicæ.

7. Contra tamen instant recentiores; nam plures actus Dei habent pro objecto primario, specificativoque, ac motivo aliquid creatum, in communiori sententia Theologorum : ergo non recte doctrinam ab ipsis modo traditam inficiamur. Consequentia liquet, antecedens vero probant primo : quia in Deo est complacentia boni creati; complacentia autem cum supponat suum objectum, illudque attingat in seipso, non potest non ab eo speciem mutuare. *Secundo*, quia Deo odio sunt iniquitas, et peccatum : constat autem iniquitatem esse objectum motivum, et formale odii in quantum odium est. *Tertio*, quia objectum specificativum

specificativum omnipotentiæ divinæ non est aliquid increatum, sed ens producibile in communi. *Quarto*, et ultimo, quia actus divinæ voluntatis ex natura sua est infinitus, et independens a creaturis : ergo sive ab illis moveatur, et speciem capiat, sive non, nullam inde imperfectionem contrahet, sed permanebit semper cum propria perfectione, et independentia naturalibus.

Hæc tamen parum urgent. Respondetur enim negando antecedens ; nam opposita sententia communior est inter Theologos, quam docent cum D. Thom. ejus discipuli 1 *part. quæst.* 19, *art.* 2. Ad primam autem instantiam in contrarium dicendum, quod sicut cognitio, qua Deus attingit creaturas possibiles ; præsupponit illas, et tamen non desumit ab eis speciem, sed a divina essentia : ita licet actus ; quo ipse Deus complacet sibi in bono creato, præsupponat illud, ob id tamen non debet ab eo speciem capere, sed stat optime, quod eam desumat ab essentia divina. Et ratio est eadem utrobique, quia nimirum actus non debet mutuari speciem ab omni objecto, quod præsupponit, et in seipso attingit ; sed a primario tantum : sola autem essentia Dei potest esse objectum primarium, et motivum actus divini terminati ad creaturas, ut loco supra citato ostendimus.

Ad secundam respondetur, Deum moveri a propria bonitate, quam impense diligit, ad fugienda et detestanda omnia mala illi contraria, qualia sunt error, et iniquitas : unde malitia peccati solum se habet ut objectum secundarium, et pure terminativum actus divini detestativi illius, utpote in quo actu denominatio primaria, et essentialis est amoris erga divinam essentiam ; secundaria vero, et quasi accidentalis, displicentiæ, et odii in peccatum.

Ad tertiam instantiam negatur antecedens ; nam objectum specificativum omnipotentiæ est essentia divina, quatenus ratio omnis producibilis ; creaturæ vero possibiles solumcom parantur ad illam ut objectum connaturale secundarium, cum quo omnipotentia ita connectitur, ut non possit absque illo esse, aut intelligi, ut ostendimus loco citato, *disp.* 7, *a n.* 62.

Ad ultimam probationem negatur consequentia, quoniam ex antecedenti potius sequitur quod actus divinus non possit habere pro objecto motivo, aut specificativo aliquid creatum : quia si hoc pacto se haberet ad aliquam creaturam, eo ipso dependeret realiter ab illa, et non dependeret : quæ contradictionem implicant. Non dependeret quidem, quia est divinus ; dependeret vero, quia non stat aliquid præter divinam bonitatem esse specificativum volitionis divinæ, quin sit vera causa formalis, et finalis illius, influatque in eam dependentiam. Nam supposito, quod aliquid sit ratio motiva, vel specificativa alterius, non aliunde impediri potest vera causalitas, et dependentia, nisi ex defectu realis distinctionis inter ipsa, ut contingit in divinis : quam distinctionem perspicuum est non deficere, sed adesse inter Deum, et creaturas.

§ IV.

Legitima objectionis solutio.

Præmittenda pro solutione.

8. Quocirca recentiorum solutionibus rejectis, ut veram et legitimam tradamus, animadvertendum est primo, quod in actu dilectionis Dei erga rationales creaturas distinguere debemus ipsam entitatem, et terminationem activam actus divini, quæ infinita est, et increata ; et ipsa bona creaturæ volita, quæ finita sunt, et temporalia.

Secundo nota, quod licet rationalis creatura non possit esse motivum, sive finis actus divini ; bene tamen naturalis, vel supernaturalis boni, quæ Deus per prædictum actum illi confert ; nam cum hujusmodi bona sint creata, nihil vetat quominus ordinentur ad creaturam rationalem sicut ad proximum finem.

Observa denique de ratione benevolentiæ non esse, quod persona amata sit finis actus, quo ei bonum appetimus ; sufficit enim, quod ex vi prædicti actus constituatur in esse finis boni eidem voliti. Tum quia ex hoc satis salvatur, quod amans velit amato bonum propter ipsum, in quo propria benevolentiæ ratio consistit. Tum etiam, quia proximus, intrinsecus, et indispensabilis finis actus amicitiæ est rectitudo moralis, quæ in dilectione liberali amici invenitur, ut colligitur ex D. Thom. *in* 2, *distinct.* 23, *art.* 2, *et in hac* 2, 2, *q.* 113, *art.* 7. D. Tho.

Legitima responsio.

Ex his facilis est solutio ad objectionem ; negatur enim antecedens, ad cujus probationem sic potest in forma occurri : *objectum motivum amoris benevolentiæ debet esse persona amici*, distinguo majorem ; ex parte

actus, vel boni voliti, concedo majorem, quantum ad entitatem, vel terminationem activam actus determinate, nego majorem. *Sed creatura rationalis non potest esse objectum motivum, sive finis actus divini,* distinguo minorem; quantum ad illius entitatem, vel terminationem activam, concedo minorem; ex parte boni voliti, subdistinguo minorem: loquendo de fine ultimo, concedo minorem; si sermo sit de fine proximo, nego minorem, et consequentiam. Quia ut Dei ad creaturas rationales sit strictæ benevolentiæ amor, sufficit quod ex vi divinæ volitionis constituantur prædictæ creaturæ in esse motivi, et finis proximi boni eis communicati per illam: quoniam ex hoc præcise salvatur, quod Deus velit bona hominibus propter ipsos sicut propter finem; quod dumtaxat benevolentiæ amor exquirit. Videatur D. Thom. *in* 2, *distinct.* 26, *artic.* 1. D. Tho.

Replica. 9. Nec refert, si contra hanc solutionem objicias primo, quod juxta illam actus, quo Deus vult hominibus aliqua bona, non sistit in illis adhuc ex parte boni voliti, sed eos ordinat indispensabiliter ad ipsum Deum sicut ad ultimum finem: ergo nec est, neque esse potest amor amicitiæ. Patet consequentia, quia hic amor salvari nequit, nisi saltem ex parte boni voliti sistat in amico. Si enim ordinet illud ad amantem sicut ad ultimiorem finem, jam non erit affectus amicitiæ, sed concupiscentiæ, ut constat tum ex se: tum etiam quia ideo amicitia utilis, et delectabilis deficiunt a perfecta ratione amicitiæ, quia etsi per eas amans velit bona amico, ipsa tamen refert ulterius ad seipsum, propriamque utilitatem, et delectationem, ut docet Aristot. 8, *Ethic. lect.* 4, et ex illo D. Thom. *ibi, et* 1, 2, *q.* 16, *art.* 4. Aristot. D. Tho.

Diluitur. Non, inquam, hoc refert. Respondetur enim concesso antecedenti, negando consequentiam. Ad cujus probationem dicimus, esse contra rationem amoris amicitiæ stricte dictæ, quod amans referat amatum, et bona ei volita ad amantem, qui non est ex se ultimus finis amati; secus autem si sit ultimus finis illius, uti se habet Deus ad creaturas, quas proinde diligere potest amore perfectæ amicitiæ eodem actu, quo refert illas ultimo ad seipsum. Cujus doctrinæ ratio est manifesta, quia amicitiæ perfectæ obesse nequit, quod amans diligat amatum eo modo, quo ei major perfectio accrescit, ejusque magis interest; siquidem proprius scopus amicitiæ, dum vult amico bona, est ut ei bene sit: constat autem, quod tunc creatura diligitur eo modo, quo sua magis interest; majorque perfectio ei accrescit, cum amatur subordinate et relative ad suum ultimum finem, qui est Deus; quoniam hoc pacto magis unitur, et appropinquat ad summum bonum, primamque sui causam: in qua unione et approximatione cujuslibet creaturæ perfectio sita est, ut ex se liquet. Tum etiam, quia amicitiæ virtuosæ ratio solum petit, ut amatum diligatur propter se conformiter ad ejus naturam, et regulas honestatis: est autem valde conforme regulis honestatis et naturæ creatæ, ut hæc diligatur cum subordinatione positiva ad suum ultimum finem, qui est Deus. Præsertim cum ab ipso ultimo fine diligitur, quem ita decet omnia sibi subjicere, ut oppositum nequeat honestari: ergo quod Deus diligat creaturas, referendo illas ad seipsum sicut ad ultimum finem, non obstat quominus prædictus amor sit strictæ amicitiæ. Imo illum in esse dilectionis amicabilis perficit, vel constituit.

Per quod ad probationem consequentiæ satis patet; procedit enim de subordinatione amati ad amantem, qui non sit ultimus finis illius: quam subordinationem libenter admittimus inveniri non posse in actu perfectæ amicitiæ.

Quibus adde amicitiam utilis, et delectabilis ideo deficere a perfecta amicitiæ ratione, quia intendunt principaliter utilitatem, et delectationem amantis, et in mutua illarum communicatione fundantur. Deus autem non subordinat sibi creaturas, quas diligit, et bona eis præstita, ut ex eis aliquam utilitatem, aut delectationem capiat: sed quia ita decet ipsum alia a se diligere, ut tradit D. Thom. 1 *part. q.* 14, *art.* 2. Unde prædicta subordinatio non obest, quominus ipsius Dei ad creaturas sit amicitia honesti, quæ est perfecta amicitia. D. Th

Alia replica. 10. Objicies secundo, quod nedum per dilectionem amicitiæ, sed etiam per actus liberalitatis, et misericordiæ potest quis velle bonum alteri propter ipsum sicut propter finem ipsius boni voliti, modo nuper explicato: ergo nisi amor, quo Deus communicat bona hominibus, respiciat illos ut objectum sui motivum, et specificativum, non est cur sit magis amicitiæ, quam alterius virtutis affectivæ.

Enodatur. Respondetur concesso antecedenti, negando consequentiam, quia præterquam

quod

quod liberalitatis, et misericordiæ actus non fundantur per se in communicatione alicujus boni, nec petunt unionem affectuum, et redamationem, quæ tamen exposcit actus amicitiæ, superest aliud universale principium, quo prædicti actus distinguantur in Deo veluti specifice, nempe immensa bonitas divinæ essentiæ, quæ ob sui eminentiam est ipsi Deo ratio formalis exercendi erga creaturas actus omnium virtutum, quæ ex suo essentiali conceptu imperfectionem non includunt, quales sunt liberalitas, misericordia, justitia, fidelitas, et amicitia. Ut enim Deus ex hac virtute communicet creaturis dona gratiæ, vel gloriæ, opus non est, quod ad hanc communicationem ab illarum bonitate moveatur, sed sufficit, et requiritur, quod tribuat eis prædicta bona ex affectu ad propriam bonitatem, quatenus est formalis ratio assimilandi sibi alia, sive trahendi ad consortium suæ naturæ. Hinc enim prædicta communicatio in esse actus amicitiæ divinæ constituitur, secerniturque ab actibus liberalitatis, misericordiæ, et cujuslibet alterius virtutis erga creaturas.

Pro cujus solutionis perfecta intelligentia recolendum est ex dictis *tract.* 4, *disp. et dub.* 7, quod cum divina essentia contineat eminenter omnem perfectionem physicam, et honestatem moralem, tam objectivam, quam formalem, repertas in creaturis, sitque prima illarum regula, potest sumi dupliciter : uno modo absolute, et secundum se, ut est bona per essentiam absque restrictione ulla ; quo pacto est proprium specificativum divinæ voluntatis, prout distinctæ virtualiter a suis virtutibus ; alio modo magis limitate, prout nimirum continet, et regulat determinate specialem bonitatem, quæ relucet in objecto, et actu misericordiæ creatæ, vel alterius virtutis, ex modo dictis : et hoc modo tribuit speciem per modum objecti *quo*, et *quod* virtutibus divinis, et illarum actibus, et exercitiis ; misericordiæ videlicet, quatenus continet honestatem, quæ apparet in sublevatione miseriæ alienæ ; liberalitati vero, quatenus est prima regula bonitatis, quæ existit in hilari, et decenti profusione bonorum ; amicitiæ autem proprie dictæ, quatenus est Deo proxima, et formalis ratio trahendi alia ad consortium, et similitudinem suæ naturæ, sive communicandi illis bona, quia sibi similia in illa (ly *quia* dicente solum conditionem, sive rationem formalem passivam tenentem se ex parte ipsarum creaturarum) et sic de aliis virtutibus proportionabiliter.

Unde quia bonitas divinæ essentiæ accepta secundum unum ex his modis est distincta virtualiter a seipsa sumpta secundum alios ; etsi Deus per actus misericordiæ, liberalitatis, et amicitiæ impertiatur bona hominibus propter ipsos sicut propter finem boni voliti, non obest quominus prædicti actus sint distinctæ lineæ, cum semper habeant diversum objectum specificativum, scilicet essentiam divinam, a qua omnes actus Dei speciem delibant, et quæ attendenda est ad discernendum, cujus virtutis sint elicitive. Etenim si Deus tribuat bona creaturæ rationali ex affectu ad infinitam bonitatem suæ essentiæ, prout est ratio sublevandi alienam miseriam, erit prædictus actus misericordiæ ; si autem præstet ex amore ad illam, ut est ratio assimilandi sibi alia, erit veræ amicitiæ.

Alia replica.

11. Tertio objicies : ad veram amicitiam requiritur, ut quis velit bonum alteri ex affectu ad ipsum : sed juxta solutionem supra traditam, Deus non potest velle bona hominibus ex affectu ad illos : ergo neque illos diligere amore strictæ amicitiæ. Major præterquam quod est communis animi conceptio, desumitur ex D. Thom. *in* 3, *dist.* 29, *quæst.* 1, *artic.* 6, et infra *quæst.* 114, *art.* 1 *ad* 1, ubi hac ratione excludit a vera amicitia virtutem affabilitatis, qua quis sine affectu ad alterum habet se ad illum in verbis, et factis exterioribus, sicut se habere potest ad amicum. Minor est vero perspicua ; nam affici ad aliquam personam importat habitudinem ad ipsam sicut ad objectum motivum affectus, sive voluntatis, qui est impossibilis Deo in nostra doctrina. D. Tho.

Observanda diluendam replicam.

Ut huic objectioni clarius occurramus, animadvertendum est prius, amorem benevolentiæ esse in duplici differentia : alium *affectionis*, quo voluntas amantis fertur in rem amatam, ad illamque afficitur veluti tracta, et mota ob amabilitatem, quam supponit in ipsa : alium *effectionis*, quo voluntas amantis efficit bona, quæ diligit in amato, hacque effectione trahit amatum ad seipsum. Uterque autem ex his amoribus ligat amantem cum amato, et ex illis unum quodammodo constituit, diversimode tamen ; nam in amore affectivo amatus trahit ad se amantem, perficitque, ac complet illius appetitum ; amans vero trahitur, recipit, et dependet ab amato, nisi distinc-

tionis defectu inter utrumque hæc dependentia impediatur. Econtra vero in amore effectivo amans trahit, et transformat in se amatum, illumque perficit ac nobilitat : amatum autem trahitur, et dependet ab amante, ab eoque recipit bona, quibus indiget. Et ratio hujus differentiæ est, quod amor affectivus oritur ex bonitate præexistente in objecto amato ; et ubi amans distinguitur ab amato, nascitur etiam ex indigentia, et potentialitate illius. Amor autem effectivus oritur ex perfectione, et communicabilitate amantis, quæ non permittit illum intra seipsum contineri, sed ad alia diffundit ab ipso nobilitanda et perficienda.

Secundo nota, quod amicitia ex sua formali ratione solum petit benevolentiæ amorem, qui amantem, et amatum intime conjungat, et per quandam transformationem unum quodammodo ex eis constituat ; quia, ut supra explicuimus, in hac affectuum unione illius essentia consistit. Unde cum tam amor effectivus, quam affectivus modo expositi prædictam unionem inter amantes constituant, quilibet ex eis sufficit ad veram, et perfectam amicitiam.

Observa denique , in dilectione Dei erga creaturas utriusque amoris modo expositi formalitates concurrere; illa enim dilectio, secundum quod terminatur ad ipsum Deum (non enim potest ab hac attingentia absolvi) est amor affectivus, quia Deus diligit se allectus , et attractus a sua bonitate. Ut vero terminatur ad creaturas , est præcise , et formaliter effectivus : Deus enim non potest dependere a creaturis , neque ad illas affici ; sed idcirco illas diligere dicitur , quatenus ex amore affectivo ad suam infinitam bonitatem illas efficit, trahit , et ad se convertit, ut ex doctrina communi SS. Patrem late ostendimus *tract.* 4, *disput.* 3, *dub.* 2, *et tom.* 3, *tract.* 8, *disp.* 2, *dub.* 5. Verum quidem est , hunc amorem effectivum Dei ad creaturas esse virtualiter affectivum erga illas : tum quia ipsa affectio est pro alio posteriori naturæ complacentia quædam boni effecti : tum etiam , quia ita se habet Deus ex vi prædicti amoris in conferendo creaturis bona, et eas copulando sibi, ac si maxime afficeretur ad ipsas.

Solvitur objectio. His suppositis, neganda est major absolute accepta ; quoniam licet ad creatam amicitiam, utpote indenudabilem ab imperfectionibus dependentiæ , et transformationis amantis in aliud, requiratur amor formaliter affectivus erga personam amatam ; secus tamen ad conceptum formalem amicitiæ, quæ præscindit a creata, et increata ; hæc enim solum petit benevolentiæ amorem, qui intime uniat amantes, sive affectivus sit, sive effectivus , qualis est amor Dei erga creaturas, quibus impertitur gratiam, et alia supernaturalia dona ; siquidem ex vi hujus communicationis creatura unitur ipsi Deo, et in illum quodammodo transformatur.

Nec obest probatio in contrarium adducta ex D. Thom. tum quia S. Doctor solum loquitur de amicitia creata , quæ quia non oritur ex summa perfectione amantis, ut contingit in divina amicitia , sed ex illius indigentia, et præexistenti objecti amati bonitate, salvari nequit absque amore affectivo ad amatum. Tum etiam, quia amor effectivus Dei ad creaturas est virtualiter affectivus ad illas , cum eas ipsi Deo intime conjungat ut supponimus . Virtus autem, qua quis se habet ad alterum affabiliter in verbis, et externis factis , non includit ex suo conceptu formalem, aut virtualem affectionem benevolentiæ ad illum, sicut neque unionem voluntatum, aut redamationem ; sed ab eis præscindit, ob idque ad perfectam amicitiæ rationem non pertingit.

§ V.

Diluuntur fundamenta contrariæ sententiæ, præter ultimum.

12. Contrariam nihilominus sententiam tuetur Durandus *in* 4, *dist.* 49, *quæst.* 4, *num.* 16, cui opinioni aliquantulum favet Scotus *in* 3, *dist.* 29, *quæst.* 5. Et probatur primo, quia perfecta amicitia solum potest esse inter æquales : constat vero, quod inter Deum, et homines non est æqualitas , sed infinita distantia : inter eos igitur impossibilis est perfecta amicitia. Major , quæ sola indiget probatione, est expressa Philosophi 8 *Ethic. cap.* 7, his verbis : « Constat autem si in « virtute, vel vitio, vel divitiis, vel in aliqua « alia re magna distantia fiat, non ulterius « sunt amici , neque dignum putant se esse « amicos . Maxime autem hoc est manifes- « tum in ipsis Diis immortalibus ; hi nam- « que plurimum bonis omnibus antecellunt.

Sententia Durandi. Scotus. Primum argumentum Aristot.

Confirmatur : nam Domini ad servum non potest esse vera amicitia, ut docet idem Philosoph. 8 *Ethic. cap.* 11. Sed homo est Dei servus , ut liquet ex illo Luc. 17 : *Cum feceritis hæc omnia, dicite : Servi inutiles sumus.*

Confirmatio. Aristot. Lucæ 17

sumus. Inter ipsos igitur esse non potest perfecta amicitia.

rri- argu- nto. Tho. Respondetur primo ex D. Thom. *in* 3, *dist.* 32, *quæst.* 1, *art.* 1 *ad* 2, inter multum distantes eatenus rescindi amicitiam, quatenus non communicant in eadem vita, nec conversantur simul, quod est proprium amicitiæ : Deus autem quamvis infinite distet a creatura, potest tamen conversari, et communicare cum illa in vita supernaturali, ipsamque proinde diligere amore perfectæ amicitiæ.

so- utio. Tho. Secundo respondetur ex eodem Angelico Præceptore *in* 3, *dist.* 28, *quæst.* 1, *art.* 3 *ad* 3, majorem esse veram loquendo de amicitia æqualitatis : falsam autem, si de amicitia excellentiæ intelligatur : hæc enim non dissolvitur per distantiam præcise personarum, quia non petit ex se æqualitatem æquiparantiæ inter illas, sed solum æqualitatem proportionis in obsequiis : quæ tunc invenitur, cum quilibet amicorum operatur ad alterum secundum suam proportionem ; filius v. g. quæ filii, pater vero, quæ patris. Constat autem, quod licet inter Deum, et homines non possit esse æqualitas æquiparantiæ in actionibus et effectibus, bene tamen proportionis ; nam si Deus confert homini gratiam, et alia supernaturalia dona, homo potest per gratiarum actionem, honorisque, et obedientiæ obsequium, omnia ab ipso accepta referre ; quod ad prædictam proportionem sufficit, ut ex se liquet. Unde licet inter Deum, et homines esse nequeat stricta æqualitatis amicitia, bene tamen excellentiæ, qualis inter principem, et subditos invenitur, ut docet Philosoph. 8 stot. *Ethic. lect.* 12, his verbis : « Est autem ad « parentes amicitia filiis, et hominibus ad « Deum, ut ad bonum superexcellens. »

Quare ad authoritatem in contrarium ex eo adductam respondetur, quod licet ipse Philos. in principio capitis loquatur de amicitia excellentiæ, verba tamen in argumento adducta, et quæ subsequuntur usque ad finem lectionis, intelligenda sunt de amicitia æqualitatis. Nec procedunt de possibili, sed tantum de facto, et ab iis quæ regulariter contingunt ; solum enim vult Philosophus inter personas virtute, aut dignitate maxime distantes vix amicitiam iniri, aut initam conservari ; quia qui se aliis longe eminere conspiciunt, eos quasi abjectos, et propria amicitia indignos aspernantur, ut quotidiana liquet experientia. Dum autem his personis Deos immortales annumerat, non loquitur ex propria sententia, sed more gentium, qui plures Deos agnoscebant. Ipse vero Deorum nomine intelligit substantias separatas, scilicet Angelos, cum quibus in ordine naturæ non possumus strictam amicitiam pacisci propter defectum communicationis vitæ naturalis, ut tradit D. Thom. *articul. proxime citato ex* 3 *Sent.* D. Tho.

Ad confirmationem dicendum, amicitiam solum esse ad eos, qui possunt dominium habere alicujus rei ; volumus enim bona amicis propter ipsos, sive ut ipsorum sint : unde quæ incapacia dominii sunt, ut irrationalia, eo ipso excluduntur ab amicitia. Hoc autem interest inter servum legalem, et naturalem, quod ille non potest habere dominium alicujus rei ; sed ipse, et omnia quæ acquirit, sunt domini private, idest ita domini, quod nullo modo servi. Naturalis vero subditus cum gaudeat arbitrii libertate, potest habere dominium particulare suarum actionum, et aliarum rerum ; quamvis hæc omnia sint alias, sub generali potestate Domini. Unde inter servum legalem, et ejus dominum non potest esse vera amicitia ; bene tamen inter dominum, et ejus servum naturalem. Homo autem est servus naturalis Dei, ob idque potest optime strictam cum illo inire excellentiæ amicitiam. Diluitur confirmatio.

Adde homines esse elevabiles ad gratiam filiorum Dei, ut superius vidimus : quare esto Deus non posset illos prosequi perfecta amicitia, qua servi, bene tamen qua filii sunt.

13. Secundo arguitur pro hac sententia : nam amor benevolentiæ proprie dictæ solum potest haberi ad illum, cui possunt aliqua bona de novo acquiri, et ab eo auferri ; est enim de ratione benevolentiæ, quod velimus amicis bona, quæ non habent, et gaudeamus cum eis adveniunt : sed Deo nullum bonum potest acquiri vel deficere : hominum ergo ad ipsum nequit esse perfectus benevolentiæ amor, proindeque nec amicitiæ. Secundum argumentum.

Confirmatur : nam ad amicitiam requiritur, quod amici sibi mutuo benefaciant ; quia non possunt aliter illorum bona esse communia ; sed homo non potest Deo benefacere, juxta illud Job 35 : *Quid dabis ei ? aut quid de manu tua accipiet ?* Ergo nec strictam cum illo gerere amicitiam. Confirmatio.

Respondetur negando majorem, quæ falso nititur fundamento : de ratione quippe benevolentiæ non est volitio boni, quod de novo acquiri posset amico, vel ab eo auferri ; sed sufficienter salvatur ejus ratio in complacentia gratuita boni possessi inseparabiliter ab amato, ut constat tum ex se, tum etiam quia inter divinas personas est mutuus, necessariusque perfectæ benevolentiæ amor, ex eo præcise, quod sibi velint æterna bona, quibus privari nequeunt. Data vero majori, non ob id esset impossibilis benevolentia stricta inter Deum, et homines ; quia licet bona Dei intrinseca sint ipsi inseparabiliter conjuncta; extrinseca tamen, ut honor et gloria creata, possunt ei de novo accrescere, et ab eo auferri.

Respondetur ad argumentum.

Ad confirmationem dicendum ex Philosopho et D. Thom. 8 *Ethic. lect.* 11, quod licet homo non possit Deo benefacere, potest tamen illum ut patrem indulgentissimum, et providentissimum Principem colere et honorare : quod sufficit ad amicitiam excellentiæ; hæc quippe non exposcit, ut persona inferior benefaciat amico superexcellenti, si ly *benefacere* contra reverentiæ et honoris obsequium accipiatur. Sed amicus superexcellens, ut patet, vel Princeps, debet subditis per liberalem effusionem munerum benefacere; subditi autem debent rependere Principi gratias, reverentiam, et honorem, qui est propria beneficiorum retributio; hoc enim pacto communicant mutuo in propriis bonis, conferuntque et enutriunt amicitiam. Quamvis inter Deum et homines perfectior alia bonorum communicatio sit possibilis ratione visionis beatificæ, in qua beatus possidet totum Deum, et ab illo insimul possidetur.

Solvitur confirmatio. Aristot. D. Tho.

14. Tertio arguitur : quia amicitia est mutuæ benevolentiæ amor super alicujus boni communione fundatus, ut supra diffinivimus : sed amor Dei erga creaturas gratia exornatas nequit super alicujus boni communione fundari : non ergo esse potest amicitia. Probatur minor, quia amor fundatus super communione alicujus boni habet se ad illam sicut ad sui causam totalem vel partialem, quod repugnat actibus divinis.

Tertium argumentum.

Respondetur, illam diffinitionis particulam, *in communione fundatus*, posse usurpari dupliciter : uno modo stricte pro causa, sive fundamento proprio et rigoroso, quo pacto solum competit amicitiæ creatæ, et affectivæ, ad cujus explicationem instituta videtur prædicta diffinitio : alio modo paulo latius, ita ut solum significet essentialem connexionem inter amorem amicabilem et mutuam communionem boni inter amicos : et hac ratione comprehendit omnem amicitiam creatam, et increatam, affectivam, et effectivam, qualis est amicitia Dei erga creaturas ; hæc enim essentialiter connectitur cum participatione illarum in bonis divinæ naturæ, non sicut cum causa a qua dependeat, sed sicut cum effectu quem inducit.

Respondetur.

Secundo respondetur, prædictam diffinitionis particulam, *fundatus*, etiam in sensu proprio acceptam solum significare, quod mutua amicorum communicatio in aliquo bono est illis causa, conditio sine qua non, vel ratio a priori, ut invicem et firmiter diligantur : constat autem quod sicut communicatio in bonis naturæ divinæ, prout se tenet ex parte Dei, est illi ratio a priori, ut diligat amicabiliter creaturas ; ita prædicta communicatio, prout se tenet ex parte creaturarum, est conditio sine qua non ad illas ex amicitia diligendas.

Alia solutio.

Quod si instes, prædictam communicationem, prout se tenet ex parte creaturarum, debere antecedere amorem Dei erga illas ad salvandam proprietatem illius particulæ, *fundatus*, etiam ut induit habitudinem puræ conditionis, inficias non ibimus. Quoniam ut observavimus *tract.* 4, *disp.* 3, *dub.* 1, in actu amoris Dei erga creaturas est duplex formalitas nostro modo intelligendi distincta, alia actualis productionis gratiæ, alia vero simplicis complacentiæ in homine ipsa decorato : quæ formalitas non intelligitur præcedere existentiam gratiæ et communicationem in bonis naturæ divinæ, sicut prior, sed illam ut conditionem supponit ; respicit enim essentiam Dei, ut est ratio complacendi in bonis ab ipso productis.

15. Quarto arguitur : nam amori Dei erga homines convenire nequeunt amicitiæ stricte dictæ proprietates : ergo nec essentia. Consequentia liquet : antecedens vero probatur, quia una ex proprietatibus perfectæ amicitiæ est, ut amans ecstasin passus, transformetur in amatum, ad illumque ita se habeat sicut ad seipsum; quæ non possunt Deo erga creaturas competere, utpote imperfectionibus obnoxia, et

Quartum argumentum.

rectæ

rectæ rationi contraria : esset enim peccatum in Deo, si diligeret creaturas ut ultimum finem, quo pacto diligit seipsum.

Respondetur negando antecedens, ad cujus priorem probationem occurrit D.Thom. *in* 3, *dist.* 32, *quæst.* 1, *art.* 1 *ad* 3, his verbis : « Amor omnis transfert quodammodo amantem in amatum, sed diversimode : uno modo secundum quod amans « transfertur ad participandum ea quæ « sunt amati : alio modo ut communicet « amato ea quæ sunt sua. Primo ergo modo « Deus non transfertur in amatum, quod « est creatura, sed secundo modo, in quantum « bonitatem suam ei communicat. » Quæ doctrina desumpta est ex D. Dionys. 4, *de divin. nom.* ubi docet, quod amor convertit inferiora in superiora, ut ab eis perficiantur ; et superiora movet ad inferiorum provisionem, et beneficentiam. In quibus quia divina bonitas se habet ad creaturas supra quam dici potest, indulgenter, subdit ibidem Sanctus Doctor, *quod ipse Deus, qui est omnium causa, per abundantiam amatoriæ bonitatis extra seipsum fit per providentiam.* Quibus etiam addi posset, ecstasin et transformationem amantis in amatum, non esse proprietatem amicitiæ in communi, sed solius amoris affectivi, qui non potest competere Deo erga creaturas.

Ad secundam probationem dicendum, quod amans debet se habere ad amicum sicut ad seipsum, quantum recta ratio, quæ est honestæ amicitiæ regula, permittit ; alias enim teneretur pater lege benevolentiæ naturalis impendere honorem filio, quem petit sibi ab illo deferri ; quod est ridiculum. Recta autem ratio dictat, quod Deus diligat se ut finem ultimum ; cætera vero ad seipsum sicut ad finem. Unde quod in hac dilectione non se habeat ad creaturas sicut ad seipsum, non obest quin strictam cum eis gerat amicitiam ; ad hanc enim sufficit, quod ipse Deus voluntatem diligentium se faciat, eisque velit summa bona, quorum sunt capaces, et quæ ipse vult sibi.

Fundamentum autem a priori hujus doctrinæ sumitur ex dictis, illudque expendit D. Th. *in* 3, *dist.* 39, *q.* 1, *art.* 3. Etenim cum amicitia fundetur in aliquo bono, in quo amici reciproce communicant, illius naturæ consentaneum est, ut ille magis ab altero diligatur, qui magis in prædicto bono communicat. Unde cum amicitia stricta supernaturalis haberi possibilis inter Deum et homines, fundetur in communicatione divinæ naturæ, quæ Deo convenit per essentiam, creaturis autem participative ; æquum est, et hujusce amicitiæ lege præscriptum, ut Deus plus diligat se, quam creaturas ; e contra vero creaturæ perfectius diligant Deum, quam seipsas.

§ VI.

Ultimum argumentum pro contraria sententia.

16. Ultimum argumentum pro contraria sententia est hujusmodi ; nam Deus non potest velle supernaturalia bona gratiæ, vel gloriæ hominibus propter ipsos, sicut propter finem volitionis, aut boni voliti : ergo neque eos diligere supernaturalis benevolentiæ amore, proindeque nec vera amicitia. Utraque consequentia liquet ex dictis in hoc dubio, sicut etiam prima pars antecedentis. Secunda vero suadetur primo, quia secundum rectam rationem id, quod est perfectius alio, nequit ordinari ad illud sicut ad finem : constat autem gratiam, et beatitudinem esse perfectiores homine, et qualibet alia substantia naturali. Secundo, quia finis non potest influere in effectum voluntatis, nisi prævio influxu in illam et ejus actum, quo dictum effectum producit, quoniam propria causalitas finis est amari : ergo eo ipso quod homo non possit esse finis volitionis, qua diligitur a Deo, impossibile est, quod sit finis boni sibi voliti per illam.

Priusquam hujus argumenti difficultatem diluamus, animadvertere placuit ipsam ab omnibus dissolvendam esse. Tum quia causa finalis dividitur in finem *cui*, *et cujus gratia*, atque ex utriusque ratione integratur, ut docent N. Complut. *lib.* 3 *Physic. disp.* 14, *q.* 1 ; constat autem hominem esse finem *cui* Deus vult gratiam et beatitudinem, esto non sit finis illarum *cujus gratia*. Tum etiam, quia quidquid sit de modo, quo divina voluntas se habet ad creaturas, extra dubium est, quod unus homo potest velle alteri ex amicitia supernaturali, adeoque propter ipsum sicut propter finem, dona gratiæ et æternæ beatitudinis ; quia ut docet D. Thom. infra *q.* 25, *art.* 2, hæc sunt bona, quæ optamus omnibus, quos ex charitate diligimus. Tum denique, quia per charitatem, qua nosmet-

ipsos complectimur, appetimus æternam operum mercedem, quæ est beatitudo : merces autem in quantum hujusmodi importat aliquid referibile per amorem ad illum, cui merces redditur; quia mercedem quisque propter seipsum amat, ut docet D. Thom. *in* 3, *dist.* 29, *quæst.* 1, *art.* 4. Cum ergo in his casibus adsit difficultas argumenti propositi, dissolvi debet ab ipsis adversariis, et quam ipsi viam straverint, eandem et nos capessere poterimus.

D. Tho.

Dissolvitur.

Interim tamen respondetur ad argumentum negando antecedens quantum ad secundam illius partem, quam non evincunt probationes. Ad primam enim potest dici, gratiam et beatitudinem esse perfectiores homine solum secundum quid, non vero simpliciter, proindeque ex hac parte nihil obstare quominus secundum rectam rationem ordinentur ad hominem sicut ad finem. Cui doctrinæ favet D. Thom. *q.* 27, *de verit. artic.* 1 *ad* 6, *et in* 1, *distinct.* 17, *q.* 1, *artic.* 2 *ad* 3, *et in* 2, *dist.* 16, *quæst.* 1, *artic.* 1 *ad* 2, illamque amplectuntur Capreol. *in* 3, *dist.* 26, *quæst. unic. art.* 3, Cajetan. *art.* 3, *præsentis quæstionis*, Conrad, 1, 2, *q.* 110, *art.* 2 *ad* 2, Suarez et alii.

D. Tho. Capreol. Cajetan. Conrad. Suar.

Sed quia contrariam doctrinam statuimus *tract.* 14, *disp.* 4, *dub.* 7, § 2, abstrahendo nunc ab utraque opinione, respondetur secundo, et melius, effectum formalem formæ accidentalis esse perfectiorem illa simpliciter, et proximum finem illius; quia accidentia in concreto sunt magis entia, subindeque magis bona : neque intenduntur propter se, sed propter perfectionem sui subjecti; albedo enim propter album accipit existentiam, et sic de reliquis. Concretum autem, sive effectus formalis gratiæ est homo justus, et Deo gratus, et ideo optime potest ordinari ad illum sicut ad finem, quia licet gratia sit perfectior homine secundum se accepto, non tamen homine justo : sed homo justus est simpliciter perfectior, quam gratia, et finis illius, sicut et cujuslibet alterius accidentis proprii, præsertim ordinati ad esse, sicut ordinatur gratia, ut tradit expresse D. Thom. *in* 3, *dist.* 28, *q.* 1, *art.* 1, his verbis : « Accidentia non habent esse et bonitatem per se, sed eorum esse est eis in « substantiis : unde quod volumus virtutes « et accidentia esse, hoc ad substantiam « refertur, quam volumus sub illis accidentibus esse, et bene se habere. »

D. Tho.

Ad secundam probationem negatur antecedens, quia optime fieri potest, ut una creatura sit finis alterius immediate productæ a voluntate, quin ipsam in voluntatem aliqua ratione influat; operatio enim est finis naturæ, et perfectio universi, et singularium partium illius; et tamen neque operatio, nec perfectio creata universi sortiuntur rationem finis respectu divinæ voluntatis, a qua omnis entitas creata producitur. Ratio autem hujus doctrinæ est manifesta, quia ad hoc ut una creatura dependeat in suo esse et productione passiva ab alia sicut a fine, solum requiritur quod non suscipiat existentiam nisi dependenter ab illa sicut a termino prius volito, ad quem ordinatur; hæc enim dependentia constitui debet in aliquo genere causæ, neque potest in alio, quam in genere causæ finalis, ut ex se patet. Ad hoc autem ut una creatura non suscipiat existentiam, nec cadat sub ordine productivo divinæ voluntatis, nisi dependenter ab alia sicut a termino prius volito, opus non est, quod aliqua illarum influat in divinam voluntatem, aut actum illius; sed sufficit et requiritur, quod una ex prædictis creaturis, vel natura sua, vel dispositione divina ordinetur ad aliam sicut ad terminum; quia eo ipso non poterit produci nisi dependenter a productione passiva prædicti termini, ad quem ordinatur, ut in exemplis modo adductis videre licet; natura enim non producitur nisi dependenter ab operatione sicut a termino, sive fine, propter quem fit.

Itaque productio alicujus rei est duplex : alia activa, quæ est ipsa actio per quam esse consequitur : alia passiva, quæ dicit entitatem existentem rei productæ cum ordine actualis dependentiæ a causa a qua producitur. Creatura ergo cum non influat in divinam voluntatem, influere non potest per modum finis in productionem activam effectus ab illa immediate causati, bene tamen in productionem passivam; quia licet non sit causa divinæ volitionis productivæ alicujus effectus, est tamen causa ob quam ipse dicit ordinem actualis dependentiæ ad eam, ut tradit D. Thom. 1, *contra Gent. cap.* 87, his verbis : « Divina voluntas est Deo « causa volendi cætera; aliorum autem vo« litorum nullum est Deo causa volendi « aliud, sed tantum unum est altèri causa, « ut ordinem habeat ad divinam volun« tatem. »

D. Tho.

Nec refert, causalitatem finis esse *amari*.

Tum

lica tur. Tum quia hæc loquutio solum intelligitur de fine, qui movet intentionaliter potentiam vitalem. Tum etiam, quia amor est duplex : alius elicitus, qui sequitur cognitionem objecti amati : alius innatus, qui est inclinatio unius rei ad aliam, quo pacto dicimus lapidem amare centrum. Causalitas ergo finis communiter accepti est *amari*, secundum quod comprehendit utrumque amorem ; ob idque non repugnat, quod una creatura exerceat causalitatem finalem respectu alterius productæ a voluntate, quin sit finis ipsius voluntatis. Quod si hæc finis causalitas non videatur rigorosa, sed imperfecta, haud nobis obstabit, quia ad rationem benevolentiæ sufficit, ut bonum volitum per illam ordinetur ad amicum sicut ad finem, eo modo, quo finis inter ipsas res potest salvari.

Nonnulla alia argumenta, quæ hic fieri solent, utpote quod amicitia debet esse manifesta erga paucos, mutuisque colloquiis enutrita, non militant directe contra nostram assertionem, quia citra dubium est, quod de possibili omnes illæ conditiones inveniri possunt in amore Dei erga creaturas. Sed si quam vim habent, militant contra præcipuam assertionem *dub. seq.* statuendam, ubi illa congruentius diluemus.

DUBIUM II.

Utrum sit de facto inter Deum, et homines stricta, ac supernaturalis amicitia, illaque sit charitas ?

Circa priorem partem hujus dubii (cujus ordo ad præcedentem est perspicuus) parum immorabimur : tum quia illam convincunt textus *n.* 4 *et* 5, adducti, ut statim explicabimus : tum etiam, quia ex secunda illius parte a fortiori constabit ; nequit enim ostendi charitatem esse strictam amicitiam hominis justi ad Deum, quin eo ipso maneat probatum, esse de facto inter Deum, et justos strictam et supernaturalem amicitiam, ut ex se liquet.

§ I.

Duplici assertione difficultas expeditur.

a u- 17. Dicendum ergo est primo, existere de facto inter Deum et homines justos strictam, et supernaturalem amicitiam. Hæc assertio est communis omnium Authorum, quos *num.* 4, *dubii præced.* adduximus. Potestque probari faciliter; nam inter patrem et filium, sponsum et sponsam intercedit, saltem regulariter loquendo, vera et stricta amicitia : sed justi sunt filii Dei nati ab ipso per regenerationem gratiæ ; cui etiam ut sponso intime copulantur, ut supra vidimus : est igitur inter illos stricta supernaturalis amicitia. Fundamentum

Confirmatur primo, quia domestici, et paterfamilias uniuntur inter se vinculo strictæ amicitiæ : sed justi sunt domestici Dei, et cives Sanctorum, ut tradit Apost. *ad Fphes.* 2; igitur uniuntur cum illo vinculo amicitiæ proprie dictæ. Quæ cum fundetur alias in communicatione boni supernaturalis, scilicet gratiæ, non potest non ad eundem ordinem pertinere. Ad Ephes 2.

Confirmatur secundo, nam justi appellantur amici Dei in pluribus locis Scripturæ, quæ intelligenda sunt de vera ac stricta amicitia, ut *dub præced.* vidimus.

Nec refert si in contrarium objicias, quod etiam iniqui, et peccatores appellantur *amici* Dei in sacris Litteris, ut constat ex illo Matth. 22 : « Amice, quomodo huc in- « trasti, non habens vestem nuptialem ? » Quem hominem non esse justum, sed Deo exosum, ex ipso textu liquet. Et ex illo Thren. 1: « Vocavi amicos meos, et ipsi de- ceperunt me. » Et Matth. 26 : « Amice, ad quid venisti ? » Quod dictum est a Christo Domino Judæ proditori. Objectio. Matth. 22. Threnor. 1. Matth. 26.

Non, inquam, hoc refert ; quia iniqui et peccatores vocantur amici Dei in sacris Litteris per antiphrasin, ut liquet ex contextu ; justi autem appellantur Dei amici in sensu proprio, ut constat tum ex serie litteræ, tum etiam ex communi interpretatione Patrum. Quibus accedit Concil. Trident. *sess.* 6, *cap.* 7, ubi docet hominem per susceptionem gratiæ sanctificantis fieri justum ex injusto, et ex inimico Dei ejus amicum. Solvitur. Tridentinum.

18. Dicendum est secundo, charitatem esse strictam, et supernaturalem amicitiam hominis justi ad Deum. Hæc assertio est æque certa et Authoribus fulcita sicut præcedentes. Quam ut ratione probemus, animadvertendum est prius, quod virtus charitatis, de qua in præsenti, est amor supernaturalis creaturæ ad Deum, consequens gratiam ut illius passio. Tum etiam, quod non possumus per ipsum diligere Deum, quin prius ipse diligat nos, eo quod tam ipse, quam habitus charitatis est effectus amoris, quo Alia conclusio.

ipse nos diligit, ut constat ex dictis *n.* 11,
D. Bern. et docet D. Bernard, *lib. de amore Dei, cap.* 4, his verbis : « Amas itaque nos » (cum Deo loquitur) « in quantum nos efficis tui ama-« tores. » Unde redamatio, quam connotat amicitia, nunquam potest deesse dilectioni charitatis erga Deum ; ipse enim suos ama-
Parab. 8. tores diligit, ut dicitur *Parab.* 8.

Proba-tur ra-tione. 19. His suppositis formatur sequens ratio pro assertione. Charitas est supernaturalis benevolentiæ amor hominis erga Deum super alicujus boni communione fundatus : sed huicamori correspondet infallibiliter ex parte ipsius Dei benevolentiæ redamatio : Charitas igitur est supernaturalis, et stricta amicitia hominis ad Deum. Minor, et consequentia constant ex suppositis : major vero quoad utramque partem suadetur ; nam per charitatem diligimus Deum propter se, non utcumque, sed tanquam finem ultimum, ad quem nos ipsos, et omnia alia ordinamus : qui affectus perfectissimam benevolentiam exprimit.

Quod autem hic fundetur super aliqua communicatione cum ipso Deo, probatur. Tum quia charitas, ut modo supponimus, est passio gratiæ, per quam homines regenerantur in Deo, et communicant cum illo in bonis suæ naturæ. Tum etiam, quia charitatis dilectio, quantum est ex se, nunquam deficit ; quinimo ut Deo inhæreat, omnes labores sustinet, et nulli resistentiæ cedit, sed omnes difficultates superat, ut constat
Roman. 8. ex illo Pauli ad Rom. 8 : « Certus sum, « quia neque mors, neque vita, neque An-« geli, neque principatus, neque virtutes, « neque instantia, neque futura, neque « fortitudo, neque altitudo, neque profun-« dum, neque creatura alia poterit nos se-« parare a charitate Dei, quæ est in Christo « Jesu Domino nostro. » Constat autem, amorem adeo ferventem, fortem, et indefectibilem fundari in aliqua intima hominis unione, et communicatione cum Deo ; nam affectio, quæ super aliqua amantium communicatione non fundatur, cito per se loquendo deficit.

Confirmatur. Mutuæ benevolentiæ amor fundatus in communicatione naturæ, quæ per generationem traducitur, est stricta amicitia excellentiæ filii videlicet ad patrem : sed charitas est mutuæ benevolentiæ amor erga Deum, fundatus in communicatione divinæ naturæ, quam homines assequuntur per spiritualem regenerationem in Spiritu sancto, et adoptionem filiorum, ut constat ex illo 1, Joan. 3 : « Videte
1. Joan. 3. « qualem charitatem dedit nobis Deus, ut fi-« lii Dei nominemur et simus. » Charitas ergo est supernaturalis et stricta amicitia hominis ad Deum.

Objec-tio. Dices forsan, hanc rationem esse ineffi-cacem ; quia etsi dilectio charitatis, qua Deum prosequimur fundetur in communicatione divinæ naturæ habitæ per gratiam adoptionis, illique ex parte ipsius Dei correspondeat benevolentiæ redamatio ; hæc tamen non est manifesta nobis, sed occulta ; quia nescit homo, utrum sit dignus odio, vel amore. Ad amicitiam autem requiritur benevolentiæ redamatio non latens, ut docet Phil. 8 *Ethic. cap.* 3. Arist.

Diluitur. Respondetur negando majorem, ad cujus probationem occurrit D. Thom. *in* 3, *dist.* 27, D. Tho. *quæst.* 2. *art.* 1 *ad* 10, quod amicitia dicitur esse non latens, non quia per omnimodam certitudinem amicorum dilectio agnosci debeat, sed in quantum vel hoc modo, vel per effectus et signa probabilia manifestatur, ut liquet ex humana amicitia, quæ non potest aliter amicis patefieri, cum nullus alterius cor intueatur. Per effectus autem, et signa probabilia optime potest quis agnoscere se Deum diligere, et ab illo invicem redamari.

Quibus adde, beatis per omnimodam certitudinem constare, et Deum ex perfecta charitate diligere, et ab ipso redamari. Quod sufficit ad veritatem nostræ assertionis, in qua solum asserimus, charitatem esse veram, et perfectam amicitiam hominis justi ad Deum, absque determinatione status.

Expen-ditur alia ra-ratio. Deinde suadetur communis, et vera sententia alia ratione ; nam dilectioni charitatis erga Deum conveniunt omnes passiones veræ et strictæ amicitiæ : ergo et illius essentia. Consequentia patet ; antecedens vero probatur discurrendo breviter per singulas perfectæ amicitiæ proprietates, quas *num.* 3 *hujus disp.* recensuimus. Charitas enim in primis in Deo, et illius bonis maxime delectatur et gaudet, ut constat ex illo Psal : 76. *Memor fui Dei, et delectatus* Psalm. 76. *sum.* Et Psal. 118 : *In via justificationum* Psalm. 118. *tuarum delectatus sum, sicut in omnibus di-vitiis.* Et Isai. 61 : *Gaudens gaudebo in Do-*Isai. 61. *mino, et exultabit anima mea in Deo meo.* Psalm. 118. Et aliis pluribus Scripturæ sacræ testimoniis. Ex quibus etiam habetur eos, qui Deum ex charitate diligunt, de offensis illi irrogatis non leviter contristari, qualia sunt

sunt illud Psal 118 : *Vidi prævaricantes, et tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt.* Et illud ejusdem Psalmi : *Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.*

Charitas deinde præsentiam Dei intense appetit, illaque etiam non clare visa maxime delectatur, ut constat tum ex illo c.1. Canticor. 1 : *Osculetur me osculo oris sui*, et totius ferme serie scenæ in illo libro depictæ. Tum etiam, quia ut legimus in pluribus historiis Ecclesiasticis, hi quos alte penetrat affectus charitatis, Dei conspectum adeo intense suspirant, ut illius videndi desiderio exciti sæpius extra seipsos rapiantur, nec nisi singulari Dei eloquio seu favore valeant ab illo charitatis æstu temperari. Qua de re consulenda est præ aliis s. vita M. N. S. Theresiæ, ubi hæc veritas re- abunde probatur.

Beneficientia autem, quæ ponitur tertia proprietas amicitiæ, non convenit illi nisi in ordine ad personas capaces subsidii et indigentiæ. Unde cum Deus bonis nostris, vel auxiliis non indigeat, non requiritur, ut ipsum perfectæ amicitiæ dilectione prosequamur, quod ei benefaciamus ; sed sufficit tum quod illum pro viribus honoremus, tum etiam ut ita simus dispositi et affecti, quod si per impossibile Deus egeret bonis nostris, ea ipsi libentissime donaremus, quæ affectio insita est charitati. Nam ut D. ho. Thom. *in* 3, *dist.* 39, *quæst.* 1, *art.* 3 *ad* 4, *docet : Si esset possibile, quod ex nostris operibus aliquid Deo accresceret, habens charitatem multo plura faceret propter beatitudinem ei conservandam, quam propter eam sibi adipiscendam.* Quibus adde, charitatem large beneficam esse erga pauperes, in quibus Deus dicitur indigere, juxta illud : *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis, etc.*

Circa ultimam denique, et præcipuam proprietatem amicitiæ, excedit charitas communes illius leges ; quia per hanc virtutem non solum amamus Deum sicut nos ipsos, sed multo perfectius ; quoniam diligimus ut finem ultimum, quem nobis ipsis, et omnibus aliis rebus longe præferimus. Charitas igitur est vera, et stricta amicitia hominis ad Deum, cum ei conveniant omnes proprietates perfectæ amicitiæ, etiam cum peregrinatur a Domino, neque illius conspectu fruitur.

Confirmatur ; nam creaturæ existenti in charitate correspondent proportionabilia dilectionis officia, sive proportionalis attestatio amicitiæ per effectus ex parte Dei : ergo charitati nihil deficit ad rationem veræ, et propriæ amicitiæ rationalis creaturæ ad Deum. Consequentia liquet ex nuper præsuppositis : antecedens vero habetur perspicue ex sacris Literis ; nam ut constat ex illo 1, Petri 2 : *Magna et pretiosa pro-* 1.Petr.2. *missa donavit, ut per hæc efficiamur divinæ consortes naturæ.* Deus large beneficus est, et liberalis erga justos, utpote quibus donat gratiam, seque ipsum possidendum tribuit ; nam ratione hujus donationis omnia Dei bona fiunt illis quodammodo communia. Neque ipsis celat cordis arcana, sed revelat, ut constat ex illo Genes. 18 : *Numquid* Genes. 18. *celare potero Abraham, quæ gesturus sum ?* Joan. 15. Et Joan. 15 : *Jam non dicam vos servos, sed amicos, quia omnia quæ audivi a Patre, nota feci vobis.* Tristatur præterea Deus nostro modo intelligendi in damnis justorum, et in illorum bonis ac conversatione affatim delectatur, ut liquet ex illo Pro- Proverb. verb. 8 : *Deliciæ meæ esse cum filiis homi-* D. Hier. *num.* Docetque D. Hieron. ad illud Zachar. *Facies coronas, et impones capiti Jesu Josedech, etc.* Et quamvis Deus non diligat justos ut seipsum, quia id esset contra leges amicitiæ honestæ ; diligit eos tamen ad seipsum, quo amore ita prædictos justos perficit, et sibi conjungit, ut quasi dimidium cordis sui reputet, cum eisque idem habeat velle et nolle, ut satis perspicue ostendunt illud Isai. 62 : *Non vocaberis ultra* Isai. 62. *derelicta, sed vocaberis voluntas mea.* Et illud Deuter. 32 : *Circumduxit eum, et do-* Deut.32. *cuit, et custodivit quasi pupillam oculi sui.* Et alia plura hujusmodi, tam petita ex sacra Pagina, quam ex aliis historiis ecclesiasticis, quæ ardentissimum et indulgentissimum Dei amorem erga justos protestantur.

§ II.

Duplex objectio contra primam assertionem.

20. Adversus assertiones modo stabilitas Prima nulla militat sententia, quæ Authoribus objectio. (unico excepto Durando) probetur. Sunt Durand. tamen nonnullæ objectiones quas diluere oportet. Objicies ergo contra primam : Amicitia secundum D. Hieron. *Micheæ* 7, aut D. Hier. invenit pares, aut facit : sed inter Deum et justos non est paritas : ergo nec propria amicitia.

Confirmatio. Aristot. Confirmatur : nam ut docet Philosoph. 8 *Ethic. cap.* 7, nihil est ita proprium amicitiæ, sicut convivere et conversari cum amico : sed homines non convivunt, nec conversantur cum Deo in hac vita, quin potius ab illo peregrinantur : ergo non profitentur cum ipso strictam amicitiam.

Dilaitur objectio. Respondetur D. Hieronymum, nomine *paritatis* comitantis amicitiam intelligere affectuum unionem, quam strictam adeo constituit charitas inter Deum et homines, ut ex illis unum quodammodo efficiat, ut 1. Cor. 6. constat ex illo 1,ad Corinth. 6 : *Qui adhæret Deo, unus spiritus est.* Quia tamen ubi maxima amoris unio intercedit, quasi deponitur majestas et obliviscitur personarum inæqualitas, juxta vulgatum illud :

Non bene conveniunt, neque in una sede morantur
Majestas et amor,

idcirco Deus tractat cum homine quasi cum sibi æquali, et anima quæ ardentis dilectionis fervore augetur, eos erumpit in ausus, ut suæ conditionis immemor, quasi cum sponso sibi æquali cum Deo conversetur, ut constat ex illo Exod. 33 : *Loquebatur Dominus facie ad faciem, sicut solet homo loqui ad amicum suum.* Et ex illo Cantic. 1 : *Osculetur me osculo oris sui, etc.*

Exod. 33. Cant. 1.

Solvitur confirmatio. D. Tho. Ad confirmationem dicendum ex D. Thom. in hoc artic. 1, duplicem esse hominis vitam : aliam exteriorem et sensibilem, secundum quam non est nobis conversatio cum Deo ; aliam vero spiritualem et propriam mentis ; et secundum hanc vitam est nobis interior conversatio cum Deo ; in hoc quidem sæculo, in quo peregrinamur a Domino, imperfecte, juxta illud Pauli ad Philip. 7 : *Nostra conversatio in cœlis est :* in patria vero ubi videbimus Deum sicuti est, perfecta, et ineffabilibus plena voluptatibus.

Ad Phil. 7.

Secunda objectio. 21. Deinde objicies : amicorum omnia bona sunt communia : sed bona Dei nulli creaturæ sunt communia, sed ipsi singularissime propria : inter Deum igitur et creaturas non est vera et stricta amicitia.

Confirmatur primo. Confirmatur primo : nam vera amicitia unit amicos non quidem superficialiter, uti se tangunt corpora contigua, sed per continuationem, ut docet D. Dionys. 4, *de divin. nomin.* et probat D. Thom. *in* 3, *dist.* 27, *quæst.* 1, *art.* 3, ex eo quod amans penetrat interiora amati et in illum quodammodo transformatur : sed inter Deum et homines non invenitur unio continuativa, utpote quæ solum convenit rebus ejusdem rationis, neque alia æque perfecta ; hominis igitur ad Deum non est stricta amicitia.

D. Dion. D. Tho

Secundo. Confirmatur secundo, quia omnis operatio elicita propter amicum est amanti delectabilis eo quod amatum habet rationem formæ respectu amantis, et omnis operatio conveniens formæ est ejus subjecto delectabilis : sed justi in operationibus virtutum, quibus propter Deum incumbunt, experiuntur difficultatem et dolorem : signum ergo est, quod non prosequuntur illum affectu propriæ, ac strictæ amicitiæ.

Duplex objectionis solutio. Huic objectioni respondetur primo, justos in patria, ubi perfecta est Dei amicitia, possidere ipsum Deum et omnia bona illius. ratione beatitudinis, ut quæ sita est in visione Dei, quatenus exprimit possessionem summi boni nostri et ultimi finis.

Secundo respondetur, illis quibus commune est idem velle et nolle, omnia bona esse communia, quia unusquisque possidet sua bona per actum voluntatis potentis de illis disponere. Unde cum inter Deum et justos sit reciprocus benevolentiæ amor, idemque velle et nolle, ut § *præced.* vidimus, necesse est dicere, quod omnia illorum bona sunt eis invicem communia, ad eum modum, quo sua bona communia sunt aliis, qui se amicitiæ excellentiæ affectu prosequuntur. Semper enim attendenda sunt qualitas personarum et regula honestatis.

Adde, eum qui dominatur alterius voluntati, possidere ex consequenti omnia illius bona, eo quod istorum dominium penes voluntatem attendatur : hi autem qui se mutuo ex benevolentia prosequuntur (ut prosequi ostendimus Deum et justos), sibi ipsis reciproce dominantur, quia amatum per sui amorem possidet amantem, et dominatur illius voluntati, sicut forma materiæ; nam idcirco dicitur, quod amor captivat amantem. Unde non possunt non omnia Dei bona esse communia justis et econtra.

Occurritur primæ confirmationi. 22. Ad primam confirmationem neganda est minor, quia non solumin patria, ubi homines Deiformes efficiuntur; sed etiam in via tanta est inter aliquos justos et Deum amoris conjunctio, ut unum quasi per continuationem indissolubilem efficiantur, ut mirabiliter explicat cœlestis Mater et Magistra S. Theresia *in lib. suarum mans.* 7, *cap.* 2, ubi matrimonii spiritualis unionem, quam assequi valet anima in hac vita, comparat

N. M. S. Theresia.

parat unioni continuatarum aquarum, his verbis : *Digamos que sea la union como dos velas de cera que se juntassen tan en estremo, que toda la luz fuesse una : mas despues bien se pueden apartar la una vela de la otra, y quedan en dos velas. Aca* (scilicet in matrimonio spirituali) *es como si cayendo agua del cielo en un rio, ò fuente, adonde queda todo echo aqua, que no podran ya distinguir, qual es el agua del rio, ò la que cayo del Cielo.* Vide, si Aristotelicæ amicitiæ unio ad hanc usquam pervenit? Profecto ex adductis verbis clare liquet, strictissimam esse amicitiam inter Deum et aliquos justos degentes adhuc in hac vita.

Nec refert, Deum et homines esse diversæ naturæ. Tum quia ea est vis amoris, ut disparia copulet, tanquam si forent simillima. Tum etiam, quia hæc unio competit hominibus ratione gratiæ, quæ est participatio divinæ naturæ et ejusdem rationis cum illa.

Quibus adde, propriam unionem amoris esse conjunctionem per modum materiæ et formæ, ut supra diximus, quarum unio perfectior est unione continuativa.

Ultima confirmatio ad summum convincit charitatem viæ non esse perfectam omnino amicitiam hominis ad Deum, quod libenter admittimus, secus autem charitatem patriæ; cum omnes operationes, quas ibi exercent justi propter Deum, sint illis delectabiles. Quin etiam in hac vita, ubi caro insurgit contra spiritum, nonnulli in Dei amore ita fervent, ut pro illo immania tormenta cum gaudio et voluptate suscipiant, sicque ambulent inter flammas sicut inter flores, nec aliter quam ad epulas invitati ad mortis agonem accedant, ut constat ex pluribus historiis ecclesiasticis. Quod sufficit ad veritatem nostræ conclusionis, quæ indefinite asserit inter Deum et justos esse propriam et strictam amicitiam.

§ III.

Quæ obstent secundæ assertioni, diluuntur.

23. Contra secundam assertionem objicies etiam primo, charitatem creatam esse participationem et similitudinem amoris increati, quo se reciproce diligunt tres divinæ personæ : sed hic amor non est vera amicitia erga personas divinas : ergo nec charitas. Probatur minor. Tum quia amor ille non est liber, sed necessarius : amor autem amicitiæ debet esse liber, ut docet D. Thom. *in* 3, *dist.* 27, *quæst.* 1, *artic.* 1. D. Tho. Tum etiam, quia ad amicitiam necessaria est mutua communicatio bonorum : quamvis autem Pater æternus communicaverit Filio et Spiritui Sancto sua bona, nihil tamen ab eis accepit : non ergo ad eos haberi potest stricta amicitia.

Respondetur negando minorem cum D. Thom. *in* 1, *dist.* 2, *quæst.* 1, *artic.* 4. Ad primam autem probationem in contrarium dicendum, quod dilectio constitutiva amicitiæ debet esse spontanea, liberaque proinde a coactione, non tamen a necessitate, quæ excludit potentiam suspendendi amorem, ut patet in dilectione beatifica, quæ est vera amicitia erga Deum; cum tamen non sit actus liber, sed necessarius in beatis. Nec oppositum colligitur ex D. Thom. quoniam loco in argumento citato solum docet, amicitiam non esse effectum subitum causatum ex passione, sed diuturnum, qualis est habitus. Dissolvitur. D. Tho.

Ad secundam probationem dicendum, divinas personas communicare perfecte in suis bonis, cum nihil sit perfectionis in una, quod non insit alteri : amicitia autem solum exigit, quod amici communicent in omnibus suis bonis; non tamen exposcit, quod unusquisque ex illis aliquid ab alio recipiat, nisi facta suppositione, quod hujusmodi receptione deficiente, non possunt communicare perfecte in propriis bonis. Unde inter fratres est consanguinitatis amicitia, cum tamen nullus ab altero originem traxerit.

Dices : Amicitia includit duplicem amorem : at divinæ personæ unico se amore complectuntur : is ergo non est vera amicitia inter illas. Replica.

Respondetur, amorem, quo divinæ personæ uniuntur, esse unicum entitative et formaliter, virtualiter tamen multiplicem; quoniam gerit munus triplicis amoris, eo quod se tenet ex parte uniuscujusque personæ ut objecti dilecti, insimul et subjecti diligentis : quod sufficit ut sit vera illarum amicitia; hæc quippe solum exposcit amorem, quo amici reciproce diligantur et diligant. Occurritur replicæ.

24. Secundo objicies, solam amicitiam honesti esse proprie et simpliciter amicitiam : sed charitas non continetur sub amicitia honesti : ergo non est propria amicitia. Probatur minor, quia amicitia honesti diligit amicum sine respectu ad mercedem Secunda objectio.

consequendam ex hoc amore, ut quæ amat illum pure liberaliter et propter ipsum : charitas autem diligit Deum, et illi subservit cum respectu et intuitu ad mercedem hujus obsequii, ut constat ex Apostolo *ad* Hebr. 11. *Hebr.* 11, ubi de SS. Patribus obsequentibus Deo charitate dicit, quod aspiciebant in remunerationem.

Diruitur. Respondetur negando minorem, nam charitas est amicitia honesti continens eminenter perfectionem cujuscumque amicitiæ naturalis, qualis sunt domestica, civilis etc. ob id enim significantur justi in sacra Scriptura nominibus subjectorum, in quibus prædictæ amicitiæ inveniuntur et exercentur, ut filiorum, militum, civium, domesticorum et sponsarum, unius Patris, Ducis, Principis ac sponsi Dei ; quamvis, ut animadvertit in præsenti Cajet. præcipua et germana magis hujus amicitiæ significatio sit filiorum ad patrem, eo quod in hac specie amicitiæ exprimuntur aptius consortium naturæ, reverentia, inæqualitas, proportio justitiæ, amoris excellentia, et relatio ad diligendos, quæ includit unica amicitia charitatis.

Cajet.

Ad probationem autem in contrarium D. Tho. potest dici primo cum D. Thom. *in* 3, *dist.* 29, *quæst.* 1, *art.* 4, non esse contra rationem amicitiæ, ut quis ex mercede proposita amori impellatur ad illius elicientiam, illamque respiciat ut finem prædicti actus ; sufficienter enim salvatur liberalitas amicitiæ per hoc, quod amicus non ordinetur ad mercedem sicut ad finem, sed e contrario merces ordinetur ad amicum, quamvis sit finis amoris, quo ille diligitur.

Sed respondetur secundo, quod licet soli charitati et operationibus virtutum, quæ per illam informantur, debita sit æterna merces, ipsa tamen charitas non respicit (saltem per se primo) mercedem, quia non quærit quæ sua sunt, ut ait Apostolus *ad* Corinth. 15. *Corinth.* 15; sed tam actus aliarum virtutum, quæ tendunt in mercedem, quam mercedem ipsam, refert ultimo et subordinat Deo ut amico, quem propter seipsum diligit. Unde licet illi qui operantur per charitatem, qualiter Deo serviebant SS. Patres, possint oculum defigere in mercedem, id tamen non provenit ex influxu primario charitatis, sed spei, quæ comitatur in hac vita charitatem, et per illam in suo actu perficitur et formatur ; quia ut docet D. Tho. D. Thom. supra, q. 18, art. 8, *de amicis maxime speramus.*

25. Objicies tertio : nam charitas est amor concupiscentiæ erga Deum : ergo non amicitiæ. Consequentia patet, quia istæ formalitates opponuntur inter se ; nam finis amoris amicitiæ est ipse amicus, concupiscentiæ autem ipse amans. Antecedens autem probatur, quia ille amor, cujus finis est visio, et possessio amici, non est vera amicitia, sed concupiscentia, ut tradit D. Thom. *in* 3, *dist.* 27, *quæst.* 2, *art.* 2; et ex D. Tho. eo liquet, quia prædictus amor respicit amicum ut est bonum proprium ipsius amantis : atqui finis charitatis est visio, et possessio Dei : charitas igitur non est vera amicitia, sed magis concupiscentia respectu illius. Suadetur minor : tum quia, ut diffinit August in soliloq. *Charitas est virtus,* D. Aug. *qua Deum videre, eoque perfrui desideramus.* Tum etiam, quia habitudo est finis ultimus charitatis, et cujuslibet actionis meritoriæ, cum sit præmium ad quod ultimo ordinantur : constat autem beatitudinem consistere in visione et possessione Dei, ut est bonum proprium beati.

Tertia objecto

Confirmatur, quia justi in patria concupiscunt sibi gloriam corporis, et delectantur de possessione Dei ut objecti beatificantis : quæ delectatio est actus concupiscentiæ erga Deum, cum respiciat illum ut bonum proprium ipsius beati, in quo concupiscentiæ ratio formalis sita est : sed utraque hæc operatio elicitur a charitate, quia in patria, ubi deficit spes, non suppetit alia virtus, a qua possint immediate oriri, ut constat ex dictis *tract. præced. disp.* 3, *num.* 35; charitas ergo, qua diligimus Deum, est amor concupiscentiæ ergo illum.

Confirmatur.

26. Huic objectioni variæ adhibentur solutiones, quarum nulla placet. Unde illis omissis, ut legitimam tradamus, animadvertendum est prius, in actu perfectæ amicitiæ duplicem esse respectum ; alium ad personam, cui bonum appetimus ; alium vero ad bonum, quod illi concupiscimus : ex quibus primus est formalior, et principalior in prædicto actu, illique proinde tribuit absolute, et simpliciter speciem, et denominationem amicitiæ ; posterior autem est minus principalis, et secundarius ; qua tamen concupiscentiam præsefert, sufficit ad hoc, ut idem numero actus qui respectu personæ, quam sui gratia diligimus, adeoque per se primo est amicitia, respectu boni ei desiderati sit concupiscentia, ut passim tradit in hac materia D. Thomas.

Nota 1.

Secundo

Nota 2. Secundo nota, quod charitas utroque modo Deum attingit, tam scilicet ut amicum, quem propter seipsum amamus, quam ut bonum, quod nobis vel proximo concupiscimus : atque ideo tam affectu amicitiæ quam concupiscentiæ. Prima pars hujus observationis non indiget probatione; nam ex ipsa diffinitione charitatis, et ex hactenus dictis aperte constat ipsam diligere Deum amicabiliter, cum Deum diligat propter se, et alia propter seipsum. Posterior etiam liquet, tum ex probationibus objectionis modo propositæ, et præsertim illa, cui vis confirmationis innititur : tum etiam quia, ut infra ostendemus, per charitatem possumus diligere nos ipsos, nobisque proinde omnia bona nostra concupiscere : constat autem præcipuum bonum nostrum esse Deum, cum sit noster ultimus finis.

Quamvis autem virtus charitatis attingat Deum amore concupiscentiæ et amicitiæ, aliter tamen et aliter : nam amor amicitiæ erga Deum est actus primarius, et principalis charitatis, penes quem eo ipso mensuranda est illius quidditas. Amor vero concupiscentiæ est actus secundarius, et minus principalis in illa. Ratio est, quia amor, quo nobis, vel proximo Deum concupiscimus, est actus benevolentiæ, per quem nos ipsos ut filios Dei, vel ut ejus effectus diligemus : constat autem dilectionem nostri, vel proximi elicitam a charitate, esse actum secundarium hujus virtutis : primarius autem est dilectio Dei, ut est bonus sibi, et in seipso.

Quin etiam ipse actus secundarius charitatis, qui est amor concupiscentiæ erga Deum, includit simul et semel respectum amicitiæ ad ipsum, quia licet hujusmodi actus attingat Deum expresse et formaliter ut est bonum nostrum, illumque nobis concupiscat, non tamen sistit in nobis, sed ulterius pergit, nosque, et omnia nostra bona creata subordinat ipsi Deo ut fini omnino ultimo, propter quem omnia diligit ; amamus enim (ut nuper diximus) nos ipsos per prædictum actum ut filios et participationes Dei ; amor autem creaturæ ut est aliquid Dei, non sistit in illa, sed attingit ultimo formaliter, vel virtualiter ipsum Deum. Unde prædicti actus secundarii charitatis utramque rationem subinduunt respectu Dei, concupiscentiæ scilicet, et amicitiæ. Concupiscentiæ quidem, quatenus respiciunt expresse Deum ut bonum nostrum, quod nobis concupiscimus : amicitiæ autem, quatenus non sistunt in nobis, sed nos et omnia nostra bona ultimo referunt in Deum, ut est bonus in seipso : de quo infra latius sermo redibit.

Observa denique, finem *cujus gratia* di- Nota 3.
vidi sicut in partes integrales in finem *qui*, sive objectivum, et finem *quo*, sive formalem. Finis objectivus appellatur res illa quam conamur adipisci, utputa divitias, vel sanitatem : finis vero formalis est ipsa adeptio et possessio finis objectivi. Cum ergo dicitur visionem Dei esse finem ultimum charitatis, vel alterius virtutis, non est sermo de fine *qui*, sive objectivo, sed de fine formali.

27. Ex his ad objectionem facilis est so- Responsio ad objectionem.
lutio; potest enim responderi primo negando consequentiam, quia stat optime, charitatem esse per se primo, et absolute amicitiam Dei, et quod illum secundario amore concupiscentiæ prosequatur, ut constat tum ex modo dictis : tum etiam quia, ut tradit D. Thom *in* 3, *dist.* 27, D. Tho.
quæst. 2, *art.* 1, omnis honesta, perfectaque amicitia includit concupiscentiam amati, quatenus illius præsentiam desiderat; si enim illius conspectum non appeteret, eo ipso non esset amicitia.

Cæterum quia intentio propositæ objectionis est, charitatem esse per se primo, absoluteque, et simpliciter amorem concupiscentiæ erga Deum ; idcirco negatur antecedens, et minor subsumpti syllogismi, quoniam finis ultimus formalis charitatis non est beatitudo, qua Deo fruimur, sed beatitudo increata ipsius Dei, qua est in seipso summe felix, et omnia bona sua possidet. Neque obstant probationes in contrarium ; ad primam enim occurrit D. Th. D. Tho.
loco proxime citato, quod licet charitas, et omnis perfecta amicitia desideret præsentiam amici, non tamen respicit illam, aut dilectionem, quam inde delibat ut ultimum finem ; sed amicum ipsum, cujus conspectum, et unionem desiderat.

Ad secundam respondetur, beatitudinem hominis ese ultimam mercedem debitam charitati, et operationibus virtutis. Cæterum merces etiam ultima non est finis ultimus actionis meritoriæ, sed potest esse finis minus principalis et secundarius, qui dicit solet finis effectus, ut patet in gloria corporis, quam Christus Dominus sibi promeruit ; non enim prædicta gloria fuit finis ultimus, aut principalis actionum illius.

Quibus adde, mercedem quatenus talem, non esse finem actionis virtuosæ absolute acceptæ, sed solum ut fundat jus debiti ad aliquod præmium, et quatenus sub hac expressione concipitur. Quæ subordinatio non potest officere veræ amicitiæ, cum relinquat liberam substantiam actionis, et jus illius entitative accepta, ad hoc ut ordinari possint ultimo in bonum amici : sicut contingit de facto in charitate, quæ ipsam mercedem æternæ beatitudinis, et subjectum, cui illam volumus, refert ultimo in Deum sicut in finem supremum, propter quem omnia diligit.

Diluitur confirmatio. Ad confirmationem dicendum, convinci ex illa, quod charitas potest Deum per amorem concupiscentiæ diligere ; non tamen hoc esse adæquatum, et principale munus illius, ex quo proinde ejus essentia venari debeat. Sed neque concludit prædictum amorem concupiscentiæ, qui est actus secundarius charitatis, excludere omnem rationem amicitiæ erga Deum : nam actus concupiscentiæ puræ erga Deum, quem elicit ex se virtus spei, habet pro fine ultimo formali, visionem beatificam, qua Deus a nobis possidetur ; et in hac possessione quantum est ex suis meritis, ultimo quiescit. Amor autem concupiscentiæ, quo charitas Deum attingit, non sistit ultimo in prædicta visione sicut in fine formali sed in beatitudine increata ipsius Dei, qua a seipso possidetur. Producitur quippe prædictus actus concupiscentiæ in virtute actus primarii charitatis, qui est formalis amicitia erga Deum ; ob idque non potest non attingere illum formaliter, vel virtualiter aliquo amicitiæ respectu. Nam quia electio versatur circa media in virtute finis, illum virtualiter, et mediate saltem attingit.

Alia objectionis solutio. 28. Deinde ad eandem objectionem respondetur, visionem Dei, in qua nostra beatitudo consistit, posse considerari dupliciter : primo ut est possessio nostri summi boni, quod est Deus : secundo ut est forma, per quam physice, et realiter conjungimur ipsi Deo, et causa amoris, quo ab ipso possidemur ; amatum enim per sui amorem possidet amantem, et dominatur illi sicut forma materiæ. Charitas igitur secundum suam essentiam, et absolute accepta ordinatur in visionem beatificam sicut in suum formalem ultimum finem, non quidem secundum quod prædicta visio est possessio nostri summi boni, sed quatenus est unio realis creaturæ ad Deum, et causa conjunctionis affectivæ, per quam ab illo plene possidetur : quod sufficit ad hoc, ut charitas sit perfectissima amicitia creaturæ ad Deum. Quoniam visio beatifica sub hac posteriori formalitate non est adeptio boni nostri, sed forma per quam copulamur Deo ut amico, et ipse possidet (saltem radicaliter et inadæquate) sua præcipua bona extrinseca, scilicet creaturas rationales. Quæ possessio est ultimus finis perfectissimæ amicitiæ.

Quarta objectio. 29. Ultimo objicies : nam per charitatem non diligimus Deum plusquam nos ipsos ; charitas igitur non est amor Dei super omnia, qualem supra descripsimus. Consequentia patet; antecedens autem probatur, quia ut tradit Philosoph. 9 *Ethic. cap.* 4, amicabilia ad alterum venerunt ex amicabilibus ad se : propter quod autem unumquodque tale, et illud magis. Aristot.

Confirmatur : nam eadem charitate diligimus Deum, et proximum : sed charitas respectu proximi non est vera amicitia : ergo nec respectu Dei. Probatur minor, quia amicitia debet esse erga paucos, eosque virtute præditos, ut docet Aristot. 8 *Ethic. lect.* 6 ; charitas autem complectitur omnes homines, tam justos et Deo gratos, quam vitiis imbutos, et illi exosos. Confirmatio. Aristot.

Occurritur objectioni. Respondetur negando antecedens, quod non convincit probatio. Tum quia Aristot. loquitur de amore naturali, non vero de amore supernaturali fundato in communicatione divinæ naturæ, qualis est dilectio charitatis. Tum etiam, quia adhuc amore naturali quælibet pars diligit magis bonum totius quam seipsam. Unde cum Deus sit bonum universale et commune naturæ, possumus, debemusque illum naturali affectu plusquam nos ipsos amare. Recolantur quæ diximus *tract.* 14, *disp.* 2, *dub.* 4. Neque repugnat Philosoph. *loco citato*, quia in eo solum vult, amorem boni proprii præcedere regulariter ordine generationis dilectionem alterius, quatenus similitudo boni proprii, quod in nobis diligimus, est per se loquendo radix dilectionis, qua prosequimur alios, ut explicat D. Thom. *in* 3, *distinct.* 29, *quæst.* 1, *artic.* 3 *ad* 2; id autem quod prius diligitur ordine generationis, non ob id magis amatur, sed potius quod prius diligitur ordine intensionis, et causæ finalis : quo pacto Deus est objectum primo dilectum per charitatem. D. Tho.

Confirmatio autem nullius momenti est, quia

quia stat optime eundem numero actum esse strictam amicitiam respectu unius objecti, et concupiscentiam respectu alterius. Volitio enim, qua pater appetit filiis bona temporalia, est amicitia respectu filiorum, et concupiscentia comparative ad bona illis volita. Unde quamvis dilectio charitatis non esset propria amicitia, sed concupiscentia erga proximos, posset nihilominus illius rationem induere respectu Dei, quem super omnia diligit. Utrum autem amor, quo ex charitate diligimus proximos, tam existentes in gratia, quam in peccato, sit formalis amicitia respectu illorum, disputatione sequenti examinabimus.

DUBIUM III.

Utrum ratio amicitiæ conveniat charitati essentialiter, et adæquate; an vero inadæquate, et accidentaliter?

Constat ex dictis *dub. præced.* charitatem esse simpliciter, et absolute strictam amicitiam hominis ad Deum : superest ut videamus, qualiter hæc amicitiæ ratio illi conveniat, an scilicet essentialiter, et adæquate ; an vero inadæquate tantum, et accidentaliter? Quas difficultates in præsenti decidemus animadvertendo prius, quod ly *essentialiter*, non tam sumitur pro conceptu quidditativo, quam pro ratione ab intrinseco, et dispensabiliter conveniente charitati, sive illa sit constitutiva hujus virtutis, sive ad instar passionis se habeat.

§ I.

Deciditur prima pars dubii.

ima
iclu-
io.

30. Dicendum ergo est primo, rationem amicitiæ erga Deum convenire essentialiter, sive indispensabiliter charitati. Hæc

Tho. assertio colligitur ex D. Thom. *in hoc art.* et *in* 3, *dist.* 27, *q.* 2, *art.* 1, ubi asserit amicitiam esse genus charitatis; genus enim quiddative convenit speciebus. Idem tradit *art.* 4, *ejusdem quæstionis*, *quæstiunc.* 4. Quem sequuntur re ipsa omnes Theologi

nez. antiqui, et plures ex Neothericis, ut Bannez, Aragon, Suar. Ferre, et alii. Nam

gon.
iar.
rre.
ta 1. quamvis hæc difficultas non inveniatur apud aliquos expresse discussa, ex iis tamen quæ hic tradunt, probantes charitatem esse proprie, et simpliciter amicitiam rationalis creaturæ ad Deum, aperte constat, illos nostram assertionem quasi indubitatam tenuisse.

Quam tamen ut liquido convincamus, animadvertendum est prius amicitiam, ut ex illius diffinitione patet, quædam importare in recto, quædam vero in obliquo. Includit in recto facultatem proximam diligendi amicum, vel amorem ipsius amici ; connotat vero in obliquo communicationem boni, in qua fundatur, et benevolentiæ redamationem in prædicto amico, est enim mutuæ benevolentiæ amor super alicujus boni communicatione fundatus.

Secundo nota, esse omnino impossibile, Nota 2. ut Deus communicet creaturæ rationali gratiam sanctificantem, et quod non diligat illam benevolentiæ amore : tum quia ipsa productio, et conservatio gratiæ in creatura est dilectio benevolentiæ divinæ erga illam; quia, ut supra vidimus, amor Dei erga creaturas non est affectivus, sed effectivus ; illeque censeri debet strictissimus, et maxime liberalis, quo impertitur illis gratiam et charitatem, nam ut ait D. Bern. in D. Bern. soliloq. et D. Tho. *in* 3, *dist.* 32, *quæst.* D. Tho. 1, *art.* 1, confirmat, *Deus amat nos in quantum nos efficit sui amatores.* Tum etiam, quia Deus non potest non complacere sibi in sua essentia ubicumque eam videat, cum amabile sit unicuique proprium bonum ; sed videt illam in creatura rationali exornata gratia sanctificante : ergo non potest non complacere sibi in prædicta creatura, quatenus gratia illustrata. Constat autem complacentiam terminatam ad creaturam intellectivam ratione perfectionis illi intrinsecæ, esse amorem benevolentiæ ad illam. Quod fusius ostendimus *tr.* 15, *d.* 2, *dub.* 4, § 4.

Observa denique, virtutem charitatis Nota 3. præsupponere essentialiter gratiam sanctificantem : tum quia perfecta, et habitualis inclinatio in aliquem finem præsupponit necessario naturam tali fini proportionatam, quam in illum trahit et impellit, ut videre est in gravitate lapidis, et aliis similibus : constat autem charitatem esse perfectam, et habitualem inclinationem in finem ultimum supernaturalem, cui proportionata est per modum naturæ ejusdem ordinis gratia sanctificans : ergo. Tum etiam, quia potentia vitalis essentialiter supponit radicem suæ vitæ, neque potest existere absque conjunctione ad illam; quoniam vita tam potentiæ quam operationis est a principio intrinseco conjuncto : sed charitas est potentia vitalis, cujus vitæ radix est gratia : charitas igitur essentialiter præsupponit gratiam. Id quod ex professo

D. Tho. ostendit D. Thom. *in* 3, *dist.* 27, *quæst.* 2, *art.* 4, *quæstiunc.* 4, ubi probat, qnod charitas non potest esse informis, idest absque gratia. Unde *in corp. quæstiunc.* hæc habet: *Non potest esse charitas, nisi sit participatio divinæ naturæ, quæ est per gratiam; et ideo charitas sine gratia esse non potest*: Recolantur quæ diximus *tract. cit. disp.* 2, *dub.* 6, § 5.

Ratio conclusionis. 31. Ex his probatur assertio ratione: charitas dicit essentialiter, et in recto facultatem proximam ad diligendum Deum amore benevolentiæ, connotat vero indispensabiliter et in obliquo communionem divinæ naturæ, et benevolentiæ redamationem ex parte ipsius Dei: ergo charitas est essentialiter amicitia creaturæ ad Deum. Consequentia patet ex primo notabili: antecedens autem quoad primam illius partem non eget probatione, quia nomine charitatis nihil aliud intelligimus, quam vim proximam ad diligendum Deum amore benevolentiæ, et super omnia. Quoad secundam suadetur; nam charitas præsupponit essentialiter gratiam sanctificantem: ergo connotat, et præsupponit quidditative communicationem divinæ naturæ, et benevolentiæ redamationem in Deo. Prima consequentiæ pars liquet ex ipsa diffinitione gratiæ, quæ est participatio divinæ naturæ; posterior vero ex secundo notabili modo præmisso; antecedens autem ex ultimo. Potestque præterea suaderi, quia ita se habet charitas ad gratiam, sicut voluntas ad animam; nam quemadmodum voluntas est passio animæ, ita charitas est naturalis passio gratiæ: sed voluntas præsupponit essentialiter animam: ergo charitas eodem modo præsupponit gratiam, sine qua proinde non poterit existere.

Evasio. 32. Huic tamen rationi duplici via occurrit sapientissimus Godoy in manuscriptis. Primo enim asserit, charitatem non præsupponere indispensabiliter gratiam, sed posse divinitus absque illa infundi. Ad probationes autem in contrarium respondet, quod inclinatio habitualis in aliquem finem, et potentia vitalis, omnino connaturales suo subjecto (qualiter se habet voluntas ad animam) præsupponunt essentialiter in illo naturam, per quam fiunt ei connaturales; secus autem inclinatio, et potentia vitalis, quæ non sunt connaturales suo subjecto, sed illud elevant ad superiorem gradum; istæ enim non connotant essentialiter in illo naturam sui ordinis, quam regulariter, et per se loquendo comitantur. Unde quia charitas non est inclinatio, et potentia vitalis connaturalis animæ, sed eam elevat ad supernaturalem ordinem, idcirco non præsupponit indispensabiliter in illa naturam prædicti ordinis supernaturalis, quæ est gratia, sed potest absque illa existere.

Cæterum hæc solutio non enervat vim nostræ rationis, sed potest facile illius expensione rejici; nam potentia vitalis, quæcumque illa sit, non potest existere nisi actu conjuncta radici formali suæ vitæ; quia ut modo ex Philosophia supponimus, vita potentiæ, et operationis est a principio intrinseco conjuncto: sed radix charitatis, quæ est potentia vitalis in ordine supernaturali, non est anima, sed sola gratia, ut ex se liquet, et tradit adducendus infra D. Thom. *in* 3, *disp.* 27, *q.* 2, *art.* 4, *quæstiunc.* 3; charitas igitur non potest existere, et vivere in anima rationali, nisi ibi sit conjuncta gratiæ. Deinde, omnis inclinatio in aliquem finem præsupponit essentialiter in suo subjecto formam, cui est omnino connaturalis, ut admittit hæc solutio: sed licet inclinatio in finem supernaturalem, quæ est charitas, non sit connaturalis animæ, est tamen connaturalis gratiæ, et subjecto rationali, quatenus formaliter actuato per illam: ergo præsupponit illam communicatam subjecto, in quo prædicta inclinatio existit. Præcluditur. D. Tho.

Dices ex doctrina prædicti Authoris, charitatem (et idem est de lumine gloriæ) non esse proprietatem, aut inclinationem omnino connaturalem gratiæ sanctificanti, sed naturæ divinæ, increatæ, et per essentiam tali, quam præsupponit in Deo. Responsio.

33. Sed contra, quia cuilibet naturæ correspondere debent inclinationes et potentiæ connaturales, quibus tendat in proprium finem: sed gratia est natura divina creata, sive per participationem: ergo correspondere ei debent propriæ potentiæ, et inclinationes creatæ, exemplatæ a perfectionibus divinis, quibus tendat in finem sibi connaturalem: sed hujusmodi potentiæ non possunt esse aliæ quam lumen gloriæ, et virtus charitatis: ergo charitas creata est proprietas omnino connaturalis gratiæ sanctificantis. Evertitur.

Deinde, charitas increata est inclinatio in summum bonum, omnino connaturalis naturæ divinæ per essentiam tali: ergo charitas creata debet esse inclinatio, sive

proprietas

proprietas omnino connaturalis naturæ divinæ per participationem, quæ est gratia ; patet enim consequentia a paritate.

Præterea, licet charitas creata respiciat per se primo naturam divinam per essentiam ut principium effectivum, et exemplare sui *esse* : non tamen ut radicem a qua immediate formatur, et dimanat : sed hoc pacto respicit per se primo gratiam sanctificantem : ergo charitas creata non est inclinatio, et proprietas omnino connaturalis naturæ divinæ per essentiam, sed potius gratiæ. Consequentia liquet, quia connaturalitas proprietatis, et inclinationis desumitur per ordinem ad radicem immediatam illarum. Antecedens vero est D. Thom. Tho. *quæstiunc.* 3, *proxime citata ad* 2, his verbis, quæ nostram etiam continent assertionem : « Similiter essentia animæ superior « est voluntate, in quantum ab essentia et « voluntas, et omnes vires animæ fluunt ; « et ideo gratia, quæ est perfectio animæ, « constituens ipsam in esse speciali, est « forma et charitatis, et prudentiæ. Neque « charitas esset virtus sine gratia. « Constat autem quod si charitas non esset virtus, eo ipso non esset charitas, quia ratio virtutis est de conceptu charitatis, ut quæ est forma omnium virtutum : charitas igitur essentialiter præsupponit gratiam.

liud effu- ium. 34. Secundo respondet idem Magister rationi factæ, charitatem non esse indispensabiliter amicitiam creaturæ ad Deum, quoniam esto sit illi essentialis præexistentia gratiæ in suo subjecto, non tamen connotatio amoris amicabilis ipsius Dei ad illud ; quod necessarium erat, ut prædictæ virtuti charitatis indispensabiliter competeret ratio prædictæ amicitiæ.

npu- atur. Verum hæc evasio sufficienter præclusa manet ex dictis in secundo notabili. Potestque impugnari deinde, quia eo ipso quod quis sit in gratia, est objectum congruum divinæ dilectionis amicabilis : ergo eo ipso diligitur a Deo amicabiliter : igitur si semel charitati est essentialis præexistentia gratiæ in suo subjecto, non potest non esse ei essentialis connotatio amicitiæ divinæ ad illud. Antecedens, et ultima consequentia non indigent probatione. Prima vero suadetur, quia voluntas divina nequit manere suspensa circa objecta creata existentia actu in aliqua differentia temporis, sed omnia illa indispensabiliter attingit juxta eorum merita, atque ideo vel amando, vel odiendo. Quare sicut hac ratione non potest non odio prosequi et detestari peccatum, quod est objectum congruum divinæ abominationis; ita non potest non diligere amicabiliter objecta congrua divinæ amicitiæ, qualia sunt omnes creaturæ, in quibus est gratia sanctificans.

Confirmatur : eo ipso quod quis sit præditus gratia et charitate, diligitur a Deo benevolentiæ amore : ergo et amore amicitiæ. Consequentia patet, quia ut benevolentiæ amor erga aliquem sit formalis amicitia ad ipsum, solum exigit communicationem in bono, et benevolentiæ redamationem ex parte illius : quorum utrumque inest creaturæ exornatæ gratia, et charitate respectu Dei, ut ex se liquet. Antecedens vero probatur, quia Deus non potest non complacere sibi in propriis filiis adoptivis, quatenus formaliter talibus, uti sunt omnes existentes in gratia ; quoniam in eis sumptis sub hac ratione, nihil mali apparet, sed solum relucet bonitas divinæ essentiæ, quam ipse Deus impense amat. Constat autem complacentiam divinæ voluntatis terminatam ad creaturam rationalem ob perfectionem, et filiationem Dei illi intrinsecam, esse amorem benevolentiæ ad illam. Tum quia non est concupiscentia erga ipsum Deum. Tum etiam, quia Deus per ipsam communicationem gratiæ et filiationis vult creaturæ maximum bonum, non utcumque, sed propter ipsam ex parte boni voliti, ut superius diximus : benevolentia autem nihil aliud est quam velle bonum alicui propter ipsum. Major impugnatio.

§ II.

Absolvitur posterior difficultas.

35. Dicendum est secundo, charitatem esse adæquate amicitiam divinam. Hæc assertio deducitur perspicue ex D. Thom. *art.* 1, 3, et 4, *hujus quæstionis*, cui subscribunt omnes Authores, qui absolute adstruunt, charitatem esse propriam, ac strictam amicitiam creaturæ ad Deum, quos dedimus *dub.* 1. Secunda conclusio. D. Tho.

Probatur autem breviter : nam illa forma est perfecte, et adæquate amicitia erga aliquam personam, quæ dicit in recto facultatem proximam diligendi illam ex benevolentia ; connotat vero in obliquo communicationem in bono, et benevolentiæ redamationem : sed charitas dicit in recto facultatem proximam ad diligendum Deum Ratio.

ex benevolentia, connotat vero in obliquo communicationem in bono divinæ naturæ, et benevolentiæ redamationem ex parte ipsius Dei : charitas igitur est adæquate et complete divina amicitia. Utraque præmissa constat ex dictis § *præced.* consequentia est legitima : ergo, etc.

Confirmatio. Confirmatur primo ; nam amicitia adæquate, et complete accepta est mutuæ benevolentiæ amor super alicujus boni communis communione fundatus : sed charitas est mutuæ benevolentiæ divinæ amor fundatus super communicatione æternæ beatitudinis : charitas igitur est complete, et adæquate supernaturalis amicitia creaturæ ad Deum.

Alia confirmatio. D. Tho. Confirmatur secundo, quia supernaturalis amicitia creaturæ ad Deum est virtus proprie et rigorose dicta, ut ostendit D. Thom. *art.* 3 *et* 4, *hujus quæstionis* 23 *et in* 3, *distinct.* 27, *quæst.* 2, *art.* 4. Ergo consistit adæquate, et essentialiter in aliquo habitu, vel qualitate simplici : sed hæc qualitas non potest esse alia, nisi charitas, quæ est facultas proxima ad diligendum Deum super omnia. Charitas igitur est complete, et adæquate supernaturalis amicitia creaturæ ad Deum. Cætera constant, et prima consequentia probatur; quia virtus non est ens per accidens, aut aggregatum ex diversis rebus; sed quidam *simplex habitus, qui bonum facit habentem,* ut habetur 2 *Ethic. cap.* 6, vel *dispositio perfecti* Philos. *ad optimum,* ut diffinit Philosoph. 3 *Phys. cap.* 3.

Objectio. 36. Dices : amicitia supernaturalis hominis ad Deum includit formam, per quam ille fit objectum congruum divinæ dilectionis amicabilis : sed hæc forma est gratia sanctificans : gratia igitur spectat una cum charitate ad constitutionem prædictæ amicitiæ, quam proinde male asserimus in ipsa charitate adæquate salvari.

Diluitur. Respondetur, ad constitutionem amicitiæ proprie dictæ aliquid spectare formaliter et in recto, aliquid vero præsuppositive, et in obliquo. Spectat in recto et formaliter facultas proxima diligendi amicum propter ipsum ; concurrit autem præsuppositive communicatio in bonis amici. Tum quia amicitia est amor super alicujus boni communicatione fundatus, ut in illius diffinitione dicitur : constat autem fundamentum præsuppositive se habere ad formam, quam fundat. Tum etiam, quia prius est aliquem esse amicabilem alteri, quam esse illius amicum; siquidem ideo eligitur ab eo in amicum, quia est sibi amicabilis, sive objectum congruum suæ amicitiæ : fit autem quispiam amicabilis alteri per hoc quod non solum est bonus in se, sed communicat in bonis alterius, et est ei similis; nam ut docet Philosoph. 8 Ethic. lect. 5 : *Ami-* Aristot. *cabile bonum, maxime autem unicuique proprium* : et ideo forma, qua aliquis constituitur objectum congruum dilectionis alterius, non constituit formaliter amicitiam, quæ haberi potest ad illum, sed eam fundat, ad illamque per modum fundamenti essentialiter prærequiritur. Unde cum homo per gratiam sanctificantem fiat formaliter objectum congruum divinæ dilectionis amicabilis, solum sequitur, quod prædicta gratia præsupponatur per modum fundamenti ad amicitiam supernaturalem hominis ad Deum, ab eaque in obliquo importetur; non vero quod illam formaliter, seu in recto, adæquate, vel inadæquate constituat; sed hujusmodi constitutio est propria charitatis, quæ importat prædictam gratiam præsuppositive, dicitque pro formali facultatem proximam ad diligendum Deum amicabiliter. Quia tamen ablato fundamento, removetur forma quæ illi innititur, et deficiente obliquo, deficit rectum sub ratione recti; idcirco si per possibile, vel impossibile persisteret in homine virtus charitatis absque gratia, non constitueret illum Dei amicum ; non quidem ob defectum formæ, quæ nata est prædictam amicitiam constituere, sed ob defectum et absentiam fundamenti indispensabilis, quod importat in obliquo.

37. Sed urgebis : nam per eandem for- Replica. mam constituitur homo Dei amicus, qua fit justus, et illius filius, ut insinuat Trident. Conc. Trid. *sess.* 6 *de justific. cap.* 7, ex eoque videtur perspicuum, quia non stat hominem esse justum, et Dei filium, quin eo ipso diligatur ab illo amicabiliter ; dilectio autem amicabilis Dei non est nisi ad amicum : sed homo constituitur formaliter et in recto justus, et Dei filius per gratiam sanctificantem : ergo et ejus amicus, saltem inadæquate, et partialiter.

Respondetur, amicitiam supernaturalem Respon- hominis ad Deum sumi dupliciter. Uno sio. modo radicaliter, quo pacto dicit pro formali participationem divinæ naturæ, qua homo fit justus, Dei filius, et objectum congruum terminandi paternalem illius amicitiam. Alio modo formaliter, et absolute ; et hac

hac ratione solum importat pro formali amorem habitualem, vel actualem Dei super omnia, fundatum in communione æternæ beatitudinis. Homo igitur per eandem qualitatem gratiæ sanctificantis, qua constituitur formaliter justus, sanctus, et filius Dei, fit illius amicus radicaliter, non vero formaliter ; sed pro hujusmodi amicitia formali directe constituenda superaddenda est gratiæ alia forma ab ea distincta, scilicet virtus charitatis. Nam etiam apud homines amicitia excellentiæ, qua filius diligit patrem, supponit communicationem in illius natura, et entitatem, per quam constituitur illius filius formaliter. Unde si existente in anima gratia habituali, impediretur resultantia charitatis, esset quidem justus, et filius Dei formaliter, non tamen esset eodem modo illius amicus, sed tantum radicaliter.

Nec oppositum colligitur ex Tridentino *loco citato ;* quoniam ibi solum asserit, hominem in justificatione fieri ex inimico Dei ejus amicum per voluntariam susceptionem gratiæ et donorum : inter quæ dona numerat virtutem charitatis.

Ad secundam probationem dicendum, amorem gratuitum parentis erga filium non sortiri denominationem amicitiæ formalis, nisi ab illo ex benevolentia redametur ; quia amicitia est mutuæ benevolentiæ amor, ut in illius diffinitione dicitur. Hujusmodi autem redamatio neque in actu secundo, neque in actu primo proximo inesset justo, qui impedita resultantia charitatis existeret in gratia. Quare etsi is diligeretur tunc a Deo ut filius, non tamen ut amicus, propter defectum redamationis. Esset quidem prædictus Dei amor indulgentissimæ benevolentiæ erga justum, haberetque quidquid necessarium est ex parte sui ad constitutionem amicitiæ formalis ; illam tamen minime constitueret, ob prædictum defectum redamationis in amato, quam amicitia importat in obliquo, ut pluries diximus.

§ III.

Fit satis argumentis contra primam assertionem.

Opinio contraria. Lorca. Arauxo. Godoy.

28. Lorca *in præs.* 3, *disput.* 2, Arauxo *dub.* 1, Godoy et alii neotherici opinantur virtutem charitatis non esse essentialiter aut indispensabiliter amicitiam creaturæ ad Deum, sed tantum accidentaliter, ita ut possit existere in subjecto, quin denominet illud Dei amicum. Pro qua sententia arguitur primo : Datur habitus charitatis, quin sit amicitia creaturæ ad Deum : igitur charitati non est essentialis ratio prædictæ amicitiæ. Consequentia patet, antecedens vero suadetur : tum quia in Patribus veteris Legis fuit vera charitas, in quibus tamen non existit vera amicitia, ut colligitur ex illo ad Rom. 8 : *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis.* Tum etiam, quia in pueris baptizatis datur virtus charitatis; quæ tamen non potest dici pro tunc Dei amicitia, cum neque ipsi pueri Deum diligant, neque agnoscant se ab eo diligi : sine quibus conditionibus subsistere non potest inter aliquos propria, et formalis amicitia, utpote quæ est mutuæ benevolentiæ amor non latens. Primum argumentum. Rom. 8.

Confirmatur : nam actui charitatis, quo Deum super omnia diligimus, non convenit inseparabiliter ratio amicitiæ actualis erga illum : igitur nec virtuti charitatis competet inseparabiliter ratio divinæ amicitiæ habitualis. Consequentia non indiget probatione, quia id ipsum competit, vel denegatur virtuti habitualiter, quod illius operationi actualiter. Antecedens vero probatur ; nam cum peccator justificatur extra Sacramentum, disponitur ad susceptionem gratiæ per actum charitatis, seu dilectionis Dei, qui est ejusdem speciei cum omnibus actibus elicitis a charitate : constat autem prædictum actum dilectionis non esse veram amicitiam actualem hominis ad Deum, cum pro illo priori non oriatur a gratia sanctificante, saltem ut est forma justificans, sed illam ordine naturæ præcedat. Confirmatio.

Respondetur negando antecedens, ad cujus primam probationem dicendum, legem Moysis non contulisse ex se gratiam et Dei amicitiam, ut confert lex nova ; nam potius servitutis statum inferebat, in quo illi contraponitur a Divo Paulo loco adducto in argumento. Patres tamen veteris Testamenti fuerunt formaliter Dei amici, et in statu veræ amicitiæ, quem consequuti sunt non ex lege scripta, sed per gratiam Dei concessam illis ob merita Christi Domini, et mediante fide illius, secundum quam rationem ipsi Patres antiqui spectabant ad novum Testamentum, ut expresse docet D. Thom. 1, 2, *q.* 106, *art.* 1 *ad* 3, D. Hiero- Solvitur argumentum.

D. Tho. D. Hier. D. Aug. nym. *ad Galat.* 4, et D. August. *de doctr. Christiana*, *c.* 9.

Ad secundam probationem respondetur, infantes baptizatos esse vere et proprie Dei amicos per amicitiam habitualem, quo pacto etiam ante usum rationis Deum amant. Et licet illi non agnoscant se Deum amare, Deus tamen optime scit, se ab eis diligi. Quod sufficit, ut virtus charitatis sit in prædictis pueris amicitia propria erga Deum; nam benevolentiæ amor, qui amicitiam constituit, non tam petit esse notus amanti, quam amato, ut ex illius diffinitione liquet.

Diluitur confirmatio. 39. Ad confirmationem potest responderi pro nunc, admisso antecedenti, negando consequentiam : cujus disparitas ex ipsa probatione infertur; nam habitus charitatis præsupponit essentialiter gratiam sanctificantem, quam non sic præsupponit omnis dilectio Dei super omnia; sed illa dumtaxat, quæ est facilis, et connaturalis suo subjecto, sive effectus indispensabilis prædicti habitus charitatis; cui dilectioni essentialis est ratio divinæ amicitiæ actualis. Pro cujus solutionis intelligentia nota, quod si de actibus virtutis infusæ philosophandum est sicut de operationibus virtutis acquisitæ (id quod intendit, aut supponit objectio) duplex admittenda est dilectio Dei super omnia, ut est author supernaturalis. Alia facilis, delectabilis, et quasi connaturalis subjecto, a quo elicitur : alia vero, quæ nihil horum habet, sed est ei difficilis, et ardua. Differunt autem inter se prædictæ dilectiones, tum quia prior supponit essentialiter in subjecto gratiam sanctificantem, et ipsum habitum charitatis; nam ratione hujus suppositionis est suo subjecto facilis, et delectabilis, utpote facta ei connaturalis ratione formæ, quam in eo supponit. Posterior vero non præsupponit gratiam sanctificantem, neque habitum charitatis, sed antecedit illa, produciturque vi auxilii transeuntis supernaturalis. Tum etiam (et ex præcedenti sequitur) quod licet hæc posterior dilectio non sit actualis amicitia erga Deum, bene autem prima, cum præsupponat communicationem in divina natura per gratiam, adeoque benevolentiæ redamationem in Deo. Quod sufficit ut charitas sit habitualis amicitia creaturæ ad illum; nam habitui debet convenire id ipsum, quod competit actui suæ speciei, qui est delectabilis et connaturalis subjecto a quo elicitur; quoniam hic actus dumtaxat est effectus omnino per se ipsius actus, regulaque per quam illius essentia mensurari debet.

Alia responsio constabit ex dicendis *disp.* 4, *num.* 46.

Secundum argumentum. 40. Secundo arguitur : quoniam amicitia supernaturalis hominis ad Deum est forma justificans, quia non stat hominem esse Dei amicum, quin eo ipso sit justus, et objectum congruum divinæ dilectionis amicabilis : sed charitas non est per se forma justificans, ut docent communiter Theologi : ergo nec Dei amicitia.

Solutio. Respondetur negando majorem, si intelligatur de amicitia formali; quoniam licet repugnet aliquem esse Dei amicum, quin sit justus, et sanctus; hoc tamen non ideo est, quia prædicta amicitia sit forma justificans; sed quia præsupponit per se et essentialiter gratiam, qua homo fit formaliter justus, et objectum congruum divinæ dilectionis amicabilis.

Tertium argumentum. 41. Tertio arguitur : nam charitas non præsupponit necessario et indispensabiliter in suo subjecto deificam naturam, quæ est gratia : ergo non est essentialiter, sed separabiliter amicitia Dei. Consequentia patet : quia amicitia excellentiæ filii ad patrem, qualem esse diximus charitatem, præsupponit communicationem in natura parentis. Antecedens vero probatur, quia si propter aliquam rationem charitas præsupponeret indispensabiliter in proprio subjecto gratiam sanctificantem, maxime quia est inclinatio habitualis in finem ultimum supernaturalem : hæc autem ratio est nulla, quia etiam spes est inclinatio habitualis in prædictum finem; quo tamen non obstante, existere potest absque gratia.

Nota. Respondetur animadvertendo prius, quod perfectio infinita divinæ essentiæ potest sumi dupliciter : uno modo ut est bonum ipsius Dei ab illo possessum, quo pacto importat rationem finis omnino ultimi : alio modo, ut est bonum nostrum a nobis possidendum, et hac ratione non est finis simpliciter ultimus, sed cum addito, scilicet in ratione objecti concupiti.

Secundo nota, hoc interesse discriminis inter spem, et charitatem, quod spes respicit bonum divinum ut est bonum creaturæ, in qua ipsa existit; nam licet finis *cujus gratia* prædictæ virtutis sit Deus; finis tamen *cui* est ipse sperans, concupiscens quippe, et sperans sibi ipsi quod amat, seque constituens finem *cui* rei amatæ, et concupitæ. Charitas vero respicit prædictum

tum bonum divinum, quatenus est formaliter bonum ipsius Dei, ad quem sicut ad finem omnino ultimum, tam *cui*, quam *cujus gratia*, refert omnes affectus tendentes in bonum creaturæ; quia charitas non quærit quæ sua sunt, sed quæ Dei.

luitur argu- entum. His suppositis ad objectionem facilis est solutio; negatur enim antecedens. Ad probationem autem in contrarium dicendum est, quamlibet inclinationem supponere in suo subjecto naturam, cujus bonum per se primo intendit, et supra quam perficiendam ultimo reflectitur, eo quod in hujusmodi natura radicatur et fundatur. Unde cum spes non sit in finem simpliciter ultimum supernaturalem, nec respiciat bonum divinum ut est bonum Dei (quæ sunt propria munia charitatis), sed quatenus est bonum proprium sui suppositi, idcirco non præsupponit essentialiter in illo naturam divinam, quæ est gratia, sed solam naturam rationalem, in qua fundatur. Charitas vero debet supponere indispensabiliter in suo subjecto prædictam naturam deificam, in illaque fundari et radicari; siquidem quidquid attingit, respicit sub ratione convenientis naturæ divinæ, ad illiusque bonum consequendum ordinatum. De quo videri possunt quæ diximus *tract.* 8, *disp.* 4, *dub.* 3, *et tract.* 15, *disp.* 2, *dub.* 6, § 5.

Adde, vim potissimam nostræ rationis consistere in eo, quod virtus charitatis est per se essentialiter vivens vita gratiæ, sive propria naturæ divinæ, quam proinde necesse est præsupponat indispensabiliter. Nam sicut generaliter loquendo, vivere est a se moveri, ita vivere vita propria naturæ divinæ, est moveri ab illa in proprium ipsius bonum, adeoque ex influxu finis simpliciter ultimi supernaturalis. Qui motus habitualiter sumptus est ipsa essentia charitatis, neque convenit virtuti spei secundum se acceptæ. cum hæc possit esse informis, nec ex se attingat finem simpliciter ultimum supernaturalem. Cum quo tamen cohæret, vitalitatem spei esse reipsa superioris ordinis. Tum quia identificatur cum specie actus supernaturalis; nam sicut animal identificatum cum rationalitate, est re ipsa intellectivum, quamvis ex se non importet intellectionis gradum, sed ab eo præscindat: ita vita actus supernaturalis debet esse hujus ordinis, quamvis ex suis prædicatis essentialibus ad id non pertingat. Tum etiam, quia licet per spem non moveamur a bono formaliter naturæ divinæ, movemur tamen ab objecto supernaturali, quod sufficit ad hoc, ut illius vitalitas sit supernaturalis ordinis, quamvis non propria naturæ divinæ, prout est in se ipsa, vel ut participatæ per gratiam, ut diximus *locis supra citatis*.

42. Quarto, et ultimo arguitur: nam esto virtuti charitatis sit indispensabilis præexistentia gratiæ in suo subjecto, non tamen connotatio divini amoris amicabilis actu ad illud terminati: charitas igitur non est indispensabiliter amicitia divina. Consequentia patet, quia vera amicitia includit redamationem amicabilem. Antecedens vero suadetur, quia ut Deus prosequatur hominem amore amicabili, requiritur quod velit ei bonum, non utcumque, sed quia bonum ejus, idest ex complacentia in bonitate illius quasi objecti aliqua ratione motivi divinæ voluntatis: stat autem Deum velle justo bonum gratiæ, et charitatis, quin ad conferenda ei hæccine bona ex complacentia in bonitate illius aliqua ratione moveatur: quia potest conferre ei prædicta bon non ex amicitia, sed ex misericordia aut liberalitate; nulla quippe in hoc volitionis modo apparet implicatio: igitur virtuti charitatis non est indispensabilis connotatio divini amoris amicabilis, ut actu terminati ad suum objectum, etiam supposita in illo gratia sanctificante. Quartum argumentum.

Confirmatur, quia potest Deus conferre justo beatitudinem, et non ex amicitia: ergo etiam gratiam et charitatem. Consequentia patet a fortiori: antecedens vero suadetur, quia stante jure meritorum ad gloriam, potest Deus illam conferre homini, et non propter merita præexistentia, sed ex pura liberalitate: ergo etiam præsupposita gratia habituali in subjecto, poterit Deus communicare illi beatitudinem, et non ex amicitia, sed ex alio motivo, ut constat a paritate. Confirmatio.

Ad hoc argumentum, cui non parum confidit Godoy supra laudatus, respondetur negando antecedens, et majorem subsumpti syllogismi; quoniam ut supra vidimus, benevolentia Dei erga creaturas non respicit illas ut objectum, a quo primario, vel secundario, adæquate, vel inadæquate moveatur; sed solum ut finem proximum boni illis præstiti ex complacentia in essentia divina, sicut in objecto formali. Et quamvis benevolentia Dei erga creaturas possit esse actus diversarum virtutum, ut liberalitatis, misericordiæ, etc. si tamen impertiatur illis Occurritur argumento.

gratiam sanctificantem, et charitatem, non potest non esse formalis amicitia erga ipsas : tum quia eo ipso prædicta dilectio est mutuæ benevolentiæ amor super divinæ naturæ communicatione fundatus, aut cum illa connexus; quæ est propria ratio amicitiæ Dei erga creaturas, ut constat ex dictis *dub.* 1. Tum etiam, quia cum amicitia Dei erga creaturas non sit affectiva, sed effectiva, nulli actui divinæ voluntatis potest intimius convenire ratio prædictæ amicitiæ, ac illi, per quem communicat eis formam, qua fiunt illius amici, easque in natura propria sibi assimilat, qualis est volitio productiva gratiæ, et charitatis.

Ad hæc, actus quo Deus asciscit hominem in consortium suæ naturæ, eumque assumit quasi idem sibi, non potest non esse, supposita redamatione, formalis amicitia erga illum ; cum ex vi prædicti actus habeat se ad hominem sicut ad seipsum : sed actus quo Deus infundit gratiam et charitatem peccatori est hujusmodi, ut ex se liquet : ergo non potest non esse vera amicitia Dei ad illum, eo vel maxime, quia alias posset quis præditus gratia et charitate, imo et gloria, Deum ardentissimo amore diligere, quin ipsum haberet sibi amicatum : quod videtur absurdum.

Diluitur confirmatio. Ad confirmationem respondetur negando antecedens, quia amicitia omnino perfecta inter Deum et homines fundatur in communicatione actuali æternæ beatitudinis. Ad probationem autem in contrarium, concesso antecedenti, neganda est, consequentia ; et ratio disparitatis est, quod Deus cum sit Dominus supremus omnium, potest attento hoc supremo dominio disponere prout sibi libuerit de creatura citra illius injuriam, atque ideo vel ei denegare gloriam promeritam, vel illam conferre non propter merita, sed ex alio motivo. Non potest autem facere quod actui, per quem homini confert beatitudinem, non conveniat propria ratio amicitiæ erga illum, cum sit mutuæ benevolentiæ amor super divinæ naturæ communicatione fundatus, quæ est diffinitio amicitiæ divinæ.

Replica. 43. Dices : Volitio qua Deus confert adultis beatitudinem, est actus justitiæ commutativæ erga illos : igitur non potest esse actus veræ amicitiæ, ut quæ dicit amorem liberalem, et gratuitum.

Respondetur. Respondetur, admisso antecedenti (de quo alias) negando consequentiam ; quia licet actus justitiæ neque sit formaliter amicitia, neque illam ex suis meritis identificet, potest tamen eadem volitio divina utriusque formalitatem includere pro eodem, vel diversis signis rationis, et prioribus naturæ : necesseque est, ut illas formaliter includat, quoties præmium, quod Deus ut justus retributor impendit creaturæ, est perfecta communicatio in propriis bonis, qualis est æterna beatitudo ; prædicta quippe volitio et est actus justitiæ, secundum quod reddit gloriam per modum coronæ ; et est actus amicitiæ : tum quatenus ex affectu ad creaturam, atque ut eam sibi intime uniat, communicat illi maximum bonum propter ipsam ; merita namque spectant ad bona intrinseca merentis, supponunturque regulariter in amato ad honestam amicitiam, quæ idcirco affinis est justitiæ, ut docet Philosoph. 8 *Ethic. lect.* 7. Tum etiam, et maxime, quia saltem pro posteriori naturæ ad collationem beatitudinis, non potest non prædicta volitio esse complacentia Dei in homine beato ratione acceptæ beatitudinis, ut constat ex dictis § 1. Hujusmodi autem complacentia est formalis amicitia Dei erga creaturam, si ab illa redametur, ut in præsenti contingit. Aristot.

Quod si actus justitiæ Dei erga creaturam non posset identificare formalitatem amicitiæ ad illam, eo ipso suppeteret alia solutio, qua possemus supra adductæ confirmationi occursum ire, videlicet concesso antecedenti, negando consequentiam; quia communicatio æternæ beatitudinis, cum posset esse actus justitiæ divinæ erga creaturam, non esset necessario amicitia ad illam, ob incompossibilitatem utriusque formalitatis in eadem volitione. Quæ ratio non habet locum in communicatione gratiæ sanctificantis, quæ non potest conferri a Deo ex justitia erga creaturam, sed solum gratuito : per quod patet ad probationem.

Quibus adde, et bene nota, ad veritatem nostræ assertionis necessarium non esse quod eadem volitio productiva gratiæ, charitatis, et beatitudinis, sit amicitia erga creaturas ; sufficit enim si hujusmodi volitionem inferat pro alio posteriori naturæ, quam indubium est ita inferre ; quia non stat hominem esse objectum congruum divinæ dilectionis amicabilis, quin eo ipso diligatur a Deo amore amicitiæ, ob ea quæ § 1 diximus.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

DUBIUM IV.

Utrum sit possibilis hominis ad Deum amicitia naturalis, et stricte dicta ?

Ut clarius innotescat perfectio supernaturalis amicitiæ, quæ est de intrinseco conceptu charitatis, disputant in præsenti Theologi, an sit possibilis inter Deum et homines amicitia naturalis proprie et stricte dicta ? In cujus difficultatis decisione ne quasi inscii proprii finis longius, quam materia postulat, excurramus, opus est nonnulla præmittere, quibus certa, aut in aliis tractatibus communiter admissa ab incertis separemus, et difficultatis scopum detegamus.

§ I.

Difficultatis status.

41. Quinque, vel plures sunt status, in quibus possumus considerare hominem, et excitatam modo quæstionem agitare ; nimirum status naturæ nudæ, sive in puris ; naturæ integræ integritate solius ordinis naturalis ; status originalis justitiæ ; naturæ lapsæ ; et naturæ per gratiam reparatæ, quos late descripsimus *tract.* 14, *disp.* 1, *c.* 2, § 1. Cum enim in omnibus his statibus diversæ sint vires humanæ naturæ, diversimodeque se habeat in ordine ad ultimum finem, gravi censura plectendus esset, qui propositam difficultatem discuteret per respectum ad hominem consideratum et constitutum in omnibus prædictis statibus. Cæterum, quia nostra non interest examinare quid posset, vel non posset homo in hoc, vel illo statu ; sed solum scire, an inter ipsum et Deum possibilis intra ordinem naturæ amicitia stricta dicta, distinctaque a charitate ; idcirco ad statum naturæ integræ præsentem difficultatem coarctamus. Eo vel maxime, quia ex dicendis circa amicitiam naturalem hominis ad Deum, considerati in natura integra, facile constare poterit, quid tenendum sit loquendo de illo inspecto in aliis quatuor statibus.

Porro, status naturæ integræ, sive vigoris rationis est ille, qui contingeret, si homo conderetur a Deo perfectus intra solum ordinem naturæ, et respectu solius finis naturalis. Quo casu licet non haberet donum aliquod simpliciter supernaturale, per dona tamen et perfectiones naturalis ordinis indebita ipsi naturæ illuminaretur perfecte intellectus circa objecta naturalia, et voluntas rectificaretur circa bonum honestum, insimul et appetitus sensitivus ita subderetur rationi, ut ab ejus obedientia nunquam recederet, neque eam suis indeliberatis motibus præveniret, vel in eis saltem facillime compesceretur ; haud enim negari potest possibilitas hujus status. Qui idcirco dicitur *naturæ integræ*, ut distinguatur ab statu *naturæ nudæ* ; quamvis enim natura humana in puris constituta nec esset vulnerata, nec mutila, sed haberet omnia, quæ sibi ex suis principiis essentialibus conveniunt ; esset tamen partita, et divisa in portiones dissidentes, rationalem scilicet et sensitivam, contrariosque illarum affectus ; nam voluntas est inclinatio in bonum honestum, appetitus vero sensitivus tendit in bonum sensibus conforme et delectabile, quæ sæpe contrariantur. Quam divisionem non haberet natura in statu vigoris rationis modo descripti, sed potius pacem, et concordiam utriusque portionis ; et ideo prædictus status dicitur *naturæ integræ* secundum quod *integrum* opponitur diviso.

42. Secundo nota, possibilem esse amorem benevolentiæ Dei super omnia, qui sit entitave naturalis, huncque habiturum hominem constitutum in statu integritatis. Nam quamvis Vasq. 1, 2, *disput.* 195, *cap.* 2 *et* 3, enixe contendat, amorem Dei naturalem solum esse posse concupiscentiæ, quo scilicet amemus illum, quatenus est bonus nobis, et ex complacentia nostri ; contraria tamen sententia (quæ docet possibilem esse intra ordinem naturæ amorem benevolentiæ, quo Deum super omnia diligamus ex complacentia ipsius) est communis omnium fere Theologorum, illamque firmavimus *tract. citato, disp.* 2, *dub.* 4, § 3. Nota 2. Vasq.

Et sane negari nequit, quod hæc communis sententia sit expressa D. Thom. pluribus in locis ; namque illam aperte docet 1, 2, *quæst.* 109, *art.* 3, his verbis : « Homo in « statu naturæ integræ poterat operari virtute suæ naturæ bonum quod est sibi con- « naturale, absque additione gratuiti doni : « diligere autem Deum super omnia, est « connaturale homini, et etiam cuilibet « creaturæ, non solum rationali, sed irrationali, et etiam inanimatæ, secundum « modum amoris, qui unicuique competere potest. Et ideo dicendum est » (concludit in fine corporis) « quod homo in « statu naturæ integræ non indigebat dono « gratiæ superadditæ naturalibus bonis ad D. T o.

« diligendum Deum super omnia. » Idem tradit, et ex professo probat 1 *part. quæstione* 60, *artic.* 5 *et quodlibet* 1, *quæst.* 4, *art.* 8, *et in* 3, *distinct.* 29 *quæst.* 1, *artic.* 3, ubi sic concludit : « Quia ergo bonum nostrum « in Deo perfectum est, sicut in causa universali prima et perfecta bonorum ; ideo « bonum in ipso esse magis naturaliter « complacet, quam in nobis ipsis ; et ideo « etiam amore amicitiæ naturaliter Deus « ab homine plus seipso diligitur. »

Vasq. D. Tho. Nec dici potest, ut respondet Vasq. quod D. Thom. interpretandus sit de amore concupiscentiæ ; siquidem præmissa distinctione amoris in concupiscentiam, et benevolentiam, expresse concludit, quod « etiam « amore amicitiæ naturaliter Deus ab homine plus seipso diligitur. » Tum etiam, quia paulo post verba a nobis transcripta hæc subdit : « Quidam autem dicunt, quod « aliquis naturaliter amore concupiscentiæ « Deum plus seipso diligit, in quantum divinum bonum est sibi delectabilius ; sed « amore amicitiæ plus seipsum naturaliter « quam Deum diligit, dum plus se vult esse, « et vivere, et habere aliqua bona, quam « Deum. Sed charitas ad hoc naturam elevat, ut etiam per amicitiam aliquis plus « Deum diligat, quam seipsum. Sed prima « opinio » (contraria scilicet, quam statuerat in corpore articuli) « probabilior est, quia « inclinatio naturæ hominis, in quantum « est homo, non contradicit inclinationi « virtutis, sed est ei conformis. » Quod etiam tradit *locis citatis ex* 1 *part. et quodlib.* 1, ubi acrius reprehendit, et falsitatis convincit hanc eandem sententiam, quam suscitavit Vasquez.

Ratio ejus, quod supponitur. D. Tho. 46. Ratio autem præcipua pro adstruendo naturali benevolentiæ amore erga Deum sicut finem super omnia dilectum, est illa quam ubique tradit D. Thom. et potest sub hac forma proponi. Quælibet pars non vitiata diligit naturaliter bonum totius, cujus est pars, plusquam seipsam, et suum particulare bonum ; siquidem cum hujus etiam posterioris boni dispendio prioris conservationem procurat, ut apparet in manu, quæ exponitur naturaliter ictui, et abscissioni, ut illæsum conservet caput, ex quo pendet vita totius.

Nec dici potest, quod hic amor sit concupiscentiæ erga totum : tum quia per amorem concupiscentiæ non possumus aliquid aliud plusquam non ipsos simpliciter diligere ; quoniam concupiscentiæ amor non sistit in re concupita, sed reflectitur supra concupiscentem, illumque attingit ut primum volitum, et rationem volendi alia : primum autem in unoquoque genere est mensura cæterorum, et *propter quod unumquodque tale, etc.* Tum etiam, quia pars non amat naturaliter bonum totius propter seipsam, sed e contra seipsam diligit in ordine ad totum, et propter illius bonum, sicut propter finem ; nam idcirco etiam cum proprio detrimento illius conservationem procurat : quod est proprium amicitiæ. Sed Deus est bonum commune totius universi, et partium illius ; quia quidquid est quælibet creatura, est Dei sicut sui ultimi finis : ergo omnes creaturæ hujus universi diligunt, vel saltem diligere possunt naturali benevolentia Deum plusquam seipsas : irrationalia quidem appetitu innato ; creatura autem rationalis, qualis est homo, etiam per intellectualem amorem, quæ dilectio dicitur et appetitus elicitus. Inclinatio enim naturalis in his quæ carent ratione, ostendit inclinationem naturalem intellectualis naturæ ; actus autem in quem voluntas naturaliter inclinatur, naturalis est, et facilis in sui exercitio, ut ex se liquet.

Quæ ratio non solum probat esse possibilem amorem benevolentiæ naturalem, quo Deus diligatur a nobis super omnia ; sed etiam sufficere ad illius productionem vires proprias naturæ, atque adeo hominem constitutum in statu naturæ integræ posse prædictum actum elicere ; siquidem existeret in illo pro tunc inclinatio congenita voluntati ad diligendum Deum sicut ultimum finem totius naturæ. Quæ inclinatio cum naturalis sit, et illæsa permaneat in illo statu, ut supponimus, nec frustrari potest, nec in actum propendere naturæ viribus impossibilem. Quam rationem fuse expendimus loco citato.

Et confirmatur : quoniam præceptum naturale non obligat nisi ad actum entitative naturalem, et viribus naturæ possibilem : sed præceptum diligendi Deum super omnia ex benevolentia expressum in Decalogo est naturale : ergo possibilis est intra ordinem naturæ, et illius viribus benevolentiæ amor, quo Deum super omnia diligamus. Major et consequentia constant : minor vero est expressa D. Thom. 1, 2, *quæst.* 109, *art.* 1 *et* 6. Suadeturque præterea ; nam ratio naturalis assequitur Deum esse summum bonum, principium, et finem ultimum totius ordinis naturalis, dignumque proinde, D. Tho.

ut

ut propter semetipsum, et super omnia diligatur ; nam hic est amor proportionatus et debitus dignitati ultimi finis, cum is sit ille, qui diligitur propter se, et omnia propter ipsum : constat autem hujusmodi notitiam esse ipsum dictamen legis naturalis, quo nos adstringit ad prædictum Dei amorem ; siquidem non aliter prædicta lex intimat alia præcepta quam ostendendo vel honestatem actus, vel turpitudinem vitii.

ota 8. Observa denique, quod cum homo in statu naturæ integræ diligat Deum super omnia, pluresque perfectiones gratuito ab illo accipiat, ut modo vidimus, haud dubium est, quod posset habere cum eo in illo statu imperfectam saltem amicitiam, et quæ diceretur talis secundum quid ; ad hujus enim constitutionem sufficiens est prædictus benevolentiæ amor. Quare solum vertimus in dubium, an tunc posset inire cum Deo amicitiam proprie, et stricte dictam, idest, quæ licet comparative ad amicitiam charitatis sit imperfecta et diminuta, utpote inferioris ordinis ; univoce tamen participet rationem amicitiæ, quam supra diffinivimus. Ad eum modum quo animalia irrationalia, et imperfecta conveniunt univoce, et simpliciter in generali ratione animalis cum homine ; a quo tamen secundum differentiam specificam exceduntur.

§ II.

Legitima resolutio dubii.

A-ser-io. 47. Dicendum ergo est, impossibilem esse intra ordinem naturæ amicitiam simpliciter et stricte dictam creaturæ ad Deum, atque ideo hominem constitutum in natura integra habere non posse hujusmodi amicitiam . Tho. cum illo. Hæc assertio est expressa D. Thom. *in* 3, *distinct.* 27, *quæst.* 2 *ad* 4, his verbis : « Ad quartum dicendum, quod charitas, ut « ex prædictis patet, amicitiam, et amorem, « et desiderium includit. Desiderium autem « naturale non potest esse nisi rei, quæ na- « turaliter haberi potest, unde desiderium « naturale summi boni inest nobis secun- « dum naturam, in quantum summum bo- « num participabile est a nobis per effectus « naturales. Similiter ex similitudine cau- « satur, unde naturaliter diligitur summum « bonum super omnia, in quantum habe- « mus similitudinem ad ipsum per bona « naturalia. Sed quia natura non potest « pervenire ad operationes ejus, quæ sunt « vita sua, et beatitudo, scilicet visio divinæ « essentiæ ; ideo etiam ad amicitiam non « pertingit, quæ facit amicos convenire, et « in omnibus communicare ; et ideo oportet « superaddi charitatem, per quam amici- « tiam ad Deum habeamus, et desideremus « assimilari ei per participationem spiri- « tualium bonorum, ut participabilem per « gloriam ab amicis suis. »

Quæ authoritas adeo perspicua est pro nostra assertione, ut nulla tergiversatione valeat enervari, cum expresse concedat naturæ amorem Dei super omnia, neget autem amicitiam erga illum. Idem colligitur ex iis quæ tradit S. Doct. *disp.* 28, *quæst.* 1, *art.* 3, *et* 1, 2, *quæst.* 109, *art.* 1. Quem sequuntur Bannez *in præsenti*, *art.* 1. Arauxo *dub.* 4, Labat *dub.* 1, § 2. Suar. *disp.* 3, *sect.* 5, Granad. *controv.* 3, *de Char. sect.* 3, Ægidius Coninch. *disp.* 22, *dub.* 3, et alii. D. Tho. D. Bann. Arauxo. Labat. Suar. Granados. Coninc.

Rationes autem pro hac sententia plures adduci solent, quibus Adversarii facile occurrunt. Efficax ac legitima est illa, quæ continetur in verbis modo adductis D. Thom. Pro cujus plena intelligentia animadvertendum est, quod omnis amicitia fundatur in communicatione alicujus vitæ, sive modi vivendi, ut constat tum inductive in omnibus speciebus amicitiæ; civilis enim fundatur in communicatione vitæ politicæ ; domestica in communicatione modi vivendi familiaris, seu œconomici ; militaris in communicatione militiæ, et sic de aliis: in omnibus enim verum est amicitiam fundari in aliquo modo vivendi, in quo qui non communicant, non possunt esse amici ; sicut non possunt conjungi amicitia naturali, vel civili, qui non communicant in sanguine, vel modo vivendi politico. Tum etiam, quia amicitia est virtus, quæ facit aliquos inter se dulciter convivere ; quoniam ut dicit Philos. 9. Ethic. cap. 14 : « Unusquisque cum suo amico conversatur « in illis, quæ maxime diligit, et quæ suam « vitam reputat, quasi amico convivere vo- « lens : unde quidam simul venantur, qui- « dam simul potant, quidam simul philoso- « phantur, etc. » Constat autem ex terminis, quod convivere non est nisi communicantium in aliquo modo vitæ : Ergo, etc. Fundamentum. Aristot.

Secundo nota, quod omnis amicitia haberi possibilis inter Deum et creaturam, fundari debet in modo vivendi proprio, et connaturali ipsius Dei, quem creaturæ participative communicet ; nam amicitia fundatur indispensabiliter super aliquo modo

vivendi communi ipsis amicis : sed amicitia creaturæ ad Deum fundari non debet super modo vivendi proprio et connaturali ipsi creaturæ, quem proinde Deus ab illa participet : ergo fundari debet in modo vivendi proprio ipsius Dei, in quo creatura participative communicet ; non enim superest tertius vivendi modus, qui ita sit communis Deo et creaturis, ut nullius ex illis proprius sit.

Observa denique, quod modus vivendi proprius et connaturalis Dei consistit in cognitione intuitiva suæ essentiæ : tum quia modus vivendi proprius Dei est ille, per quem est in seipso summe felix, et beatus : constat autem, beatitudinem Dei consistere in visione clara suæ essentiæ, et amore ad illam subsequuto : tum etiam, quia modus vivendi proprius beatorum consistit in visione clara divinæ essentiæ : sed hic vivendi modus nihil aliud est, quam participatio quædam modi vivendi connaturalis Dei : hic igitur consistit in cognitione clara, et intuitiva divinæ essentiæ. Quocirca ad hoc ut creatura ineat strictam amicitiam cum Deo, participare debet prædictam cognitionem in se, vel in sua radice ; aliter quippe non poterit habere propriam amicitiam cum illo, ob defectum communicationis in vita illius.

Constructur ratio D. Tho. 48. Ex his expenditur ratio Divi Thomæ pro assertione; nam ut creatura habeat amicitiam stricte dictam cum Deo, debet communicare cum illo in modo vivendi proprio illius ; quia cum amicitia fundetur in communi modo vivendi, hac communicatione seclusa, non poterit habere cum Deo strictam amicitiam : sed intra ordinem naturæ non est possibilis haberi a creatura communicatio in modo vivendi proprio, et connaturali Dei : ergo nec amicitia stricte dicta erga illum. Major, et consequentia constant ex prænotatis, minor vero etiam est perspicua; quia modus vivendi proprius Dei consistit in visione clara suæ essentiæ, quæ visio non est communicabilis creaturæ intra naturæ ordinem.

Fulcitur. Confirmatur primo, et explicatur amplius hæc ratio; nam illi qui non communicant in operationibus propriis alicujus vitæ, non possunt habere amicitiæ societatem consequutam ad illam; sicut qui non communicant in officiis, et operationibus civilibus, nequeunt amicitia politica inter se conjungi : sed creatura rationalis intra ordinem præcise naturæ considerata non potest communicare in operationibus propriis divinæ vitæ; quia hujusmodi operationes sunt amor, et cognitio divinæ essentiæ, ut est in se, ad quas non potest pertingere natura : ergo nec ad habendam cum Deo propriam, et strictam amicitiam.

Roboratur amplius. Confirmatur secundo, quia omnis amicitia fundatur in communicatione inchoata, vel perfecta alicujus felicitatis; quia felicitas est finis vitæ, et secundum illius modos multiplicatur : unde alia est felicitas civilis, alia domestica, etc. Sed creatura intra ordinem naturæ pervenire non potest ad felicitatem propriam Dei, sive divinæ vitæ : ergo neque ad illius amicitiam. Minor, quæ sola indiget probatione, suadetur, quia felicitas propria Dei consistit in visione clara suæ essentiæ, quæ visio non est participabilis a creatura per aliquam perfectionem ordinis naturalis.

Major confirmatio. Confirmatur tertio : quoniam inter ea, quæ sunt diversæ naturæ, quatenus talia, non potest esse amicitia proprie, et stricte dicta : sed Deus, et creatura considerata intra naturalem ordinem sunt diversæ naturæ, tam specificæ, quam genericæ : ergo inter ipsos sic sumptos non potest esse amicitia proprie, et simpliciter dicta. Minor, et consequentia constant. Major vero suadetur : tum quia ad amicitiam requiritur, quod amici communicent, aut saltem communicare possint suaviter, et delectabiliter in eisdem operationibus; nam amicitia est operationum convictus et societas : operationes autem unius naturæ non possunt esse delectabiles, suppositis alterius ab illa diversæ, quatenus talibus; cum non sint illi connaturales, sed extraneæ. Tum etiam, quia hac ratione non datur amicitia naturalis inter homines et Angelos, ut docet D. Thom. *in* 3, *distinct.* 28, *quæstione* 1, D. Tho. *art.* 3, his verbis : « Amicitia esse non po-
« test nisi in eos, qui eandem vitam parti-
« cipant : vita autem hominis et Angeli est
« duplex. Una quæ competit eis secundum
« naturam suam; et sic homines, et Angeli
« non communicant in eadem vita, sed
« homines ad invicem, et Angeli ad invi-
« cem; quia convenit eis circa easdem
« operationes occupari. Alia vita utriusque
« est per gratiam, secundum quam fiunt
« participes divinæ vitæ; et in hac vita
« communicant ad invicem, et cum Deo :
« et ideo secundum hanc vitam potest esse
« amicitia eorum ad invicem, et hæc ami-
« citia est charitas. »

Secundo

Alia ratio. D. Tho. Arist.

49. Secundo probatur eadem sententia alia ratione desumpta ex D. Thom. nam amor est duplex : alius secundum quid, et generaliter sumptus, qui coincidit cum benevolentia, diffiniturque ab Aristot. 2 Rhetoric. quod est *velle bonum alicui*. Alius proprie, et simpliciter dictus, qui includit benevolentiam, et addit supra illam conjunctionem affectivam amantis ad amatum, ita ut amans æstimet amatum quasi idem sibi, et sic moveatur in illum, ut infra probat D. Thom. *quæst.* 27, *art.* 2. Sed Dei ad hominem constitutum in natura integra non potest esse amor proprie et simpliciter dictus : ergo neque amicitia. Major, et consequentia constant, quia ad amicitiam simpliciter dictam necessarius est amor simpliciter dictus, ut *n.* 1, *hujus disp.* illius diffinitionem exponentes animadvertimus.

D. Tho.

Minor vero suadetur : tum quia Deus non potest diligere per amorem simpliciter dictum creaturam, quæ non sit objectum congruum talis dilectionis : constat autem creaturam existentem extra gratiam non esse objectum congruum divinæ dilectionis amicabilis, seu amoris simpliciter dicti ; quia hujusmodi condignitas est effectus proprius gratiæ, sine qua proinde nequit inveniri. Tum, etiam, quia amor simpliciter dictus est unio quasi continuativa amantium, ut supra vidimus; dum autem homo non est in gratia, non potest esse Dei ad illum amor utriusque continuativus, quia unio continuativa est inter eos dumtaxat, qui sunt ejusdem rationis : ergo, etc.

Confirmatio.

Confirmatur : nam is, cui est omnino impossibilis visio alterius, non potest habere cum illo strictam amicitiam : sed creaturæ intra ordinem naturæ consideratæ impossibilis est visio Dei : ergo et propria illius amicitia. Minor, et consequentia constant. Major vero suadetur, quia de ratione veræ amicitiæ est desiderium videndi amicum; qui enim non appetit videri alterum, eo ipso convincitur, quod non diligit ipsum ex amicitia : constat autem eum, cui impossibilis est visio alterius, non posse habere desiderium videndi illum, adeoque nec amicitiam ; quia desiderium non est nisi rei haberi possibilis : ergo, etc.

§ III.

Præcluditur triplex evasio.

Effugium.

50. Nec refert si priori rationi occurras primo dicendo falsum esse, quod creatura non possit participare intra naturæ ordinem modum vivendi proprium Dei, neque communicare in operationibus illius; nam Angelus relictus suæ naturæ diligit Deum super somnia amore absoluto et efficaci, estque in perpetua contemplatione illius, ratione cujus naturali beatitudine perfruitur, idemque haberet homo constitutus in natura integra : constat autem hujusmodi operationes esse quasdam participationes divinæ vitæ, sive actuum, in quibus illa consistit; cum ad idem objectum, scilicet Dei essentiam, terminantur : ergo, etc.

Præcluditur.

Non, inquam, hoc refert; quia creatura intra naturæ ordinem non potest participare modum vivendi proprium Dei formaliter, ut est in seipso; id enim proprium est entis supernaturalis, ut ex communi placito nunc supponimus. Quæ tamen communicatio omnino necessaria est ad habendam cum illo propriam, et strictam amicitiam. Tum quia ad hujus consequutionem requiritur, ut creatura communicet in vita Dei, secundum quod est propria illius, ut nuper vidimus : non potest autem communicare in divina vita, secundum quod est propria Dei, nisi participet illam formaliter, ut est in seipsa; quoniam hoc dumtaxat modo est propria illius. Tum etiam, quia communicatio vitæ ad amicitiam requisita debet esse talis, ut non constituat diversum modum vivendi in personis quæ illam participant; nam si diversum vivendi modum in eis constituat, eo ipso rescindit, vel impedit amicitiam; cum non sit illis communis idem vivendi modus, sed unaquæque persona vindicet sibi particularem vitam, quod est contra rationem amicitiæ. Manifestum est autem, quod nisi creatura communicet in modo vivendi proprio Dei formaliter, ut est in seipso, consequetur ex vi hujus participationis novum vivendi modum diversum ab ipsa vita divina; siquidem hac ratione differunt ab ea vita angelica et humana, quæ ipsam aliter, ac est in se, participant.

Per quod patet ad illud de contemplatione et dilectione Dei authoris naturæ, quæ sunt operationes connaturales Angelo, et etiam homini constituto in natura integra.

Nam licet hujusmodi actus sint participationes quædam dilectionis et visionis divinæ essentiæ, in quibus Dei vita consistit; non tamen participant illas formaliter, ut sunt in seipsis, sed virtualiter, et modo proprio creaturæ, alias essent supernaturales. Quæ participatio non sufficit ad fundandam unitatem amicitiæ simpliciter dictæ, eo quod Angelus, vel homo ex vi hujus participationis non communicant cum Deo in modo vivendi proprio illius, sed alium longe diversum acquirunt.

Alia evasio.

51. Nec etiam refert, si secundo occurras, et dicas modum vivendi proprium Dei duo includere, nempe et rationem communem cognitionis divinæ essentiæ, et intuitionem illius, qui est velut conceptus specificus. Quamvis ergo creatura non participet formaliter intra naturæ ordinem visionem divinæ essentiæ, ut est intuitio illius; bene tamen ut dicit communem conceptum cognitionis ad ipsam terminatæ; nam ratio formalis hujus cognitionis salvatur proprie in beatitudine naturali, quam haberet homo conditus in natura integra : hoc autem sufficiens esse videtur ad hoc, ut prædicta creatura communicet cum Deo in modo vivendi, habeatque cum illo intra naturæ ordinem amicitiam proprie dictam, quamvis minus perfectam quam sit charitatis amicitia.

Confutatur.

Contra enim est, quod ad habendam amicitiam proprie dictam cum Deo, non sufficit ut creatura communicet cum illo in ratione universali cognitionis divinæ essentiæ; sed necessaria est communicatio in conceptu specifico illius, qui dicit prædictæ naturæ intuitionem. Tum quia ad hoc ut creatura ineat amicitiam simpliciter dictam cum Deo, communicare debet in modo vivendi proprio illius, ut nuper vidimus : modus autem vivendi proprius Dei non consistit in aliis vivendi modis, qui possunt esse proprii creaturæ. Tum deinde, quia omnes politici conveniunt in ratione communi vitæ civilis, quæ tamen communicatio non sufficit ad hoc ut omnes politici inter se convivant, et habeant inter se civilem amicitiam; alias omnes homines, qui communi aliquo et humano statuto gubernantur, unirentur inter se amicitia politica, quod nemo dicet : ergo neque etiam communicatio in ratione communi cognitionis divinæ essentiæ sufficit ad hoc, ut inter Deum et creaturam sit stricta amicitia. Tum præterea, quia magis conveniunt homo, et Angelus in ratione communi vitæ intellectivæ, quam Deus et creatura condita in natura integra, in cognitione communi divinæ essentiæ; cum hic solum detur convenientia analogica, illic autem generica : et tamen prior illa communicatio non sufficit, ut inter homines, et Angelos sit amicitia naturalis proprie dicta, ut supra vidimus : ergo multo minus sufficiet hæc posterior ad hoc, ut creatura habeat cum Deo prædictam amicitiam.

Præoccupatur objectio.

Quod si ex his inferas, neque inter ipsos Angelos esse amicitiam stricte dictam in ordine naturæ, eo quod sunt diversæ specifice vitæ intellectivæ; imo neque supernaturalem inter Deum, et justos, ob eandem, vel potiorem rationem; quia gratia sanctificans non est participatio univoca, sed analoga vitæ divinæ, neque participat illam secundum modum independentiæ, et infinitudinis, quo in Deo existit, sed alio finito, et limitato.

Solutio.

Respondetur negando sequelam quoad utramque partem. Et ad probationem prioris dicendum est, Angelos uniri inter se amicitia naturali, et stricte dicta : tum quia occupantur circa easdem specie operationes; omnes enim contemplantur seipsos, et authorem naturæ, illumque amore benevolentiæ prosequuntur, quod sufficiens est ad unitatem amicitiæ proprie dictæ, cum hæc nihil aliud sit, quam operationum convictus et societas. Tum etiam, quia modus vivendi in Angelis dividitur sicut et modus cognoscendi, aut cum illo coincidit : sed omnes Angeli conveniunt in eodem gradu cognoscendi, qui est sine dependentia a materia, et ordine ad illam : igitur omnes communicant in eodem modo vivendi specifico. Nam quamvis sub illo differant penes diversos gradus spiritualitatis, hæc tamen diversitas de materiali se habet respectu modi vivendi, vel cognoscendi, sumpti formaliter in esse talis, et secundum quod distinguitur a modo essendi, ut docent communiter Theologi 1 *part.* agentes de cognitione angelica.

Ad probationem secundæ partis dictæ sequelæ respondetur, gratiam sanctificantem esse participationem formalem vitæ divinæ, et quasi ejusdem speciei cum illa, cum sit radix amandi, et videndi Deum prout est in se, quæ sunt operationes prædictæ vitæ. Cum qua tamen analogice convenire dicitur, quia non participat illam secundum modos infinitudinis, independentiæ

dentiæ actus puri, et alios incommunicabiles creaturis, sub quibus in Deo existit. Id tamen non impedit unitatem amicitiæ, quia cum prædicti modi sint extra conceptum formalem, et specificum vitæ divinæ, utpote transcendentes per omnia attributa Dei, non requiritur illorum communicatio ad hoc, ut creatura ineat cum Deo propriam amicitiam, sed sufficit et exigitur, quod participet per gratiam formalitatem, seu speciem vitæ divinæ secundum id, quod exprimit intra propriam lineam.

Aliud effugium.

53. Denique secundæ rationi, quam § *præced.* pro assertione construximus, occurri potest si dicatur falsum esse, quod Deus non diligeret amore simpliciter dicto hominem constitutum in natura integra; nam cum homo in illo statu prosequatur Deum amore stricte dicto, utpote quem super omnia diligit, non apparet ratio, ob quam nequeat ab illo redamari amore consimili; præsertim cum eatenus Deus diligat homines, in quantum efficit illos amatores sui, ut non semel in hac disputatione diximus.

Impugnatur.

Cæterum hæc evasio sufficienter præclusa manet ex nostra ratione, quoniam ut in ea vidimus, Dei ad creaturam consistentem intra ordinem naturæ non potest dari unio affectiva, quam importat amor proprie et simpliciter dictus. Tum etiam, quia hujusmodi amor est ille, per quem amans transfertur in amatum, vel ad participandum ea, quæ sunt propria amati, vel ad communicandum amato quæ sunt propria sibi, ut . Tho. ex D. Thom. *in* 3, *distinct.* 32, *quæst.* 1, *art.* 1 *ad* 3, vidimus *dub.* 1. Quare cum Deus homini constituto in natura integra non conferat ea bona, quæ sunt propria sibi, non potest eum diligere amore simpliciter dicto.

Ad id autem quod in contrarium, et in favorem evasionis modo propositæ adducitur, respondetur concesso antecedenti, negando consequentiam. Et ratio disparitatis est, quod homo conditus in natura integra amaret Deum sicut bonum universale, et suum ultimum finem; quæ dilectio importat maximam unionem affectivam amantis ad amatum, cum ille diligat hunc plusquam seipsum: Deus autem solum amaret hominem in prædicto statu ut effectum, et opus manuum suarum; qui amor neque ex suo generali conceptu importat unionem affectivam amantis ad amatum, sed potest esse absque illa (alias omnes creaturæ amarentur a Deo amore simpliciter dicto, quod nemo admittet): neque illam in nostro casu aliunde includeret, quia dum Deus non communicat homini sua præcipua bona, neque illum ordinat ad consortium suæ vitæ, non se habet ad eum quasi ad seipsum, aliter nihilo fere magis uniretur eidem homini per communicationem gratiæ, quam per productionem naturæ.

Illa autem maxima D. Bernardi, *Amas itaque nos, etc.* solum probat quod amor Dei erga creaturas non est formaliter affectivus, sed effectivus; et ex consequenti, quod non possumus illum diligere, quin ipse prior dilexerit nos; quæ est intentio Doctoris Melliflui: minime autem convincit, quod si creatura diligit Deum per affectum, cui conveniat ratio amoris proprie dicti, consimili benevolentia ab ipso redametur, nisi forsan ratione materiæ, ut contingit in amore supernaturali charitatis, de quo loquebatur D. Bernard, nosque dum illius authoritate usi sumus *num.* 30. D. Bern.

§ IV.

Contraria sententia cum suis argumentis.

Opinio contraria.

54. Contrariam nihilominus sententiam, quæ asserit, possibilem esse propriam, et strictam amicitiam inter Deum, et hominem constitutum in statu naturæ integræ, tuentur Castillo, *disp.* 2, *de charit. quæst.* 2, Ripalda *disp.* 33, *sect. unic.* Tannerus, *hic*, *disp.* 2, Lorca *sect.* 3, *disp.* 2, Joan. a S. Thoma *disp.* 14, *art.* 2, Ferre *quæst.* 2, § 4, et alii graves Theologi in manuscriptis. Potestque suaderi primo ex D. Thom. *locis adductus* § 1 *hujus dubii*, in quibus expresse asserit, hominem diligere naturaliter Deum plusquam seipsum amore amicitiæ. Quod etiam tradit Philosoph. tum 8 *Ethic. lect.* 12, his verbis: « Est autem ad parentes quidem amicitia filiis, et hominibus ad « Deos, ut ad bonum, et superexcellens. » Tum etiam 10 *Ethic.* ubi astruit et probat, quod sapiens est amicissimus, et charissimus diis immortalibus. Etenim cum Aristoteles non cognoverit amicitiam supernaturalem hominis ad Deum, necesse est dicere ipsum loqui de amicitia naturali, hancque statuere inter Deum et homines. Castillo. Ripalda. Tanner. Lorca. Joan. a S. Tho. Ferre. D. Tho. Aristot. Fundamentum ex D. Tho. et Aristotele.

Respondetur, quod D. Thom. in locis superius adductis solum intendit probare hominem constitutum in natura integra posse diligere Deum super omnia amore Diruitur.

benevolentiæ, et non solum concupiscentiæ affectu, ut ex ipsa litera aperte liquet. Unde ibi nomine amoris amicitiæ tantum intelligit, et significat benevolentiæ dilectionem, quæ quia est propria amicitiæ, secundum Aristot. Philosoph. 9 *Ethic. lect.* 5, sæpe, nec immerito illius nomen sortitur.

55. Difficiliora sunt testimonia adducta ex Aristot. at non ita urgent, quin congruentem solutionem admittant. Ad primum enim respondetur, Philosophum in eo loco solum statuere possibilitatem amicitiæ naturalis hominis ad Deum ; non tamen diffinit qualis sit, an scilicet propria, vel impropria, secundum quid, vel simpliciter dicta. Namque licet homines sint valde obstricti ad diligendum Deum amore benevolentiæ, ut ibi probat ; cum hoc tamen optime cohæret, prædictum amorem non pertingere ad propriam amicitiam (sicut pertingit amor filiorum erga patres) ob defectum communicationis cum Deo in eadem vita. Quem defectum impedire de facto rigorosam amicitiam inter Deum et homines, agnovit Aristot. idem Aristoteles *lect.* 8 *ejusdem libri*, ubi hac ratione docet, tum quod homo non habet amicitiam cum substantiis separatis, scilicet Angelis : tum etiam, quod amicus non diligit amicis suis maxima bona, puta Deos esse ; quia eo ipso, quod homo transferretur in Deitatem, desineret esse amicus alterius hominis ob distantiam, et diversitatem vitæ ; nemo autem desiderat amicis suis ea bona, per quæ amittat illorum amicitiam.

Tacitæ objectioni occurritur

Nec propterea inconvenienter usi sumus prædicto testimonio Aristotelis ad affirmandam possibilitatem supernaturalis amicitiæ inter Deum, et homines ; quia non adduximus illud ad probationem nostræ assertionis, sed ad repellendam vim cujusdam argumenti intendentis probare impossibilitatem prædictæ amicitiæ ex verbis Aristotelis, atque ex distantia infinita Dei, et hominum. Nam ut horum vis minueretur, satis fuit opponere pro contraria parte alia ejusdem Authoris verba æque, vel magis perspicua, et quæ forsan apud contrarios intentum convincerent. Præsertim cum, supposita communicatione in eadem specie vitæ, infinita distantia in modo habendi illam (qualiter de facto communicant in vita divina Deus et homo) non obstat amicitiæ proprie et simpliciter dictæ, ut constat ex iis, quæ ibi diximus.

Ad secundam authoritatem dicendum, mentem Philosophi solum esse, quod facta comparatione hominum inter se, sapiens qui bono virtutis studet, plus a Deo diligitur, quam stultus, qui per sensibilia distrahitur ; quoniam rationabile est, ut ii maxime sint Deo accepti, qui optimi sunt, et ipsi Deo magis consimiles, uti se habent virtuosi et sapientes, qui bonum intellectus aliis bonis externis præferunt. Cum quo optime stat, nullum hominem, sive stultus, sive sapiens sit, habere cum Deo strictam amicitiam ob defectum communionis in eadem vita. Et sane loquutionem Aristotelis non procedere absolute, sed comparative (ad eum modum quo Pilatus dicitur ab Augustino innocentissimus comparatione Judæorum, qui occiderunt Christum Dominum) ex eo liquet, quia alias cum superlativum supponat positivum, cum sapiens sit Deo amicissimus, stultus erit Dei amicus : quod alienum est ab Aristotele, et cujusque notæ Philosopho indignum.

Argumentum.

56. Deinde suadetur hæc sententia unico fundamento e ratione petito, quo videtur manifeste convinci. Nam amicitia est mutuæ benevolentiæ amor super alicujus boni communicatione fundatus : sed inter Deum, et hominem constitutum in natura integra totum hoc reperitur ; ergo et propria amicitia. Minor, quæ sola indiget probatione, suadetur ; quia homo in illo statu diligit Deum amore benevolentiæ proprie, et simpliciter dictæ, ab ipsoque consimili redamatur affectu ; nam cum benevolentia Dei erga creaturas non sit affectiva, sed effectiva, illa debet censeri proprie, et simpliciter talis, per quam communicat eis bonum simpliciter dictum : constat autem ipsum statum naturæ integræ, quem Deus in casu quæstionis conferebat homini, esse bonum simpliciter intra ordinem naturæ, cum afferat secum rectitudinem potentiarum; et beatitudinem, sive ultimam felicitatem illius ordinis. Nec deficeret boni communicatio inter Deum, et hominem ; quia communicarent tum in ipsa beatitudine naturali, et vita intellectiva ; tum etiam in aliis officiis propriis amicorum. Deus enim conferebat liberaliter homini notitiam speculativam secretorum naturæ, rectitudinem voluntatis circa bonum honestum, et aliqualem corporis incorruptionem. Quibus beneficiis responderet ipse homo gratitudinis, obedientiæ, et religionis obsequiis ; tunc enim coleret Deum ut supremum Dominum, illumque super omnia, et in omnibus

omnibus diligeret, quia cum statu naturæ integræ nullum peccatum, sive mortale, sive veniale est compossibile : ergo, etc.

nfir- atio ima. Confirmatur primo; nam amicitia stricte dicta est mutuæ benevolentiæ amor fundatus super alicujus boni similitudine, quia similitudo gignit amicitiam : sed Deus diligeret ex benevolentia hominem conditum in natura integra, in quantum opus manuum suarum, et imaginem suæ bonitatis, Tho. qui etiam, ut supra vidimus ex D. Thom. diligeret ipsum Deum ratione similitudinis habitæ cum illo : esset igitur inter eos propria, et stricta amicitia.

Se- nda. Confirmatur secundo : nam communicatio in beatitudine supernaturali fundat amicitiam supernaturalem stricte dictam inter Deum et homines : ergo communicatio in beatitudine naturali fundabit inter illos amicitiam simpliciter dictam, quæ sit ordinis naturæ, ut a paritate convincitur : sed homo constitutus in statu integritatis communicaret cum Deo in beatitudine naturali, quæ est beatitudo proprie dicta : haberet ergo cum illo strictam amicitiam.

rtia. Confirmatur ultimo, quia communicatio in modo vivendi politico sufficit ad amicitiam stricte dictam, quam appellamus civilem : sed licet homo constitutus in statu integritatis non communicaret cum Deo in modo vivendi naturali, bene tamen in modo vivendi politico : ergo esset inter illos amicitia stricte dicta, videlicet politica. Suadetur minor ; nam homo in statu naturæ integræ dirigeretur a Deo per legem naturalem, singularique providentia, et cumularetur insimul ingentibus beneficiis, quibus ipse responderet præstando Deo perfectam obedientiam, cultum, et amorem. Constat autem hanc officiorum vicissitudinem sufficere ad communicandum stricte in eodem modo vivendi politico, conferendamque civilem amicitiam ; quia minor communicatio intercedit de facto inter Regem et subditos, inter quos tamen possibilis est amicitia proprie, et simpliciter dicta, ut supra diximus : ergo, etc.

itur gu- tum. 57. Ad hoc argumentum respondetur negando minorem, quia licet ad hominem constitutum in natura integra sit benevolentia proprie et simpliciter dicta ; secus vero amor, ob ea quæ § 2 *et* 3 adduximus : sine quo amore consistere nequit inter aliquos propria et stricta amicitia, ut ex illius diffinitione liquet.

Vel dicendum, ad amicitiam simpliciter dictam non sufficere quamlibet communicationem in bono, sed necessariam esse formalem communicationem in eodem specifico modo vitæ ; sic enim exponenda est diffinitionis particula, *super alicujus boni communicatione fundatus ;* quia ut constat ex dictis pro nostra assertione, deficiente communicatione formali in eadem vita, non potest natura excellens conjungi cum inferiori, amore stricte dicto, cum non respiciat illam quasi idem sibi ; quod tamen necessarium est ad amicitiam. Unde cum homo in statu integritatis non communicet cum Deo formaliter in eodem modo vitæ, non potest habere cum illo strictam amicitiam, quantumvis alias diligat ipsum Deum super omnia, et cum eo communicet in aliis officiis ; quia deficit unitas vitæ ad amicitiam simpliciter dictam requisita.

Occurritur primæ confirmationi. Ex quibus patet ad primam confirmationem ; non enim quælibet similitudo in bono sufficit ad inducendam amicitiam simpliciter dictam, sed necessaria est similitudo, seu convenientia formalis in eodem modo vitæ, quæ non esset inter Deum, et hominem conditum in natura integra, adeoque nec stricta amicitia, sed tamen secundum quid : quandoquidem hujus dumtaxat rationis potest esse amor, quo Deus prosequitur creaturam existentem intra limites naturæ, nec ordinatam ad superiorem finem.

Diluitur secunda. 58. Ad secundam confirmationem, concesso antecedenti neganda est consequentia. Et ratio disparitatis est perspicua ; quoniam ad incundam cum Deo amicitiam simpliciter dictam, necessaria est propria, et formalis communicatio in beatitudine connaturali illius : per hoc autem quod homo gaudeat naturali felicitate, sive hæc sit beatitudo proprie et simpliciter, sive tantum secundum quid, non communicat proprie loquendo cum Deo in beatitudine connaturali illius, neque est felix ut Deus, sed potius ut homo, sicut expresse tradit Philosophus 1 *Ethic. lect.* 16. Quo contra se habet per possessionem supernaturalis beatitudinis ; nam eo ipso, quod homo ea perfruatur complete vel inchoate, communicat proprie cum Deo in beatitudine connaturali illius, estque felix non tam ut homo, quam ut Deus, juxta illud Psalmi : *Ego dixi : Dii estis.* Unde licet hæc posterior communicatio fundet amicitiam simpliciter dictam inter Deum et hominem ; secus vero illa prior : sed erit fundamentum ami-

Aristot.

citiæ, quæ sit talis diminute tantum, et secundum quid.

Nec obest, quod ipsa beatitudo naturalis sit bonum simpliciter sui ordinis, et quod volitio divina productiva illius, sit erga hominem amor simpliciter intra eundem ordinem naturæ; quia ly *intra ordinem naturæ* est conditio diminuens, et removens prædictam volitionem a conceptu amoris simpliciter, et absolute dicti. Quia sicut intra genus signi non potest dari sanitas, quæ sit talis simpliciter, licet saliva dicatur simpliciter sana, cum undique significat perfectam sanitatem: ita intra genus benevolentiæ divinæ terminatæ ad creaturam consistentem infra naturæ limites, nulloque modo elevatam ad superiorem finem, non potest dari amor, qui sit simpliciter, et absolute talis, sed solum cum addito diminuente, nempe intra ordinem naturæ quatenus ex benevolentiis, quibus homo potest amari a Deo in hoc ordine, quædam aliis præferuntur, et illa judicatur maxima, per quam accipit ab illo supremum bonum naturale, qualis est beatitudo, seu integritas naturæ.

Dissolvitur tertia. 59. Ad ultimam confirmationem potest dici primo, quod licet communicatio in officiis politicis sufficiat ad amicitiam stricte dictam inter Principem et subditos, cum sunt ejusdem naturæ; secus autem si sint natura diversi, uti se habent Deus, et creatura; quia deficiente unitate vitæ substantialis, nequit esse inter ipsos mutuus amor proprie dictus, qui necessarius est ad omnem veram amicitiam. Unde ille obedientiæ cultus, quem homo conditus in natura integra exhiberet Deo, procederet a virtute religionis, non autem ab amicitia.

Secundo respondetur, amicitiam politicam Principis ad subditos esse in duplici differentia: aliam vulgarem, et de communi modo dicendi, quæque magis respicit statum, quam personas: pro qua sufficit quod Princeps impendat subditis providentiæ curam, et generalia beneficia; subditi vero retribuant illi honoris, gratitudinis, et obedientiæ obsequium. Cæterum hæc amicitia non participat simpliciter, et univoce communem rationem, sed analogice tantum et secundum quid; quoniam ex vi illius nec Princeps reputat subditos quasi seipsum, nec illis potiora bona, aut cordis secreta confidit, neque in eorum damnis tristatur graviter, aut lætatur cum bona acquirunt; quod tamen necessarium est ad propriam amicitiam Aristotelicam, ut vidimus *dub.* 1. Alia est amicitia politica specialiter dicta, quæ nimirum stricte complectitur personam, ad illamque habetur, licet ratione communionis politicæ, si semel hæc communio fundare potest amicitiam simpliciter dictam; et ad hujus substantiam requiritur, quod Princeps speciali favore prosequatur subditos, eisque impertiatur de suis præcipuis bonis, et cum ipsis in eadem regiminis cura, ac providentia convivat. Qui dilectionis modus ad paucos extenditur, ob idque non omnes subditi Regis, sed pauci dicuntur absolute, et simpliciter illius amici. Unde cum Deus non impertiatur homini constituto in natura integra de suis præcipuis bonis, nec eum reputet quasi seipsum, sed potius ut extraneum, cum quo in nulla operatione sibi propria convivit, nec ei denique suæ pulchritudinis intuitum offerat, idcirco non potest habere cum illo perfectam amicitiam politicam, sed tantum secundum quid, ob defectum convictus in eisdem operationibus, et amoris proprie dicti, quæ sunt de conceptu essentiali amicitiæ ut sic.

Corollarium. 60. Ex dictis in hoc dubio constat, hominem constitutum in aliis statibus supra recensitis, habere non posse amicitiam simpliciter dictam cum Deo, ut est author naturæ: tum quia in nullo ex illis statibus habet aliquam perfectionem ordinis naturalis, quam non haberet in natura integra, in qua tamen non pertingeret ad prædictam amicitiam. Tum etiam, quia ex vi perfectionis naturalis, quæcumque illa sit, non potest creatura Deo convivere, illumque proinde sibi adstringere per propriam amicitiam; sed ad id necessaria est participatio divinæ naturæ, ut modo vidimus. Si autem inquiras, utrum homo in statu gratiæ eliciat actum amoris Dei super omnia, ut est author naturæ? Respondetur affirmative: ad cujus elicientiam nullo habitu indiget, sed sufficit ipsa inclinatio naturæ, quæ ex se determinata est ad amorem boni proprii, sive particularis, sive etiam aliis communis, quale est ultimus finis, ut docent Cajet. 1, 2, *quæst.* 62, *art.* 3, *et in hac q.* 23, *art.* 6, Bannez *quæst.* 26, *sequenti art.* 3, Valentia *hic, disp.* 3, *quæst.* 1, *punct.* 1, contra Scotum *in* 1, *dist.* 17, *quæst.* 2, Gabrielem *in* 3, *dist.* 26, et alios, quibus subscribit Medina 1, 2, *q.* 26, *art.* 2. Cajetan. Bannez. Valentia. Scot. Gabriel. Medina

QUÆSTIO XXIV

De Charitatis subjecto.

ARTICULUS I.

Utrum voluntas sit subjectum charitatis.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod voluntas non sit subjectum charitatis. Charitas enim amor quidam est : sed amor secundum Philosoph. est in concupiscibili. Ergo et charitas est in concupiscibili, et non in voluntate.

Præterea : Charitas est principalissima virtutum, ut supra dictum est. Sed subjectum virtutis est ratio. Ergo videtur quod charitas sit in ratione, et non in voluntate.

Præterea : Charitas se extendit ad omnes actus humanos, secundum illud 1 ad Cor. ult. : Omnia vestra in charitate fiant. Sed principium humanorum actuum est liberum arbitrium. Ergo videtur quod charitas maxime sit in libero arbitrio sicut in subjecto, et non in voluntate.

Sed contra est, quod objectum charitatis est bonum, quod etiam est objectum voluntatis : ergo charitas est in voluntate sicut in subjecto.

Respondeo dicendum, quod cum duplex sit appetitus, sensitivus scilicet, et intellectivus, qui dicitur voluntas, ut in primo habitum est, utriusque objectum est bonum, sed diversimode. Nam objectum appetitus sensitivi est bonum per sensum apprehensum. Objectum vero appetitus intellectivi, vel voluntatis, est bonum sub communi ratione boni, prout est apprehensibile ab intellectu. Charitatis autem objectum non est aliquod bonum sensibile, sed bonum divinum, quod solo intellectu cognoscitur. Et ideo charitatis subjectum non est appetitus sensitivus, sed appetitus intellectivus, id est voluntas.

Ad primum ergo dicendum, quod concupiscibilis est pars appetitus sensitivi, non autem appetitus intellectivi, ut in primo ostensum est. Unde amor qui est in concupiscibili, est amor sensitivi boni. Ad bonum autem divinum, quod est intelligibile, concupiscibilis se extendere non potest, sed sola voluntas. Et ideo concupiscibilis subjectum charitatis non potest.

Ad secundum dicendum, quod voluntas etiam secundum Philosoph. in 3 de anima, in ratione est, et ideo per hoc, quod charitas est in voluntate, non est aliena a ratione. Tamen ratio non est regula charitatis, sicut humanarum virtutum ; sed regulatur a Dei sapientia, et excedit regulam rationis humanæ, secundum illud Ephes. 3 : Supereminentem scientiæ charitatem Christi. Unde non est in ratione sicut in subjecto, sicut prudentia ; neque sicut in regulante, sicut justitia, vel temperantia, sed solum per quandam affinitatem voluntatis ad rationem.

Ad tertium dicendum, quod liberum arbitrium non est alia potentia a voluntate, ut in primo dictum est ; et tamen charitas non est in voluntate secundum rationem liberi arbitrii, cujus actus est eligere ; electio enim est eorum, quæ sunt ad finem : voluntas autem est ipsius finis, ut dicitur in 3 Ethic. Unde charitas, cujus objectum est finis ultimus, magis debet dici esse in voluntate, quam in libero arbitrio.

Conclusio *est affirmativa.*

Veritas hujus conclusionis satis constat ex dictis *tract.* 14, *disp.* 4, *dub.* 5, ubi ostendimus distinctionem inter gratiam, et charitatem, et utriusque habitus subjectum.

ARTICULUS II.

Utrum charitas causetur in nobis ex infusione.

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod charitas non causetur in nobis ex infusione. Illud enim quod est commune omnibus creaturis, naturaliter hominibus inest : sed sicut Dion. dicit in 4 cap. de divin. nom. Omnibus diligibile, et amabile est bonum divinum, quod est objectum charitatis. Ergo charitas inest nobis naturaliter, et non ex infusione.

Præterea : Quanto aliquid est magis diligibile, tanto facilius diligi potest. Sed Deus est maxime diligibilis, cum sit summe bonus. Ergo facilius est ipsum diligere, quam alia. Sed ad alia diligenda non indigemus aliquo habitu infuso. Ergo nec etiam ad diligendum Deum.

Præterea : Apostolus dicit 1 ad Timoth. 1 : Finis præcepti est charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta. Sed hæc tria pertinent ad actus humanos. Ergo charitas causatur in nobis ex actibus præcedentibus, et non ex infusione.

Sed contra est, quod Apost. dicit Rom. 5 : Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.

Respondeo dicendum, quod sicut dictum est, charitas est amicitia quædam hominis ad Deum, fundata super communicatione beatitudinis æternæ. Hæc autem communicatio non est secundum bona naturalia, sed secundum dona gratuita ; quia ut dicitur Rom. 6 : Gratia Dei, vita æterna. Unde et ipsa charitas facultatem naturæ excedit. Quod autem excedit naturæ facultatem, non potest esse neque naturale, neque per potentias naturales acquisitum, quia effectus naturalis non transcendit suam causam. Unde charitas non potest neque naturaliter nobis inesse, neque per vires naturales est acquisita, sed per infusionem Spiritus sancti, qui est amor Patris, et Filii, cujus participatio in nobis est ipsa charitas causata, sicut supra dictum est.

Ad primum ergo dicendum, quod Dion. loquitur de dilectione Dei, quæ fundatur super communicatione naturalium bonorum ; et ideo naturaliter omnibus inest. Sed charitas fundatur super quadam communicatione supernaturali. Unde non est similis ratio.

Ad secundum dicendum, quod sicut Deus secundum se est maxime cognoscibilis, non tamen a nobis, propter defectum nostræ cognitionis, quæ dependet a rebus sensibilibus : ita etiam Deus in se est maxime diligibilis, in quantum est objectum beatitudinis. Sed hoc modo non est maxime diligibilis a nobis, propter inclinationem affectus nostri ad visibilia bona. Unde patet, quod ad Deum maxime hoc modo diligendum, necesse est quod nostris cordibus charitas infundatur.

Ad tertium dicendum, quod cum charitas dicitur in nobis procedere ex corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta, hoc referendum est ad actum charitatis, qui ex præmissis excitatur. Vel etiam hoc dicitur, quia hujusmodi actus disponunt hominem ad recipiendam charitatis infusionem. Et similiter etiam dicendum est de eo quod August. dicit, quod timor introducit charitatem. Et de hoc quidem dicitur in gloss. Matth. 1 quod fides generat spem, et spes charitatem.

Conclusio *est affirmativa.*

De hac difficultate egimus ex professo *tr.* 14, *disp.* 3, *per totam*, et magis specialiter *disp.* 4, *dub.* 1, ad quæ loca remittimus lectorem, ne eadem sæpius inculcemus.

ARTICULUS III.

Utrum charitas infundatur secundum capacitatem naturalium.

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod charitas infundatur secundum capacitatem naturalium. Dicitur enim Matth. 25: Quod dedit unicuique secundum propriam virtutem Sed charitatem nulla virtus præcedit in homine nisi naturalis, quia sine charitate nulla est virtus, ut dictum est. Ergo secundum quantitatem virtutis naturalis infunditur homini charitas a Deo.

Præterea: Omnium ordinatorum ad invicem secundum proportionatur primo, sicut videmus quod in rebus naturalibus forma proportionatur materiæ, et in donis gratuitis gloria proportionatur gratiæ. Sed charitas, cum sit perfectio naturæ, comparatur ad capacitatem naturalem, sicut secundum ad primum. Ergo videtur, quod charitas infundatur secundum naturalium capacitatem.

Præterea: Homines, et Angeli secundum eandem rationem participant beatitudinem, quia in utrisque est similis beatitudinis ratio, ut habetur Matth. 22 et Luc 20. Sed in Angelis charitas, et alia dona gratuita sunt data secundum capacitatem naturalium, ut Magister dicit 3 dist. secundi libri Sent. Ergo idem videtur esse in hominibus.

Sed contra est, quod dicitur Joan. 3: Spiritus ubi vult spirat. Et 1 ad Corinth. 12: Hæc omnia operatur unus, et idem spiritus, dividens singulis prout vult: ergo charitas datur non secundum capacitatem naturalium, sed secundum voluntatem spiritus sua dona distribuentis.

Respondeo dicendum, quod uniuscujusque rei quantitas dependet a propria causa rei, quia universalior causa effectum majorem producit. Charitas autem, cum superexcedat proportionem naturæ humanæ, ut dictum est, non dependet ex aliqua naturali virtute, sed ex sola gratia Spiritus sancti eam infundentis. Et ideo quantitas charitatis non dependet ex conditione naturæ, vel ex capacitate naturalis virtutis, sed solum ex voluntate Spiritus sancti distribuentis sua dona prout vult. Unde et Apost. dicit ad Ephes. 4: Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.

Ad primum ergo dicendum, quod illa virtus secundum quam sua dona Deus dat unicuique, est dispositio, vel præparatio præcedens, sive conatus gratiam accipientis. Sed hanc etiam dispositionem, vel conatum prævenit Spiritus sanctus movens mentem hominis, vel plus, vel minus secundum suam voluntatem. Unde et Apost. dicit ad Cor. 1: Qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine.

Ad secundum dicendum, quod forma non excedit materiæ proportionem, sed sunt ejusdem generis. Similiter etiam gratia, et gloria ad idem genus referuntur, quia gratia nihil est aliud, quam quædam inchoatio gloriæ in nobis. Sed charitas et natura non pertinent ad idem genus. Et ideo non est similis ratio.

Ad tertium dicendum, quod Angelus est intellectualis naturæ, et secundum suam conditionem competit ei, ut totaliter feratur in omne id, in quod fertur, ut in primo habitum est. Et ideo in superioribus Angelis fuit major conatus, et ad bonum in perseverantibus, et ad malum in cadentibus. Et ideo superiorum Angelorum persistentes facti sunt meliores, et cadentes facti sunt pejores aliis. Sed homo est naturæ rationalis, cui competit esse quandoque in potentia, et quandoque in actu; et ideo non oportet quod feratur totaliter in id, in quod fertur; sed ejus, qui habet meliora naturalia, potest esse minor conatus, et e converso. Et ideo non est simile.

Conclusio *est negativa.*

Recolantur quæ diximus *tract.* 14, *disput.* 3, *dub.* 5, ex quibus magis constabit hujus conclusionis intelligentia.

ARTICULUS IV.

Utrum charitas augeri possit.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod charitas augeri non possit. Nihil enim augetur nisi quantum. Duplex autem est quantitas, scilicet dimensiva, et virtualis, quarum prima charitati non convenit, cum sit quædam spiritualis perfectio. Virtualis etiam quantitas attenditur secundum objecta, secundum quæ charitas non crescit; quia minima charitas diligit omnia, quæ sunt ex charitate diligenda. Ergo charitas non augetur.

Præterea: Id quod est in termino, non recipit augmentum. Sed charitas est in termino quasi maxima virtutum existens, et summus amor optimi boni. Ergo charitas augeri non potest.

Præterea: Augmentum quidam motus est. Ergo quod augetur, movetur. Quod ergo augetur essentialiter, movetur essentialiter. Sed non movetur essentialiter, nisi quod corrumpitur, vel generatur. Ergo charitas non potest augeri essentialiter, nisi forte de novo generetur, vel corrumpatur; quod est inconveniens.

Sed contra est, quod August. dicit super Joan. quod charitas meretur augeri, ut aucta mercatur et perfici.

Respondeo dicendum, quod charitas viæ potest augeri; ex hoc enim dicimur esse viatores, quod in Deum tendimus, qui est ultimus finis nostræ beatitudinis. In hac autem via tanto magis procedimus, quanto Deus magis appropinquamus, cui non appropinquatur passibus corporis, sed affectibus mentis. Hanc autem propinquitatem facit charitas, quia per ipsam mens Deo unitur. Et ideo de ratione charitatis viæ est, ut possit augeri. Si enim non posset augeri, jam cessaret viæ processus Et ideo Apostol. charitatem viam nominat, dicens 1 ad Cor. 12: Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.

Ad primum ergo dicendum, quod charitati non convenit quantitas dimensiva, sed solum quantitas virtualis, quæ non solum attenditur secundum numerum objectorum, ut scilicet plura, vel pauciora diligantur; sed etiam secundum intensionem actus, ut magis vel minus aliquid diligatur, et hoc modo virtualis quantitas charitatis augetur.

Ad secundum dicendum, quod charitas est in summo ex parte objecti, in quantum scilicet ejus objectum est summum bonum; et ex hoc sequitur, quod ipsa sit excellentior aliis virtutibus. Sed non est omnis charitas in summo, quantum ad intensionem actus.

Ad tertium dicendum, quod quidam dixerunt, charitatem non augeri secundum suam essentiam, sed solum secundum radicationem in subjecto, vel secundum fervorem. Sed bi propriam vocem ignoraverunt. Cum enim accidens sit, ejus esse est inesse. Unde nihil est aliud ipsam secundum essentiam augeri, quam eam magis inesse subjecto, quod est magis eam radicari in subjecto. Similiter etiam ipsa essentialiter est virtus ordinata ad actum. Unde idem est ipsam augeri secundum essentiam, et ipsam habere efficaciam ad producendum ferventioris dilectionis actum. Augetur ergo essentialiter, non quidem ita quod esse incipiat, vel esse desinat in subjecto, sicut objectio illa procedit; sed ita quod magis, ac magis in subjecto esse incipiat.

Conclusio *est affirmativa.*

Doctrinam quam in isto, et sequentibus hujus quæstionis articulis tradit D. Thom. late explicamus infra, *disput.* 5, 6 et 7, in quæ loca illam remittimus, quia congruentius duximus de objecto, et actu charitatis prius disserere.

QUÆSTIO XXV

De charitatis objecto.

ARTICULUS I.

Utrum dilectio charitatis sistat in Deo, an se extendat etiam ad proximum.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod dilectio charitatis sistat in Deo, et non se extendat ad proximum. Sicut enim Deo debemus amorem, ita et timorem, secundum illud Deuter. 20 : Et nunc Israël, quid dominus Deus tuus petit a te, nisi ut timeas, et diligas eum ? Sed alius est timor, quo timetur homo, qui dicitur timor humanus ; et alius timor, quo timetur Deus, qui est vel servilis, vel filialis, ut ex supra dictis patet. Ergo etiam alius est amor charitatis, quo diligitur Deus ; et alius est amor, quo diligitur proximus.

Præterea : Philosoph. dicit in 8 Ethic. quod amari est honorari. Sed alius est honor, qui debetur Deo, qui est honor latriæ ; et alius est honor, qui debetur creaturæ, qui est honor duliæ. Ergo etiam alius est amor, quo diligitur Deus ; et alius quo diligitur proximus.

Præterea : Spes generat charitatem, ut habetur in Gloss. Matth. 1. Sed spes ita habetur de Deo, quod reprehenduntur sperantes in homine, secundum illud Jerem. 17 : Maledictus homo, qui confidit in homine Ergo charitas ita debetur Deo, quod ad proximum se non extendat.

Sed contra est, quod dicitur 1 Joan. 4 : Hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum.

Respondeo dicendum, quod sicut supra dictum est, habitus non diversificantur nisi ex hoc, quod variant speciem actus. Omnis enim actus unius speciei ad eumdem habitum pertinet. Cum autem species actus ex objecto sumatur secundum formalem rationem ipsius, necesse est quod idem specie sit actus, qui fertur in rationem objecti, et qui fertur in objectum sub tali ratione ; sicut eadem est specie visio, qua videtur lumen, et qua videtur color secundum luminis rationem. Ratio autem diligendi proximum Deus est ; hoc enim debemus in proximo diligere, ut in Deo sit. Unde manifestum est, quod idem specie actus est, quo diligitur Deus, et quo diligitur proximus. Et propter hoc habitus charitatis non solum se extendit ad dilectionem Dei, sed etiam ad dilectionem proximi.

Ad primum ergo dicendum, quod proximus timeri potest dupliciter, sicut et amari. Uno modo propter id quod est proprium sibi, puta cum aliquis timet tyrannum propter ejus crudelitatem, vel cum amat ipsum propter cupiditatem acquirendi aliquid ab eo. Et talis timor humanus distinguitur a timore Dei, et similiter amor. Alio modo timetur homo, et amatur propter id quod est Dei in ipso, sicut cum sæcularis potestas timetur propter ministerium divinum, quod habet ad vindictam malefactorum, et amatur propter justitiam. Et talis timor hominis non distinguitur a timore Dei, sicut nec amor.

Ad secundum dicendum, quod amor respicit bonum in communi ; sed honor respicit proprium bonum honorati. Defertur enim alicui in testimonium propriæ virtutis. Et ideo amor non diversificatur specie, propter diversam quantitatem bonitatis diversorum, dummodo referantur ad aliquod unum bonum commune. Sed honor diversificatur secundum propria bona singulorum. Unde eodem amore charitatis diligimus omnes proximos in quantum referuntur ad unum bonum commune, quod est Deus. Sed diversos honores diversis deferimus secundum propriam virtutem singulorum. Et similiter Deo singularem honorem latriæ exhibemus, propter ejus singularem virtutem.

Ad tertium dicendum, quod vituperantur qui sperant in homine, sicut in principali authore salutis ; non autem qui sperant in homine, sicut adjuvante ministerialiter sub Deo. Et similiter reprehensibile esset, si quis proximum diligeret tanquam principalem finem, non autem si quis proximum diligat propter Deum, quod pertinet ad charitatem.

Conclusio : *Idem habitus charitatis se extendit ad dilectionem Dei, et proximi.*

DISPUTATIO II.

De objecto charitatis.

Ostensa semel possibilitate, et existentia supernaturalis amicitiæ hominis ad Deum, quæ est charitas, superest ut illius essentiam disquiramus. Essentia autem cujuslibet habitus desumitur ab illius objecto, utpote quod est ipsius regula, et mensura. Unde rectus procedendi ordo deposcit, ut pro examinando prædictæ charitatis objecto præsentem disputationem instituamus. Quam ut absque æquivocationis periculo penetremus, recolendæ sunt, et habendæ præ oculis distinctiones objecti in *formale*, et *materiale*, et formalis in *quod*, et *quo* ; et rursus objecti formalis *quod* in inadæquatum, et adæquatum, quas dedimus, et explicuimus *tract. de fide, disp.* 1, *dub.* 1.

DUBIUM I.

Utrum Deus sit objectum formale, et adæquatum charitatis.

Procedit difficultas de objecto formali *quod* ; nam ratio formalis *sub qua* virtutis charitatis dubio sequenti examinabitur ; quia enim circa illam plures sunt difficultates, quas non patitur objectum formale *quod*, idcirco placuit illud disputationi prius subjicere ; expedit quippe a facilioribus initium desumere, levioribusque devictis ad difficiliora applicare animum. Quamvis autem præsentis dubii titulus solum comprehendat objectum formale charitatis, ob connexionem tamen doctrinæ etiam illius objectum materiale, et secundarium designabimus.

§ I.

Vera sententia.

Assertio prima. 1. Dicendum ergo est primo, objectum formale *quod*, primarium, et adæquatum charitatis est summum bonum, quod est Deus. Ita D. Thom. 1, 2, *q.* 62, *art.* 1, *et* 3, *et in hac* 2, 2, *q.* 25, *art.* 1, *in* 3, *dist.* 27, *q.* 2, *art.* 4, *et quæst. unica de charitate, art.* 2, 4, *et* 5, *et* 8, *et* 10. Quem sequuntur communiter omnes Theologi, ob idque superfluum duximus aliquem in peculiari recensere. D. Tho.

Fundamentum. Probatur ratione: nam illud est objectum formale *quod*, primarium et adæquatum alicujus virtutis, quod ipsa respicit per se, et ratione sui, cætera vero ratione illius : sed charitas est virtus quæ respicit, et diligit Deum propter se, cætera vero ratione illius, ut ex ejus diffinitione superius adducta, et ab omnibus recepta liquet ; Deus igitur est objectum formale *quod* adæquatum charitatis.

Confirmatio 1. Confirmatur primo, quia de ratione virtutis Theologalis est, quod habeat Deum pro objecto formali adæquato ; nam sicut ars denominatur domificativa, vel argentaria, a materia, circa quam versatur : ita virtus dicitur theologalis, quia versatur circa Deum, ut est in se, sicut circa propriam materiam, vel objectum : sed charitas est virtus theologalis, ut omnes admittunt : ergo illius objectum adæquatum est Deus.

Confirmatio 2. Confirmatur secundo, quia Deus ut est in seipso summum bonum, et ultimus finis excedens proportionem naturæ creatæ, potest, debetque esse objectum adæquatum, et specificativum alicujus virtutis affectivæ supernaturalis ; continet enim amabilitatem aptam terminare prædictam attingentiam : at non alterius, nisi charitatis, quia spes non respicit Deum, ut est in seipso summum bonum, et ultimus finis simpliciter ; sed quatenus est bonum proprium appetentis : nec superest alia virtus, a qua possit eo modo attingi : charitas igitur habet pro objecto formali adæquato summum bonum, quod est Deus. Videantur dicenda dubio sequenti, ubi hæc conclusio amplius illustrabitur.

Occurritur objectioni. 2. Nec refert, si adversus rationem probativam illius objicias, quod etiam aliæ virtutes naturales, ut pietas, observantia, amicitia, diligunt creaturas propter Deum, et in ordine ad illum ; quem tamen non ob id respiciunt sicut proprium objectum formale adæquatum. Non, inquam, hoc refert. Tum quia ut docet D. Thom. *quæstione unica de charitate, art.* 5 *ad* 2, charitas in dilectione creaturarum habet Deum, ut formalem rationem objecti, et non solum ut ultimum finem, quia fertur in illas, in quantum sunt aliquid Dei ; reliquæ autem virtutes solum possunt amare creaturas propter Deum sicut propter ultimum finem: cum autem in diffinitione charitatis dicitur, quod diligit creaturas propter Deum, ly *propter*, denotat habitudinem causæ formalis. Tum etiam, quia ipsemet respectus ad Deum, sicut ad finem simpliciter ultimum, non convenit aliis virtutibus ex se, sed ex participatione, et formatione charitatis, respectu cujus in idem coincidunt ratio formalis objectiva, a qua speciem desumit, et ratio ultimi finis. D. Tho.

Alia conclusio. 3. Dicendum est secundo, objectum materiale, et secundarium charitatis esse ens creatum ordinabile in Deum, ac proinde omnes creaturas secundum totum id, quod exprimunt entitatis, et perfectionis pertinere ad objectum materiale hujus virtutis. Hæc assertio est æque communis ac præcedens, quam docet D. Thom. locis pro ea citatis. Ex quibus suadetur breviter : nam objectum secundarium virtutis est illud, quod ipsa attingit actu, vel potentia propter suum objectum formale, et in ordine ad illud : sed quidquid perfectionis, et entitatis est in creaturis, potest attingi a charitate in ordine ad suum objectum formale, quod est Deus : ergo objectum secundarium charitatis complectitur omnia entia creata, secundum id quod exprimunt entitatis, et perfectionis. Major et consequentia liquent. Minor vero etiam est perspicua, quia illud potest attingere charitas in ordine ad Deum, quod est ordinabile ad ipsum ; constat autem omnem entitatem, et perfectionem creatam esse ordinabilem in Deum sicut in finem ultimum, et principium tam exemplare, quam effectivum : ergo, etc. D. Tho. Fundamentum.

Fulcitur. Confirmatur ; nam cum charitas sit amicitia stricte dicta erga Deum, ad omnia illa diligenda potest secundario se extendere, quæ habent aliquam conjunctionem cum ipso Deo, ad illumque aliqua ratione pertinent ; quippe humana amicitia, quæ habetur per se primo ad aliquam personam, extenditur secundario ad diligenda alia, quæ attinent ad illam, ut filios, servos, etc.

Sed

Sed omnes creaturæ pertinent ad Deum, ut effectius illius, et sub hac ratione cum illo conjunguntur : ergo omnes illæ possunt diligi a charitate propter Deum, adeoque sicut objectum materiale, et secundarium.

Confirmatur secundo, quia illud est objectum materiale charitatis, in quo invenitur participative, et independenter a Deo ratio illius *sub qua ;* hinc enim desumitur mensura extensionis illius : sed ratio formalis *sub qua* charitatis invenitur participative in omni creatura : igitur omnis entitas creata continetur sub objecto materiali hujus virtutis. Suadetur minor, quia ratio formalis *sub qua* charitatis est divina bonitas, quam manifestum est inveniri participative, et independenter a Deo in omni creatura. Sed hæc etiam majorem lucem accipient ex dicendis dubiis sequentibus.

In præsenti solum venit observandum, quod licet hæc conclusio sit indubitata, communiter tamen non numerantur, nisi quatuor diligenda ex charitate, nempe Deus, proximus, nos ipsi, et proprium corpus. Cujus rationem tradit D. Thom. infra, *quæst.* 27, *art.* 12, et in eo consistit, quod licet charitas sub generali ratione amoris extendat se ad omnes creaturas, ut tamen est amicitia fundata super communicatione æternæ beatitudinis, ea solum respicit, et attingit, quæ in hoc bono communicant, aut communicare possunt, quæ sunt prædicta quatuor. Deus quidem, ut prædictæ beatitudinis causa, et principium, qui proinde primo loco, et super omnia amari debet ; nos vero ut ejusdem beatitudinis directe participes ; corpus autem ut participans illam per redundantiam ex gloria animæ ; proximi denique tanquam socii nobiscum prædictæ beatitudinis. Proximi vero dicuntur tam homines quam Angeli, tam inimici, quam amici ; tam justi, quam peccatores, quatenus isti converti possunt : solumque excluduntur dæmones, et damnati ; quia jam non sunt capaces beatitudinis, et supernaturalium donorum, de quo in hac disputatione sermo ex professo redibit.

§ II.

Objectiones in contrarium diluuntur.

4. Contra primam conclusionem potest objici, idem esse objectum formale habitus, ac actuum illius : sed aliqui actus charitatis habent pro objecto formali creaturam ; dilectio enim proximi respicit illum sicut objectum formale *quod*, cum ei concupiscat propter ipsum : ergo et ipse habitus charitatis.

Respondetur idem esse objectum formale quod alicujus habitus, ac actus primarii illius, non vero secundarii ejusdem ; dilectio autem proximi non est actus primarius, sed secundarius in charitate. Unde esto respiciat ut objectum formale *quod* ipsum proximum, quod infra examinabitur, non debet id competere habitui charitatis, sed poterit Deum sicut objectum formale adæquatum habere : quemadmodum non obstante, quod objectum formale electionis sint media, objectum tamen formale quod adæquatum voluntatis est bonum coincidens cum fine.

5. Contra secundam vero conclusionem (omisso communi argumento desumpto ex paritate honoris latriæ Deo debiti, qui non se extendit ad creaturas, sed sistit in ipso Deo, eo quod hæc difficultas versanda sit ex professo *dub.* 4), objicies primo, quod de charitate quantum ad illius extensionem eodem modo philosophari debemus, ac de spe ; nam spes generat charitatem, ut dicit Glossa *Matth.* 1 ; atqui spes ita attingit Deum, quod non extenditur ad creaturas ; qui enim confidunt in creaturis, reprehenduntur Jerem. 17, illis verbis : *Maledictus homo, qui confidit in homine :* ergo charitas ita diligit Deum, quod non extendit se ad creaturas.

Huic objectioni occurrit D. Thom. infra, *quæst.* 25. *artic.* 1 *ad* 3, his verbis : « Ad « tertium dicendum, quod vituperantur qui « sperant in homine, sicut in principali au- « thore salutis, non autem qui sperant in « homine sicut in adjuvante ministerialiter « sub Deo. Et similiter reprehensibile esset, « si quis proximum diligeret, sicut princi- « palem finem, non autem si quis proxi- « mum diligat propter Deum, quod pertinet « ad charitatem. »

Secundo objicies : nam amor charitatis fundatur in communione æternæ beatitudinis : ergo ad illa præcise extendi valet, quæ possunt nobiscum communicare in illius bono ; nam quia amicitia naturalis fundatur in communicatione sanguinis, ad illos præcise extenditur, qui sanguinis nexu conjunguntur : sed accidentia, et creaturæ irrationales non possunt communicare nobiscum in æterna beatitudine : ergo nec ex charitate amari.

Diluitur. D. Tho. Respondetur ex D. Thom. *quæst.* 25, *sæpe citata, art.* 3, quod per charitatem, et quamlibet amicitiam potest aliquid amari dupliciter : uno modo sicut amicus, sive objectum cui bonum appetimus : alio modo ut bonum, seu objectum, quod amico concupiscimus. Id ergo, quod priori modo amatur per charitatem, debet communicare cum amante in bona æternæ beatitudinis, quia charitas respectu prædicti objecti *cui* est amor amicitiæ, quæ fundatur in communione vitæ, et petit redamationem in amato. Quod vero secundo modo ab ea attingitur, opus non est, quod natum non sit participare prædictam beatitudinem, sed sufficit quod habeat aliquam conjunctionem cum Deo, possitque ordinari ad ejus gloriam, ut possunt creaturæ irrationales, et omnia accidentia, de quibus proinde ambigendum non est, quod valeant ex charitate diligi ; quamvis charitas respectu illorum non habeat rationem amicitiæ, sed concupiscentiæ.

Tertia objectio. 6. Tertio objicies : quia peccatores, præsertim obstinati in malo, quales sunt dæmones, et homines ad tartara detrusi, diligendi non sunt ex charitate : sed peccatores etiam obstinati in malo sunt creaturæ Dei : igitur charitas non extenditur ad amandas omnes creaturas. Suadetur major, quia peccatores obstinati in malo sunt inimici Dei : eo ipso autem, quod charitas diligat Deum, non debet amare illius inimicos, sed illos potius aversari, et odio prosequi, juxta illud Davidis Psalm. 118 : *Iniquos odio habui.*

Psalm. 118.

Dissolvitur. Respondetur ex Doctore Angelico *quæstiunc. præfata, art.* 6 *et* 11, quod in peccatoribus duo possumus considerare, scilicet naturam rationalem, secundum quam sunt effectus Dei, capacesque æternæ beatitudinis, super cujus communicatione fundatur charitas ; et culpam, qua Deo contrariantur, et a consequutione beatitudinis impediuntur. Peccatores igitur primo modo considerari possunt, debentque ex charitate diligi, vel ut amici, vel saltem ut bonum, quod persistere cupimus ad Dei gloriam, et honorem, quo pacto se habet charitas erga damnatos. Posteriori vero modo sumpti, nempe secundum culpam, non debent ex charitate amari, sed detestari potius, et odio prosequi quicumque peccatores, etiam pater, et mater, et propinqui, ut habetur Luc. 14. *Lucæ* 14, quia peccatores debemus odio habere, quod peccatores sint ; et amare, quod sint effectus Dei : hoc enim est illos vere ex charitate diligere propter Deum. Nec oppositum colligitur ex facto Davidis, quia Propheta (inquit D. Thom.) iniquos odio habuit in quantum iniqui sunt, habens odio iniquitatem ipsorum, quod est ipsorum malum, et hoc est perfectum odium, de quo ipse dicit : *Perfecto odio oderam illos.* Ejusdem autem rationis est habere odio malum alicujus, et diligere bonum ejus. Unde etiam illud odium ad charitatem pertinet. D. Tho.

Quod si ex his inferas, objectum secundarium charitatis non solum comprehendere quidquid perfectionis est in creaturis, ut in assertione diximus ; sed etiam illarum defectus, et peccata, quæ detestatur, et odio habet ? Respondetur, quod in assertione loquuti sumus de charitate, ut dicit formaliter vim affectivam ; non vero secundum quod dicere potest ex consequenti actus odii, et fugæ circa malum.

Vel dicendum, objectum secundarium charitatis esse in duplici differentia. Aliud per se, in quo nimirum invenitur, et splendet ratio *sub qua* illius, quæ est divina bonitas. Aliud vero per accidens, in quo non apparet prædicta ratio *sub qua*, neque est aliquid objecti formalis *quod*, scilicet Dei, sed illi potius contrariatur ; cujusmodi est peccatum, et error. Objectum igitur secundarium, et per se charitatis solum complectitur quidquid perfectionis est in creaturis, ut autem præscindit ab objecto secundario, tam per se, quam per accidens, etiam includit peccatum, quod aversatur, et destruere intendit ipsa charitas. Assertio autem a nobis statuta procedit de objecto secundario, et per se hujus virtutis.

Quarta objectio. 7. Quarto objicies : nam habitus principiorum non attingit conclusiones in seipsis, sed ad id opus est alia virtute intellectuali, quæ est scientia : sed amor proximi comparatur ad amorem Dei, sicut conclusio ad sua principia : ergo virtus charitatis, per quam diligimus Deum, non attingit creaturas, sed ad illarum dilectionem necessaria est alia virtus affectiva.

Enervatur. Respondetur, quod in nobis, in quibus lumen intellectus est valde limitatum, et imperfectum, habitus principiorum non identificat sibi rationem scientiæ, sed ab illa distinguitur : cæterum in Deo, et Angelis, in quibus lux intellectualis magis perfecta est, et illimitata, idem habitus est eminenter formaliter scientia, et intelligentia. Unde cum charitas sit virtus ordinis superioris,

superioris, et valde eminens, poterit optime elicere amorem Dei, et proximi, esto hujusmodi affectus distinguantur specifice, et comparentur inter se sicut conclusio et principium : de quo infra agendum erit. Plures aliæ objectiones adduci possent contra hanc conclusionem, quas tamen consulto omittimus. Tum quia omnes illas
D. Tho. proponit et dissolvit D. Thom. *quæst.* 25 *per duodecim articulos.* Tum etiam, quia ex dicendis *dub.* 3 *et* 4 hujus disputationis, solutionis lucem accipient.

DUBIUM II.

Quænam sit ratio formalis sub qua charitatis theologicæ ?

Cum ratio formalis *sub qua* cujuscumque habitus pluribus obnoxia sit difficultatibus,
N.Comp. ut animadvertunt N. Complut. in Logica, *disp.* 19. *dub.* 4, id potissimum contingit in statuenda ratione formali *sub qua* virtutis charitatis ; quamlibet enim quis viam arripiat ex pluribus, quæ sese offerunt, tot contra illum consurgunt argumenta, ut mirum fuerit, si omnibus illis perfecte satisfaciat, servatis servandis tam ex principiis Metaphysicæ, quam ex doctrina SS. Patrum. Cæterum quia nostri muneris est eis rebus, quæ obscuriores sunt, lucem accersere, in eoque præcipue operam navare, idcirco non subit animum difficultatem prædictam, quasi oneri succumbentes, refugere, sed illam potius majori cum studio pertractare. Ut autem clarior sit processus opus est priusquam ad decisionem quæstionis accedamus, nonnulla præmittere, quæ dicendis viam expediant, et unde orta sit hujus difficultas, patefaciant.

§ I.

Præmittuntur quædam ad dubii decisionem.

Præsupponenda in hoc dubio.

8. Circa materiam igitur præsentis quæstionis convenit unanimiter inter Authores, rationem formalem *sub qua* charitatis esse bonitatem divinam. Nam cum objectum voluntatis, et cujuslibet virtutis affectivæ sit bonum sub ratione boni, ut docent universi Metaphysici ; charitas autem virtus sit virtus affectiva erga Deum, sicut circa proprium objectum formale adæquatum, necesse est, quod illius ratio formalis *sub qua* sit bonitas, non qualiscumque, sed divina. Cæterum quia divina bonitas multifariam considerari potest, inde oritur difficultas determinandi ultimo rationem formalem *sub qua* specificativam prædictæ virtutis.

Pro quo sciendum est, quod bonitas divina potest sumi dupliciter : primo pro bonitate divina sic, secundum quod abstrahit analogice a bonitate quæ est divina per essentiam, et per participationem, qualis est gratia sanctificans. Secundo determinate pro bonitate increata, sive per essentiam divina. Quæ iterum potest usurpari, vel prout est nobis conveniens, et constitutiva Dei in esse boni nostri a nobis possessibilis; vel prout est conveniens ipsi Deo, illumque infinite bonum sibi, et in seipso constituens.

Cæterum bonitas, qua Deus est infinite bonus in seipso, adhuc potest considerari quadrupliciter. Primo pro bonitate divina, secundum quod est communis essentiæ, et attributis, et per illorum differentias transcendens. Secundo pro bonitate divinæ essentiæ, quatenus virtualiter distinctæ ab attributis. Tertio pro bonitate speciali unius attributi, secundum quod ab aliis, et essentia divina condistinguitur. Quarto et ultimo pro bonitate, quæ ex divina essentia et attributis coalescit, omnesque illorum perfectiones quasi partes integrantes includit. Secundum hos igitur diversos modos, quibus considerari potest divina bonitas, sunt diversæ opiniones circa constitutionem rationis *sub qua* charitatis ; inter quas, ut quæ veritatem et mentem Ang. Doctoris continent, adstruamus.

9. Supponendum est prius, quod ratio Nota 1.
formalis *sub qua* charitatis non potest esse bonitas divina communis analogice creatæ, et increatæ, sive illis in quantum una est divina essentialiter, et altera participative. Tum quia ut dubio præcedenti vidimus, objectum formale *quod* adæquatum charitatis est Deus, cujus oppositum dicendum foret, si ratio formalis *sub qua* illius esset bonitas divina analogice communis creatæ, et increatæ. Nam quia ratio formalis *sub qua* Metaphysicæ est conceptus entis analogice communis Deo, et creaturis, idcirco non solum ipse Deus ; sed etiam creaturæ spectant ad objectum formale *quod* illius. Tum etiam, quia virtus charitatis est participatio formalis dilectionis, qua Deus seipsum diligit : sed ratio formalis *sub qua* hujus dilectionis non est bonitas divina ut sic, sed

illa quæ est per essentiam divina : ergo nec charitatis. Patet consequentia ; nam impossibile est, ut ratio formalis *sub qua* habitus, vel actus formati, et ideati ex alio sit magis universalis, et illimitata, quam ratio *sub qua* illius, a quo exemplatur ; alias excederet quoad modum suum prototypum, quod est impossibile. Unde cum ratio formalis *sub qua* charitatis increatæ non sit bonitas divina, secundum quod præscindit analogice a Deo et creaturis, omnino repugnat, quod idem habeat respectu charitatis creatæ existentis in justis. Quæ autem opitulari videntur huic sententiæ, infra illius Authores referentes adducemus.

Nota 2. 10. Secundo etiam supponendum est, quod ratio formalis sub qua charitatis non est bonitas divina, quatenus constitutiva Dei in esse boni proprii creaturæ ab illa consequibilis, sed quatenus conveniens ipsi Deo, et perfectiva illius in seipso, licet connotet communicationem passivam sui in creatura. Fundamentum est, quia charitas est per se primo, et essentialiter amicitia creaturæ ad Deum. Amicitia autem non fertur in amatum, quia bonus et utilis amanti, sed quia bonus et amabilis in *seipso*, ly *quia* dicente rationem formalem *sub qua* motivam amoris; alias nihilo differret amicitia ab amore concupiscentiæ, quæ diligit amatum, non propter ipsum, sed quia est utilis, vel delectabilis amanti, ut supra diximus.

Accedit quod amor, qui per se supponitur ad spem, tendit in Deum quatenus bonum nostrum, ob idque non est amicitiæ, sed concupiscentiæ : ergo cum charitas diligat Deum ex amicitia, non terminabitur ad illum sub ratione boni proprii creaturæ, sed quia est bonus absolute in seipso.

D. Bern. Quæ est doctrina D. Bernard *epist.* 11, his verbis : « Est qui confitetur Domino, « quoniam prodest ; et est qui confitetur, « quoniam sibi bonus est ; et item qui con- « fitetur, quoniam simpliciter bonum est. « Primus servus est, et timet sibi : secundus « mercenarius est, et cupit sibi : tertius fi- « lius est, et defert Patri : sola quæ in filio « est charitas, non quærit quæ sua sunt. »

D. Aug. Idem tradit D. August. *in Psalm.* 77, *et cap.* 3, *in epist. ad Galat.* et alibi sæpe.

Occurritur objectioni. Trident. Nec refert si in contrarium objicias Concilium Trident. *sess.* 6, *cap.* 6, inter actus, quibus homo disponitur ad justificationem, numerare actum charitatis, quo incipimus diligere Deum, ut fontem nostræ justitiæ, qui actus attingit Deum sub ratione boni proprii creaturæ.

Respondetur enim cum Bellarmino *lib.* 2, *de Pœnitentia, cap.* 14, Vega *lib.* 6, *in Trid. cap.* 28, Vasquez 1, 2, *disp.* 203, *cap.* 2, et aliis pluribus, prædictum actum dilectionis non esse charitatis, sed alterius principii. Nam priusquam homo speret a Deo peccatorum veniam, qui est actus proprius hujus virtutis, incipit eum diligere per amorem concupiscentiæ, ut bonum sibi conveniens, juxta ea quæ diximus *tract. præced. disp.* 1, *n.* 40. Et de hoc amore loquitur Concilium, ut satis aperte colligitur ex textu. Bellarm. Vega. Vasq.

Quibus adde, quod charitas, ut *dub.* 2 præcedentis disputationis vidimus, potest secundario ferri in Deum per concupiscentiæ amorem. Unde licet ratio formalis sub qua illius sit bonitas divina absolute accepta, poterit aliquis ejus actus secundarius speciem capere a prædicta bonitate, quatenus propria creaturæ, sicut non obstante quod ratio formalis sub qua specificativa voluntatis sit bonitas finis, aliquis illius actus secundarius, videlicet electio, capit immediate speciem a bonitate utili, quæ non est propria finis, sed mediorum, ut diximus *in tract. de ultimo fine, disp.* 1, *dub.* 4.

Alteri objectioni satisfit. D. Tho. Nec etiam refert si secundo objicias, quod D. Thom. pluribus in locis expresse asserit objectum formale charitatis esse Deum, quatenus est causa, et objectum æternæ beatitudinis, quo pacto exprimit rationem boni nostri.

Respondetur enim mentem Angel. Præceptoris non esse, quod charitas feratur in Deum, quatenus est causa nostræ beatitudinis, ly *quatenus* dicente rationem formalem sub qua motivam hujus dilectionis, ut omnes Interpretes contra Scotum, et Gabrielem in eo sensu usurpantes D. Thomam exponunt, et constat ex ipso Ang. Magistro pluribus in locis, præsertim *quæst. unica de charitate, art.* 2, *in corpore*, ubi postquam docuit objectum charitatis, per quam efficimur cives Sanctorum, esse Deum prout est causa, et terminus æternæ beatitudinis, hæc subdit : « Amare autem bonum alicu- D. Tho. « jus civitatis contingit dupliciter. Uno « modo, ut habeatur. Alio modo, ut conser- « vetur. Amare autem bonum alicujus ci- « vitatis ut habeatur, et possideatur, non « facit bonum politicum, quia sic etiam « aliquis tyrannus amat bonum alicujus « civitatis, ut ei dominetur, quod est amare « seipsum magis quam civitatem, sibi enim

« enim ipsi bonum concupiscit : sed amare « bonum civitatis ut conservetur, et defen- « datur, hoc est vere amare civitatem, « quod bonum politicum facit. Sic igitur « amare bonum, quod a beatis participatur, « ut habeatur, et possideatur, non facit ho- « minem bene se habentem ad beatitudi- « nem, quia etiam mali illud bonum con- « cupiscunt ; sed amare illud bonum se- « cundum se, ut permaneat, et diffundatur, « et ut nihil contra ipsum agatur, hoc fa- « cit hominem bene se habentem ad illam « societatem beatorum, et hæc est charitas, « quæ Deum propter se diligit, etc. »

Idem docet *in hac quæst.* 23, *art.* 6, ubi ex eo distinguit spem a charitate, quod per spem amamus Deum nobis, per charitatem vero diligimus illum propter seipsum ; sic enim habet : « Fides autem, et spes attin- « gunt quidem Deum secundum quod ex « ipso provenit nobis vel cognitio veri, « vel adeptio boni : sed charitas attingit « ipsum Deum ut in illo sistat, non ut ex « eo aliquid nobis proveniat. » Ex quo etiam principio distinguit has virtutes supra *quæst.* 17, *art.* 6 *et* 8. Cum ergo proprium charitatis sit diligere Deum propter se, non vero ut possidendum ; idque præcipue curet, ut illius bonitas diffundatur, et nihil contra illam fiat, ut locis modo adductis tradit D. Thomas ; manifestum est, quod dum in eis, aut alibi asserit objectum formale charitatis esse Deum, prout est objectum, et causa beatitudinis, ly *prout* non reduplicat in ejus sententia rationem formalem sub qua prædictæ virtutis, ut male interpretatur Scotus. Alias enim jam charitas amaret bonum divinum ut habendum, et possidendum, qualiter illud amant peccatores, non vero secundum se, ut locis modo citatis tradit S. Doctor. Scotus.

Nota 3. 11. Tertio etiam supponendum est, quod ratio formalis sub qua specificativa charitatis nequit esse bonitas increata Dei secundum omnes, et singulos illos quatuor modos, quibus ut *n.* 8 diximus in seipsa considerari potest, et ad quos devolvitur præsens difficultas, sed secundum unum tantum ex illis. Nam cum inter illos bonitatis divinæ modos detur distinctio virtualis, hæcque sufficiat in ratione formali *sub qua*, ad distinguendos specie reali habitus, et virtutes ; non posset charitas esse una in specie atoma, si terminaretur ad Deum secundum omnes, et singulos illos quatuor bonitatis modos. Unde cum charitas sit unica virtus specifice, ut docet D. Thom. *art.* 5 *hujus quæstionis*, necesse est quod ratio formalis *sub qua* illius sit bonitas divina sumpta præcise secundum unum ex quatuor prædictis modis, quem ut determinemus. D. Tho.

12. Supponendum est ultimo ex D. Thom. *quæst.* 21, *de veritate*, *art.* 1 *et* 2, quod ratio formalis boni consistit in entitate perfectiva alterius per modum finis. Nam bonum est, quod omnia appetunt sicut finem, ob idque dicit Philosophus 1 Ethic. quod omnes recte definientes bonum, ponunt finem in definitione illius. Res autem assequuntur rationem finis per suum esse existentiæ, quia ut liquet ex se, et docet Boetius 3, *de consolatione*, esse est quod omnia appetunt, cum non habent, et in quo habito, et possesso quiescunt : sicut materia prima, quæ habet esse per formam, hanc dicit habitudinem, ut quando non habet ipsam, tendat in eam ; et quando habet, quiescat in ea ut tradit D. Thom. 1 *part. quæst.* 19, *art.* 1, quæ sunt propria officia finium. Unde bonitas cujuslibet rei attenditur principaliter ex ejus existentia; quæ enim ab illa omnino præscindunt, etsi possint dici entia, non tamen bona, ut patet in dimensionibus mathematicis, et creaturis possibilibus. Nota 4. D. Tho. Aristot. Boetius. D. Tho.

13. Cæterum cum esse sit duplex, aliud substantiale, aliud vero accidentale, ad hoc ut aliqua res sit absolute, et simpliciter bona, utrumque habere debet. Et ratio est perspicua ; nam bonum coincidit reipsa cum perfecto : non enim aliter posset esse perfectivum alterius, aut appetibile per modum finis, in quo consistit ratio boni ; quia unumquodque est appetibile secundum quod est perfectum, cum omnia appetant suam perfectionem. Constat autem perfectum importare quandam integritatem omnium, quæ sunt debita subjecto, sive substantialia sint, sive accidentalia. Perfectum enim est, cui nihil deficit ; quippe si aliquod ex debitis ei deficiat, eo ipso non erit perfectum, et integrum, sed mutilum potius, et imperfectum. Unde ad hoc ut aliqua res sit simpliciter, et absolute bona, includere, et habere debet omnem formam, et existentiam sibi debitam, sive accidentalis sit, sive subtsantialis, quia bonum, ut dicitur 5 *Metaph. cap.* 16, est extra quod nihil est accipere, in quo consistit ratio perfecti. 5. Metaph.

Atque hinc fit maximum esse discrimen

inter ens, et bonum. Nam ut aliqua res dicatur simpliciter ens, sufficit quod habeat esse substantiale ; ad hoc vero ut sit simpliciter bona, necesse est quod ulterius includat esse accidentale, et nihil ex naturaliter debitis ei deficiat, ut expresse tradit
D. Tho. D. Thom. 1 *p. quæst.* 5, *art.* 1 *ad* 2, his verbis : « Cum ens dicat aliquid proprie « esse in actu, actus autem ordinem ha« beat ad potentiam, secundum hoc simpli« citer aliquid dicitur ens, secundum quod « primo discernitur ab eo, quod est in po« tentia tantum : hoc autem est esse subs« tantiale rei uniuscujusque. Unde per « suum esse substantiale dicitur unum« quodque ens simpliciter. Per actus autem « superadditos dicitur aliquid esse secun« dum quid : sicut esse album significat « esse secundum quid, non enim album « aufert esse in potentia simpliciter, cum « adveniat rei jam præexistenti in actu. « Sed bonum dicit rationem perfecti, quod « est appetibile, et per consequens dicit « rationem ultimi. Unde id, quod est ulti« mo perfectum, dicitur bonum simplici« ter ; quod autem non habet ultimam « perfectionem, quam debet habere, quam« vis habeat aliquam perfectionem, in « quantum est actu, non tamen dicitur « perfectum, aut bonum simpliciter, sed « secundum quid. Sic ergo secundum pri« mum esse quod est substantiale, dicitur « aliquod ens simpliciter, et bonum secun« dum quid. Secundum vero ultimum actum « dicitur aliquid ens secundum quid, et « bonum simpliciter. » Idem tradit *quæst.* 21, *de veritate, art.* 5, ex quo et aliis nuper præsuppositis non erit ita difficile veritatem hujus quæstionis determinare. Unde sit

§ II.

Communis sententia duplici ratione fulcitur,

Conclusio. 14. Dicendum ergo est, rationem formalem sub qua motivam, et specificativam charitatis esse bonitatem divinam, quæ ex Dei essentia, et attributis coalescit, omnesque et singulas illorum formalitates includit. Hæc assertio est germana, et legitima
D. Tho. mens D. Thomæ, tum *in hac* 2, 2, *quæst.* 23, *art.* 5. *et quæst.* 25, *sequenti, art.* 1, *et quæst. unica de charitate, artic.* 8 *ad* 1. Tum etiam in omnibus illis locis, in quibus asserit charitatem ferri in Deum, quatenus est objectum æternæ beatitudinis, quæ infra adducemus. Ang. Doctorem sequuntur Cajet. Bannez, Malderus et Arauxo *in hac* 2, 2, *quæst.* 25, *art.* 4, Joannes a S. Thoma *disp.* 14, *art.* 3, Suarez *disp.* 1, *de charitate, sect.* 2, Lorca *sect.* 6, *disp.* 5, Gaspar Hurtado *disp.* 3, *difficult.* 1. Idem etiam docent D. Bonaventura *in* 3, *quæst.* 2, *art.* 2, Richardus *ibidem, art.* 6, *quæst.* 1, Scotus *in* 3, *distinct.* 27, *quæst. unica,* § 2, Gabriel, et Almainus *ibidem, dub.* 3, et alii.

Cajet. Bannez. Mald. Arauxo. Joan. à Sancto Thoma. Suar. Lorca. Hurtado D. Bon. Richard. Scot. Gabriel. et Almaynus.

Probatur autem hæc sententia fundamento D. Thomæ ; nam ratio formalis *sub qua* motiva, et specificativa charitatis est summa bonitas : ergo et bonitas divina, quæ ex Dei essentia, et attributis coalescit, seu resultat. Antecedens est omnino indubitatum. Tum quia est expressum D. Thomæ *quæst. unica de charitate, art.* 5 *ad* 4, *et art.* 8, *in corpore, et art.* 10, *et art.* 12, *ad* 16, et pluribus aliis in locis, in quibus asserit summum bonum esse objectum formale charitatis. Constat namque summum bonum constitui in esse talis per summam bonitatem. Tum etiam, quia ut sæpe tradit idem Angel. Doctor, objectum formale charitatis est Deus sub ratione ultimi finis ; quæ ratio importat pro formali summam bonitatem, quia cum bonum coincidat cum fine, et alias finis sit melior iis, quæ sunt ad illum, necesse est ut finis ultimus sit summum bonum omnium excogitabilium. Tum denique, quia virtus omnium perfectissima, et universalissima in imperando effective aliis, qualis est charitas, habere debet pro ratione formali sub qua bonitatem omnium universalissimam in movendo finaliter, et allicitive ; quia finis, et efficiens mutuo sibi correspondent : a suoque objecto habet aliqua virtus, quod sit magis, vel minus universalis in imperando aliis : sed ratio omnium universalissima in alliciendo, et finalizando est summa bonitas, quia bonum quo majus, eo potest plura ad se attrahere, et movere : hæc igitur est ratio formalis sub qua charitatis. Consequentia vero suadetur, quia summa bonitas est illa, qua non potest excogitari alia major : constat autem solam bonitatem divinam, quæ integratur ex essentia Dei, et illius attributis, esse ita excellentem, ut non possit excogitari alia major ; nam bonitas essentiæ divinæ prout præcisæ, et distinctæ ab attributis, vel attributorum, quatenus distinguuntur ab essentia, non adæquat illam

Fundamentum. D. Tho.

illam bonitatem, quæ includit quidquid perfectionis invenitur tam in essentia, quam in attributis; sed est inferior illa, ut de se videtur perspicuum.

Evasio. 15. Huic rationi responderi potest ex doctrina cujusdam recentioris, concesso antecedenti, negando consequentiam; quia in essentia divina quatenus virtualiter distincta ab attributis, etiam invenitur summa bonitas, quoniam prædicta essentia continet formaliter perfectionem quidditativam Dei, et virtualiter, sive per modum radicis, quidquid excellentiæ, et bonitatis est in attributis; quod sufficit ad constitutionem summæ bonitatis, et consequenter ad hoc, ut divina essentia, quatenus præcisa ab attributis, possit esse ratio formalis sub qua charitatis Theologicæ.

Præclu-ditur. Sed hæc evasio nullius momenti est, potestque facile impugnari. Primo, quia non intellectis in Deo attributis, non intelligimus illum summe perfectum : ergo nec summe bonum : igitur bonitas essentiæ divinæ solitarie acceptæ ab attributis, non est summa omnium possibilium, sed infra summam. Utraque consequentia est perspicua, quia bonum coincidit cum perfecto, ut § præcedenti vidimus. Antecedens vero suadetur, quia ex eo præcise, quod Deus non esset formaliter misericors, sapiens, omnipotens, etc. non esset summe perfectus, quippe eo ipso deficeret ei multiplex perfectio, quam natus est habere, scilicet attributorum : ergo non intellectis in Deo prædictis attributis, nequit intelligi summe perfectus, quia non concipitur in ipso omnis perfectio possibilis.

Deinde impugnatur eadem solutio; nam bonitas summa est illa, qua non potest excogitari alia major : sed bonitas, quæ ex perfectione essentiali, et attributali coalescit, est major illa, quam dicit essentia præcisa ab attributis; continet enim quidquid bonitatis est in prædicta essentia, et insuper attributa, quæ etiam ex suo conceptu formali dicunt perfectionem, ut supponimus : ergo essentia Dei, quatenus præcisa ab attributis, non intelligitur esse summa bonitas, sed infra summam.

Præterea, bonitas summa est illa, cui nulla potest fieri perfectionis, sive bonitatis additio : sed essentiæ divinæ sumptæ metaphysice, et solitarie ab attributis, fit per ipsa attributa perfectionis, et bonitatis additio, illius scilicet, quam ex suo formali conceptu dicunt attributa : ergo essentia Dei, quatenus præcisa ab attributis, non est summa bonitas, sed prout conjuncta, et identificata cum illis.

16. Dices : per attributa fieri virtualem additionem divinæ essentiæ in ratione entis, non vero in ratione perfectionis, et bonitatis, quia perfectio attributorum continetur eminenter in essentia, ut jam diximus. Effugium.

Sed contra, quia attributa ex suo formali conceptu dicunt perfectionem virtualiter distinctam ab essentia, alias esset quæstio de re non supponente, eodemque modo philosophandum esset de illis, ac de relationibus : ergo addunt essentiæ divinæ non solum in ratione entis, sed etiam in esse perfectionis, et bonitatis. Patet consequentia, tum ex antecedenti, tum etiam, quia ideo attributa formaliter sumpta addunt essentiæ divinæ in ratione entis, quia ex suo proprio, et differentiali conceptu dicunt entitatem : sed etiam ex eodem formali conceptu dicunt perfectionem, et bonitatem, ut supponimus : ergo sicut addunt essentiæ divinæ in ratione entis, ita in ratione bonitatis. Confutatur.

Confirmatur primo, et simul explodituri fundamentum utriusque evasionis; nam relationes continentur eminenter in essentia communi tribus personis, non minus quam attributa, et tamen si ex suo differentiali conceptu dicerent perfectionem, adderent illi aliquid bonitatis : ergo virtualis continentia attributorum in prædicta essentia non obest, quominus addant illi perfectionem, et bonitatem, quam important ex suo conceptu formali. Probatur minor tum a paritate; nam quia relationes ex suo formali, et differentiali conceptu important entitatem, addunt essentiæ divinæ in ratione entis : ergo si ex eodem conceptu dicunt perfectionem, adderent illi in ratione perfectionis. Neque enim minus continetur in prædicta essentia relationum entitas, quam includeretur bonitas et perfectio. Tum etiam, quia si divinæ relationes dicerent ex suo formali conceptu perfectionem, aliquid bonitatis esset realiter in una persona, quod non esset in alia; ideoque inter alias rationes, quibus utuntur Thomistæ ad probandum divinas relationes non dicere perfectionem, hanc etiam assumunt, quæ ab inconvenienti procedit : sed hæc ratio, et illatio nulla esset, nisi per bonitatem, quam ex suo formali conceptu dicerent relationes, fieret aliqualis bonitatis additio divinæ Major confutatio.

essentiæ sumptæ metaphysice ; quia alias cum hæc sit communis tribus personis, quidquid bonitatis esset in una, haberet alia, nullumque discrimen versaretur inter illas in ratione perfectionis, et bonitatis : ergo, etc.

Alia impugnatio. Confirmatur secundo eadem impugnatio ; nam proprietates naturæ humanæ continentur in illa virtualiter, et tamen addunt ei perfectionem, et bonitatem realiter : ergo licet attributa divina includantur virtualiter in essentia Dei, poterunt nihilominus addere illi secundum nostrum modum intelligendi, perfectionem, et bonitatem. Patet consequentia : tum a paritate : tum etiam, quia bonum dicit rationem ultimi ; ultimum autem cujuslibet rei sumitur ab ejus proprietatibus, et operationibus, non quidem prout includuntur in essentia, sed secundum formale esse ipsarum, quatenus ab essentia condistinguitur. Unde quantumvis alias dictæ proprietates includantur in prædicta essentia, semper addent ei bonitatem, et perfectionem.

Diruitur motivum oppositum. Ex quibus constat ad fundamentum, cui innituntur adductæ evasiones ; quantumvis enim Dei essentia metaphysice sumpta contineat eminenter attributa, si tamen non intelligatur identificata cum illis, sed ab eis omnino præscindat ; non potest intelligi summe bona, atque perfecta, ut constat tum ex modo dictis : tum etiam, quia melius est Deo habere attributa formaliter, et virtualiter simul, quam solum eminenter, sive per modum radicis ; alias cum quælibet natura abhorreat superflua, non deberent admitti in Deo attributa distincta virtualiter ab illius essentia.

Expenditur alia ratio. D. Tho. 17. Secundo probatur nostra sententia alia ratione desumpta etiam ex D. Thom. Nam ratio formalis sub qua charitatis est bonitas prima absolute dicta, sive quæ Deum constituit bonum absolute, et simpliciter : ergo non est bonitas essentiæ prout distinctæ ab attributis, nec attributorum, quatenus præscindunt ab essentia ; sed quæ essentiam, et attributa complectitur. Antecedens est omnino certum : consequentia vero suadetur, qua nisi in Deo concipiamus essentiam, et attributa, non possumus intelligere illum bonum absolute, et simpliciter : tum quia hujusmodi bonum importat integritatem omnium, quæ nata sunt convenire formaliter subjecto ; Deo autem nata sunt convenire formaliter essentia, et attributa. Tum etiam, quia si per impossibile auferrentur a Deo attributa, manente essentia, aut e contrario essentia persistentibus attributis ; non maneret in se simpliciter perfectus, quia perfectum est, cui nihil deficit ; deficeret autem Deo maxima perfectio per cujuslibet defectum attributi : ergo non intellectis in Deo essentia, et attributis, non potest intelligi simpliciter, et absolute perfectus : sed bonum coincidit cum perfecto : ergo, etc. Tum denique, quia non conceptis in Deo essentia et attributis, non intelligitur bonitas, cui repugnet perfectionis additio, ut ratione præcedenti vidimus : ergo non concipitur bonitas prima. Patet consequentia, quia ut tradit Divus Thomas *quæstione* 21, *de veritate, artic.* 4 *ad* 9, bonitas prima ex hoc ipso individuatur, et ab aliis dividitur, quod non recipit aliquam additionem. D. Tho.

Objectio. Nec refert si contra hanc rationem objicias, sequi ex illa, Deum non esse simpliciter, et absolute bonum per essentiam, sed tantum secundum quid, cum attributa pertineant ad constitutionem prædictæ bonitatis infinitæ. Cujus oppositum est communis doctrina SS. Patrum, præsertim Boëtii, et Augustini. Boet. August.

Responsio. Respondetur enim negando sequelam, quoniam ad hoc ut Deus dicatur infinite, et summe bonus per essentiam, sufficit quod non habeat bonitatem emendicatam ab alio, sicut a causa finali, et efficienti (quo pacto illam sortiuntur creaturæ, quæ idcirco dicuntur bonæ per participationem), sed a se ; quandoquidem ex vi hujus independentiæ etiam dicitur sapiens, et misericors per essentiam. Tum etiam, et maxime, quod illius essentia identificet realiter formaliter attributa ; nam hac identificatione supposita, quidquid perfectionis, et bonitatis exprimunt ipsa attributa, convenit Deo, realiter loquendo, ut loquuntur SS. Patres, per essentiam. Quæ est expressa doctrina D. Thom. 1 *part. quæstione* 6, *artic.* 3, *in corpore*, ubi postquam distinxit triplicem rei perfectionem ; aliam desumptam ab actu substantiali ; aliam ab accidentibus, et operationibus ; tertiam a consequutione finis, ad quem res ordinatur, sic ait : « Hæc autem triplex perfectio nulli « creato competit secundum suam essen- « tiam, sed soli Deo, cujus solius essentia « est suum esse, et cui non adveniunt ali- » qua accidentia, sed quæ de aliis dicuntur « accidentaliter, sibi conveniunt essentia- « liter, ut esse sapientem, potentem, et hujusmodi. D. Tho.

« jusmodi. Ipse etiam ad nihil aliud ordi-
« natur sicut ad finem, sed est ultimus finis
« omnium rerum. Unde manifestum est,
« quod solus Deus habet omnimodam per-
« fectionem secundum suam essentiam, et
« ideo ipse solus est bonus per essentiam. »
Constat autem D. Thomam non accipere in hoc processu essentiam Dei secundum quod per nostros conceptus præscindit, et distinguitur ab attribuutis, sed quatenus identificatur realiter formaliter cum illis, cum asserat attributa omnipotentiæ, et sapientiæ convenire ipsi Deo essentialiter.

§ III.

Alia ratio pro vera sententia.

Tertia conclusionis ratio. D. Tho.

18. Tertia, et ultima ratio pro nostra assertione desumitur ex D. Thom. 1, *part. quæst.* 62, *artic.* 2 *ad* 1, *et* 1 2, *quæst.* 65, *artic.* 5 *ad* 1, *et quæst.* 103, *art.* 3 *ad* 1, *et quæst.* 109, *art.* 3 *ad* 1, *et in hac quæst.* 23, *art.* 4, *et quæstione unica de charitate, art.* 2 *et* 7. Pro cujus faciliori intelligentia animadvertendum est prius, esse de conceptu essentiali supernaturalis beatitudinis, ut attingat quidquid bonitatis, et perfectionis est in Deo formaliter, ob idque si per possibile, vel impossibile videretur essentia Dei, non visis attributis, talis visio non esset beatitudo; quia hujus essentia sita est in visione omnis boni, juxta illud Exod. 33: *Ego ostendam tibi omne bonum;* in dicta vero hypothesi non videretur Deus, ut est omne bonum; quia non videretur infinita perfectio conveniens illi in ratione attributorum : qua non visa, quæcumque alia videatur, non videtur Deus ut summum, et omne bonum, ut constat ex dictis § præcedenti, et observavimus 1, 2, *quæst.* 3, *artic.* 8.

Exod. 33.

Hoc suppposito formatur sequens ratio pro assertione : nam illa bonitas est ratio formalis sub qua motiva, et specificativa charitatis, quæ est terminus per se æternæ beatitudinis, et per modum objecti reddit homines, et Angelos simpliciter beatos : sed hæc est bonitas divina, quæ includit essentiam Dei, et attributa : hæccine igitur bonitas est ratio formalis sub qua motiva charitatis. Minor, et consequentia liquent ex observatione modo præmissa. Major vero est expressa D. Thomæ locis proxime citatis, et in aliis pluribus, in quibus asserit charitatem tendere in Deum secundum quod est objectum beatificans; non enim est illius mens, charitatem respicere Deum sub ratione veri, quo pacto speciem tribuit visioni beatificæ; nec quatenus est bonum proprium creaturæ ab illa possidendum, uti attingitur per spem; sed omnem illam bonitatem, per quam Deus constituitur in esse objecti beatifici, seu quæ necessario videri debet a beatis, ut sint tales simpliciter, esse rationem formalem *sub qua* motivam, et specificativam charitatis; nec hujusmodi virtutem posse ab alia minori perfectione moveri, aut speciem desumere. Hoc enim est proprie et formaliter tendere in Deum secundum quod est objectum beatificans; quoniam Deus in esse objecti beatificantis constituitur per omnem illam bonitatem, cujus visio, et possessio reddit homines simpliciter beatos, quam constat esse bonitatem, seu pulchritudinem, quæ ex Dei essentia, et attributorum varietate consurgit.

D. Tho.

Confirmatur primo : nam eadem est ratio formalis sub qua motiva charitatis, ac amoris beatifici : sed ratio formalis sub qua motiva hujus amoris est bonitas, quæ complectitur essentiam Dei, et attributa : ergo et prædictæ virtutis. Majorem nullus inficiabitur cum in illo actu eluceat perfectissime essentia charitatis. Minor vero suadetur, quia ab omni illa bonitate movetur beatus ad diligendum Deum, quam in illo videt; namque si aliquam bonitatis rationem in illo conspiceret, a qua non moveretur ad prædictum amorem, esset beati voluntas obsistens bono, ac proinde defectuosa, quod non est dicendum : sed beatus videt quidquid bonitatis, et perfectionis est in Deo formaliter : ergo ab omni hac bonitate movetur ad diligendum Deum. Igitur ratio formalis sub qua amoris beatifici non est essentia Dei, quatenus præscindit ab attributis, nec attributa secundum quod virtualiter distinguuntur ab essentia; sed illa simplex pulchritudo seu formalitas, quæ essentiam et attributa comprehendit.

Confirmatio. prima.

Confirmatur urgentius : nam ratio formalis sub qua motiva charitatis est bonitas divina, prout in se, hoc enim pacto est objectum beatitudinis : sed bonitas divina, prout est in se, dicit essentiæ, et attributorum perfectionem : hæc igitur perfectio est ratio formalis sub qua prædictæ virtutis. Major, et consequentia constant; minor vero etiam est perspicua, quia bonitas divina, prout est in se, non dicit essentiam

Secunda.

tantum, aut attributa, nec ab aliquo ex illis præscindit ; cum hæc præcisio, et limitatio sit opus intellectus ; sed est formalissime essentia, et attributa, ut optime animadvertit Cajet. 1 *part. quæst.* 39, et observavimus *loc. cit. ex* 1, 2 *et tract.* 6, *disp.* 5, *dub.* 3, *n.* 71.

Cajetan.

Adversariorum responsio.

19. Hujus rationis, quatenus nititur authoritate D. Thomæ, multiplex est evasio. Primo enim occurri potest dicendo mentem Angelici Doctoris *locis citatis*, non esse quod bonitas divina, prout est in se, et secundum omnem perfectionem, quam importat in ratione objecti beatifici, sit motivum charitatis ; sed solum hujusmodi virtutem amare, et attingere tanquam terminum primarium, et secundarium sui actus, quidquid perfectionis, et bonitatis est in Deo, quippe idipsum intuetur. Unde cum sola bonitas motiva charitatis sit ratio formalis sub qua specificativa illius, idcirco ex adductis testimoniis non habetur, quod hujusmodi ratio sit bonitas divina, quæ Dei essentiam, et attributa complectitur.

Impugnatur.

Cæterum hæc evasio facili negotio refellitur ; nam D. Thom. utitur illa reduplicativa, *in quantum objectum beatitudinis*, ad exponendam, et manifestandam rationem, quæ constituit objectum formalissimum charitatis, huicque virtuti ex parte ipsius objecti speciem tribuit, et ab aliis affectibus condistinguit, præsertim ab amore naturali, qui circa Deum haberi potest : sed ratio constitutiva objecti formalissimi charitatis, et quæ huic virtuti ex parte ipsius objecti unitatem, et distinctionem specificam impertitur, non est alia, nisi ratio formalis sub qua illius, sive bonitas, a qua per se primo, et directe movetur, ut concedit evasio modo præmissa : de hac igitur bonitate, sive ratione formali sub qua loquitur D. Thom. locis a nobis adductis. Minor, et consequentia constant. Major vero est expressa ex ipsa littera. Nam, ut omittamus alia, in loco citato ex secunda secundæ sic habet : « Respondeo dicendum, « quod actus, et habitus specificantur per « objectum ; proprium autem objectum « amoris est bonum, ut supra habitum est : « et ideo ubi est specialis ratio boni, ibi est « specialis ratio amoris : bonum autem di- « vinum, in quantum est beatitudinis ob- « jectum, habet specialem rationem boni ; « et ideo amor charitatis, qui est amor hu- « jus boni, est specialis amor. Unde et cha- « ritas est specialis virtus. » Ultimo autem loco ex 1, 2, ita loquimur : « Ad primum « dicendum, quod charitas diligit Deum su- « per omnia eminentius, quam natura ; « natura enim diligit Deum super omnia, « prout est principium, et finis naturalis « boni ; charitas autem secundum quod est « objectum beatitudinis. » Constat autem quod illa particula *secundum*, in his locis importat bonitatem, quæ constituit Deum in esse objecti specificativi charitatis.

D. Tho.

Nec minus perpicua sunt verba, quæ adducit in reliquis locis allegatis ; in omnibus enim loquitur de ratione formali, a qua virtus charitatis desumit unitatem, ac distinctionem specificam, quæ non potest esse alia, nisi bonitas, propter quam Deum attingit, ut constat ex dictis, et latius expendimus *tom.* 3, *tract.* 9, *disp.* 6, *dub.* 2, ubi ostendimus ex eo amorem naturalem Dei differre ab amore charitatis, quia hujus ratio *sub qua* est bonitas divina secundum modum essendi, quem habet in seipsa absque limitatione ulla ; illius vero divina bonitas secundum illam perfectionem tantum, quæ resplendet in creaturis ordinis naturalis, et ex illis potest cognosci ; quæ bonitas non est ita illimitata sicut prior.

Confutatur alia evasio.

20. Ex quibus præclusa etiam manet aliorum solutio, qui respondent mentem D. Thomæ esse quod Deus sit objectum charitatis, ut cognitus per notitiam supernaturalem, qualis est beatitudo, aut etiam fides infusa, quæ est participatio illius. Nam ut modo vidimus, D. Thomas utitur illa reduplicativa, *in quantum objectum beatitudinis*, ad exprimendam rationem formalem *sub qua* motivam, et specificativam charitatis : hæc autem non est cognitio, qua Deus amandus proponitur, sed illius immensa bonitas ; quia virtus affectiva, qualis est charitas, non movetur a cognitione, sed a bono per illam repræsentato. Unde sola diversitas cognitionis absque ulla diversitate ex parte bonitatis, ad quam voluntas afficitur, non sufficit ad inducendas diversas specie dilectiones, ut docent N. Complutenses *lib.* 3 *Physicor. disp.* 14, *quæst.* 4.

D. Tho.

N.Comp.

Deinde Deus ut cognitus per lumen supernaturale non dicit objectum formale unius specialissimæ virtutis, etiam admisso gratis objectum variari in esse objecti per præcisum respectum ad diversam cognitionem ; quoniam adhuc prout cognitus, et propositus per notitiam supernaturalem, est indifferens ad terminandum amorem charitatis, spei, et religionis infusæ ; quippe

pe omnes hujusmodi virtutes petunt, quod Deus proponatur voluntati per cognitionem superioris ordinis : sed D. Thom. utitur illa reduplicativa, *in quantum beatificans*, ut manifestet rationem constitutivam Dei in esse objecti formalis unius specialissimæ virtutis, videlicet charitatis, ut ex textu liquet : ergo prædicta particula, *in quantum*, non reduplicat ex illius mente cognitionem regulativam charitatis, sed bonitatem divinam, quæ est ratio formalis *sub qua* hujus virtutis.

Tho.

ud ef-
ium.

21. Tertio, et melius respondent alii verum esse, quod D. Thom. locis citatis manifestare intendit rationem formalem, qua Deus ultimo constituitur in esse objecti specificativi charitatis ; hæc tamen ratio non est divina bonitas absolute sumpta, prout est in se, sed quatenus communicans nobiscum in bono æternæ beatitudinis. Nam cum virtus charitatis sit amicitia creaturæ ad Deum fundata in communicatione supernaturalis beatitudinis, ut supra vidimus, nequit ipse Deus intelligi ultimo constitutus in esse objecti illius, nisi intelligatur communicare, et re ipsa communicet cum creatura in prædicta beatitudine. Quod etiam constare potest paritate desumpta ex aliis amicitiis. Unde prædicta communicatio est, quæ ultimo constituit summum bonum in esse objecti specificativi charitatis. Quod ut explicaret Divus Thom. usus est illa particula, *in quantum objectum beatitudinis*, quæ non reduplicat juxta illius mentem divinam bonitatem beatificativam hominum, et Angelorum ; sed conditionem communicationis modo explicitæ, quæ per modum fundamenti ad amicitiam charitatis prærequiritur.

Tho.

eclu-
tur.

Sed neque hæc solutio vim nostræ rationis evacuat. Nam esto illa particula, *in quantum objectum beatitudinis*, reduplicet ex mente D. Thom. mutuam communicationem Dei, et creaturæ in bono illius ; negari tamen nequit, quod proprie, et potissime reduplicet summam illam bonitatem, quæ per modum objecti homines beatificat. Et ratio est perspicua, quoniam etsi Deus communicet nobiscum in beatitudine supernaturali, hæcque communicatio requiratur per modum conditionis ad fundandam, et conservandam charitatis amicitiam ; non tamen id habet, quatenus formaliter terminus, et objectum nostræ beatitudinis, siquidem non ex eo Deus est beatus, nobiscumque in æterna felicitate communicat, quia exercet munus objecti respectu visionis beatificæ, sed quia seipsum jugiter intuetur : atqui D. Thom. locis supra citatis asserit, objectum specificativum charitatis esse Deum, secundum quod est terminus, et objectum æternæ beatitudinis : ergo illa particula, *in quantum*, non reduplicat ex illius mente communicationem in prædicta beatitudine, sed summam illam bonitatem, quæ Angelos et homines efficit beatos.

D. Tho.

Confirmatur, nam Deus communicat nobiscum in æterna beatitudine, quatenus est formaliter beatus per essentiam : sed sub formali et præcisa ratione objecti, vel causæ prædictæ beatitudinis non est beatus per essentiam, ut ex se liquet : ergo cum D. Thom. asserat ipsum Deum tribuere speciem charitati, secundum quod est objectum beatitudinis, manifestum est, quod illa particula, *in quantum*, non tam reduplicat ex illius mente mutuam communicationem Dei, et creaturæ in bono supernaturalis beatitudinis, quam summam illam bonitatis pulchritudinem, quæ ex Dei essentia et attributis consurgit, ipsumque Deum, et creaturam objective beatificat. Ut enim explicaret S. Doctor, non quamlibet bonitatem, sed prædictam dumtaxat pulchritudinem esse rationem formalem *sub qua* motivam charitatis, idcirco quoties asseruit, bonum divinum esse objectum formale hujus virtutis, addidit illam reduplicativam, *in quantum objectum beatitudinis ;* hac enim phrasi perspicue nobis suam mentem aperuit : nam ut supra præmisimus, bonitas divina, quæ ex parte objecti beatificat simpliciter homines, et Angelos, non est bonitas divinæ essentiæ prout distinctæ ab attributis, sed quæ ex Dei essentia, et attributorum varietate consurgit.

Major impugnatio.

Per quod patet ad id, quod in favorem modo impugnatæ evasionis adducitur. Nam bonitas divina, prout est in se, constituit ultimo Deum in esse objecti specificativi charitatis, prout est specialis benevolentia circa finem ultimum. Et licet non constituat ipsum ultimo in esse objecti specificativi prædictæ virtutis, quatenus importat amorem amicitiæ erga Deum, nisi supposita, et connotata communicatione cum creatura in æterna beatitudine ; quia tamen hæc communicatio non est ratio formalis *sub qua* motiva charitatis, sed solum quædam conditio requisita ad esse illius, quam jam manifestaverat D. Th. *art.* 1, *q.* 23,

Motivum evasionis diruitur.

D. Tho.

ideo locis a nobis adductis, in quibus agit de objecto formali prædictæ virtutis, solum curavit assignare motivum illius. Quod ut ostenderet esse bonitatem divinam prout est in se, usus est illa reduplicativa, *in quantum objectum beatitudinis :* nam bonitas constitutiva Dei in esse beatificativi est bonitas divina, prout est in se, ut in secunda confirmatione vidimus.

Objectio. 22. Non refert, si contra illam objicias, convincere (si aliquid probet), quod etiam relationes divinæ spectant ad rationem formalem *sub qua* motivam charitatis ; quia Deus prout est in se, quo pacto asserimus diligi ab hac virtute, est formalissime totum hoc, essentia, attributa, et relationes.

Diluitur. Respondetur enim negando sequelam, si relationes divinæ accipiantur secundum illam formalitatem præcise, quam nostro modo intelligendi essentiæ divinæ superaddunt ; nam cum prædicta formalitas non dicat ex se perfectionem, et bonitatem, nequit ingredi constitutionem rationis formalis *sub qua* motivæ charitatis, quæ tota est de linea boni. Nec obest probatio in contrarium ; nam licet esse Dei prout est in se, dicat in se esse entis essentiam, attributa, et relationes ; sub expresso tamen conceptu boni solum complectitur essentiam, et attributa, ob rationem, quam modo tetigimus.

Diximus : *Si divinæ relationes accipiantur præcise secundum illam formalitatem, quam essentiæ adjiciunt,* nam si de illis absolute acceptis sermo procedat, concedenda est sequela ; quia cum in divina natura sit magna perfectio communicare tribus personis, istæque sint re ipsa infinite bonæ per essentiam, movere possunt ad diligendum Deum per amicitiam charitatis.

Ex quo habes veram esse, si sane intelligatur, opinionem Valentiæ *disput.* 2, *de charit. quæst.* 1, *punct.* 4, et quorundam recentiorum asserentium, objectum formale charitatis esse Deum, secundum quod est trinus, et unus ; solum enim intendunt, charitatem ferri in divinam bonitatem, prout est in se, quo pacto dicit essentiam, attributa, et ipsas divinas personas, ut docet D. Thom. *in hac* 2, 2, *quæst.* 2, *art.* 8 *ad* 3.

Valentia

D. Tho.

Replica. Dices : ad amorem charitatis necessaria non est Trinitatis cognitio ; alias rudes ex plebe, quibus ante legem Evangelicam occultum erat hoc mysterium, non possent Deum ex charitate diligere, quod est absurdum : ergo ratio motiva charitatis non est bonitas divina, prout communis tribus personis, quo pacto subsistit in seipsa.

Satisfactio. Respondetur ad amorem charitatis necessariam non esse notitiam explicitam Trinitatis, bene tamen implicitam, quæ habetur ab omni credente, quod Deus est ; nam ex vi hujus assensus quilibet fidelis se remittit ad evidentiam, quam Deus habet de se ipso ; tantumque proinde ac talem illum esse credit, quantus, ac qualis a seipso cognoscitur. Unde cum prædictus assensus regulet amorem charitatis erga Deum, fit inde, actum hujus virtutis ferri immediate in divinam bonitatem, secundum modum essendi, quem habet in seipsa, qui est modus subsistendi in tribus personis.

§ IV.

Prior opinio nostræ conclusioni opposita.

Prima opinio contraria. 23. Contra nostram assertionem multiplex est opinio. Prima asserit, rationem formalem *sub qua* per se primo motivam charitatis esse bonitatem peculiarem divinæ essentiæ quatenus distinctæ et præcisæ ab attributis. Hanc ut propriam mentem Scoti defendunt Pitigian. *in* 3, *dist.* 27, *quæst.* 1, *art.* 2, Castillo *disp.* 1, *de Charit. quæst.* 2, *concl.* 2, et alii. Quibus ex Thomistis suffragantur Godoy *in manuscriptis*, Gonet *artic.* 3, *concl.* 2, et Ferre *quæst.* 3, § 9, *num.* 49. Pro qua sententia sic argumentatur Castillo ex principiis Scoti : nam illud est objectum motivum charitatis, in quo sicut in centro super omnia amabili quiescit voluntas : sed voluntas non quiescit nisi in Deo ut bono bonitate propria divinæ essentiæ quatenus distinctæ ab attributis : hæc igitur bonitas est objectum *quo* motivum charitatis.

Pitigian. Castillo. Godoy. Gonet. Ferre

Primum argumentum.

Respondetur concessa majori, negando minorem ; quia voluntatis appetitus non quiescit nisi in visione, et possessione summi boni, a quo perfecte satiatur : Deus autem in ratione summi boni appetitus satiativi non solum dicit, et includit essentiam, sed etiam attributa, secundum illam perfectionem, quam illi superaddunt ; et ideo qui videret essentiam præcise, adhuc desideraret videre attributa, nec quiesceret illius appetitus, donec illa videret, ut sunt in se ; præsertim in sententia Scoti, quæ agnoscit

Respon-sio.

agnoscit distinctionem realem formalem inter essentiam Dei, et attributa.

ecun-
lum
rgu-
ntum. 24. Secundo arguitur; nam ratio formalis *sub qua* motiva supernaturalis beatitudinis est veritas peculiaris divinæ essentiæ, quatenus virtualiter distinctæ ab attributis : ergo ratio formalis *sub qua* charitatis est bonitas peculiaris divinæ essentiæ eodem modo acceptæ. Antecedens est communior sententia Thomistarum. Consequentia vero probatur, quia idipsum debet esse objectum motivum charitatis sub ratione boni, quod est objectum motivum beatitudinis sub ratione veri : tum quia utraque fertur in Deum prout est in se : tum etiam,
Tho. quia hæc videtur esse mens D. Thom. in omnibus locis, in quibus asserit, charitatem tendere in Deum secundum quod est objectum beatitudinis.

ior so-
utio. Hujus argumenti duplex est solutio; primo enim respondetur admisso antecedenti, negando consequentiam. Et causa disparitatis est etiam duplex. *Prima*, quod veritas peculiaris divinæ essentiæ est talis simpliciter, secus autem bonitas, ut constat ex dictis *num.* 17; ratio autem *sub qua* motiva charitatis debet esse bonitas summa, et infinita absolute et simpliciter. *Secunda*, quia idem debet esse objectum motivum beatitudinis creatæ, ac increatæ, cujus est participatio : objectum autem motivum beatitudinis increatæ debet esse ejusdem omnino immaterialitatis cum illa, ut constat ex dictis *tract.* 3, *disp.* 3. Unde quia sola essentia Dei est ejusdem prorsus immaterialitatis cum beatitudine, seu intellectione primaria illius, idcirco non attributa, sed sola essentia prout ab eis distincta est objectum motivum prædictæ beatitudinis. Quæ ratio non militat in charitate creata, vel increata; et ideo utriusque objectum motivum est bonitas divina, quæ ex Dei essentia metaphysice sumpta, et attributis coalescit.

Ad probationem in contrarium dicendum est, quod licet tam visio, quam dilectio beatifica attingant divinam essentiam secundum modum essendi, quem habet in se ipsa, non tamen eodem modo. Nam prædictus modus essendi adæquate acceptus non est objectum motivum visionis beatificæ, ob rationem nuper assignatam, sed terminativum, tantum quo contra se habet respectu dilectionis, quia charitas movetur ad diligendum Deum, quia summe bonus in se ipso absolute, et simpliciter. Ex quo discrimine non leviter roboratur nostra conclusio; nam quia essentia divina, prout est in se, terminat visionem beatificam, nulla formalitas est in Deo, quæ per illam non videatur : ergo quia bonitas divina prout est in se, movet ad dilectionem charitatis, non potest esse in Deo aliqua perfectio, seu bonitatis ratio, quæ non pertineat ad objectum prædictæ virtutis.

Diximus, *adæquate acceptus;* nam cum essentia divina uniatur immediate per seipsam mentibus beatorum in ratione speciei intelligibilis, negari nequit, quod modus essendi, quem habet in se ipsa, saltem inadæquate sumptus, sit objectum motivum *quo* visionis beatificæ. Quæ autem sit mens D. Thom. quoties asserit, charitatem tendere in Deum, secundum quod est objectum beatitudinis, constat ex dictis § præcedenti. Nota.

Secundo respondetur ad idem argumentum ex his, quæ diximus 1, 2, *quæst.* 3, *art.* 8, quod beatitudo supernaturalis potest considerari dupliciter. Uno modo ut est præcise visio intuitiva, qua ratione solum respicit ut objectum omnino primarium divinam essentiam, quatenus ab attributis et relationibus præscindit. Alio modo sub formali, et expresso conceptu beatitudinis, et hoc pacto objectum illius primarium non est Deus utcumque, sed ut summum bonum satiativum appetitus : qua ratione includit formaliter essentiam, attributa, et personas, aut saltem communicabilitatem ad illas, ut constat ex dictis. Quare si id ipsum debet esse objectum motivum charitatis, quod est objectum beatitudinis, ut beatitudo est; potius hinc habetur major confirmatio nostræ conclusionis, quia objectum beatitudinis est summum bonum. Videantur etiam quæ diximus *tract. præced. disp.* 1, *a n.* 10. Alia argumenti solutio.

25. Tertio arguitur : nam bonitas peculiaris divinæ essentiæ, quatenus distinctæ ab attributis, constituit sufficienter Deum in esse objecti motivi ut *quod* charitatis : ergo prædicta bonitas est ratio formalis *sub qua* hujus virtutis. Consequentia patet, antecedens vero suadetur : tum quia illa bonitas constituit Deum in esse objecti primarii, seu motivi charitatis, quæ constituit illum in esse ultimi finis : hæc autem est bonitas divinæ naturæ prout distinctæ ab attributis, quia ratione illius omnia referuntur ultimo in Deum formali vel virtuali relatione; cum tamen prædicta bonitas neutro ex his modis ad aliquid aliud ordinetur. Tertium argumentum.

Tum deinde, quia sola participatio formalis naturæ divinæ, ut natura est, qualis habetur per gratiam, constituit hominem objectum congruum divinæ dilectionis amicabilis : ergo solum natura divina, ut natura est, constituit Deum objectum congruum, et motivum amoris eliciti a charitate, tam creata, quam increata; non enim esse potest minoris perfectionis forma participata, quam sit effectus, qui illam participat. Tum denique, quia si per impossibile maneret essentia divina absque attributis, adhuc maneret objectum primarium charitatis, quoniam in eo eventu persisteret verus Deus : existente autem Deo existit objectum per se primo amabile per charitatem; quoniam hæc virtus diligit Deum, quia Deus est : ergo essentia ut omnino præcisa ab attributis, sufficienter constituit Deum in esse objecti motivi et specificativi charitatis.

Retorquetur. Hoc argumentum, quod est præcipuum contrariæ sententiæ, potest contra illam retorqueri; nam admirabilis illa pulchritudo, quæ ex Dei essentia, et attributis constituitur, includit formaliter quidquid perfectionis est in linea speciali essentiæ, et attributorum : quare si natura divina secundum ea præcise, quæ importat intra suam lineam, constituit sufficienter Deum in esse objecti motivi charitatis, id a fortiori præstabit dicta pulchritudo, cui proinde meliori jure adscribetur ratio formalis *sub qua* hujus virtutis.

Dissolvitur. Sed ut magis appareat prædicti argumenti inefficacia, respondetur ad illud negando antecedens; et ad priorem illius probationem negatur minor, quia ut docet Cajetan. Cajet. *in hac q.* 23, *art.* 4, Deus constituitur in esse ultimi finis, et objecti primarii charitatis per bonitatem formaliter infinitam, non quidem in hac, aut illa linea, sive ratione particulari, v. g. misericordiæ, justitiæ, etc. sed in omni linea simplicis perfectionis, et actualitatis. Quoniam hæc dumtaxat bonitas est summa, et infinita absolute et simpliciter; sicut illud dumtaxat ens est infinitum simpliciter, quod habet infinitatem in omni genere entis. Essentia autem divina prout distincta, et præcisa ab attributis, non est bona formaliter in omni linea boni, sed in unica tantum; ob idque nequit Deum constituere in esse summi boni et ultimi finis, sed id proprium est bonitatis divinæ, quæ Dei essentiam, et attributa complectitur.

26. Nec refert, quod attributa sint virtualiter referibilia ad Dei essentiam : tum quia hinc solum habetur lineam essentiæ esse perfectiorem ex sua formali ratione lineis attributorum, ac subinde quod si per impossibile distinguerentur realiter essentia, et attributa, inter ipsaque constituenda foret subordinatio in genere causæ finalis, tunc non deberet amari essentia propter attributa, sed econtra attributa propter essentiam, quod libenter admittimus; inde quippe nihil deduci potest contra nostram assertionem. Tum etiam, quia tam essentia, quam attributa seorsim sumpta, sunt virtualiter referibilia ad summam Dei bonitatem, prout est in se; comparantur enim ad illam sicut partes ad totum : omnis autem pars est propter suum totum sicut propter finem. Unde ratio finis solum potest competere Deo, prout est summum bonum.

Nec etiam refert si urgeas, illam bonitatem constituere Deum in esse ultimi finis, quæ constituit ipsum in esse rationis finalis respectu actuum, quos libere elicit circa creaturas : quæ bonitas non complectitur attributa, sed solam essentiam divinam secundum quod nostro modo intelligendi ab eis distinguitur, ut insinuare videtur D. Thom. *in hac quæst. art.* 5 *ad* 2. Tum etiam, quia alias non posset esse ratio a priori finalis respectu prædictorum actuum. Replica. D. Tho.

Diluitur. Respondetur enim negando minorem, quia ratio finalis divinæ voluntatis, in omnibus quæ agit, est bonitas sua, prout est in seipsa, quo pacto includit formaliter quidquid perfectionis est in ipso Deo, etiam ipsam voluntatem libere operantem, ut tradit D. Thom. 1 *part. quæst.* 19, *art.* 1 *ad* 3, his verbis : *Objectum divinæ voluntatis est bonitas sua, quæ est ejus essentia : unde cum voluntas Dei sit ejus essentia : non movetur ab alio a se, sed a se tantum.* Quam etiam doctrinam insinuavimus *tract.* 4, *disp.* 3, *dub.* 2, *n.* 36. D. Tho.

Explicatur responsio. Pro cujus majori intelligentia nota, quod essentia divina potest considerari dupliciter. Uno modo physice, et prout est in se; quo pacto est una simplex formalitas, claudens absque ulla distinctione reali principium radicale intelligendi et amandi, intellectum et voluntatem, et utriusque potentiæ virtutes. Si enim Dei natura non identificaret secum prædictas potentias, et illarum habitus, non esset infinita simpliciter, nec divina. Alio modo metaphysice, secundum

dum quod per nostros conceptus ipsam simplicissimam, et eminentissimam Dei naturam in diversas lineas, et formalitates partimur, ex quibus primam asserimus esse essentialem, et constitutivam Dei, reliquas vero veluti passiones illius. Cum ergo D. Thom. vel aliqui graves Authores asserunt, motivum charitatis creatæ, vel increatæ esse bonitatem divinam, quæ est Dei essentia, loquuntur de essentia divina physice accepta, non vero metaphysice, ut ex contextu liquet.

Nec oppositum convincit minoris probatio e ratione petita ; quia licet bonitas divina includat formaliter attributa, potest tamen esse ratio a priori finalis nedum respectu actus liberi, sed etiam ipsorum attributorum : tum quia includit lineam essentiæ, quæ est prior attributis : tum etiam, quia bonitas divina, quæ complectitur essentiam, et attributa, est major bonitate præcise attributali, ob idque potest esse ratio finalis respectu illius ; quia bonitas quo major, eo plus habet de ratione finis. Tum denique, quia minor distinctio invenitur inter intellectionem constitutivam Dei, et ejus objectum primarium, quam inter actus liberos, et bonitatem divinam, prout est in se ; quo tamen non obstante intelligimus objectum primarium intellectionis constitutivæ Dei esse rationem a priori respectu illius. Videantur quæ diximus *tract.* 2, *disput.* 7, *dub.* 3, *num.* 28.

Aliis probationibus satisfit.

27. Ad secundam probationem principalis argumenti, concesso antecedenti negatur consequentia ; quia creatura non diligitur per charitatem ut summum bonum, et ultimus finis, quo pacto prædicta virtus tendit in Deum ; sed tamen ut effectus et diffusio illius. Unde licet sola participatio divinæ naturæ, sumptæ metaphysice ut natura est, constituat hominem objectum congruum divinæ dilectionis amicabilis, non sequitur quod id possit conferre Deo natura divina sub illa præcisione accepta ; cum prout sic non constituat sufficienter et adæquate ipsum Deum in esse summi boni, et ultimi finis.

Ad ultimam probationem dicendum, quod si attributa per sui repugnantiam deficerent a Deo, non maneret Deus in eo eventu amabilis per se primo per virtutem charitatis, quæ modo est, sed per aliam diversæ rationis ; quoniam sicut in illo casu non esset Deus, et ultimus finis, qui modo est, nec haberet perfectionem summam, quam modo habet : ita neque charitas, quæ consistit in amore Dei, prout est in se, haberet eandem essentiam, quam modo habet, sed aliam longe diversam, uti de beatitudine dici solet. Unde quod ad charitatem in illa hypothesi possibilem sufficeret, modo non sufficit ; quia charitas, quæ de facto datur erga Deum, sicut est alterius essentiæ, sic postulat longe perfectius formale objectum.

Quæstio incidens.

Si autem fingamus, quod deficientibus attributis alias possibilibus, persistit idem numero Deus quantum ad ea præcise quæ dicit intra lineam essentiæ metaphysice sumptæ, nec tunc remanet in esse objecti per se primo amabilis per charitatem. Tum quia objectum formale primarium hujus virtutis est summum bonum ; Deus autem non potest esse, aut intelligi summum bonum, nisi sit ipsum *esse* illimitatum in omni linea perfectionis, et actualitatis ; atque ideo, nisi reipsa sit sua sapientia, sua justitia, etc. Tum etiam, quia charitas diligit Deum ex motione deitatis, prout est in se ; vera autem deitas nequit esse in se sub reali privatione attributorum, sed illa necessario, et inseparabiliter identificat. Quare eo ipso, quod in re, vel per intellectum præscindat omnino ab attributis, non remanet in esse objecti motivi charitatis, sive quæ modo est, sive alterius, quæ daretur in priori hypothesi ; quia in hac posteriori non remanet Deus in re, vel in intellectu summum bonum, et ultimus finis, quod est objectum motivum charitatis.

Quartum argumentum. D. Tho.

28. Quarto arguitur pro hac sententia ; nam ut probat D. Thom. *in hac quæst.* 23, *art.* 4, ratio *sub qua* particularis virtutis affectivæ, qualis est charitas, debet esse specialis ratio boni : sed divina pulchritudo, quæ Dei essentiam, et attributa complectitur, non est specialis ratio boni, sed potius multiplex ; secus autem bonitas divinæ essentiæ, quatenus distinctæ ab attributis : ergo non illa prior bonitas, sed hæc posterior est ratio formalis *sub qua* motiva charitatis.

Solutio. Cajetan.

Respondetur ex Cajetano *loco citato*, quod Deus, prout est in se summe perfectus, dicit specialem rationem boni, cum in esse rei, non quidem prout una particularis ratio bonitatis distinguitur contra aliam particularem, v. g. sapientia contra justitiam ; sed prout bonitas absolute dicta distinguitur contra bonitatem secundum quid ;

nam aliæ rationes divini boni distinguuntur a summa bonitate, quæ est ratio *sub qua* charitatis, ut bonitates secundum quid a bonitate simpliciter, et ut particulares ab universali in causando, et movendo: tum etiam in esse objecti, quod sufficit ad unitatem specificam charitatis; hæc enim respicit Deum sub ratione summi boni. Quæ ratio licet materialiter integretur ex pluribus lineis, sive conceptibus objectivis, formaliter tamen sumpta est omnino simplex, et indivisibilis; quia sive addas, sive demas, jam non erit summa bonitas, atque adeo nec virtualiter multiplicatur in Deo, sed est omnino impartibilis, sicut ratio ultimi finis.

§ V.

Reliquæ opiniones veræ sententiæ contrariæ.

Alia sententia opposita.

29. Secunda sententia nostræ conclusioni opposita asserit rationem formalem *sub qua* motivam charitatis esse bonitatem peculiarem divinæ essentiæ, quatenus virtualiter distinctæ ab attributis, et cujuslibet attributi prout ab aliis et essentia condistincti, necnon bonitatem divinam, quæ essentiam, et attributa complectitur. Ita Joannes de Ripalda *disputat.* 35, *sectione* 1, cui affinis est opinio Hurtadi *disputat.* 128, *sectione* 1, et aliorum asserentium bonitatem divinam, quæ nostro modo intelligendi abstrahit a bonitate peculiari essentiæ et attributorum, illisque communis est per transcendentiam logicam, esse objectum motivum charitatis; isti enim Authores admittunt charitatem posse diligere Deum ob illam bonitatem præcise, quam importat formaliter quodlibet attributum intra suam lineam, quamvis non ob id destruant unitatem prædictæ virtutis, quam salvare nequit Ripalda, pro cujus sententia sic arguitur.

Ripalda. Hurtado.

Argumentum.

Bonitas infinita sufficienter constituit Deum in esse objecti motivi charitatis: sed bonitas peculiaris cujuslibet attributi ab aliis condistincti est infinita in sua linea, ut supponimus: ergo sufficienter constituit Deum in esse objecti motivi charitatis. Major, quæ sola indiget probatione, suadetur; quia bonitas infinita constituit Deum propter seipsum, et super omnia amabilem; siquidem nulla creatura potest gaudere infinita bonitate: Deus autem ut amabilis super omnia, est objectum charitatis, quoniam eo ipso, quod super omnia ametur, diligitur ut ultimus finis, quod est propria ratio motiva prædictæ virtutis.

Confirmatio.

Confirmatur, quia negari non debet, quod Deus ut infinite bonus bonitate peculiari misericordiæ, omnipotentiæ, aut justitiæ possit amari a nobis per actum alicujus virtutis: at non alterius quam charitatis: ergo, etc. Suadetur minor: tum quia prædictus actus spectare debet ad aliquam virtutem theologicam, cum attingat Deum immediate in seipso: sed sic est, quod non pertinet ad spem, quia non tendit in Deum qua nobis convenientem, sed qua in seipso bonum: ergo pertinet ad charitatem, quia omnis affectus virtutis theologicæ, qui non est spei, esse debet charitatis. Tum etiam, quia prædictus amor est effectus benevolentiæ et amicitiæ erga Deum, quia fertur in illum propter se, et gratia ipsius: constat autem omnem affectum amicitiæ erga Deum elici a charitate. Tum præterea, quia actus, quo quis diligit Deum ex toto corde, et super omnia propter ejus summam misericordiam præcise, aut liberalitatem, sufficiens est ad justificationem impii, cum ipsum Deum omnibus creaturis anteponat: sed omnis Dei amor sufficiens ad justificationem est elicitus a charitate: ergo, etc.

Occurritur argumento.

Respondetur, non quamlibet bonitatem infinitam constituere Deum in esse objecti primarii charitatis, sed illam dumtaxat, quæ est infinita in ipsa formali, et universali ratione boni; quoniam objectum specificativum charitatis est bonum infinitum simpliciter, utpote summum, et ultimus finis; sola autem hæc posterior bonitas est infinita simpliciter, quæ enim gaudet infinitate in aliqua tantum ratione particulari, utputa misericordiæ, justitiæ, etc. solum potest dici infinita secundum quid: quo pacto esset bona albedo, si extra omne subjectum per se subsisteret. Unde cum bonitas unius attributi quatenus distincti ab aliis, non sit infinita, nisi in aliqua particulari linea boni, non potest constituere Deum in esse objecti specificativi charitatis.

30. Ad probationem autem in contrarium respondent aliqui, quod licet bonitas infinita intra unam dumtaxat lineam boni constituat Deum amabilem super omnia formaliter referibilia ad finem, qualia sunt entia creata; non tamen super omnia tam formaliter

formaliter, quam virtualiter ordinabilia ad illum, sed id proprium est bonitatis infinitæ simpliciter, ad quam sicut ad finem omnes peculiares rationes divini boni virtualiter ordinantur. Deus autem in ratione ultimi finis, et objecti specificativi charitatis est amabilis super omnia, tam formaliter, quam virtualiter referibilia ad illum; et ideo nequit constitui in esse talis per bonitatem peculiarem essentiæ divinæ quatenus distinctæ ab attributis, aut unius attributi ut præcisi ab aliis. Quæ solutio est satis probabilis.

ia solutio. Sed respondetur secundo et melius, bonitatem peculiarem unius attributi, ut distincti ab aliis, reddere Deum amabilem super omnia creata, negative, secus autem positive; quoniam eo ipso quod Deus sit infinite bonus in aliqua particulari ratione boni, nequit honeste amari propter aliquam creaturam; inde tamen non habet, quod omnia entia creata possint amari propter illum sicut propter terminum, et centrum suæ felicitatis; quia hominis felicitas, sive beatitudo tantum potest consistere in possessione summi boni, quale non est unum attributum ut ab aliis præcisum. Unde quia de ratione finis ultimi, et objecti primarii charitatis est, quod sit amabile super omnia, nedum negative, sed etiam, et maxime positive, cum sit bonum appetitus satiativum, ut modo supponimus ex dictis *in tract. de ult. fine,* idcirco nequit Deus constitui in esse illius per bonitatem peculiarem unius attributi ut condistincti ab aliis; sed ad id necessaria est bonitas simpliciter, et omnibus modis infinita, qualis est illa tantum, quæ essentiam, et attributa complectitur.

Explicatur amplius hæc solutio; nam id, quod amatur super omnia positive, sive ut finis simpliciter ultimus, amatur ut bonum satiativum appetitus, et expletivum capacitatis illius; quia in hoc dumtaxat bono potest voluntatis affectus conquiescere. Deus autem ut omnipotens præcise, aut misericors, non exprimit rationem boni satiativi appetitus, et expletivi capacitatis illius: tum quia non dicit rationem summi boni, in cujus dumtaxat possessione expleri, et quietari potest rationalis creatura: tum etiam, quia alias visio unius dumtaxat attributi redderet videntem simpliciter beatum, quod modo supponimus esse falsum. Quocirca Deus ut bonus bonitate unius dumtaxat attributi, quatenus distincti ab aliis, non amatur super omnia positive, sive ut finis ultimus absolute, et simpliciter; sed ut pars prædicti finis, quæ de sui ratione petit diligi propter illum.

31. Ad confirmationem respondetur, bifariam posse intelligi, quod bonitas peculiaris unius attributi, v. g. misericordiæ, moveat ad dilectionem Dei: uno secundum quod prædicta bonitas est in se: alio modo, non prout est in se, sed quatenus resplendet in creaturis, et cum eis connectitur. Si quis ergo diligat Deum propter bonitatem misericordiæ priori modo sumptæ, talis actus erit charitatis theologicæ, sufficiensque ad justificationem impii, quia bonitas divinæ misericordiæ, prout est in se, includit formaliter omnem perfectionem divinam; et ideo qui ex motione illius sic acceptæ Deum amat, fertur in illum sub propria ratione formali charitatis, quæ est summa bonitas. Solum potest esse discriminis, quod bonitas summa nullam Dei perfectionem in particulari exprimit, sed omnes formaliter includit, et veluti totum suas partes confundit: misericordia vero, justitia, etc. exprimit quamdam rationem particularem boni divini, reliquas vero confundit. Quæ diversitas non variat substantialiter actus charitatis, sed solum accidentaliter penes magis et minus; ille enim pro statu præsentis vitæ perfectior est, qui tendit in Deum propositum sub ratione summi boni, sine expressione, aut descensu cognitionis ad specialem alicujus attributi perfectionem. Diruitur confirmatio.

Si vero quis diligat Deum propter bonitatem misericordiæ, non prout est in se, sed quatenus connectitur cum creaturis, et in illis resplendet hujusmodi actus, nec erit charitatis Theologicæ, neque supernaturalis, aut per se justificationem inducens, sed naturalis; non secus ac dilectio, qua possumus Deum ut authorem naturæ super omnia ex benevolentia diligere: quæ dilectio non est amicitia perfecta erga Deum, neque actus alicujus specialis virtutis, sed elicitur immediate a voluntate, ut *num. ult. præcedentis disput.* animadvertimus.

32. Sed urgebis: bonitas peculiaris quam exprimit misericordia intra suam lineam, non quidem ut connexa cum creaturis, sed secundum se, cognita tamen, et proposita per fidem, sufficienter constituit Deum in esse objecti amabilis per benevolentiam supernaturalem: sed amor benevolentiæ supernaturalis erga Deum est Replica.

proprius charitatis : hæc igitur virtus potest tendere in ipsum Deum ex motione misericordiæ, ut præcisæ, et distinctæ ab aliis attributis.

Solvitur. Respondetur, quod si bonitas misericordiæ divinæ moveat ad amandum Deum ut proposita et applicata per fidem, eo ipso influet in prædictum amorem sumpta prout est in se; quia ut applicata per fidem movet secundum illum essendi modum, quem fides credit habere, qui non est alius, nisi ille, quo in seipsa existit. Eo vel maxime, quia si propositionem fidei non sequatur ex parte bonitatis creditæ modus influendi diversus ab eo, quem habet cognita per rationem naturalem, non erit amor Dei entitative supernaturalis, nec a naturali specifice distinctus; cum cognitio non sit ratio specificativa amoris, nec variet illius species, nisi per modum applicantis diversam bonitatem motivam. Potest etiam dici (quod magis probamus) bonitatem peculiarem unius attributi ut præcisi ab aliis, cognitique, et propositi per fidem, constituere Deum in esse objecti amabilis per actus secundarios charitatis, quæ licet per se primo respiciat Deum quatenus summum bonum, indeque speciem delibet; secundario tamen potest ferri in illum sub præcisa bonitate unius, vel alterius attributi. Cui solutioni favere videtur, tum quod Deus, ut bonus bonitate præcisa unius attributi, non est summum bonum appetitus satiativum, sed veluti pars illius : virtus autem quæ tendit per se primo in aliquod totum, sive bonum perfectum, potest secundario ferri in illius partes : eo quod pars ut pars ametur propter totum, sive in ordine ad illum sicut ad objectum prius amatum. Tum etiam, quia ita significat D. Thom. *in hac quæst.* 23, *art.* 5 *ad* 2, his verbis : « Ad secundum dicen« dum, quod charitate diligitur Deus prop« ter seipsum. Unde una sola ratio dili« gendi attenditur principaliter a charitate, « scilicet divina bonitas, quæ est ejus subs« tantia, secundum illud Psal. 105 : Confi« temini Domino quoniam bonus. Aliæ « autem rationes ad diligendum inducen« tes, vel debitum dilectionis facientes, « sunt secundariæ et consequentes ex pri« ma. » Videatur etiam infra *quæst.* 106, *art.* 5 *et* 1, 2, *quæst.* 1, *art.* 6.

Alia opinio contraria. 33. Ultima sententia nostræ conclusioni opposita docet, rationem formalem *sub qua* motivam charitatis esse bonitatem divinam ut sic, quatenus abstrahit a creata, et increata, illisque communis est per analogiam. Pro hac opinione referri solent Raphael de la Torre *infra*, *quæst.* 81, *art.* 4, *disp. unic.* Tannerus *hic*, *disputat.* 2, *dub.* 4, et alii, quibus favere videtur D. Thom. *in* 3, *distinct.* 27, *q.* 2, *art.* 4, *quæstiunc.* 2, ubi asserit, objectum formale charitatis esse bonum divinum commune secundum rem Deo, et objectis aliarum virtutum, sive creaturis : constat namque bonum divinum hoc pacto commune, non esse bonum divinum per essentiam tale, sed illud quod a creato, et increato abstrahit : ergo, etc.

Raphael de la Torre. Tanner. D. Tho. Probatur ex D. Tho.

Deinde suadetur eadem opinio ratione; nam bonitas divina ut sic, secundum quod abstrahit a creata, et increata, specificare potest alicujus virtutis habitum : at non alterius, quam charitatis : ergo, etc. Major videtur perspicua, quia prædicta bonitas specificare valet actum unius speciei atomæ, adeoque et habitum illi correspondentem; quippe negari nequit quod voluntas amare possit Deum, quia bonus bonitate divina in communi, idque per actum unius speciei atomæ; quandoquidem licet prædicta bonitas sit universalis, et communis in esse rei, est tamen specialis in esse objecti, ut loco proxime citato tradit D. Thom. quod sufficit ad unitatem rationis *sub qua* unius speciei actus. Minor vero ex eo liquet, quia non apparet alius habitus præter charitatem, ad quem spectare queat prædictus actus.

Argumentum.

Verum hæc levia sunt; ad authoritatem enim D. Thomæ respondetur, quod dum S. Doctor asserit bonum divinum, quod est objectum formale charitatis, esse commune Deo et creaturis, non loquitur de communitate rationis, sive per prædicationem; sed de communitate per sui diffusionem, participationem, et causalitatem, quæ est communitas secundum rem, et propria summi boni; nam ut ibi *ad* 3, *et quæst. unic. de charitate*, *art.* 11, et alibi sæpe docet ipse Ang. Magister, objecta formalia aliarum virtutum participant a summo bono bonitatem, et finalizandi virtutem. Unde ex vi adductæ authoritatis potius habetur, summum bonum, quatenus tale, esse objectum formalis charitatis,

Authoritas D. Tho. explicatur.

34. Ad fundamentum rationis respondetur, bonitatem divinam illam in præsenti dici, quæ non potest esse connaturalis alicui creaturæ, neque ab illa alio, quam supernaturali lumine fidei, vel beatitudinis agnosci. Unde quia bonitas divina proposita,

Occurritur argumento.

sita, et applicata per fidem, non movet ad Dei amorem, prout abstrahit a modo essendi, quem habet in seipsa, sed prout est in se, quo pacto includit omnem perfectionem divini esse ; idcirco omnis amor ortus ex motione prædictæ bonitatis spectat directe ad charitatem, utpote innitens summæ bonitati, quæ est ratio *sub qua* hujus virtutis.

Quod si demus, bonitatem divinam secundum illam rationem præcise, quam exprimit, quatenus nostro modo intelligendi abstrahit a creata et increata, influere in Dei amorem, hujusmodi amor erit actus secundarius charitatis, vel alterius virtutis infusæ : tum quia bonum divinum sub illa præcisione sumptum est veluti pars summi boni, in cujus proinde virtute amari potest per actum secundarium charitatis, juxta dicta *num.* 32. Tum etiam, quia prædictus amor nequit esse actus primarius charitatis, aut alterius virtutis theologicæ : non quidem charitatis, quoniam actus primarius hujus virtutis diligit Deum super omnia, atque ut ultimum finem, cujus virtute subordinat sibi omnes alias virtutes ; Deus autem ut præcise bonus bonitate divina abstrahente a creata, et increata, non habet rationem objecti amabilis super omnia, et ultimi finis, cum hujus ratio importet summam bonitatem : unde ex vi talis motivi nequit super omnia diligi, sive per se primo ex charitate amari.

Sed neque prædictus amor potest esse actus primarius alterius virtutis Theologicæ : tum quia virtus Theologica dividitur adæquate in fidem, spem, et charitatem, ad quarum nullam spectare potest, si semel non reducitur ad posteriorem ; quia fides tendit in verum, spes autem attingit Deum sub ratione boni proprii. Tum etiam, quia objectum formale virtutis Theologicæ, proindeque et actus primarii illius, est solus Deus ; objectum autem formale prædicti amoris etiam includit creaturas, utpote in quibus etiam invenitur ratio boni divini præscindentis a creato et increato, quod ponitur illius objectum formale *quo*.

DUBIUM III.

Utrum charitas habeat rationem amicitiæ respectu proximi.

35. Egimus hactenus de charitate per ordinem ad illius objectum primarium, quod est Deus sub ratione summi boni : superest ut de illa per comparationem ad suum objectum secundarium disseramus ; est enim hæc consideratio propria hujus loci, in quo de objecto tam formali, quam materiali prædictæ virtutis sermonem instituimus. Circa charitatem autem comparative ad ejus objectum secundarium, quod primo examinandum accedit, est an habeat rationem amicitiæ respectu proximi ? Pro cujus difficultatis decisione præmittendum est, magnam fuisse apud Judæos dissensionem, qui venirent intelligendi nomine *proximi*, quem charitatis præcepto indicto Levitici 19, amare tenebantur ; nam quia vox Hebræa *Reang*, tam proximum, quam amicum, socium, conjunctum significat, in varias circa dicti præcepti intelligentiam opiniones abierunt. Quidam enim asserebant, benefactores tantum, et eos qui nobis aliquo specialis amicitiæ vinculo sunt conjuncti, eo nomine denotari, ac proinde horum dumtaxat dilectionem præcipi; secus autem inimicorum, quinimo illorum odium ex indirecto juberi, ut constat ex illo Matth. 5 : *Audistis, quia dictum est antiquis : Diliges amicum tuum, et odio habebis inimicum tuum* ? Quidam vero affirmabant, solum esse proximum illum, qui ejusdem gentis, et religionis erat ; atque ideo infideles, et alienigenas non esse ut proximos diligendos, sed potius quasi inimicos aversandos. Alii autem opinabantur, solos justos proximi nomine censeri.

Proximus quis dicatur. Levit. 19. Matth. 5.

Verum hanc litem, in qua Judæi a veritate aberrabant, optime diremit Christus Dominus *Luc.* 10, ex cujus doctrinæ, et SS. Patrum expositione constat liquido, proximum charitatis præcepto diligendum esse omnem creaturam rationalem, cui possibilis est absolute, et simpliciter assequutio supernaturalis beatitudinis, quales sunt homines et Angeli, beati et viatores. Qui enim æternas pœnas luunt, sunt extra rationem proximi, quia jam non possunt communicare nobiscum in æterna beatitudine ; nam ratio formalis constitutiva creaturæ intellectualis in esse proximi, quem per se respicit charitas, est prædicta possibilitas, seu capacitas ad consequutionem supernaturalis beatitudinis. Tum quia illa est ratio formalis constitutiva alicujus effectus, qua posita, ponitur, et ablata, aufertur : sed posita in creatura intellectuali prædicta possibilitate ad consequendam beatitudinem, est proximus per charitatem diligendus, et ea ablata, desinit esse proximus, ut

Luc. 10.

constat in iis, qui æternis pœnis sunt addicti : ergo, etc. Tum etiam, quia eo ipso, quod aliqua creatura sit in statu consequendi beatitudinem, conjungitur nobis per communicationem beneficiorum spectantium ad vitam æternam, quatenus vel illa nobis conferre potest, vel a nobis recipere : Sed *ratio proxima* attenditur penes hanc communicationem, ut docent D. August. *lib.* 1 *de doctrina Christiana, cap.* 30, et D. Thom. *in hac* 2, 2, *quæst.* 25, *artic.* 10, *et quæstione unica, de Charitate, artic.* 7 *ad ultim.* Ergo prædicta capacitas, seu possibilitas ad consequutionem prædictæ beatitudinis, est ratio constitutiva creaturæ rationalis in esse proximi nostri diligendi præcepto charitatis. Quæ ut ex eodem præcepto liquet, potest diligere proximos propter Deum, præceptum quippe non est de re impossibili. Cæterum cum in charitate duplicis amoris ratio considerari queat, concupiscentiæ scilicet, et amicitiæ, merito dubitamus, quonam ex his modis se habeat ad proximos ? Inter quos aliqui sunt in gratia et Deo conjuncti per amorem, aliqui vero in peccato et a Deo aversi ; et idcirco ut clarior et universalior sit doctrina, de singulis seorsim agendum erit.

D. Aug. D. Tho. Status quæstionis.

§ I.

Statuitur prior assertio.

Conclusio prima.

36. Dicendum ergo est primo, charitatem esse veram, et propriam amicitiam respectu proximi existentis in gratia. Hæc assertio est D. Thom. infra, *quæst.* 25, *art.* 1. Quam docent ibidem Cajet. Aragon, Ferre *quæst.* 8, § 7, et communiter Thomistæ, Suarez *lib.* 3, *de relig. cap.* 5, *num.* 12, Granad. *controvers.* 3, *tractat.* 1, *disput.* 3, *sect.* 4, Valent. *tom.* 3, *disput.* 3, *q.* 1, *p.* 2, Lorca *disp.* 24, *sect.* 3, Azor. *tom.* 1, *lib.* 9, *cap.* 3, *quæst.* 5, et alii.

D. Tho. Cajet. Aragon. Ferre. Suar. Granad. Valent. Lorca. Azor.

Fundamentum.

Probatur hæc assertio ratione ; nam affectus quo charitas diligit proximum existentem in gratia, est veræ benevolentiæ amor respectu illius: ergo et amicitiæ. Consequentia admittitur ab omnibus, et merito, quia prædictus amor fundatur alias in communicatione gratiæ, et supernaturalium donorum inter amantes, inter quos etiam est redamatio, omnes quippe justi diligunt seipsos ex charitate, quantumvis loco, et exteriori communicatione distent ; nam ut bene Ambrosius sermone 87 : *Est sancte viventibus quædam inter se cognatio, atque societas. Neque interest, utrum in cœlis maneant, an in terris; charitas enim connectit quos separat elementum.* Amicitia autem nihil aliud est, quam mutuæ benevolentiæ amor super alicujus boni communione fundatus, ut constat ex tota disputatione præcedenti. D. Amb.

Antecedens vero, in quo est difficultas, suadetur : tum quia per charitatem volumus augmentum gratiæ, et æternam beatitudinem justis propter ipsos, sicut propter finem proximum boni voliti ; quia omne accidens ordinatur ad bene *esse* sui subjecti, et propter illud quæritur, et appetitur : ad benevolentiam autem sufficit, ut quis velit bona alteri propter ipsum, sicut propter finem proximum boni voliti. Tum etiam, quia amor charitatis increatæ, quo Deus diligit justos, habet rationem benevolentiæ respectu illorum ; attingit enim illos pro eorum meritis. Justi autem eo ipso quod tales, sunt objectum congruum divinæ dilectionis amicabilis: ergo idem dicendum erit de illo, quem erga justos elicit charitas creata. Patet consequentia ; nam charitas creata est participatio quædam charitatis divinæ, et sub eadem ratione formali ac illa attingit creaturas.

Confirmatur : nam amor, quo fratres diligunt se reciproce, eo quod sunt ejusdem patris, ab eademque stirpe progeniti, est affectus benevolentiæ, et amicitiæ consanguinitatis respectu illorum : sed justi diligunt se reciproce, quia filii ejusdem Patris, scilicet Dei, et in illius natura mutuo communicant : ergo prædictus amor est affectus benevolentiæ, et amicitiæ respectu illorum : non alterius nisi charitatis, qua per se primo Deum amant : ergo, etc. Roboratur.

37. Huic rationi occurrunt Adversarii infra referendi negando antecedens. Et ad priorem illius probationem respondent, ad amorem benevolentiæ non sufficere ut quis velit bona alteri propter ipsum ex parte boni voliti, sed necessarium esse, quod respiciat illum ut specificativum, et motivum positive, vel saltem præcisive ultimum sui affectus, quod non potest competere charitati respectu proximi. Effugium.

Ad secundam dicunt, quod licet Deus prosequatur ex benevolentia justos, non tamen per charitatem, qua diligit seipsum ut finem ultimum, et quam imitatur charitas nostra theologica ; sed per alias virtutes morales, quæ speciem capiunt a creaturis, et

et ab intrinseca illarum bonitate per se primo moventur, quarumque etiam formalis participatio existit in justis, non quidem media charitate, sed ex vi aliarum virtutum moralium supernaturalium, quæ per se primo tendunt in proximos, et ab eis speciem participant.

æclu-itur. Verum hæc evasio præclusa, et impugnata manet ex dictis *dub.* 1, *disp. præced.* nam ut ibi ostendimus, ad amorem benevolentiæ proprie dictæ erga aliquam personam sufficit velle illi bona propter ipsam, sicut propter finem proximum bonum voliti. Nec destruit hujus amoris rationem, sed potius perficit, quod tam personam amatam, quam bona illi concupita ordinet ad ultimum eorum finem, nempe Deum. Quocirca optime potest Deus ipse amare ex benevolentia justos per affectum charitatis, quo diligit seipsum ut summum bonum, et ultimum finem. Eo vel maxime, quia alias nullius virtutis actus posset illos ex benevolentia diligere; cum nequeat respicere creaturas, ut objectum motivum, et specificativum alicujus actus sibi intrinseci, ob imperfectionem quæ in hoc respectu includitur, ut ibidem ostendimus.

lia con-usionis ratio. 38. Secundo probatur nostra sententia, et simul evertitur fundamentum contrariorum; quoniam si propter aliquam rationem charitas non esset amor benevolentiæ amicabilis erga proximum existentem in gratia, maxime quia non potest attingere illum ut objectum formale motivum alicujus actus a se eliciti : sed hoc est falsum : ergo. Probatur minor; nam amor, quo appetimus justis augmentum charitatis, et æternam beatitudinem, in eisque complacemus, quia sancti sunt, et filii Dei, est actus elicitus a charitate theologica : sed objectum formale motivum, et specificativum prædicti actus, est bonum creatum intrinsecum ipsis justis, scilicet gratia sanctificans, qua constituuntur in esse filii Dei : ergo, etc. Major, quæ sola indiget probatione, suadetur. Tum quia amicitia, quæ habetur per se primo ad aliquam personam, extendi debet secundario ad amorem aliarum, quæ sunt idem cum illa; alias neque ipsam diligeret, ut ex terminis liquet : sed filii Dei, quatenus tales, reputantur idem cum illo; quia ut dicitur 1, ad Cor 6. Corinth. 6 : *Qui adhæret Deo, unus spiritus est :* ergo charitas, quæ est amicitia per se primo respectu Dei, diligere debet secundario justos, quatenus sunt illius filii, et amici. Tum etiam, quia velle malum justis, eo quod sunt filii, et amici Dei, est actus odii oppositi directe charitati theologicæ : ergo dilectio justorum, quatenus sunt filii, et amici Dei, est actus elicitus ab hac virtute; siquidem ratione hujus dilectionis gerit directam contrarietatem cum prædicto odio. Tum denique, quia dilectio aliquorum, quatenus communicant in sanguine, spectat ad consanguinitatis amicitiam; et amor aliquorum ortus ex convenientia in bono virtutis, pertinet ad amicitiam honesti : ergo amor, quo diligimus justos, eo quod sunt filii Dei communicantes cum illo in propria ipsius natura, non potest non esse actus amicitiæ supernaturalis fundatæ in communione divinæ naturæ, et terminatæ per se primo ad Deum, qualis est charitas. Patet consequentia primo a paritate. Deinde quia non est assignabilis alius habitus, a quo prædictus amor eliciatur.

39. Nec refert si contra hanc rationem objicias, quod idem debet esse objectum formale virtutis, ac actus illius : sed objectum formale motivum charitatis theologicæ non est aliud nisi summum bonum : igitur hoc dumtaxat, non vero aliqua perfectio creata potest esse objectum actuum, quos ipsa elicitive producit. Objectio.

Respondetur enim, actus charitatis esse in duplici differentia : alios primarios, qui attingunt immediate Deum, ut est in seipso summe bonus : alios vero secundarios, quales sunt illi, quibus diligimus formaliter proximum propter Deum. Quamvis ergo idem esse debeat objectum formale, et proxime motivum priorum actuum charitatis, ac ipsius virtutis, secus autem posteriorum; quia actus secundarius alicujus habitus, eo ipso quod talis, petit habere pro objecto formali, et proxime specificativo sui id ipsum, quod respectu prædicti habitus est secundarium, et materiale, ut ex professo declaravimus *tract.* 8, *disp.* 1, *dub.* 4, § 4. Unde cum dilectio proximi sit actus secundarius charitatis, potest, et habere debet pro objecto formali, et specificativo ipsum proximum, qui respectu habitus charitatis est objectum præcise materiale; proindeque ab intrinseca illius bonitate formaliter et immediate moveri, non quidem independenter a summa bonitate Dei, quæ est ratio formalis *sub qua* specificativa charitatis; sed cum dependentia ab illa sicut a ratione motiva mediata, et participata Respon-sio.

virtualiter in ipso proximo, ut dubio sequenti latius explicabimus.

Replica. D. Thom. Sed urgebis : actus dilectionis Dei, et proximi sunt ejusdem speciei, ut docet D. Thom. *in hac quæst.* 25, *art.* 1. Ergo idem est objectum motivum formale proximum utriusque; nam identitas, et diversitas specifica actuum desumitur ab illorum objecto formali proximo.

Solutio. Respondetur, dilectionem formalem Dei, et proximi esse ejusdem speciei in genere moris, secus autem physice; nam sicut ad priorem identitatem sufficit quod dilectio proximi attingat illum, quia est aliquid Dei, utputa filius, vel similitudo : ita ad posteriorem distinctionem satis est, quod habeat pro objecto formali proximo aliquod bonum creatum, ut constat a paritate in electione, et intentione, quæ cum sint ejusdem speciei in esse morali, distinguuntur specifice in genere physico. Videantur quæ diximus loco proxime citato § 5, ubi duplici alia via huic objectioni occurrimus, quas nunc brevitatis causa omittimus.

Alia objectio. 40. Nec etiam refert, si secundo objicias, requiri ad amicitiam, ut amicus diligatur independenter ab alio objecto prius amato, quia non potest aliter amari ratione sui, quod tamen essentiale est amicitiæ; sed justus, qua filius Dei, non diligitur nisi dependenter ab alio objecto prius amato, scilicet Deo : ergo licet prædictus amor sit proprius charitatis, quod negari nequit, non tamen habebit rationem amicitiæ respectu illius.

Diluitur. Respondetur negando majorem : tum quia stat optime aliquod objectum amari simul ratione sui, et propter aliud prius amatum, ut contingit in finibus intermediis, de quorum ratione est, ut ita diligantur propter se, quod appetantur simul propter aliud magis amatum : tum etiam, quia alias solum posset dari amicitia stricte dicta circa finem ultimum, cum ipse dumtaxat ametur independenter ab alio objecto prius amato; reliqua enim non diliguntur nisi dependenter ab ipso fine ultimo communi, vel particulari : tum denique, quia esto major hujus objectionis esset vera loquendo de amicitia comparative ad illius objectum principale; secus vero respectu objecti minus principalis, quo pacto se habet proximus ad amicitiam charitatis.

Replica. Dices : amor medii, quatenus talis, non est amicitiæ, sed concupiscentiæ : sed justus, qua filius Dei, amatur ut medium ad illius honorem conducens; quia non amatur ut est absolute bonus in seipso, sed relative ad Patrem : ergo prædictus amor non est amicitiæ respectu justi, sed concupiscentiæ.

Dissolvitur. Respondetur negando minorem, quam non evincit probatio; quia licet bonitas filii sit relativa ad Patrem, amor tamen, quo prosequimur justum ut filium Dei, non movetur ab aliqua utilitate, seu commoditate, quæ ex illius vita Deo obveniat; sed ex ipsa bonitate Dei, et conjunctione justi ad illum, quod sufficit ut prædictus amor non sit concupiscentiæ respectu justi, sed amicitiæ; alias nullus parens posset diligere proprios filios per consanguinitatis amicitiam, quod non debet admitti.

§ II.

Secunda assertio.

Alia conclusio. 41. Dicendum est secundo, charitatem esse etiam proprie, et formaliter amicitiam respectu proximi existentis in peccato mortali. Hæc assertio est D. Thom. *in hac* 2, 2, D. Tho. *quæst.* 25, *art.* 6, *et quæst. unic. de charit. art.* 4 *ad* 11 et clarius *in* 3, *distinct.* 27, *quæst.* 2, *art.* 1 *ad* 8, *ad* 11 et 12 *et dist.* 28, *quæst.* 1, *art.* 4 quem sequuntur omnes Authores in favorem præcedentis adducti.

Nota 1. Probatur ratione, animadvertendo prius, quod amicitia inita per se primo cum aliqua persona, extendi potest secundario ad dilectionem aliarum, quæ ad illam spectant; qui enim diligit intense Petrum ob naturæ indolem, vel sanctitatis splendorem, eo ipso prosequitur amore personas, quæ illum sanguinis conjunctione attingunt, quales sunt filii, fratres, vel parentes : unde cum amor charitatis sit amicitia perfecta circa Deum sicut circa objectum primarium, extendi potest ratione illius, adeoque secundario ad diligendas omnes creaturas rationales existentes in hac vita, quantumvis alias sint infectæ peccatis; quia omnes illæ pertinent ad ipsum Deum ut illius effectus, imagines, et participationes.

Nota 2. Secundo nota, actum quo peccatoribus concupiscimus æternam beatitudinem, quia sunt imagines, et participationes Dei ad illius possessionem ordinatæ, esse amorem benevolentiæ erga illos elicitum a charitate : tum quia finis proximus, et utilitatis, tam prædicti actus, quam boni voliti per illum, sunt ipsi peccatores. Tum quia per prædictum affectum satisfacimus præcepto charitatis

charitatis de diligendis proximis sicut nos ipsos, imposito *Matth.* 22. Non satisfieret autem a nobis prædicto præcepto, nisi diligeremus peccatores ex benevolentia, quoniam hoc pacto diligit unusquisque ex charitate seipsum. Tum denique, quia ut tradit D. Thom. *in hac* 2, 2, *q.* 25, *art.* 2 *ad* 3 *et quæst.* 26, *art.* 2, *et quæst.* 31, *art.* 1 *et in* 3, *dist.* 27, *q.* 2, *art.* 1, hoc interest discriminis inter amorem charitatis, quo diligimus damnatos, et peccatores existentes in hac vita, quod ille est concupiscentiæ, hic vero benevolentiæ respectu sui objecti immediati, scilicet peccatoris.

Observa denique, communicationem in bono, et benevolentiæ redamationem, quæ ponuntur in diffinitione amicitiæ, solum exigi ab illa (saltem per se loquendo) prout tendit in suum objectum primarium, non vero quatenus ad secundarium extenditur. Tum quia virtutis diffinitio explicanda est per ordinem ad objectum specificativum illius, quod est solum objectum primarium. Tum deinde, quia redamatio et mutua communicatio in aliquo bono solum est necessaria ad amicitiam comparative ad illius objectum primarium, quatenus hæc ex suo quidditativo conceptu includit permanentiam. Ut autem amicitia, qua prosequimur aliquas personas ratione alterius per se primo dilectæ, sit perpetua, necesse non est, quod cum illis in bonis fundantibus prædictam amicitiam communicemus, aut ab ipsis ex benevolentia redamemur, sed sufficit et requiritur, quod prædictam communicationem habeamus cum persona per se primo dilecta ; nam quamdiu perstiterit amicitia circa illam, tandiu durabit circa alias ad ipsam pertinentes, quamvis neque ab illis redamemur, nec alia amoris officia recipiamus.

42. Ex his formatur sequens ratio pro assertione Amor quo concupiscimus peccatoribus æternam beatitudinem, quia sunt Dei imagines ad illius possessionem ordinatæ, est actus elicitus a charitate : sed hujusmodi actus est proprie, et formaliter amicitia actualis respectu illorum : charitas igitur est vera, et formalis amicitia habitualis comparative ad proximum infectum peccato. Major et consequentia constant, quia velle æternam beatitudinem peccatoribus, eo quod sunt Dei imagines, est diligere illos propter Deum, et in Deo, qui est actus proprius charitatis. Minor vero suadetur, quia prædictus amor est formalis benevolentia erga peccatores : ergo et amicitia. Antecedens liquet ex primo notabili. Consequentia vero ex ultimo, quia benevolentiæ amor solum potest excludi a ratione amicitiæ, defectu communicationis in eodem bono, et redamationis ; quæ conditiones non requiruntur respectu personæ, quam diligimus propter aliam, qualiter amamus proximum ex charitate. Præterquam quod peccatores existentes in statu viæ communicant actu cum justis in auxiliis supernaturalibus, nècnon in potentia obedientiali, et ordinatione passiva in æternam beatitudinem.

Confirmatur primo ; nam eodem modo diligimus peccatores per charitatem, sicut Christus dilexit nos, ut constat ex his quæ habentur *Joan.* 15. Sed Christus Dominus diligit nos ex vera amicitia, non enim alias tanto opere commendaret nobis suam charitatem : ergo, etc. Roboratur. Joan. 15.

Confirmatur secundo, quia beneficentia, et fraterna correctio sunt actus amicitiæ erga personam, circa quam exercentur, ut probat D. Thom. infra, *quæst.* 31 *et* 33, ex eoque præterea suadetur, quia propria munia amicitiæ sunt excludere nocumentum ab amico, eique ex affectu ad ipsum bona conferre, quæ est essentia prædictorum actum : sed charitas exercet beneficentiam, et correctionem fraternam erga peccatores, ut ostendit Angel. Doctor *quæst. modo citatis :* ergo est vera amicitia respectu illorum. D. Tho.

43. Contra hanc tamen conclusionem plura sese offerunt, ex quorum solutione amplius illustrabitur. Objicies ergo primo, quod amicitia solum potest esse erga paucos, eosque virtute præditos, ut tradit Philosoph. 8 *Ethic. lect.* 6. Sed peccatores sunt quamplurimi, verisque virtutibus destituti : charitas igitur respectu illorum habere nequit rationem amicitiæ. Prima objectio. Aristot.

Secundo, quia amicorum idem est velle, et nolle, ut superius diximus : sed justi non habent idem velle, et nollè cum peccatoribus, sed ab eis potius in volito dissident : ergo non possunt illos ex amicitia charitatis prosequi. Secunda.

Tertio : nam amici appetunt simul convivere, et conversari, ob dilectionem, quam experiuntur in hac communicatione : sed justi non appetunt convivere, et conversari cum peccatoribus, sed potius illorum convictum fugiunt, et declinant quasi sibi exosum : ergo idem quod prius. Tertia.

Quarto : nam amicitia solum potest ha- Quarta.

beri ad similes, quia similitudo est causa amicitiæ, sicut dissimilitudo causa odii: atqui peccatores non sunt similes justis, sed dissimiles: inter utrosque igitur esse non potest amicitia virtutis, qualis est charitas.

Quinta. D. Tho. Quinto: nam ut docet D. Thom. *hac* 2, 2, *quæst.* 23, *art.* 1, amicitia charitatis fundatur in communicatione vitæ divinæ, quæ habetur per gratiam: sed proximi existentes in peccato mortali, non communicant in hac vita deifica: ergo non possunt amari ex amicitia charitatis. Præsertim cum non detur in ipsis redamatio, quæ est conditio necessario requisita ad amicitiam.

Sexta. Sexto: nam eodem modo se habet charitas nostra respectu hominum peccatorum, ac charitas divina, et increata, cujus est participatio: sed charitas increata non habet rationem amicitiæ respectu iniquorum, cum Deus non sit amicus hominis infecti peccato, sed potius inimicus: ergo nec charitas nostra.

Septima. Septimo: quoniam amicitia non est ad inimicos, sed ad amicos tantum, utpote ad quos relative dicitur: sed ex peccatoribus sæpe aliqui sunt nobis offensi, et inimici: charitas igitur non potest habere rationem amicitiæ respectu illorum.

Octava. Octavo, et ultimo: quia charitas non est amicitia respectu illius, cujus æterna reprobatio constat nobis revelatione divina, qualis est Antichristus; quis enim dicet, Christianos esse amicos Antichristi, quem sciunt esse filium perditionis? Sed Antichristus quandiu vivit in hac vita, est proximus: charitas igitur non est amicitia respectu omnis proximi.

Diluitur prima objectio. D. Tho. 44. Hæc tamen facile expediuntur; ad primam enim objectionem respondetur cum D. Thom. *in* 3 *dist. quæst.* 2, *art.* 1 *ad* 12, *et quæst. unic. de Charit. art.* 4 *ad* 11, *et in hac* 2, 2, *quæst.* 23, *art.* 1 *ad* 3, Aristotelem loqui de amicitia per respectum ad illius objectum primarium, non vero comparative ad secundarium, uti se habet proximus ad charitatem. Quia etsi difficile sit plures ratione sui arridere amanti, et cum eo moribus, et vita convenire; facile tamen est, ut ei placeant ratione alterius supposita per se primo dilecti. Unde amicitia honesti, quæ habetur ad Petrum, extendi potest ad illius filios, quantumvis plures sint, et moribus depravati.

Satisfit secundæ. Ad secundam respondetur, etiam illam conditionem competere amicitiæ per ordinem ad objectum primarium, a quo speciem desumit; cum amico enim, quem ratione alterius diligimus, sufficit quod appetamus habere conformitatem voluntatis.

Accedit, amicorum idem esse velle et nolle, quantum ad ea, quæ licite amant; si enim contingat aliquem ex amicis ad inhonesta deflectere, non debet alter confirmari cum illius voluntate, vel illius amicitiam statim rescindere; sed speciali cura studere, ut ad pristinam affectus unionem, et virtutis semitam regrediatur; tandiuque tenetur in eo studio, et amicitia persistere, quandiu fuerit spes sanandi amicum, ut docet Philosoph. 9 *Ethic. cap.* 3, et ex illo Aristot. D. Thom. 2, 2, *quæst.* 25, *art.* 6 *ad* 2, *et in* D. Tho. 3, *distinct.* 28, *quæst.* 1, *art.* 4. Unde cum justi diligant hoc modo peccatores per charitatem (appetunt enim eos velle quæ ipsi volunt, et gaudere de iis, de quibus ipsi gaudent, eo quod in hac conformitate affectus peccatorum felicitas consistit), prædictus amor habet rationem amicitiæ respectu ipsorum.

Occurritur tertiæ. D. Tho. 45. Ad tertiam objectionem occurrit D. Thom. *in hac quæst.* 25, *art.* 6 *ad* 5, his verbis: « Quod convivere cum peccatoribus est quidem vitandum infirmis, propter periculum quod eis imminet, ne ab illis subvertantur; perfectis autem, de quorum corruptione non timetur, laudabile est quod cum peccatoribus conversentur, ut eos convertant; sic enim Dominus cum peccatoribus manducabat, et bibebat, ut dicitur Matth. 9. »

Quibus adde, omnes justos appetere convivere cum peccatoribus, non in actibus peccati, sed in operibus gratiæ, et æterna beatitudine; quod sufficit, ut illos ex amicitia charitatis prosequantur. Præsertim cum illa conditio conveniat amicitiæ respectu personæ, ad quam principaliter habetur; non vero comparative ad alias, quæ diliguntur in quantum pertinent ad principalem amicum, ut docet D. Thom. *in* 3, *dis-* D. Tho. *tinct.* 27, *quæst.* 2, *artic.* 1 *ad* 11.

Dissolvitur quarta. D. Tho. Ad quartam respondet S. Doct. *in* 3, *distinct.* 28, *quæst.* 1, *art.* 4 *ad* 2, quod peccatores sunt similes justis in natura rationali, et possibilitate consequendi æternam beatitudinem. Quæ similitudo sufficiens est ut ab eis diligantur ex amicitia charitatis, ut socii in futura felicitate, quam præstolantur. Dissimilitudo autem proveniens ex malitia in causa est, ut peccatores odio habeantur

beantur in quantum mali, quod etiam spectat ad amicitiam charitatis, per quam a justis diliguntur, ut superius diximus.

46. Ad quintam occurrit idem Angel. Magister *art. proxime citato ad* 1, in hac forma : *Dicendum, quod charitas non exigit communicationem in vita divina in actu* (intellige respectu proximi), *sed sufficit quod sit in potentia; quia quod est in potentia, quodammodo est.* Quo etiam pacto respondet ad illud, quod in hac objectione tangitur de redamatione ; sic enim habet in solutione ad 4. « Dicendum quod quamvis « peccatores actu non redament, possunt « tamen redamare, et præcipue in futura « vita, cujus conjunctionem præcipue at- « tendit charitas. Unde bene potest esse « etiam inter eos, qui se in hac vita non « cognoscunt. » Videatur etiam *in* 3, *dist.* 27, *q.* 2, *art.* 1 *ad* 8.

Ex qua doctrina dissoluta manet quædam alia objectio, quæ ex supra dictis fieri posset contra nostram assertionem, nempe quod si objectum amatum secundario ex amicitia, non debet communicare cum amante in eodem modo vitæ, nec illum redamare, poterit charitas habere rationem amicitiæ respectu creaturæ irrationalis, quam propter Deum amat.

Hæc, inquam, objectio præclusa, et dissoluta manet ex verbis modo adductis D. Thomæ, quia licet objectum secundarium charitatis, ut est supernaturalis amicitia, non debeat communicare actu in vita gratiæ cum amante, neque illum redamare, bene tamen in potentia, per quod excluduntur creaturæ irrationales. Ratio vero hujus doctrinæ est, tum quia primum bonum, quod appetimus creaturis, ad quas per charitatis amicitiam afficimur, est ut charitatem, et æternam beatitudinem consequantur, ut ex D. Thom. probat Cajet. *in hac quæst.* 25, *artic.* 1. Quæ volitio supponit in eis potentiam assequendi prædicta dona, cujus potentiæ expertia sunt irrationalia, et damnati. Tum etiam, quia omnis amicitia includit benevolentiæ amorem respectu amici ; qui amor non potest haberi, nisi ad creaturas rationales, a quibus possumus redamari. Unde hæc potentia per se exigitur in omni objecto, cui unimur per charitatem, ut induit rationem amicitiæ.

47. Ad sextam objectionem respondetur, quod licet charitas increata non habeat rationem amicitiæ respectu peccatoris pro tempore, quo existit in peccato, bene tamen charitas creata. Et ratio disparitatis est, quod justus vult peccatori charitatem, et gratiam, quas tamen Deus illi non vult efficaciter pro duratione, in qua existit in peccato, etiam divisive accepta ; alias non esset in peccato, sed in gratia. Ad hoc autem ut quis diligat aliquam personam ex amicitia propria charitatis, requiritur quod ei velit absolute, et attentis omnibus ipsam charitatem ; quia ut modo dicebamus ex utroque Thoma, charitas est primum bonum quod optare tenemur omnibus, ad quos illius amicitiam habemus.

Neque obest, charitatem creatam esse participationem formalem increatæ ; quoniam sicut hæc participatio non obstat quominus charitas nostra sit amor affectivus erga creaturas, quod non habet charitas divina ; ita nec obstat, ut sortiatur rationem amicitiæ erga peccatores, quæ non competit charitati increatæ. Et ratio est perspicua ex dictis, quoniam ad hoc, quod charitas nostra participet rationem amicitiæ erga peccatores, sufficit quod mutuetur ab illa inclinationem affectivam erga omnem proximum, eamque reducat ad actum secundum, concupiscendo illi gratiam et gloriam, quas charitas divina ipsi conferre potest ; nam eo ipso sortietur rationem amicitiæ respectu cujuscumque proximi, tam existentis in peccato, quam in gratia. Quæ denominatio non competit charitati increatæ ob rationem nuper assignatam.

Occurritur cuidam replicæ.

Ad septimam objectionem respondet D. Thom. supra *quæst.* 23, *art.* 1 *ad* 2, his verbis : « Ad secundum dicendum, quod « amicitia se extendit ad aliquem duplici- « ter. Uno modo ratione sui ipsius, et sic « amicitia nunquam est nisi ad amicum. « Alio modo se extendit ad aliquem res- « pectu alterius personæ, sicut si aliquis « habet amicitiam ad aliquem hominem, « ratione cujus diligit homines ad illum « hominem pertinentes, sive servos, sive « filios. Et tanta potest esse dilectio amici, « ut propter amicum amentur ii, qui ad « ipsum petinent, etiamsi nos offendant et « odiant ; et hoc modo amicitia charitatis « se extendit ad inimicos, quos diligimus « ex charitate in ordine ad Deum, ad quem « principaliter habetur amicitia chari- « tatis. »

Diluitur septima objectio. D. Tho.

48. Ad ultimam objectionem respondetur cum Lorca 1, 2, *q.* 25, *art.* 11, Suarez *disp.* 1, *de charitate, sect.* 2, Castillo *in*

Diruitur ultima. Lorca. Suarez. Castillo.

Arauxo. *hoc tract. disp.* 1, *q.* 1, *in fine,* Arauxo *in hac* 2, 2, *q.* 25, *art.* 6, negando majorem. Tum quia eo modo possumus Antichristum amare, quo ipse tenetur se diligere : Antichristus autem tenetur diligere se ex benevolentia charitatis, alias non peccaret in omissione hujus amoris, quod non debet admitti. Tum etiam, quia dum quis non habet impotentiam absolutam consequendi beatitudinem, est proximus per amicitiam charitatis diligendus : Antichristus autem, et alii reprobi, dum sunt in hac vita, non habent impotentiam absolutam consequendi beatitudinem, sed possunt illam simpliciter et absolute assequi : debent igitur ex charitatis amicitia diligi. Eo vel maxime, quia alias is, de cujus reprobatione certi essemus, non posset ex amicitia charitatis a nobis prosequi, etiamsi in culmine sanctitatis existeret. Quod tamen apparet evidenter falsum, cum pro tunc sit Dei amicus, et illi gratus. Ad probationem autem dicendum, nomen *Antichristi* magis esse malitiæ, quam naturæ. Unde ad Antichristum non debemus habere amicitiam charitatis, bene tamen ad personam, quæ dicitur *Antichristus,* prout est capax assequendi æternam beatitudinem.

Replica. Dices : Antichristo non possumus velle æternam beatitudinem : ergo neque illum diligere ex amicitia charitatis. Consequentia patet, quia hujusmodi amicitia fundatur in communicatione beatitudinis supernaturalis. Antecedens suadetur, quia non possumus licite Deum orare, ut conferat *Antichristo* beatitudinem, eo quod hæc oratio frustranea esset, et præjudicans immutabili decreto divinæ voluntatis : id autem quod non potest a Deo exorari, nequit licite appeti, et desiderari, quia oratio est petitio decentium a Deo.

Solutio. Respondetur, quod esto non possimus appetere Antichristo beatitudinem affectu efficaci, et voluntate consequenti, sed inefficaci tantum, et voluntate antecedenti ; valemus tamen illi absolute appetere, quod gratiam assequatur, et diu in illa persistat, et ne sit æque malus, ac potest : quæ voluntas sufficit ad amicitiam propriam charitatis, supposita potentia absoluta consequendi beatitudinem, quam habet omnis reprobus dum est in via. Videantur D. Thomas 1 *p. quæst.* 113, *art.* 4 *ad* 3, et Arauxo *loco citato,* ubi aliter occurrit huic replicæ.

D. Tho. Arauxo.

§ III.

Opposita sententia cum suis argumentis.

Opinio contraria. 49. Contra utramque assertionem a nobis statutam sentiunt Vasquez *lib.* 1, *de adorat. disp.* 6, *cap.* 2, et *lib.* 3, *disp.* 1, *cap.* 3, Hurtado *disp.* 130, *sect.* 2, Lessius *lib.* 2, *de justitia et jure, cap.* 36, *dub.* 3, *num.* 18, Ripalda *in præsenti, disp.* 32, *sect.* 1, Turrianus, et alii recentiores, qui opinantur amorem charitatis, quo diligimus proximum, non esse amicitiæ formaliter, et proprie dictæ respectu illius, sed concupiscentiæ tantum. Pro qua sententia arguitur primo ratione a priori ; nam ad amicitiam proprie, et stricte dictam requiritur, quod amicus diligatur propter seipsum, sicut propter objectum formale amoris ; quia ut inquit Philosoph. 8 *Ethic. cap.* 9, amici volunt bona iis, quos amant, illorum tamen gratia : sed charitas non diligit proximum propter seipsum, sicut propter objectum formale hujus amoris, quia objectum formale charitatis est solus Deus, ut dubio 2 hujus disputationis vidimus : ergo non est amicitia proprie, et formaliter dicta respectu proximi.

Vasq. Hurtado. Lessius. Ripalda. Turrian.

Argumentum primum.

Aristot.

Confirmatio. Confirmatur : nam dilectio amicabilis debet esse proprie, et formaliter benevolentia erga amicum : sed amor quo proximus diligitur propter Deum, non est benevolentia erga illum, sed concupiscentia : ergo cum hac ratione ametur proximus per charitatem, non poterit hæc virtus habere rationem amicitiæ respectu illius. Suadetur minor, quia ut docent communiter Theologi cum D. Thom. 1, *contra gent. cap.* 91, *et* 1, 2, *quæst.* 26, *art.* 4, amor benevolentiæ est ille, qui fertur in objectum propter ipsum ; concupiscentiæ vero, qui afficitur in amatum propter aliud ; unde cum unico actu plura objecta prosequimur, idem numero amor est benevolentia respectu suppositi quod diligitur propter se, et concupiscentia respectu aliorum, quæ tanquam objecta secundaria amantur propter illud : constat autem amorem, quo diligimus proximum propter Deum, non affici in proximum propter seipsum, sed ratione divinæ bonitatis, quam per se primo amamus : ergo, etc.

D. Tho.

Solutio argumenti. Huic argumento respondetur primo, majorem solum esse veram loquendo de amico, qui diligitur ut objectum primarium amicitiæ, non vero de illo, qui amatur ut objectum

jectum illius secundarium (qualiter proximus se habet ad charitatem); is enim non petit diligi ut objectum formale amoris, sed sufficit quod ei velimus bonum, ut est illius sicut finis proximi, ut constat in amore amicitiæ Dei ad homines justos, quos non respicit ut objectum formale, et specificativum sui, sed solum ut finem proximum donorum supernaturalium, quæ illis impertitur.

lia pon- io. 50. Secundo respondetur, admissa majori negando minorem; quoniam licet virtus charitatis non respiciat proximum ut objectum formale, sed solum ut materiale, et secundarium; dilectio tamen proximi, quæ est actus secundarius prædictæ virtutis, respicit illum ut objectum formale sui, ut constat ex dictis § 1. Quod sufficit ad hoc ut charitas, quatenus inclinat, et explicatur in prædictum actum secundarium, sit vera et formalis amicitia respectu proximi, quem propter Deum amat.

itur ffir- tio. Tho. Ad confirmationem respondetur negando minorem, ad cujus probationem dicendum, quod ut tradit D. Thom. locis in argumento citatis, ratio benevolentiæ salvatur indemnis ex eo præcise, quod quis velit bonum alicui personæ, ut est bonum illius, quamvis personam ipsam ordinet ulterius ad suum ultimum finem. Ad concupiscentiam vero requiritur, ut quis afficiatur in aliquod objectum in quantum præcise cedit in bonum alterius, ad illudque ordinatur; quo pacto appetimus conservationem vini, ut illud bibamus. Unde cum charitas velit proximo æternam beatitudinem ut est bonum illius, sive ut illi bene sit, non potest non induere rationem benevolentiæ respectu dicti proximi, sicut et concupiscentiæ respectu beatitudinis, quam ei desiderat, tametsi respiciat proximum ut objectum secundarium, quod diligit propter Deum.

in- ar- en- a. 51. Secundo arguitur: nam si propter aliquam rationem charitas esset amicitia erga proximos, maxime quia versatur circa illos ut filios, et amicos Dei: sed hic amor non est amicitia propria, et formalis respectu proximi, sed tantum respectu Dei: ergo. Probatur minor: tum quia actus, quo filii Petri diliguntur a nobis, vel ab ipso Petro, quia filii ejus sunt, non est amicitia propria et formalis respectu illorum, sed concupiscentia: ergo idem proportionabiliter dicendum est de amore, qui fertur in proximos qua filios Dei. Tum etiam, quia elargitio eleemosynæ propter Deum non est actus misericordiæ proprie, et formaliter, sed materialiter tantum; formaliter quippe est actus charitatis, utpote exercitus ex motivo illius: sed amor qui tendit in proximos qua filios Dei exercetur etiam ex motione bonitatis increatæ, et propriæ ipsius Dei. Ergo non est amicitia formalis respectu proximi, sed solum respectu Dei.

Confirmatur primo: nam amor quo diligimus proximos ob intrinsecam, et absolutam illorum bonitatem, diversus est ab eo, qui fertur in illos ut filios Dei: sed prior ille amor est amicitia proprie, et formaliter dicta respectu proximi: secus ergo hic posterior. Confirmatio prima.

Confirmatur secundo: nam charitas eodem modo fertur in proximos, ac in damnatos, et creaturas irrationales; omnia quippe diligit propter divinam bonitatem, ad illiusque gloriam, et manifestationem: sed respectu damnatorum, et irrationalium non est amicitia: ergo nec respectu proximi, nisi forsan materialiter, et improprie, quatenus scilicet illa obsequia ei impendit, quæ sufficerent ad strictam amicitiam, si ex benevolentiæ motivo tribuerentur. Secunda.

Confirmatur tertio, quia per charitatem amamus proximos sicut nos ipsos: at charitas respectu nostri non est amicitia, cum hujus ratio ad alterum tendat: ergo nec erga proximos. Tertia.

Respondetur huic argumento negando minorem, et antecedens prioris probationis; nam amor qui fertur in filios Petri, quia filii illius sunt, est vera amicitia respectu illorum, saltem sicut objecti minus principalis, et secundarii; ad id namque sufficit, ut ratio motiva prædicti amoris sit bonitas Petri insumul cum unione naturali filiorum ad ipsum. Alias tollenda erit de medio amicitia consanguinitatis, cum illius affectus vel sit filii ad patrem ut patrem, vel patris ad filium qua filium, vel fratris ad fratres qua consanguineos; in omnibus enim his affectibus militat eadem ratio, quoniam sicut filius amatur relative ad patrem, ita pater diligitur relative ad filium, et frater respective ad utrumque, ut ex se liquet. Occurritur argumento.

Ad secundam probationem respondetur negando majorem; nam elargitio eleemosynæ facta propter Deum, est actus elicitus a misericordia, et imperatus a charitate; quia licet motivum ultimum, et influens ex

intentione expressa operantis in prædictum actum sit Deus, proximum tamen, et ex natura rei ab illo inspectum est sublevatio alienæ miseriæ. Unde prædicta elargitio eleemosynæ est in specie formali utriusque virtutis, misericordiæ scilicet, et charitatis, licet diverso modo.

Diluitur confirmatio prima.

52. Ad primam confirmationem respondetur negando majorem, si bonitas absoluta, propter quam proximus diligitur, sit illa, quam habet ex gratia, et donis supernaturalibus; nam amor terminatus ad proximum ob hujusmodi bonitatem, tam absolute, quam respective sumptam, est ejusdem speciei, propriusque charitatis theologicæ, ut dubio sequenti constabit. Si vero proximus diligatur propter alias perfectiones naturales, quales sunt claritas sanguinis, splendor doctrinæ, et similes, erunt quidem prædicti affectus amicitiæ stricte dictæ erga illum, diversique specifice ab amore, quo diligitur ut filius Dei, quia illi pertinent ad amicitiam naturalem, istæ vero ad supernaturalem, et propriam charitatis. Non enim inconvenit, ut eandem numero personam pluribus specie amicitiis diligamus, et ideo concessa utraque præmissa, negatur consequentia.

Satisfit secundæ. D. Tho. Cajet.

Ad secundam confirmationem respondetur ex D. Thom. et Cajetano *in hac* 2, 2, *quæst.* 25, *art.* 1 *et* 2, quod proximus potest amari dupliciter per charitatem : uno modo ut res Dei, quam ad illius gloriam persistere cupimus ; et hic amor non est amicitiæ respectu proximi, sed concupiscentiæ, quia versatur circa illum eo dumtaxat modo, quo circa irrationalia, ad quæ non habetur amicitia. Alio modo diligitur proximus per charitatem ut filius Dei, particeps nobiscum in futura beatitudine, sive ut objectum, cui volumus ipsam charitatem, et beatitudinis consortium. Et hic affectus est amicitia proprie, et stricte dicta erga proximum, nec extenditur ad irrationalia, utpote quibus concupiscere non possumus charitatem, quæ est bonum primo, et necessario volendum creaturæ, quam ex amicitia charitatis diligimus, ut loco citato probat S. Doctor.

Responsio ad tertiam. D. Tho.

53. Ad tertiam confirmationem dupliciter occurrit D. Thom. nam *in* 3, *dist.* 28, *q.* 1, *art.* 6, respondet quod licet nomen *amicitiæ* imponatur proprie ad significandum amorem, qui ad alios diffunditur , nihilominus tamen etiam amor, quem quis habet ad seipsum, amicitia, et charitas dici potest, in quantum affectus, qui habetur ad alterum, procedit a similitudine amoris, quem quis habet ad seipsum. Enimvero cum præcipuum, quod amicitia significat, sit unio affectiva inter amantes, hæcque perfectius habeatur ad seipsum, quam ad alterum ; idcirco amor, quo unusquisque diligit seipsum, dici potest quasi per excellentiam amicitia.

Alia responsio. D. Tho.

Secundo respondet *in hac quæst.* 25, *artic.* 4, quod licet non possimus habere amicitiam ad nos ipsos sicut ad objectum primarium illius ; bene autem sicut ad objectum secundarium, quod propter aliud magis dilectum amamus. Unde cum charitas sit amicitia erga Deum principaliter, et ex consequenti ad creaturas rationales, inter quas est ejus subjectum, potest inducere rationem amicitiæ respectu illius.

Adde, quod licet charitas non esset amicitia respectu nostri, bene tamen respectu aliorum, eo quod inveniatur in illis alteritas suppositorum, ob cujus defectum non induit rationem amicitiæ respectu nostri. Cujus rei est manifesta instantia in amicitia naturali, qua non diligimus nos ipsos ut amicos, sed alios , qui nobiscum in eisdem bonis communicant ; quippe respectu nostri solum est amor strictissime dictus, qui est forma, et mensura amicitiæ, quæ habetur ad alios. Cui doctrinæ robur adjicient dicenda dubio sequenti, ubi veritas in hoc dubio statuta amplius illustrabitur.

DUBIUM IV.

Utrum præter charitatem theologicam detur de facto, aut de possibili alia moralis, et infusa, quæ sit per se amicitia erga proximum ?

54. Nullus Catholicorum negare potest, esse de facto aliquam virtutem supernaturalem, quæ sit amicitia proprie dicta erga proximos, gratia præsertim, et divinis charismatibus exornatos. Tum quia ex divino præcepto tenemur amare proximos eo modo, quo Christus Dominus dilexit nos, tradens animam suam pro nobis ; dicitur enim Joan. 16: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos.* Quod præceptum esse charitatis, docet August. *tract.* 83, *in Joan. et* 8, *de Trinit. cap.* 8, Gregor. *homil.* 27, *in Evang.* Chrysost. *homil.* 76, *in Joan.* et alii Patres. Constat autem Christum Dominum dilexisse nos amore

Joan. 16. D. Aug. D. Greg. D. Chrys.

amicitiæ supernaturalis proprie et stricte dictæ. Tum etiam, quia proximus potest amari affectu supernaturali, propter virtutes, et perfectiones hujus ordinis absolute acceptas. Quem amorem manifestum est esse amicitiæ stricte dictæ erga proximum, cum afficiatur ad illum ob intrinsecam bonitatem supernaturalem, quæ in eo relucet; si enim amor proximi propter dotes illius naturales elicitus, constituitur inter affectus amicitiæ naturalis stricte dictæ, amor illius ob perfectiones supernaturales necessario constituendus est inter affectus amicitiæ supernaturalis proprie dictæ. Unde hujus doctrinæ veritate supposita (quam probat liquido Ripalda *in præs. disp.* 32, *sect.* 2). Authores qui cum illo negant, charitatem theologicam induere formalem rationem amicitiæ erga proximum, consequenter affirmant, de facto existere aliam charitatem infusam, et moralem, quæ respicit per se primo proximos ut amicos. Qui vero agnoscunt in charitate theologica rationem amicitiæ erga proximos, negant existentiam, et possibilitatem cujuscumque alterius charitatis infusæ. Cujus litis substantia modo examinanda est, videndumque utra ex dictis partibus nostrum suffragium mereatur.

§ I.

Patrum sententia eligitur, et elucidatur.

55. Dicendum ergo est, præter charitatem theologicam, neque de facto, neque de possibili existere aliam moralem per se infusam, quæ sit stricta, et directa amicitia erga proximum. Hæc conclusio est communis sententia SS. Patrum, præsertim Augustus. *lib.* 8, *de Trinit. cap.* 6, 7, *et* 8, D. Thom. *quæst. unic. de charit. art.* 5, *et in hac* 2, 2, *quæst.* 23, *art.* 4, *et quæst.* 25, *art.* 2, et pluribus aliis in locis; ubique enim loquitur de charitate quæ est supernaturalis amicitia Dei, et proximi, sicut de unica, ac indivisibili virtute omnium perfectissima. Qui etiam loquendi modus familiaris est Scripturæ sacræ, ut constat ex illo 1, ad Corinth. 13 : *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc, major autem horum est charitas.* Et ex illo, 1, Joan. 4 : *Si diligimus invicem, Deus in nobis manet, et charitas ejus in nobis perfecta est.* Unde hanc sententiam quasi germanam Scripturæ, et SS. Patrum tuentur omnes Thomistæ, Cajet. Bannez, Aragon, Arauxo, Joan. a S. Thom. *locis modo citatis ex* 2, 2. Quibus accedunt Suarez *in præsenti, disp.* 1, *sect.* 3, Azor. *tom.* 1, *lib.* 9, *cap.* 3, *quæst.* 5, *sect.* 4, Tannerus *disp.* 2, *quæst.* 2, *dist.* 2, Valentia *quæst.* 1, *punct.* 1, et plures alii. Cajet. Bannez. Aragon. Araujo. Joan. a S. Thom. Suar. Azor. Tanner. Valent.

Probatur primo : nam sacri Scriptores, et PP. non meminere alterius charitatis infusæ, nisi theologicæ, qua Deus diligitur propter se, et proximus propter Deum : ergo præter hujusmodi charitatem non debet admitti alia supernaturalis, quæ sit stricta amicitia erga proximum. Consequentia videtur perspicua, quia perfectiones supernaturales non debent introduci absque sufficienti fundamento in Scriptura, et Patribus. Antecedens autem est manifestum, quia neque Scriptura sacra, neque illius Interpretes, quos Ecclesia ut magistros veneratur, quales sunt Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Chrysost. Gregorius, Cyrillus, et D. Thom. alicubi mentionem faciunt prædictæ virtutis; quin potius de charitate, quatenus est amicitia Dei, et proximi, sicut de unica virtute loquuntur, ut constabit lustranti illorum opera, præsertim quæ ediderunt *in cap.* 13, 1, *ad Cor. et in Epistolas D. Joannis.* Fundamentum. Hieron. August. Chrys. Gregor. Cyrill. D. Tho.

Confirmatur : nam Scriptura sacra illam dumtaxat proximi dilectionem agnoscit, et commendat, quæ per se vivificat animam vita gratiæ : sed hujusmodi dilectio est propria charitatis theologicæ : hæc igitur dumtaxat nota est Scripturæ, et Patribus, proindeque a nobis admittenda. Minor, et utraque consequentia non indigent probatione. Major etiam constat ex illo 1, Joan. 3 : *Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Et ex illo cap. 4 ejusdem epistolæ : *Charissimi, diligamus nos invicem, quia charitas ex Deo est, et omnis qui diligit, ex Deo natus est.* Et aliis pluribus hujuscemodi. Fulcitur. 1. Joan 3. Joan. 4

56. Huic argumento occurrit Ripalda in præsenti, *disp.* 32, *sect.* 4, *num.* 42, concesso antecedenti negando consequentiam : primo quia sacri Scriptores, et Patres solum intendunt hortari fideles ad charitatem perfectissimam proximo, quæ non est moralis, sed theologica. Secundo, quia solum disserunt de charitate proximi, quæ certe justos, et peccatores complectitur, qualis est sola theologica; nam utrum moralis ad peccatores extendatur, sub dubitatione est. Qua de causa videntur non meminisse illius. Effugium. Ripalda.

Præcluditur. Cæterum, utraque hæc solutio non probat negandam esse consequentiam ; quia solum addit vires antecedenti, idque reipsa admittit, quo potissime nostra sententia fulcitur, et opposita convincitur falsitatis : nam in re, quæ viribus naturæ cognosci nequit, sed sola fide, aut lumine ex illa derivato, id dumtaxat tenendum est, quod sacri Scriptores, et Patres nobis tradunt ; essetque temeritatis nota inurendus, qui sine ullo fundamento ex illis deprompto aliquid statueret : sed sacri Scriptores et Patres nullibi meminerunt charitatis infusæ moralis, sed theologicam dumtaxat agnoscunt, et fidelibus commendant, ut admittit Ripalda : ergo prædicta charitas infusa moralis non potest admitti, nisi contravenire velimus SS. Patribus : quod alienum esse debet ab Authore Catholico.

Major impugnatio. Deinde : nam ex eo hic Auctor astruit existentiam charitatis infusæ moralis, quia negari nequit esse in nobis amicitiam supernaturalem, et stricte dictam erga proximos, cujus ratio non potest in illius opinione competere charitati theologicæ : sed hujusmodi charitas theologica est perfectissima amicitia erga proximos, ut suimet oblitus admittere videtur ipse Ripalda in prima solutione : non ergo admitti debet alia charitas moralis infusa, utpote absque necessitate introducta.

Præterea sacri Scriptores, et Patres illam dumtaxat charitatem agnoscunt, quæ citra dubium complectitur omnes proximos, sive justi sint sive iniqui, ut constat ex ipsa sacra Scriptura quæ sine discrimine inter proximos amicabilem illorum dilectionem præcipit : sed sola charitas theologica complectitur sine dubio omnes proximos, ut fatetur ipse Ripalda in secunda solutione : igitur hæc dumtaxat charitas nota est Scripturæ, et Patribus, proindeque nulla alia introduci potest cum fundamento ex illis desumpto, imo quin ipsis obviam eamus.

Ratio conclusionis. 57. Secundo probatur nostra sententia alia ratione, nam amicitia supernaturalis, qua diligimus justos ob intrinsecam perfectionem gratiæ, et donorum, quæ illam consequuntur, necessario coincidit cum charitate theologica, per quam Deum amicabiliter diligimus : ergo nec est, nec esse potest alia virtus specifice ab illa distincta. Consequentia patet : antecedens vero suadetur, quia amicitia honesti solum potest multiplicari in eodem subjecto ex diversitate boni, sive modi vivendi, in quo fundatur, ut constat ex dictis *disp. præced.* et ideo impossibile est, quod immultiplicato modo vivendi, multiplicetur specie amicitia ad illum consequuta : sed amicitia qua diligimus justos ob dotes supernaturalis justitiæ, fundatur in communicatione ejusdem boni, sive modi vivendi, in quo fundatur charitas theologica ; nam utraque fundatur in communicatione gratiæ et donorum supernaturalium : ergo nequit specifice ab ea distingui, sed necessario cum illa coincidit.

Evasio. Dices, charitatem theologicam fundari in vita gratiæ, quatenus Deo nobisque communi ; amicitiam vero charitatis moralis fundari in communicatione, quam habemus cum proximo in prædicta gratia, et donis illam comitantibus. Quæ diversitas sufficere videtur ad distinguendas specie prædictas amicitias.

Confutatur. Sed contra est, quia non multiplicato substantialiter eodem modo vivendi, impossibile est quod multiplicetur specifice amicitia in illo fundata, quamvis communicatio prædictæ vitæ pluribus cum personis, et inæqualiter contrahatur : ergo super communione ejusdem gratiæ sanctificantis habita cum Deo, et creaturis fundari nequeunt plures amicitiæ specie distinctæ. Consequentia patet : antecedens vero suadetur, tum ex ipsa natura amicitiæ ; hæc enim sequitur unitatem et distinctionem specificam vitæ, in qua fundatur ; quare illa substantialiter immultiplicata, implicat ipsam amicitiam specifice in eodem subjecto variari. Tum etiam, quia sola multiplicitas personarum communicantium secundum magis, et minus in aliquo bono, non potest distinguere specifice amicitiam in illo fundatam, sed solum ponit ordinem in usu illius, ut constat ad hominem in ipsa charitate morali, quam introducere conantur Adversarii ; nam licet justi plures sint, et inæquales in perfectionibus supernaturalibus ; quia tamen omnes communicant in eodem specifico bono gratiæ sanctificantis, idcirco prædicta amicitia moralis fundata in hoc bono, non est multiplex specie, sed unica, quamvis ad plures personas extendatur, illasque inæqualiter attingat, ut ipsi adstruunt Adversarii. Id quod etiam probari potest a paritate deducta ex aliis amicitiis, scilicet civili, naturali, domestica, etc. Cum ergo amicitia supernaturalis, qua diligimus justos quia justi sunt, fundetur in communione ejusdem boni, in quo fundatur charitas

ritas theologica, scilicet naturæ divinæ quæ ipsi Deo competit per essentiam, justis autem participative ; non poterit distingui specifice a prædicta virtute charitatis theologicæ, sed erit idem cum illa, habens debitum ordinem ad sua objecta, ratione cujus Deum super omnia diligimus, justos vero infra Deum.

Confirmatur : nam eadem est amicitia politica, quæ fundatur in bono politico, quatenus subditis, Principique communi, et quatenus communi ipsis subditis inter se : ergo eadem est amicitia supernaturalis, quæ fundatur in bono gratiæ, quatenus justis, Deoque communi, et prout est commune ipsis justis inter se. Antecedens est perspicuum, quia eadem amicitia politica Principem, et subditos, sive Rectorem civitatis, concivesque diligimus. Consequentia vero suadetur a paritate ; nam ideo prædicta amicitia est eadem specie in eodem subjecto, prout extenditur ad Principem, et subditos, sive Rectorem civitatis et concives, quia bonum politicum, in quo fundatur, est idem substantialiter in subditis, et in Principe : ergo cum idem sit bonum naturæ divinæ, in quo fundatur amicitia supernaturalis, qua diligimus Deum, et justos, non potest esse hæc virtus multiplex specifice, quatenus Deum et justos attingit, sed necessario debet esse unica in specie infima.

58. Respondebis forsan ex doctrina contrariorum, ideo amicitiam politicam esse eandem specifice erga Principem, et subditos, quia solum Principem respicit per se et ratione sui, subditos autem ratione illius ; amicitia autem supernaturalis, qua diligimus justos ob intrinsecam perfectionem, et sanctitatem gratiæ, respicit illos per se, et ratione sui, ob idque non potest non distingui specifice a charitate theologica, qua Deum amicabiliter, et super omnia diligimus.

Sed hæc solutio nullius momenti est, potestque refelli primo, quia in sententia contrariorum id quod amatur ratione alterius, non diligitur amicabiliter, sed ex concupiscentia mera : ergo amicitia politica, qua prosequimur concives, debet attingere illos per se, et ratione sui, non secus ac Rectorem ipsum civitatis, quamvis admittat inæqualitatem in gradu intensivo hujus amoris, eo quod bonum commune politicum (propter cujus perfectionem tam Rectorem civitatis, quam ipsos cives diligit) principalius, et perfectius inveniatur in illo, quam in istis ; alias juxta doctrinam contrariorum nulla dabitur amicitia politica erga concives ; quod non potest admitti, utpote communi placito, rectæque rationi dissonum.

Secundo impugnatur eadem solutio, quia sicut possumus diligere justos, quia justi sunt ; ita etiam possumus amare concives, quia cives sunt, et non solum propter civitatis Rectorem, sive Principem. Imo licet amicitia politica plus diligat Principem, quam subditos, non tamen afficitur ad illos gratia Principis, sed propter ipsos : et tamen hujusmodi amicitia politica est eadem specifice, quatenus Principem, subditosque complectitur ; non alia ratione, nisi quia idem est bonum politicum, in quo fundatur, Princepsque, et illius subditi communicant : ergo etiam erit unica specifice charitas supernaturalis, qua Deum in seipso, et justos, ut justi sunt diligimus ; siquidem idem est bonum naturæ divinæ, in quo fundatur, et justi cum Deo communicant. Major evasionis confutatio.

59. Dices : Amicitia *æqualitatis* non potest esse eadem specifice cum amicitia *excellentiæ :* sed amicitia supernaturalis, qua diligimus justos ob intrinsecam illorum sanctitatem absolute acceptam, est *æqualitatis ;* quippe tendens in personas ejusdem ordinis cum amante : ergo non potest esse eadem specifice cum charitate theologica, quæ est amicitia *excellentiæ* rationalis creaturæ ad Deum. Objectio.

Respondetur, quod sicut scientia superior, qualis est Theologia, est formaliter practica, et speculativa, cum tamen hujusmodi rationes multiplicent specifice scientiam inferiorem ; ita charitas theologica, sive amicitia supernaturalis, qua Deum, et proximos diligimus, est formaliter eminenter *excellentiæ*, et *æqualitatis*, ob sui celsitudinem, et dignitatem : *excellentiæ* quidem respectu Dei ; *æqualitatis* autem respectu proximi. Quæ solutio eo verosimilior est, quo minus constat divisionem amicitiæ penes æqualitatem, et excellentiam esse essentialem, et generis in species ; satis quippe probabile est, illam esse accidentalem, ut perspicuum fiet. Vel dicendum, quod licet eadem amicitia nequeat esse per se primo *excellentiæ*, et *æqualitatis ;* minime tamen repugnat, quod unam ex his rationibus per se primo sortiatur, aliam vero secundario : amicitia autem supernaturalis, qua diligimus justos, est per se primo *ex-* Solutio.

cellentiæ; quia speciem capit a bono divinæ naturæ, ut est in seipso, quod excellens est respectu cujuslibet creaturæ. Cæterum quia prædicta amicitia extenditur secundario ad amorem justorum, idcirco sortitur ex consequenti denominationem *æqualitatis* per ordinem ad illos.

§ II.

Alia ratio pro vera sententia.

Aliud assertionis motivum.

60. Ultimo suadetur communis assertio alia ratione, quam ut brevius, et clarius proponamus, animadvertendum est prius, quod cum gratia sanctificans constituat hominem justum, et perfectum in ordine supernaturali, simulque Dei filium, et amicum, dupliciter amari potest ipse homo ob supernaturalem pulchritudinem prædictæ gratiæ. Uno modo quatenus Dei filius, et amicus, vel ratione alterius tituli, in quo exprimatur similis habitudo ad Deum. Alio modo absolute quia justus et perfectus in ordine supernaturali, adeoque sine expressione præcedentis habitudinis ex parte motivi immediati, propter quod amatur. Inter utrumque autem actum illud interest discriminis, quod prior in omnium sententia est proprius charitatis theologicæ; dubitatur vero, an sit amicitiæ proprie dictæ erga justos? in quo affirmativam partem tutati sumus *dub. præced.* Posterior vero sufficit in omnium sententia ad ineundam amicitiam stricte dictam cum prædictis justis; dubitationi vero obnoxium est, utrum charitas theologica valeat illum elicere? Etenim si prædicta virtus hujusmodi actum elicere queat, erit absque dubio amicitia proprie dicta erga justos, nec poterit admitti alia moralis, et infusa. Quare ad revincendos Adversarios, litemque præsentis quæstionis terminandam, solum restat ostendere prædictum actum esse proprium charitatis theologicæ, sicut principii, a quo immediate elicitur; nam quia oppositum arbitrantur Recentiores, ideo a nobis, communique sententia recedunt.

Quo supposito sic formatur sequens ratio pro assertione. Actus quo diligimus justos ob intrinsecam, et supernaturalem eorum sanctitatem absolute acceptam, sive quia justi sunt, est proprius charitatis theologicæ, sicut principii elicitivi: ergo charitas theologica est amicitia proprie, et stricte dicta erga justos, ita quod neque sit, neque esse possit alia moralis infusa erga illos. Consequentia quoad utramque partem admittitur ab Adversariis. Antecedens vero suadetur: tum quia dilectio amicabilis fundata in communicatione divinæ naturæ est propria charitatis theologicæ, sicut principii a quo immediate elicitur, non secus ac dilectio amicabilis fundata in communione sanguinis est propria naturalis amicitiæ, ut § *præced.* vidimus: constat autem dilectionem amicabilem, qua prosequimur justos, quia justi sunt, fundari in communicatione divinæ naturæ, quam nobiscum sortiuntur. Tum etiam, quia diligere justum ob intrinsecam perfectionem supernaturalis justitiæ idem est, ac amare illum ut socium in participatione naturæ divinæ, sive æternæ beatitudinis; quoniam justitia supernaturalis nihil aliud est, quam participatio quædam naturæ divinæ, per quam efficimur participes prædictæ felicitatis, et elevamur ad societatem filii Dei: hujusmodi autem actus est proprius charitatis theologicæ, ut quæ fertur ad Deum ut est summum bonum beatificans; ad proximos vero sicut ad socios in participatione æternæ beatitudinis, ut docet D. Th. *quæst. unic. de charit. art.* 7, et aliis in locis: ergo, etc. D. Tho.

Confirmatio.

Confirmatur primo, et illustratur amplius hæc ratio: nam reipsa idem est diligere justos, quia justi sunt, ac quia Deus est in illis; quandoquidem ratione prædictæ justitiæ in Deo manent, et Deus in illis, ut habetur 1, *Joan.* 4. Sed diligere proximos, quia in illis Deus est, vel ut in illis Deus sit, est actus proprius charitatis theologicæ, ut constat ex dictis *dub. præced.* et expresse tradit D. Thom. *quæst. proxime citata de charit. art.* 4 *in fine corp.* Ergo et prior, quo diligitur justus ob intrinsecam perfectionem supernaturalis justitiæ absolute sumptæ. 1. Joan. 4. D. Tho.

Confirmatio secunda.

Confirmatur secundo, quia diligere justos qua justos idem est, ac amare illos qua filios, et amicos Dei: sed hic posterior actus elicitur a charitate theologica, neque potest elici ab alia virtute, ut admittunt Adversarii: ergo et prior. Suadetur major, quoniam diligere justos eo quod justi sunt, nihil aliud est, quam amare illos ob formalem conceptum formæ justificantis, scilicet gratiæ: sed ratio formalis gratiæ sanctificantis includit formalem conceptum amicitiæ radicalis, et formalis filiationis creaturæ ad Deum: ergo diligere justos, qua justos, idem est ac amare illos ut filios et amicos Dei,

Dei, quamvis hoc posterius non æque per utrumque actum exprimatur.

ffu-ium.

61. Respondebis pro Adversariis, quod licet eadem sit forma, quæ constituit hominem justum, et filium Dei; hi tamen effectus distinguuntur inter se virtualiter, imo ab invicem separari possunt, ut videre est in Christo Domino, qui licet ut homo sit justus, et objectum congruum divinæ dilectionis amicabilis; non tamen est filius Dei adoptivus, ut ostendunt Theologi 3 *part.* Hæc autem distinctio virtualis effectuum formalium gratiæ sufficere videtur ad hoc, ut actus amoris supernaturalis tendens in justos qua justos, et effectus terminatus ad illos, qua filios et amicos Dei, distinguantur inter se specifice, petantque proinde virtutes eodem modo distinctas, a quibus immediate eliciantur. Præsertim cum sola distinctio virtualis ex parte rationis *sub qua*, sive objecti formalis sufficiat ad distinguendos specie actus, et habitus, a quibus per se respicitur.

nfuta-tur.

Cæterum licet hæc solutio probabilitatis speciem præseferat, non tamen vim adductæ rationis evacuat, sed potest ex illius principiis faciliter impugnari. Nam (quidquid sit de filiatione adoptiva) saltem de ratione formali gratiæ justificantis, quatenus constituit hominem absolute justum, pulchrumque ac perfectum in ordine supernaturali, est efficere illum consortem divinæ naturæ, et Dei habitaculum; hujusmodi namque effectu præciso, nequit homo intelligi absolute sanctus, et perfectus in ordine supernaturali; cum ex eo formaliter sit absolute justus, et perfectus in prædicto ordine, quia consors, et particeps est divinæ naturæ, et Trinitatis habitaculum. Unde cum diligere justos quatenus consortes divinæ naturæ, Deumque habentes in seipsis, sit actus proprius charitatis theologicæ, ut admittunt Adversarii; idem consequenter dicendum est de amore, quo diliguntur absolute, quia justi, et perfecti in ordine supernaturali, quidquid sit de distinctione, quæ esse potest inter prædictos actus.

Confirmatur: nam diligere justos qua justos, absolute est formalissime diligere illos propter rationem formalem, et specificam gratiæ sanctificantis: sed ratio formalis quidditativa gratiæ sanctificantis consistit in eo, quod efficiat hominem consortem, et participem divinæ naturæ, Deoque amabilem, et gratum, utpote quæ est essentialiter, et per se primo formalis participatio naturæ divinæ: ergo diligere justos qua absolute justos, est formalissime amare illos, qua consortes et participes divinæ naturæ: cum ergo is posterior actus sit proprius charitatis theologicæ, ut Adversarii admittunt, idem quoque habere debet et prior.

Major responsionis impugnatio.

62. Secundo impugnatur eadem solutio: nam esto effectus formales gratiæ sanctificantis, utputa justificationis, amicitiæ, filiationis adoptivæ, et similes distinguantur inter se virtualiter, possintque ab invicem separari, omnes tamen procedunt cum ordine primarii, et secundarii ab eadem simplici forma, scilicet gratia, quæ sumpta absolute secundum suam entitatem, omnes illos includit per modum principii formalis *quo*, et in esse rei: ergo actus, quo diligimus justos ob perfectionem justitiæ supernaturalis absolute sumptæ, movetur formaliter ex perfectione omnium effectuum formalium gratiæ sanctificantis, cum hujus entitas absolute accepta nihil aliud sit, quam perfectio collectiva omnium effectuum formalium, quos subjecto communicat: actus autem, quo diligimus ob perfectionem omnium effectuum formalium gratiæ, nequit non esse proprius charitatis theologicæ, sicut principii elicitivi, quia eo ipso movetur formaliter ex filiatione adoptiva, et amicitia justi ad Deum. Quæ motio correspondet directe prædictæ virtuti, neque potest spectare ad aliam, ut concedunt Adversarii.

Impugnatio magis expenditur.

Confirmatur, et explicatur simul vis hujus impugnationis: nam quia per beatitudinem supernaturalem absolute sumptam communicamus cum Deo sicut cum sponso, Principe, ac indulgentissimo patre; idcirco charitas theologica, quæ fundatur in communione prædictæ beatitudinis, est necessario, et formaliter amicitia filialis, politica, et conjugalis creaturæ ad Deum, quæ in rebus inferioribus distinguuntur specie: ergo cum gratia sanctificans absolute accepta sit filiatio adoptiva, et amicitia creaturæ ad Deum, hujusmodique effectus impertiatur justis, virtus tendens in illos ob perfectionem prædictæ gratiæ absolute sumptæ, debet re ipsa coincidere cum virtute, qua diligimus prædictos justos ut filios, et amicos Dei: at hæc posterior virtus est charitas theologica: ergo et illa.

Ad hæc: entitas absoluta gratiæ justificantis non minus est respectiva Dei, quam ratio filiationis adoptivæ, licet sub nomine

justitiæ non ita perspicue prædicta habitudo exprimatur : ergo sicut actus amoris tendens in justos qua filios Dei, est proprius charitatis theologicæ, ita ille quo diliguntur a nobis, qua justi sunt. Consequentia negari nequit ab Adversariis, cum ex eo asserant actum amoris tendentem in justos qua filios Dei, elici a charitate theologica, quia ratio filiationis est relativa ad Deum. Antecedens vero suadetur, quia entitas absoluta gratiæ tantum potest explicari vel per hoc, quod sit participatio formalis naturæ divinæ, vel per hoc quod reddat hominem objectum congruum divinæ dilectionis amicabilis, sive Deo gratum, pulchrum, et acceptum : constat autem utramque hanc rationem importare habitudinem ad Deum, neque amari posse creaturam ratione illarum, quin eo ipso ametur in ordine ad Deum. Nam si quis diligat hominem, quia est Deo gratus, pulcher, et acceptabilis, jam diligit illum propter Deum. Si vero diligatur, quia habet in se participationem formalem naturæ divinæ, jam non amatur ut homo, sed ut Deus, adeoque propter illum : unde sicut actus quo diligimus Deum, quia Deus est, pertinet ad charitatem theologicam ; ita etiam pertinere debet ille, quo amatur justus quia justus, cum hoc idem sit ac diligere illum, quia participative Deus est.

Motivum contrarium diruitur.

63. Neque obest id quod *num. præced.* adduximus in favorem evasionis ibi propositæ. Tum quia ratio formalis *sub qua* actus, quo diligimus justos qua absolute justos, et actus quo prosequimur illos ut filios et amicos Dei, non est diversa virtualiter, sed eadem omnino, distinctis licet expressa conceptibus. Quoniam esto gratia sanctificans, ut constituit hominem absolute justum, distinguatur virtualiter a seipsa prout efficit illum Dei filium, et amicum ; hujusmodi tamen effectus formales includunt se ad invicem quantum ad realitatem, et perfectionem, utpote comparati inter se sicut primarius, et secundarius. Et ideo qui diligit justos qua filios Dei, diligit illos qua justos ; et e converso qui afficitur ad justos qua justos, re ipsa diligit illos ut filios Dei, et divinæ consortes naturæ. Quod sufficit ut ratio formalis *sub qua* prædictorum actuum sit eadem omnino, ut constat etiam ex iis, quæ diximus *dub. 2 hujus disp.* circa rationem formalem *sub qua* actuum charitatis tendentium in Deum, vel quia summe bonus, vel quia summe misericors est in seipso.

Tum etiam, et maxime ; quia licet ratio formalis *sub qua* proxima, et immediata prædictorum actuum sit virtualiter distincta, ob idque ipsi distinguantur inter se specifice, secus autem ratio *sub qua* illorum radicalis, et mediata ; hæc enim eadem est omnino, scilicet summa Dei bonitas : nam cum omnis formalitas propria gratiæ sanctificantis sit respectiva Dei, sicut principii exemplaris, quidquid diligitur ratione gratiæ sicut motivi immediati, amatur re ipsa propter Deum sicut propter motivum mediatum, et rationem formalem *sub qua* radicalem. Hoc autem satis est ad hoc, ut prædicti actus spectent ad eandem virtutem charitatis theologicæ, quæ fertur per se primo in Deum quia summe bonus, quamvis distinguantur inter se specifice ob diversitatem rationum formalium, a quibus immediate moventur, et specificationem capiunt, ut constat ex dictis *dub. præced.*

Tradita doctrina firmatur exemplo.

Potestque amplius confirmari et explicari exemplo electionis mediorum, et intentionis finis. Etenim quia ratio formalis *sub qua* proxima intentionis est bonitas finis, electionis vero bonitas intrinseca mediorum ; ideo actus electionis, et intentionis distinguuntur inter se specifice in genere naturæ. Cæterum quia bonitas mediorum est essentialiter respectiva finis, amabilisque propter illum sicut propter rationem *sub qua* mediatam ; idcirco eadem potentia, quæ tendit per se primo in finem, ab illoque speciem delibat, fertur secundario in electionem mediorum, ut late explicuimus *tom. 3, tract. 1, disp. 1, dub. 3.* Cum ergo nullus ametur propter gratiam, qui non diligatur propter Deum sicut propter rationem *sub qua*, saltem radicalem, ideo etsi actus, quo Justus diligitur quia justus, distinguatur specie ab actu, quo amatur ut filius Dei, et quo ipse Deus diligitur in seipso ; spectare tamen debet ad eandem virtutem, quæ fertur per se primo in Deum, prout est in se, qualis est charitas theologica ; præmissa enim distinctio actuum competit illis sumptis materialiter, et in esse rei, non vero in esse termini hujus virtutis.

Objectio.

64. Sed objicies : nam ratio formalis *sub qua* charitatis theologicæ est summa Dei bonitas : sed ratio formalis *sub qua* actus, quo diligimus justos, non est summa Dei bonitas, sed perfectio creata gratiæ : hic igitur actus non est proprius charitatis theologicæ, sed alterius virtutis moralis infusæ.

Respondetur

spon-sio. Respondetur primo, quod sicut in sententia contrariorum ratio formalis *sub qua* diligimus justos ut filios Dei, est summa ejus bonitas ; ita ratio formalis *sub qua* amamus illos, prout justi sunt : quoniam diligere justos quatenus tales nihil aliud est, quam amare illos ut socios, et amicos in natura divina, sive quia Deus est in illis ; cujus amoris ratio formalis est ipse Tho. Deus, ut tradit D. Thom. *in hac quæst.* 25, *art.* 1.

Respondetur secundo, non esse inconveniens, ut ratio formalis *sub qua* proxima actus secundarii alicujus virtutis, sit distincta a ratione formali *sub qua* proxima illius ; sufficit enim quod prædictus actus habeat pro ratione formali *sub qua* radicali illam, quæ est proxima respectu virtutis, a qua elicitur, ut a simili videre est in exemplo adducto actus electivi. Quamvis autem ratio formalis *sub qua* proxima actus, quo diligimus justos ut justos, sit gratia ; ratio tamen *sub qua* radicalis illius est ipsa summa Dei bonitas, a qua virtus charitatis speciem desumit : quod sufficiens est ad hoc, ut prædictus actus sit proprius hujus virtutis, sicut secundarius in ordine actuum illius.

olica. Sed urgebis : ratio formalis *sub qua* radicalis actus, quo observamus æqualitatem justitiæ constitutam inter homines qua cives Sanctorum, et domesticos Dei, æternæque beatitudinis capaces, est objectum formale charitatis theologicæ, sive finis ultimus supernaturalis, qui est Deus ; et tamen prædictus actus neque secundario spectat ad charitatem theologicam, sed est proprius justitiæ infusæ : ergo ex eo, quod ratio formalis *sub qua* radicalis actus, quo diligimus justos, sit bonitas summa, quæ est ratio *sub qua* proxima charitatis theologicæ, minus bene inferimus prædictum actum esse proprium hujus virtutis adhuc ut secundarium. Suadetur major (minor enim, et consequentia constant) ; nam objecta virtutum moralium infusarum comparantur ad objectum charitatis sicut media ad finem : finis autem est ratio formalis *sub qua* mediata, et radicalis electionis mediorum, ut nuper vidimus.

bser-anda solu-e. 65. Respondetur animadvertendo, rationem *sub qua* radicalem alicujus actus esse in duplici differentia. Aliam veluti diversæ lineæ a ratione *sub qua* proxima illius, et cui hæc proinde addit novam difficultatem, et honestatem ; quo pacto se habent objecta virtutum moralium infusarum ad finem supernaturalem : nam ex eo, quod aliquis sit rectificatus circa finem ultimum, non ideo rectificatus est circa ea, quæ sunt ad illum, sed in hac rectitudine consequenda imminet nova difficultas objectiva, pro cujus victoria opus est alia speciali virtute. Alia vero est ratio formalis *sub qua* radicalis alicujus actus, cum qua ita connectitur illius ratio *sub qua* proxima, ut non addat supra illam honestatem diversæ lineæ, atque ideo nec novam difficultatem, sed omnis difficultas illius materiæ devincitur per attingentiam prædictæ rationis *sub qua* radicalis, et hoc modo se habet summa Dei bonitas ad amorem supernaturalem proximi ; qui enim diligit Deum ex charitate, eo ipso inclinatur, et facilis est ad diligendos proximos. Unde quia virtus solum ponitur ubi est nova difficultas, specialisque honestas : idcirco ad amorem supernaturalem proximi necessaria non est alia virtus a charitate.

Hinc ad objectionem respondetur distinguendo majorem, et si quidem intelligatur de priori genere rationis formalis *sub qua* radicalis, concedatur ; si vero de posteriori, negetur. Et deinde concessa minori, negetur consequentia ; quoniam in dilectione justorum, qua justi sunt, non adest honestas diversæ lineæ, proindeque nec difficultas distincta ab illa, quæ reperitur in amore Dei ; quia diligere justos qua justos, idem est ac amare illos ut amicos divinos ; quod proprium est charitatis theologicæ, nec ponit in numero cum ratione *sub qua* illius, sed ad illam reducitur. Ad probationem autem in contrarium respondetur ex dictis *tom.* 6, *tract.* 12, *disp.* 3, *dub.* 1, *num.* 15, objecta virtutum moralium supernaturalium non comparari ad objectum charitatis, ut media proprie et stricte dicta, sed ut fines intermedios ad ultimum, in quibus præter bonitatem, quæ est per actualem relationem ad ipsum ultimum finem, datur propria honestas ex conformatione materiæ cum regula rationis, a qua honestate actus et habitus versantes circa prædicta objecta sumunt suam primariam speciem, distinctam ab ea, quam recipiunt ex influxu charitatis.

Diluitur replic.

§ III.

Diluuntur argumenta contrariæ sententiæ, præter ultimum.

Opinio contraria. 66. Contrariam nihilominus sententiam, quæ asserit præter charitatem theologicam esse possibilem, et de facto existere aliam moralem et infusam, quæ sit amicitia stricte dicta erga proximos, tuentur Vasq. Ægid. Coninch. 3 *part. disp.* 44, *n.* 6, et *lib.* 1 *de adorat. disp.* 6, *cap.* 2, Ægidius Coninch. 2, 2, Torres. Less Becan. Hurtad. Granad. Ripalda. *disp.* 24, *dub.* 1, Torres *disp.* 66, *dub.* 3, et *disp.* 77, *dub.* 2, Lessius *de justitia et jure, cap.* 36, Becanus *de charit. cap.* 19, Hurtado *disp.* 131, *sect.* 3, Granad. *controvers.* 3, *tract.* 1, *disput.* 3, *sect.* 5, et Joannes de Ripalda *hic, disput.* 32, *sect.* 2, ubi refert pro hac sententia Bonaventuram, Almainum, Richardum, Gabrielem, et Lorcam, qui tamen si concolores sunt Lorcæ, perperam pro hac opinione adducantur. Nam M. Lorca. Lorca *hic, disp.* 24, præmissis illius fundamentis, sic habet num. 2 : « Verum « enimvero concors sententia Theologorum « est, et fuit semper, unam esse charita- « tem, non solum genere, sed specie infi- « ma, quæ diligit Deum, et proximum ; « neque aliquis unquam duas charitates « distinxit. » Hæc Lorca. Ex quibus appa- ret, quam immerito relatus sit pro contra- ria parte nostræ assertionis. Eidem vero Ferre. subscribit ex Thomistis Ferre *quæst.* 8, § 9, *cum seq.* et præcipue *num.* 65.

Primum argumentum. Suadetur primo hæc opinio : nam amor, quo diligimus justos propter se, quia justi sunt, est amicitiæ supernaturalis, et strictæ erga illos : sed hic actus non est proprius charitatis theologicæ : ergo alterius amicitiæ moralis infusæ, cujus existentia proinde negari nequit. Major, et consequentia constant. Minor vero suadetur. Tum quia objectum primarium actus eliciti ab aliqua virtute theologica debet esse Deus, aliter non erit theologicus : constat autem objectum primarium prædicti amoris, quo diligimus justos, qua justi sunt, non esse Deum, sed ipsos justos. Tum etiam, quia amor, quo nobis sicut fini *cui* Deum appetimus, non est a charitate theologica, sed est proprius spei : ergo neque actus, quo amamus justos propter se concupiscendo illis ipsum Deum. Patet consequentia, quia hic actus non est amicitiæ erga Deum, sed ergo justus : quilibet autem actus charitatis theologicæ est amicitia erga Deum.

Confirmatio prima. Confirmatur primo : nam habitus, et virtutes sumunt suam unitatem, et distinctionem specificam ab objectis : sed Deus, et proximus sunt objecta specie diversa, quia licet proximus per gratiam sanctificantem, et alia supernaturalia dona participet bonitatem divinam secundum modum essendi, quem habet in seipsa ; non tamen in eodem gradu specie, aut genere, sed secundum similitudinem dumtaxat analogicam : ergo amicitia supernaturalis, qua diligimus proximos propter se, diversa est a charitate theologica, qua Deum in seipso amamus.

Confirmatio secunda. Confirmatur secundo : nam amor amicitiæ naturalis cum proximo, et amor amicitiæ naturalis cum Deo pertinent ad diversos habitus, quia possumus diligere proximum propter se tanquam amicum, quin simus Dei amici : ergo similiter amicitia supernaturalis cum proximo pertinebit ad habitum diversum a virtute, quæ est amicitia supernaturalis erga Deum, ut constare videtur tum a paritate. Tum etiam, quia hæc diversitas amicitiæ naturalis sumitur ex objecto formali *cui*, quod æque distinguere sufficit habitus naturales, ac supernaturales.

Solvitur argumentum. 67. Respondetur huic argumento negando minorem : et ad primam illius probationem dicendum, necessarium non esse, ut actus secundarius virtutis Theologicæ, qualis est amor amicitiæ supernaturalis erga proximum, habeat Deum pro objecto *quod* formali, et immediato ; nam actus, quo credimus Abraham habuisse duos filios, est actus secundarius fidei theologicæ ; et tamen objectum illius formale *quod* non est Deus, sed ens creatum. Id quod etiam contingit in pluribus actibus nostræ theologiæ ; non enim assensus, quo concludimus Angelos esse incorporeos, et incorruptibiles, habet pro objecto formali immediato Deum, sed ipsos Angelos ; qui tamen spectat ad theologiam, quia versatur circa Angelos per ordinem ad ipsum Deum. Ad secundam probationem respondetur, actum quo justis concupiscimus Deum, esse amicitiam erga illum, saltem virtualiter, eo modo quo amor mediorum est virtualis dilectio finis : quod sufficit ad hoc, ut prædictus actus spectet secundario ad charitatem theologicam ; siquidem ob hanc rationem potest esse proprius hujus virtutis amor, quo nobis ipsum Deum concupiscimus, beatique appetunt gloriam sui corporis,

ris, ut constat ex dictis *dub.* 2, *disp. præced.*

Diluitur prima confirmatio.

Ad primam confirmationem dicas, Deum, et proximum esse diversa objecta materialiter, et in esse rei; quod, et nihil amplius, convincit probatio ibi adducta: non vero formaliter, et in esse objecti. Tum quia charitas theologica non fertur in proximos omnino propter se, sed propter Deum; id autem quod attingitur ratione alterius, non est diversum ab illo in esse objecti, et ratione formali attingibilis. Tum etiam, quia per charitatem diligimus proximos ut communicantes nobiscum, et cum Deo in natura divina: ea vero, quæ communicant æqualiter, vel inæqualiter in una natura, non sunt plura in esse objecti formalis amicitiæ fundatæ in tali communicatione, sed unum; et ad distinguendos specie habitus necessaria est diversitas objectorum in esse objecti, et quævis alia est insufficiens.

Occurritur secundæ.

68. Ad secundam confirmationem, concesso antecedenti (cujus suppositum obnoxium est falsitati, ut constat ex dictis *dub. ult. disp. præced.*) negatur consequentia. Et ratio disparitatis est, quod per amicitiam supernaturalem solum possumus diligere proximos ut amicos divinos, idest communicantes nobiscum, et cum Deo in natura divina. Quæ amicitia nequit distingui specifice a charitate theologica, qua ipsum Deum amicabiliter diligimus; quippe quæ fundatur in eadem communicatione, ut liquet ex secunda ratione, quam pro nostra assertione construximus. Per amicitiam autem ordinis naturalis diligimus proximum qua civem, domesticum, aut consanguineum. Unde cum Deus non communicet nobiscum in his bonis, nequit super illorum communione fundari aliqua amicitia erga ipsum. Sed hujusmodi amicitiæ sistunt ex sua ratione in ipsis proximis, ob idque distingui debent ab amicitia naturali, si quæ admittitur inter Deum, et creaturas. Per quod patet ad primam probationem.

Ad posteriorem negatur antecedens, quia non ex eo præcise amicitia naturalis, quæ habetur ad homines, est alia specifice ab amicitia naturali, quæ tendit in Deum, quia respiciunt diversos fines *cui*; siquidem respectu ejusdem suppositi, sive finis *cui* frequenter contingit esse plures amicitias, ut civilem, domesticam, et consanguinitatis; sed ex eo prædictæ amicitiæ sunt specie distinctæ, quia fundantur in communicatione diversi boni, sive modi vivendi, nullaque proinde inter illarum fines *quibus* attenditur unitas, aut subordinatio in esse objectivo: cujus oppositum contingit in amicitia supernaturali, qua Deum, et proximos diligimus. Et ideo si intra naturæ ordinem sit aliquis vivendi modus ita communis Deo, et hominibus, ut sufficiat ad fundandam propriam, et strictam amicitiam inter illos, hæc non sortietur divisionem per ordinem ad Deum, et creaturas, sed unica existens creaturas, et ipsum Deum attinget, ad eum modum, quo charitas terminatur ad illa. Videantur quæ diximus *dub. ult. disp. præcedenti*, ex illis enim perspicua est alia solutio, quæ adhiberi potest huic confirmationi.

Secundum argumentum.

69. Secundo arguitur: nam si propter aliquam rationem amicitia supernaturalis, quæ habetur ad proximum, non esset alia a charitate theologica, maxime quia Deus amatur ratione sui, et proximus propter Deum, quod est proprium charitatis theologicæ: sed hæc ratio est nulla: ergo. Probatur minor; nam sicut proximus diligitur amicabiliter propter Deum, sic conclusiones cognoscuntur propter principia: sed hoc non obstante, diversi sunt habitus, quibus cognoscuntur principia, et conclusiones; nam cognitio conclusionum pertinet ad scientiam; cognitio autem principiorum ad intellectum, vel synderesin: ergo etiam amicitia supernaturalis, qua diligimus proximos, debet esse alia a charitate theologica, quæ est amicitia erga Deum.

Confirmatio.

Confirmatur: nam scientia beata, et infusa sunt habitus specifice distincti, eo quod prior movetur immediate a veritate increata, posterior vero a veritate creata: sed dilectio supernaturalis, qua diligimus Deum, movetur immediate a divina bonitate, ut est in seipsa; dilectio vero supernaturalis, qua prosequimur amicabiliter justos, movetur immediate a bonitate creata gratiæ, et supernaturalium donorum: ergo pertinere debent ad habitus amicitiæ specie distinctos, cum æque distantia, ac diversa sint illorum motiva, ac scientiæ beatæ, et infusæ.

Occurritur argumento.

Respondetur negando minorem, ad cujus probationem dicendum, quod si sermo sit de habitu intelligentiæ ordinis inferioris, qualis est noster, paritas non tenet in omnibus; nam intelligentia in nobis non penetrat comprehensive prima principia

ob limitationem sui luminis, ob idque nequit evidenter attingere conclusiones in seipsis ; sed in assequenda notitia illarum imminet nova difficultas, diversa ab illa, quæ adest in attingentia primorum principiorum : pro qua difficultate superanda opus est lumine novi habitus discursivi, qualis est scientia. Cæterum proximus ita diligitur propter Deum, quod circa illius amorem non imminet nova difficultas diversa ab illa, quæ reperitur in dilectione Dei ; quoniam eo ipso, quod quis diligat Deum super omnia, facilis est ad diligendum quemlibet proximum propter Deum, alias non amaret illum super omnia. Unde amor proximi non petit oriri ab aliqua virtute diversa a charitate theologica, sed est actus secundarius illius,

Diximus : *Si sermo sit de habitu intelligentiæ ordinis inferioris, qualis invenitur in nobis ;* nam habitus primorum principiorum superioris ordinis, qualis est angelicus vel divinus, non distinguitur realiter, nec virtualiter ab habitu conclusionum, scilicet scientia ; sed idem pro sua eminentia, et abundantia luminis est formaliter eminenter scientia, et intelligentia, ut cum D. Thom. diximus *tract.* 7, *disp.* 3, *dub.* 2, *a num.* 44. Unde cum charitas theologica sit virtus ordinis superioris, eadem extendi debet ad amorem supernaturalem Dei, et proximi, nec pro hujus ultimi elicientia admittenda est alia virtus ab ea distincta, ut ex ipsa paritate ab Adversariis adducta concluditur.

Quibus accedit amorem supernaturalis amicitiæ erga Deum, et proximum fundari in communione ejusdem naturæ : quamobrem spectare debent ad eandem virtutem amicitiæ, quoniam hæc virtus nequit admittere divisionem specificam, immultiplicato bono, super cujus communione fundatur, ut supra vidimus.

Solvitur confirmatio. 70. Ad confirmationem respondetur, scientiam beatam, et per se infusam distingui inter se specifice, non quia prior moveatur immediate a veritate increata, posterior vero a veritate creata ; quoniam, ut tra-

D. Tho. dit D. Th. 9 *part. quæst.* 11, *art.* 2. Christus Dominus per scientiam infusam cognovit omnia illa, quæ per revelationem divinam hominibus innotescunt, sive pertineant ad donum prophetiæ, sive ad donum sapientiæ : quod perspicuum est ferri per se primo in causam altissimam et veritates increatas. Sed ex eo prædictæ scientiæ sunt specie diversæ, quia tendunt ex natura rei in sua objecta per diversa media, diversique ordinis species ; nam medium, et species scientiæ beatæ est ipsa essentia divina, ob idque hujusmodi scientia nullum objectum attingere potest extra verbum : species autem scientiæ infusæ sunt ordinis inferioris, neque illius medium est essentia divina in seipsa. Quæ diversitas sufficiens est ad distinguendas specifice scientias, ut tradit D. Thom. 3 *part. quæst.* 9, *articulo* 4. Sed non militat in præsenti ; nam licet motivum immediatum amoris proximi valde distet in esse rei a motivo proximo, ratione cujus diligimus Deum, secus autem in esse objecti ; sed potius in hoc ordine cum illo coincidit, ob rationes traditas *numero* 67. D. Tho.

Tertium argumentum. 71. Tertio arguitur : quia virtutes morales per se infusæ tot debent admitti, quot sunt acquisitæ : sed inter virtutes acquisitas una est amicitia honesti, qua diligimus homines propter bonum virtutis : ergo admittenda est amicitia moralis per se infusa, qua diligamus illos ob perfectionem supernaturalis justitiæ, seu virtutis. Minor, et consequentia constant. Major vero suadetur, quia virtus moralis per se infusa distinguitur secundum habitudinem naturæ, quam attingit ex directione prudentiæ infusæ : sed in omnia materia, ubi ratio naturalis potest invenire honestatem, et constituere medium attingibile a virtute acquisita in ordine ad naturalem finem, potest similiter prudentia infusa in ordine ad supernaturalem : ergo possibilis est, et de facto datur cum gratia virtus infusa moralis circa omnem materiam, in qua versatur acquisita : quo dato necessarium est illarum numerum esse æqualem.

Confirmatio. Confirmatur : nam licet homo ratione suæ humanitatis sit aliquid Dei, capaxque æternæ beatitudinis ; tamen diligere hominem qua hominem, non est actus charitatis theologicæ, sed alterius amicitiæ moralis : ergo licet ratione gratiæ sit aliquid Dei, utputa filius, amicus, etc. tamen diligere illum qua absolute justum, non erit actus charitatis theologicæ, sed alterius amicitiæ moralis per se infusæ ; quamvis ad virtutem theologalem spectet diligere hominem, in quantum est aliquid Dei.

Prima argumenti solutio. 72. Huic argumento posset responderi primo negando minorem ; quia licet probabile sit, amicitiam acquisitam esse specialem virtutem, partemque potestativam justitiæ, ut dubio 1 hujus Tractatus sufficienter

Tho cienter ostendimus; in via tamen D. Thom. probabilius est oppositum, ut constabit legenti quæ tradit *quæst.* 23, *artic.* 3 *ad* 1, *et in* 3, *dist.* 27, *art.* 2 *ad* 1, ubi sic habet : « Ad primum dicendum, quod amicitia de « qua Philosoph. tractat, causatur vel ex « inclinatione naturæ, quantum ad amici- « tiam delectabilis et utilis, vel ex inclina- « tione habitus virtuosi præsupposita in- « clinatione naturæ, quantum ad amicitiam « honesti, in quantum omne, quod facit « similitudinem cum aliquo, inclinat ad « amorem illius; et ideo non ponitur ali- « qua virtus, sed quiddam consequens ad « virtutes, etc. » Quod magis constabit ex dicendis *disp.* 7, *num.* 3.

ia res- onsio. Cæterum, quia adhuc juxta mentem D. Th. probabile est, naturalem amicitiam honesti esse specialem virtutem moralem, quam probabilitatem loco citato admisimus, neque illam concedere possumus opinioni asserenti præter charitatem theologicam, esse aliam moralem per se infusam erga proximos; idcirco respondetur absolute negando majorem. Tum quia amicitia supernaturalis fundari debet in communione vitæ divinæ, quæ habetur per gratiam, ut concedunt ipsi Adversarii. Super communione autem vitæ deificæ, ad quam per gratiam evehimur, nequit fundari virtus amicitiæ diversa a charitate theologica, quæ sit proinde moralis infusa, ut constat ex dictis § 1. Tum etiam, quia in sententia contrariorum honesta amicitia consanguinitatis est specialis virtus naturalis; cui tamen non correspondet alia per se infusa moralis, eo quod ad amicitiam supernaturalem necessaria sit communicatio in bono supernaturali eam fundante, quale non est bonum sanguinis. Id quod etiam dicendum est de amicitia domestica, et politica : et ratio est manifesta, quoniam vel diligimus homines qua domesticos, et concives hujus habitationis terrenæ, quæ est mundus; vel ut cives Dei, et domesticos patriæ cœlestis? Primus amor non potest esse supernaturalis entitative, sed est proprius amicitiæ acquisitæ, sive naturalis; cum hujus ordinis sint tam bonum, in quo fundatur, quam illius motivum. Posterior quidem affectus est supernaturalis, sed proprius charitatis Tho. theologicæ, ut luculenter probat D. Th. *quæst. de charit. art.* 2, et constat ex dictis *n.* 62, ubi ostendimus hanc virtutem esse amicitiam politicam, domesticam, et filialem, eo quod per gratiam sanctificantem, in qua fundatur, communicat homo cum Deo, sicut cum indulgentissimo patre, et cum beatis sicut cum domesticis, et concivibus supernæ patriæ : ergo nullus relinquitur locus amicitiæ supernaturali per se infusæ. Sed si quis diligat proximos, quia consanguineos, et domesticos, ordinando hunc amorem ad ultimum finem supernaturalem, talis actus erit imperative charitatis theologicæ, elicitive autem amicitiæ naturalis; non vero alterius moralis infusæ, ut insinuat D. Thom. *quæst. citata de* D. Tho. *charit. art.* 4, *et* 7, *in fine corp. et in hac* 2, 2, *quæst.* 23, *art.* 5, ubi videri debet.

73. Ad probationem autem in contrarium, admissa majori, neganda est minor; quia dilectio amicitiæ naturalis erga proximum, est materia directe regulabilis per prudentiam; secus autem affectus amicitiæ supernaturalis erga ipsum, quia per hujusmodi affectum solum possumus diligere proximos, quia in Deo sunt, vel ut in Deo sint : quæ dilectio cadit immediate sub præcepto, et regulatione charitatis, neque potest directe subjici prudentiæ infusæ; siquidem in hoc, quod est amare proximum in ordine ad Deum, et propter ipsum, non potest esse excessus, quamvis debeat esse ordo præstitutus ab ipsa charitate, ut videbimus *disp. seq.*

Nisi mavis, actum secundarium virtutis theologicæ, qualis est amor proximi, posse cadere aliqualiter sub directione prudentiæ infusæ; nam cum prædictus actus deficiat a rigore theologico, poterit ex hoc subjici regulationi prudentiæ infusæ. Hinc tamen non infertur, posse dari virtutem per se infusam, quæ prædictum actum eliciat; sed virtutem theologicam ob sui eminentiam extendi secundario ad aliquos actus non perfecte theologicos, sed moralibus affines.

Nec refert, si contra hanc solutionem Replica. objicias primo, quod charitas non imperat actus virtutis acquisitæ, nisi medio actu virtutis infusæ, quæ convenit in materia cum illa : ergo non imperat affectum amicitiæ naturalis, quo diligimus consanguineos, nisi medio actu alicujus amicitiæ consanguinitatis per se infusæ : existit ergo in justo hujusmodi virtus.

Respondetur enim majorem solum esse Solutio. veram, supponendo quod circa materiam virtutis acquisitæ sit in justo alia virtus moralis infusa : quæ suppositio non est universaliter vera, sed deficit in casu amicitiæ. Et ratio est, quia actus virtutis natu-

ralis sufficientem honestatem habet intra suam lineam, ut queat immediate acceptari a charitate; et ideo nulla potest esse indigentia virtutis moralis infusæ ad hoc, ut a prædicta charitate imperetur. Sed si ab ea imperatur media virtute infusa morali, ex eo est, quia hujusmodi virtute supposita, consonum est charitati ad infima per intermedia descendere.

Alia replica diluitur.

Nec etiam refert, si secundo objicias, oppositum hujus solutionis esse expressam doctrinam a nobis traditam *tom.* 6, *tract.* 12, *disput.* 8, *num.* 18.

Respondetur enim negando antecedens, quia dum loco citato asseruimus, tot esse distinguendas virtutes per se infusas morales, quot sunt acquisitæ, loquebamur de virtutibus acquisitis, quæ in nostra, et communi sententia sunt vere virtutes ab aliis condistinctæ, cujusmodi non est amicitia naturalis, ut constat ex iis, quæ tradimus in arbore virtuum, § 10, *n.* 87.

Occurritur confirmationi.

74. Ad confirmationem respondetur, concesso antecedenti, negando consequentiam. Et ratio disparitatis est, quod homo ratione humanitatis absolute acceptæ, non communicat cum Deo in natura illius, neque intelligitur habere potentiam expeditam ad hujusmodi communicationem, ut constat in damnatis; sed communicat cum aliis hominibus in vita exteriori. Unde amor terminatus ad hominem qua hominem præcise, non potest esse supernaturalis amicitia erga illum, cum non fundetur in communicatione boni supernaturalis. Cæterum justus per gratiam communicat cum Deo in bono æternæ beatitudinis, in quo fundatur amicitia charitatis theologicæ, consideraturque quasi unum cum Deo; et ideo dilectio amicabilis, qua amatur justus ut justus, est propria prædictæ charitatis theologicæ, nec pertinere potest ad aliam amicitiam, cum per prædictum affectum diligatur justus, quia habet in se Deum, sive quia est Deus participative : qui dilectionis modus est proprius charitatis theologicæ.

Major præcedentis argumenti enervatio.

75. Adde pro majori enodatione principalis argumenti, quod gratis admisso, et non concesso, existere in justis amicitiam supernaturalem per se infusam, hæc tamen non debet tendere in justos qua justos, ut volunt adversarii, sed ut consanguineos, domesticos, aut cives, secundum regulas prudentiæ infusæ, et exigentiam finis supernaturalis. Nam quemadmodum sumptio cibi constituta per prudentiam infusam, et taxata secundum proportionem convenientem vitæ spirituali, est objectum temperantiæ infusæ : ita homo conjunctus nobis sanguine, aut naturali virtute, ut amandus secundum regulas prudentiæ infusæ, et exigentiam spiritualis vitæ, atque finis ultimi supernaturalis, deberet esse objectum amicitiæ per se infusæ, si quæ foret absolute possibilis, nulloque ex capite repugnaret. Cæterum ratione gratiæ sanctificantis nequit diligi justus amicabiliter alia virtute, quam charitate theologica; cum prout sic ametur ut amicus divinus, sive ut communicans nobiscum in bono ejusdem charitatis. Videatur Cajet. in præsenti *quæst.* 25, *articulo.* 1. Cajet.

Objectio

Dices : communicatio in bono virtutis naturalis, v. g. temperantiæ, fundat inter homines castos amicitiam naturalem : ergo communicatio in bono temperantiæ infusæ fundare debet amicitiam supernaturalem, qua justi diligant se mutuo, quia casti, præscindendo a communicatione vitæ divinæ habitæ per gratiam : constat autem hujusmodi amicitiam non esse theologicam, sed moralem : ergo, etc.

Satisfactio.

Respondetur negando consequentiam quæ licet admitteretur, non officeret nostræ conclusioni, quippe cum semper habeamus non infundi cum gratia amicitiam moralem ad diligendos justos, prout justi sunt, et sancti, cujus oppositum est scopus sententiæ contrariæ. Ratio discriminis est, quod temperantia et reliquæ virtutes infusæ morales, non sunt perfectiones hominis ut hominis, sed ut filii Dei, nec illarum communicatio censetur alia a communicatione in natura divina habita per gratiam, sed est complementum illius; non secus ac communicatio in proprietatibus humanæ naturæ complet communicationem in substantia illius; sunt enim prædictæ virtutes infusæ, proprietates gratiæ, ordinantes hominem ad eandem societatem patriæ cœlestis, ad quam ordinatur per ipsam gratiam. Unde ad eandem virtutem amicitiæ theologicæ, qua diligimus justos ut filios Dei, et socios futuræ beatitudinis, spectat amare illos ut castos, et aliis supernaturalibus virtutibus indutos. Quæ ratio non militat in naturalibus; nam in hoc ordine potest esse multiplicis, et diversi boni communicatio, per ordinem ad quam multiplicari debet amicitia naturalis. Quæ est doctrina D. Thom. *in hac* 2, 2, *quæst.* 23, art. 5, D. Tho.

art. 5, ubi ex eo probat, charitatem, sive amicitiam supernaturalem non posse multiplicari specifice, quia una est communicatio beatitudinis æternæ, super quam hæc amicitia fundatur. Unde cum in tertio argumento sic proposuisset : « Sub charitate « includitur amicitia ad proximum : sed « Philosoph. in 8 Ethic. ponit diversas « species amicitiæ : ergo charitas non est « una virtus, sed multiplicatur in diversas « species ; » ita respondet : Dicendum quod « amicitiæ humanæ, de qua Philosoph. lo- « quitur, est diversus finis, et diversa com- « municatio. Quod in charitate locum non « habet, ut dictum est; et ideo non est simi- « lis ratio. » Ubi, ut vides, admittit multiplicationem amicitiæ naturalis, quæ habetur ad proximos, penes civilem, domesticam, etc. quam multiplicitatem negat amicitiæ supernaturali, eo quod in hoc ordine non sit diversitas communicationum, sine quibus non potest amicitia honesti multiplicari.

§ ULTIMUS.

Ultimum argumentum pro contraria sententia.

76. Ultimum argumentum pro contraria sententia proponitur a D. Thom. *in hac.* 2, 2, *q.* 25, *art.* 1, his fere verbis : « Amari « est quoddam honorari, ut docet Philo- « soph. 8 Ethic. cap. 8 ; sed præter virtu- « tem religionis, qua colimus Deum ut « summum rerum principium, est alia or- « dinata per se primo ad tribuendum ho- « norem justis, scilicet dulia : ergo præter « virtutem charitatis theologicæ, qua dili- « gimus Deum ut summum bonum, admit- « tenda est alia supernaturalis, quæ sit per « se primo amicitia erga ipsos justos. »

Confirmatur, quia si justus consideretur in quantum imago excellentiæ, seu bonitatis divinæ, quam repræsentat, potest coli per religionem, sicut coluntur aliquæ creaturæ irrationales, ut crux, et imago Christi Domini ; quamvis non consueverimus justos latriæ cultu venerari, ne adoratio, quam terminare possunt, in quantum sunt Dei imagines, et habitaculum, videatur offerri illis secundum se, et absolute sumptis. Quod inconveniens quia non militat in rebus insensibilibus, quales sunt crux, imago, etc. sine scrupulo eis deferimus latriæ cultum. Sed præter religionem, qua colimus Deum in seipso, et justos in quantum imagines, et templa illius, datur alia virtus, scilicet duliæ, ad honorandum ipsos justos secundum se sumptos ratione sanctitatis, et excellentiæ illis intrinsecæ : ergo præter charitatem theologicam, qua diligimus Deum amicabiliter in seipso, et justos in quantum filios et imagines Dei, debet poni alia amicitia supernaturalis, qua diligamus illos absolute sumptos, ratione gratiæ, et sanctitatis eis intrinsecæ. Patet consequentia, quia de amore eodem modo philosophandum est, ac de cultu et veneratione, eo quod amari sit quoddam honorari, ut docet Philosophus. Aristot.

Ad hoc argumentum respondetur, concessa majori et minori, negando consequentiam. Et ratio disparitatis est, quod adoratio solum attendit excellentiam, et dignitatem personæ, cui impenditur, ab illaque distinctionem, et unitatem specificam delibat : unde eo ipso quod personarum excellentiæ sint diversi ordinis, possunt, debentque cultus, sive observantiæ species per ordinem ad illas multiplicari. Amicitia autem sumit unitatem ac distinctionem specificam ex specie boni, super cujus communione fundatur ; ob idque illo immultiplicato, nequit specie variari. Unde cum idem sit bonum, super cujus communione fundatur dilectio amicabilis Dei, et amor supernaturalis, quo prosequimur justos ratione gratiæ absolute sumptæ, scilicet æterna beatitudo, non possunt prædictæ dilectiones fundare diversas species amicitiæ supernaturalis, sed necessario spectant ad eandem. Satisfit argumento.

77. Cui solutioni affinis est triplex alia, quas huic argumento tradit D. Thom. et modo libet in illius gratiam exponere, atque ab impugnationibus, quibus ab aliis impetuntur et refutantur, defensare. Loco igitur nuper citato, sic proposito argumento occurrit : « Ad secundum dicendum, quod « amor respicit bonum in communi : sed « honor respicit proprium bonum hono- « rati ; defertur enim alicui in testimo- « nium propriæ virtutis, et ideo amor « non diversificatur specie propter di- « versam bonitatis quantitatem diver- « sorum, dummodo referantur ad unum « bonum commune : sed honor diversifi- « catur secundum propria bona singulo- « rum. Unde eodem amore charitatis dili- « gimus omnes proximos, in quantum re- « feruntur ad unum bonum commune, « quod est Deus ; sed diversos honores di- Alia responsio ex Divo Thoma.

« versis deferimus, secundum propriam « virtutem singulorum. Et similiter Deo « singularem latriæ honorem exhibemus « propter ejus singularem excellentiam. »

Hæc tamen solutio videtur insufficiens.

Vasq. Tum quia falsum est (ait Vasq.) objectum charitatis esse bonum in communi; constat quippe illius objectum esse summum bonum, quod commune non est, sed maxime speciale. Tum etiam, quia sicut amor in communi fertur in bonum in communi, ita honor in communi tendit ad excellentiam in communi : et sicut talis honor, scilicet divinus, respicit determinatam excellentiam, nempe divinam, et increatam; ita talis amor, nempe Dei dilecti super omnia, respicit determinatam bonitatem, videlicet divinam, et increatam : nulla ergo est disparitas inter amorem, et honorem. Eo vel maxime, quia alias tot erunt species duliæ, quot fuerint diversi sanctitatis gradus in hominibus, quod nemo admittet.

Secunda solutio ex D. Thom. Secunda solutio Angelici Doctoris habetur infra *quæst.* 81, *art.* 4 *ad* 3, his verbis : « Ad tertium dicendum, quod objectum « amoris est bonum; objectum autem ho- « noris, et reverentiæ est aliquid excel- « lens : bonitas autem Dei communicatur « creaturæ, non autem excellentia bonita- « tis ejus; et ideo charitas, qua diligitur « Deus, non est virtus distincta a charitate, « qua diligitur proximus : religio autem, « qua honoratur Deus, distinguitur a vir- « tutibus, quibus honoratur proximus. »

Contra hanc tamen solutionem potest objici, quod vel in ea est sermo de communicatione perfecta, sive per essentiam ; vel de communicatione imperfecta, quæ habetur per participationem. Si de priori, æque incommunicabilis est bonitas divina, ac divina excellentia. Si vero de posteriori, non solum divina bonitas, sed etiam excellentia communicatur creaturis ; constat enim quamlibet excellentiam creatam esse participationem increatæ : nulla igitur est ratio discriminis adducta a D. Thom.

78. Tertiam denique solutionem proponit S. Doctor infra *quæst.* 103, *art.* 3 *ad* 2, his verbis : « Ad secundum dicendum, quod « ratio diligendi proximum est Deus, non « enim per charitatem diligimus in pro- « ximo nisi Deum; et ideo eadem charitas « est, qua diligitur Deus et proximus. Sunt « tamen aliæ amicitiæ differentes a chari- « tate secundum alias rationes, quibus ho- « mines amantur. Et similiter cum sit alia « ratio serviendi Deo, et homini, seu hono- « randi utrumque, non est eadem virtus « latriæ et duliæ. »

Cæterum hæc solutio (inquiunt Adversarii) non enervat vires argumenti, sed adjicit; quoniam proximus potest diligi amore supernaturali dupliciter : uno modo propter Deum sicut propter rationem formalem immediatam *quæ*, et *sub qua*, ac proinde ita ut objectum formale, quod in eo diligitur, sit Deus ; proximus vero se habeat ut objectum pure materiale, eo modo quo habitus principiorum attingit principia relucentia in conclusionibus; et religio colit Christum Dominum in illius imaginibus. Unde si charitas in proximo nihil aliud diligit nisi Deum, ad amandum ipsum proximum formaliter propter perfectiones supernaturales gratiæ, et virtutum, necessaria erit alia virtus amicitiæ distincta a charitate theologica, eo modo quo dulia a religione distinguitur.

Observanda ad defendendum responsiones Divi Nota 1. 79. Cæterum neque ista objectio, neque quam adversus duas priores solutiones Angelici Præceptoris proposuimus, illas ineffi- caciæ, aut alicujus falsitatis convincunt ; sed omnes ejus responsiones satisfaciunt argumento, illiusque vires ex eodem principio infringunt. Quod ut clarius elucescat, animadvertendum est primo, hoc interesse discriminis inter bonum, et excellentiam formaliter sumpta, quod bonum ex sua formali ratione est diffusivum sui in genere causæ finalis, atque ideo trahendo alia ad se, et assimilando sibi, et quasi unum secum constituendo. Unde cum objectum charitatis theologicæ sit summum bonum, necesse est quod sit maxime diffusivum sui, pluribusque commune, non quidem in prædicando, sed secundum communicationem, et causalitatem, qua illa perficiat, et sibi uniat sicut fini. Excellentia vero unius personæ, quatenus talis, est incommunicabilis alteri ut subjecto, licet possit ei communicari extrinsece sicut imagini, et repræsentationi. Ratio est, quia excellentia, quatenus talis, est id, ratione cujus una persona eminet alteri, et ab ea distinguitur, sicut superior ab inferiori : id autem, per quod una persona distinguitur ab alia, et elevatur super illam, nequit ei communicari ; quia si communicaretur, eo ipso amitteret rationem formalem excellentiæ, quæ non est absoluta, sed comparativa unius personæ ad aliam ; et ideo excellentia divina, circa quam versatur religio, non est communicabilis

bilis creaturis, sed illis incommunicabilis sicut ratio entis a se, creatoris, et aliæ similes.

2. Secundo nota ex D. Thom. *quæst. de charitate, art.* 7, quod ad dignoscendum objecta, quæ subjiciuntur secundario alicui habitui, attendendum est, an communicent in ratione formali *sub qua* talis habitus, et cum illius objecto primario uniantur, necne? Quæcumque enim participaverint rationem formalem *sub qua* specificativam habitus, habuerintque aliquam unitatem cum illius objecto primario, poterunt secundario ab eo attingi; secus autem si prædictam rationem formalem nullo modo participent, neque cum illius objecto primario uniantur: tum quia latitudo, et sphæra potentiæ habitus metienda est ex illius ratione formali *sub qua*, ita ut ad ea omnia, et præcise extendatur, ad quæ illa protenditur: tum etiam, quia quæ habent inter se unitatem, non censentur plura, sed unum, ob idque possunt absolute ab eodem habitu attingi, præsertim affectivo; quia cum amor sit vis unitiva fundata in similitudine, et convenientia, consonum est illi attingere omnia, quæ sunt inter se similia.

3. Observa denique, Deum esse in anima justi, tum quatenus is participat formaliter naturam divinam, et modum vivendi proprium Dei: tum etiam, quia ipse Deus communicatur homini justo per modum doni, juxta illud Joan. 14: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Unde qui diligit justum ratione gratiæ, eo ipso diligit Deum in illo.

80. Ex his apparet, omnes solutiones quibus D. Thom. occurrit argumento proposito, sufficienter illius vires enervare. Et quidem prima, et secunda constant ex primo et secundo notabili; nam cum virtus quælibet ad illa omnia absolute se extendat, quæ participant illius rationem formalem *sub qua*, suntque unum cum illius objecto primario; justi autem ratione gratiæ participent intrinsece summam Dei bonitatem, habeantque proinde unionem cum illo; non vero participent intrinsece illius excellentiam, sed solum extrinsece, ut illius imagines; fit inde, ut charitas, quæ respicit per se primo summum bonum, possit, debeatque diligere secundario justos qua justos: religio vero, quæ versatur per se primo circa excellentiam divinam, nequeat venerari illos cultu debito intrinsece illorum dignitati; sed si quando eos coluerit, erit ut imagines Dei, eo sane modo, quo impendit honorem cruci.

Motiva opposita diruuntur. D. Tho.

Nec referunt quæ contra utramque solutionem *num.* 77, adduximus: quia D. Th. non dixit, objectum charitatis esse bonum in communi, sed amorem respicere ex natura sua bonum in communi, id est sub ipsa formali ratione boni, quæ sui diffusiva est, et aliis communis per participationem; non vero sub munere excellentis in aliqua persona, quo pacto incommunicabilis est aliis inferioribus; id enim proprium est honoris. Ex quo discrimine optime intulit speciem amicitiæ non variari penes diversam quantitatem ejusdem boni, cultum vero accipere diversitatem specificam per ordinem ad diversam excellentiam personarum; nam cum bonum sit diffusivum sui, salvatur ejus unitas, et similitudo in diversa quantitate boni: ea autem, quæ habent inter se similitudinem, et unitatem, terminare possunt eandem amoris speciem, ut quæ fundatur in similitudine, et unitate. Excellentia vero unius personæ, quatenus talis, est omnino incommunicabilis aliis, ob idque nequit esse ratio formalis honorandi illas cultu debito intrinsecæ illarum dignitati; sed eo ipso, quod in diversis personis sint diversæ excellentiæ, necesse est ponere pro eis colendis diversas virtutes observantiæ. Porro hæc excellentiæ diversitas non debet esse metaphysica, aut qualiscumque, ut est illa, qua inter se justi discriminantur; sed necessaria est diversitas moralis sufficiens ad constituendum diversum statum, aut ordinem dignitatis, uti se habet dignitas propria B. Virginis Mariæ ad excellentiam competentem justis ratione gratiæ; aut excellentia regia ad communem hominum dignitatem. De quo videri debet ipse D. Thom. infra, *q.* 103, *art.* 3. D. Tho.

Ad id autem, quod adducitur ad probandum excellentiam divinam esse æque communicabilem, et participabilem, ac illius bonitatem. Respondetur, quod licet excellentia propria justorum sit creata, non est tamen participatio formalis excellentiæ divinæ, ut excellentia est, sed ut bonitas est. Tum quia excellentia, ut talis, non est diffusiva sui, sed segregativa potius ab inferioribus. Tum etiam, quia excellentia divina, ratione cujus religio Deum colit, fundatur supra potentiam creandi, quam constat esse incommunicabilem creaturis. Tum denique, quia communicatio perfectio-

nis fit per diffusionem illius, et assimilationem participantis ad participatum; quod est proprium bonitatis. Unde excellentia conveniens justis ratione gratiæ poterit amari per charitatem theologicam, ut bonum ordinis divini; non vero coli per religionem ut excellentia est, quia prout sic non tam comparatur ad Deum, cujus excellentiam colit religio, quam ad inferiora, quibus ipsi justi eminent. Videatur Raphael de la Torre *tom.* 1, *de religione, quæst.* 81, *art.* 4, *disp. unic.*, ubi late versat hujus argumenti difficultatem.

Raph. de la Torre.

Posterioris responsionis sensus, et defensio. D. Tho.

81. Veritas etiam tertiæ solutionis ex eo liquet, quia cum D. Thom. ait charitatem non diligere in proximo nisi Deum, noluit asserere objectum formale *quod* prædicti amoris esse necessario ipsum Deum, prout relucet in proximo, eo modo quo prima principia attinguntur in conclusionibus ab habitu intelligentiæ; quoniam hic actus neque est proprie amor proximi, neque secundarius charitatis, sed reducitur ad illius actus primarios. Sed propterea dixit Angelicus Doctor, charitatem non diligere in proximo nisi Deum, quia cum justus ratione gratiæ habeat in seipso divinam bonitatem, sitque Deus participative; qui diligit justum, qua justum, diligit reipsa ipsum Deum, non secus ac qui diligit media quatenus talia, diligit in illis finem.

Ex quibus patet ad confirmationem; concessa enim majori et minori, neganda est consequentia, cujus disparitas constat ex dictis.

QUÆSTIO XXVI

De ordine charitatis.

ARTICULUS I.

Utrum in charitate sit ordo.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod in charitate non sit aliquis ordo. Charitas enim est quædam virtus. Sed in aliis virtutibus non assignatur aliquis ordo. Ergo neque in charitate aliquis ordo assignari debet.

Præterea: Sicut fidei objectum est prima veritas, ita charitatis objectum est summa bonitas. Sed in fide non ponitur aliquis ordo, sed omnia æqualiter creduntur. Ergo nec in charitate debet poni aliquis ordo.

Præterea: Charitas in voluntate est. Ordinare autem non est voluntatis, sed rationis. Ergo ordo non debet attribui charitati.

Sed contra est quod dicitur Cant. 2: Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem.

Respondeo dicendum, quod sicut Philosophus dicit in quinto Metaph. prius et posterius dicitur secundum relationem ad aliquod principium. Ordo autem includit in se aliquem modum prioris, et posterioris. Unde oportet, quod ubicumque est aliquod principium, sit etiam aliquis ordo. Dictum autem est supra, quod dilectio charitatis tendit in Deum sicut in principium beatitudinis, in cujus communicatione amicitia charitatis fundatur; et ideo oportet, quod in his, quæ ex charitate diliguntur, attendatur aliquis ordo secundum relationem ad primum principium hujus dilectionis, quod est Deus.

Ad primum ergo dicendum, quod charitas tendit in ultimum finem sub ratione finis ultimi, quod non convenit alicui alii virtuti, ut supra dictum est. Finis autem habet rationem principii in appetibilibus, et in agendis, ut ex supra dictis patet. Et ideo charitas maxime importat comparationem ad primum principium. Et ideo in ea maxime consideratur ordo secundum relationem ad primum principium.

Ad secundum dicendum, quod fides pertinet ad vim cognoscitivam, cujus operatio est secundum quod res cognitæ sunt in cognoscente. Charitas autem est in vi affectiva, cujus operatio consistit in hoc, quod anima tendit in ipsas res. Ordo autem principalius invenitur in ipsis rebus, et ex eis derivatur ad cognitionem nostram. Et ideo ordo magis appropriatur charitati, quam fidei, licet etiam in fide sit aliquis ordo, secundum quod est principaliter de Deo, secundario autem de aliis, quæ referuntur ad Deum.

Ad tertium dicendum, quod ordo pertinet ad rationem, sicut ad ordinantem; sed ad vim appetitivam pertinet sicut ad ordinatam. Et hoc modo ordo in charitate ponitur.

Conclusio *est affirmativa.*

DISPUTATIO III.

De ordine diligendorum ex charitate.

Explicatis objectis, ad quæ extendi potest affectio charitatis, superest exploremus, qualiter versetur circa illa, an scilicet æquali amore, vel potius inæquali; ita ut quæ perfectiora sunt, magis diligat; quæ vero minus perfecta, inferiori amore prosequatur; hoc enim intelligimus in præsenti nomine *ordinis*, quippe qui prioritatem inter aliqua ex sua ratione formali includit.

DUB. UNIC.

DUBIUM UNICUM.

Utrum in charitate sit ordo, et unde attendatur?

Prima pars hujus dubii facilis est negotii. Posterior vero non nihil difficultatis habet, ex cujus decisione pervium erit diluere omnes quæstiones, quæ excitari possent circa materiam præsentis disputationis, quam proinde unico dubio complectimur.

§ I.

Deciditur prima pars dubii.

1. Dicendum ergo est primo, charitatem non diligere æqualiter omnia sua objecta, sed inæqualiter, atque ideo observare ordinem in dilectione illorum. Hæc assertio est communis SS. Patrum, et Theologorum, videturque expressa in illo Cantic. 2: *Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem;* nam perinde est, ac si diceret, quod sponsus rectum, et debitum charitatis ordinem in illa constituit; sic enim exponunt prædictum locum SS. Patres, Theodoret. Gregor. Magn. Gloss. et D. Thom. *ibi*, Nyssen. *homil.* 4, *in Cantic.* Bernard. *serm.* 49, *et* 50, *in eundem librum*, Hieronym. *in cap.* 44, *Ezech.* August. *lib.* 15, *de Civit. cap.* 22, Ambros. *in Lucam, cap.* 6, *et* Origenes *homil.* 2, *in Cantic.* ubi sic habet: « Dominus noster in « Evangelio præcepta de charitate consti- « tuens, ad uniuscujusque dilectionem pro- « prium aliquid apposuit, et dedit intelli- « gentiam ordinis, cum dixit: Diliges Do- « minum Deum tuum ex toto corde tuo, et « proximum tuum sicut te ipsum. Si hæc « intellexeris, et intellecta compleveris, « fecisti quod in isto sermone præcipitur: « Ordinate in me charitatem. »

Deinde suadetur eadem assertio ratione desumpta ex D. Thom. *quæst. unic. de charit. art.* 7, nam quælibet virtus eodem modo attingit sua objecta, quo illa se habent ad illius rationem formalem *sub qua*, ut patet a simili in potentia visiva, quæ ita se habet ad visibilia, sicut ipsa ad rationem visibilis: sed objecta charitatis non se habent æqualiter, sed inæqualiter ad illius rationem formalem *sub qua*, scilicet summam bonitatem beatificantem; nam Deus est summum bonum beatificans per essentiam suam, creaturæ vero solum participative communicant in prædicta bonitate, et beatitudine: charitas igitur non fertur æquali amore in sua objecta, sed inæquali, ac proinde cum ordine prioris, et posterioris secundum dignitatem.

Fulcitur. Confirmatur: nam amicitia illud objectum, cæteris paribus, prius et magis diligit, quod perfectius communicat in bono, in quo ipsa fundatur; ideo enim amicitia politica respicit principalius Principem, a quo totum bonum reipublicæ pendet, quam illius subditos: sed objecta charitatis communicant secundum magis, et minus in bono æternæ beatitudinis, super cujus communione ipsa fundatur, ut nemini est dubium: charitas igitur tendit in sua objecta cum ordine præcedentiæ, et dignitatis.

Alia assertionis ratio. D. Tho. 2. Ultimo probatur hæc sententia ratione adducta a D. Thom. *in hac quæst.* 26, *art.* 1; nam ubicumque comparantur aliqua sicut principium, et principiata, ibi est ordo prioris et posterioris; quia principium est prius principiatis, et hæc posteriora illo: sed charitas tendit in Deum sicut in principium beatitudinis, super cujus communicatione ipsa fundatur, quia respicit illum sub conceptu finis ultimi, qui habet rationem principii in agendis, et appetibilibus; ad creaturas vero extenditur ut ordinatas ad prædictum finem: ergo charitas in amore eorum, ad quæ afficitur, observat ordinem prioris et posterioris taxatum secundum relationem ad primum principium hujus dilectionis, quod est Deus.

Confirmatio. Confirmatur primo: nam amicitia æquiparatur justitiæ estque illi affinis, ut supra diximus: sed justitia observat ordinem circa sua objecta, reddendo unicuique debitum pro jure suo, nempe cui decem, decem; cui vero quinque, quinque: ergo cum charitas sit amicitia, debet servare ordinem in amore illorum, quæ diligit, ita ut unicuique reddat amorem commensurate ad illius merita, et jus.

Alia confirmatio. Confirmatur secundo: charitas diligit Deum propter se, et sicut objectum primarium; creaturas vero ut objecta secundaria, et ratione ipsius Dei: ergo magis diligit Deum, quam creaturas, quia propter quod unumquodque tale, et illud magis. Servat igitur ordinem in suo amore.

Objectio. 3. Nec refert si objicias: quia ubi est una ratio dilectionis, non debet esse inæqualis dilectio, ut constat ex se, et docet D. August. *lib.* 1, *de doct. Christ. cap.* 28; sed una est ratio diligendi Deum, et D. Aug

proximum per charitatem, scilicet Deus ipse, qui non est major in seipso, quam in proximo, neque in uno proximo, quam in alio : ergo charitas non servat ordinem inter sua objecta, sed omnia æqualiter diligit.

Diluitur D. Tho. Respondetur enim ex D. Thom. *in hac quæst.* 26, *art.* 6 *ad* 2, *et quæst. de charit. art.* 9 *ad* 4, quod licet Deus non sit major in seipso, quam in proximo, aut in uno proximo, quam in alio, sed idem in omnibus ; in seipso tamen est principium beatitudinis, et summum bonum : quam bonitatem non communicat infinite, et æqualiter creaturis ; sed finite, et secundum magis et minus. Unde cum Deus sit principium beatitudinis, non vero proximi ; et ex ipsis proximis aliqui sint Deo magis propinqui propter majorem bonitatem, quam a Deo participant ; idcirco non debet charitas omnia sua objecta æquali amore diligere, sed potius tenetur servare ordinem prioris, et posterioris in amore illorum.

Secunda objectio. Aristot. Nec etiam refert si urgeas, quod ut docet Philosoph. 2, *Ethic. cap.* 9, amicitia est quædam æqualitas : sed æqualitas est uniformis, diversitatem non patiens, sicut nec unitas divisionem : ergo amicitia charitatis non observat ordinem in suo amore, sed omnibus est æqualis.

Confirmatio. D. Aug. Et confirmatur primo, quia hæc videtur expressa sententia D. August. *lib.* 1, *de doct. Christ. cap.* 28, ubi sic habet : « Omnes homines æque diligendi sunt ; sed « cum omnibus prodesse non possis, iis « potissimum consulendum est, qui pro locorum, et temporum, vel quarumlibet « rerum opportunitatibus constrictius tibi « quasi quadam sorte junguntur. » Ubi, ut vides, ex eo differt secundum August. dilectio charitatis a beneficentia, quod illa debet esse æqualis erga omnes, secus vero ista.

Confirmatio. Confirmatur secundo, quia non potest esse consonus charitati dilectionis modus, ex quo natus est sequi defectus pacis, et unionis ; cum charitas sit radix concordiæ, et unitatis : sed ex dilectione inæquali proximi natus est sequi prædictus defectus ; nam qui agnoscunt se aliis in dilectione postponi, conqueruntur, et tam magis dilectos, quam ipsum diligentem fastidiunt, aversantur, et circa eorum amorem obrigent : charitas igitur non amat inæqualiter proximos, sed æqualiter, proindeque sine ordine.

4. Non, inquam, hæc referunt ; ad replicam enim respondet D. Thom. *in* 3, *distinct.* 29, *quæst.* 1, *art.* 1 *ad* 2, his verbis : Solutio objectionis ex D. Tho.
« Ad secundum dicendum, quod amicitia « non consistit in æqualitate æquiparan« tiæ, quia potest esse ad superiores, infe« riores, et æquales ; sed consistit in æqua« litate proportionis, quæ quidem æqualitas « non refugit diversitatem quantitatis, si« cut eadem proportio, scilicet sex, quialtera, « est trium ad duo, et sex ad quatuor, « quamvis inæqualis sit quantitatis exces« sus. »

Ad primam confirmationem dicendum ex eodem Angelico Præceptore *in hac. q.* 26, *art.* 6 *ad*, 2, quod dilectio dupliciter potest esse inæqualis erga aliquos. Uno modo ex eo, quod aliquos diligat seu attingat, aliquos vero non ; et hæc inæqualitas est aliena a charitate, secus autem a beneficentia ; quia cum beneficentia non valeat omnibus prodesse, quibusdam dumtaxat consulere et opitulari debet, scilicet designatis ab August. Charitas autem quantumvis minima, extendi potest ad omnia diligibilia. Et ideo existens in charitate est omnibus benevolus, secus autem beneficus. Alia vero est inæqualitas dilectionis ex eo, quod quidam plus aliis diliguntur ; et hæc inæqualitas est propria charitas, nec illam intendit excludere D. Aug. sed primam dumtaxat, ut constat ex littera. Respondetur ad primam confirmationem D. Tho. D. Aug.

Adde D. Augustinum non loqui de æqualitate æquiparantiæ, dum ait, omnes æque diligendos esse ; sed de æqualitate proportionis, qua ad omnes homines extenditur charitas.

Ad secundam confirmationem respondetur negando minorem, quam non evincit probatio ; quia illæ querelæ perturbantes pacem, et concordiam fratrum, non improbant ordinem dilectionis, quem diximus observare charitatem circa sua objecta ; quia non oriuntur ex illo, cum prædictus ordo sit rectæ rationi consentaneus, non minus quam ordo justitiæ distribuentis militibus stipendia promeritis, quoniam ut ait Philosoph. 8 *Ethic. lect.* 12 : « Quæ« rere quomodo vivendum est amico cum « amico ? nihil aliud est quam quærere, « quomodo justum est ; non enim idem « justum videtur amico ad amicum, nec ad « alienum et sodalem, ac condiscipulum « esse. » Sed prædictæ querelæ indices sunt eos, a quibus proferuntur, superbiæ spiritu agitari, eoque ipso indignos esse, ut Diluitur secunda. Arist.

ut æquali cum aliis amore diligantur. Si namque homo (ut par erat) humiliter de se, et abjecte sentiret, non causaretur alios sibi in amore præferri, sed potius seipsum omni amore indignum publicaret, ut ex se liquet. Cæterum quia amari est quoddam honorari ; homines autem appetunt generaliter honorem, et gloriam, ii præsertim qui abjectæ sunt conditionis et animi (nam quasi ad levia et vilia nati, non verum honorem, qui ex virtutibus procedit, sed inanem humani favoris auram, nulla suorum meritorum habita ratione, aucupantur) ; hinc provenit quod vocem efferant, et querelas, si quando deprehendunt se aliis in amore postponi. Unde prædictæ obmurmurationes non debent impedire ordinem charitatis, sed ut latentis superbiæ status refrenari.

5. Quæ doctrina desumitur ex D. Thom. *opusc.* 4, § 7, ubi docet ad amicitiam proximi maxime juvare patientiam, et humilitatem, quæ ipsam patientiam gignit ; quoniam cum superbia, et iracundia vix potest amicitiæ dulcedo conservari : quia ut dicitur Proverb. 13 : *Inter superbos semper jurgia sunt.* Quæ etiam suscitat iracundia, juxta illud cap. 25 ejusdem libri : *Vir iracundus suscitat rixas.* Ob idque prudentissimus Salomon consulit declinandam esse familiaritatem hominis iracundi ; sic enim habet Proverb. 22 : *Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso ; ne forte discas semitas ejus, et sumas scandalum animæ tuæ.* Quam etiam doctrinam inculcant August. *lib. de amicitia*, et Philosoph. 7 *Ethic.*

Et sane qui ægre sustinet honestam proximi dilectionem, aperte convincitur, parum, vel nihil charitatis habere erga illum ; quoniam sicut qui diligit Deum, eo ipso vult illum ab omnibus amari, et honorari ; ita qui diligit proximum ex charitate, appetit illum ab aliis, et præsertim a Deo amari, et in honore haberi ; quippe in hoc discriminantur amor carnalis, et spiritualis procedens ex charitate, quod ille soli amanti vult amatum, iste vero appetit ipsum ab aliis amari, ut egregie docet D. Thom. 1, 2, *quæst.* 28, *art.* 4, his verbis : « Intensus amor quærit excludere omne id, « quod sibi repugnat ; aliter tamen hoc « contingit in amore concupiscentiæ, et « aliter in amore amicitiæ; nam in amore « concupiscentiæ, qui intense aliquid con« cupiscit, movetur contra omne illud, quod « repugnat consequutioni, vel fruitioni « ejus, quod amat ; et hoc modo qui quæ« runt excellentiam, moventur contra eos, « qui excellere videntur, quasi impedientes « excellentiam eorum ; et iste est zelus « invidiæ, de quo dicitur Psalm. 36 : Noli « æmulari in malignantibus, neque zelave« ris facientes iniquitatem. Amor autem « amicitiæ quærit bonum amici. Unde « quando est intensus, facit hominem mo« veri contrà omne illud, quod repugnat « bono amici ; et secundum hoc aliquis di« citur zelare pro amico, quando si quæ « dicuntur, vel fiunt contra bonum amici, « homo repellere studet. Et per hunc « etiam modum aliquis dicitur zelare pro « Deo, quando ea quæ sunt contra hono« rem Dei, repellere secundum posse cona« tur, secundum illud 3. Reg. Zelatus sum « pro Domino exercituum, etc. » Ex qua doctrina manifeste habetur, quam distet a charitate aliorum dilectionem invidere, vel ex inæqualitate illius perturbari.

6. Petes primo, an ordo charitatis sit attendendus secundum affectum, vel effectum ? Incidentis dubii decisio.

Respondetur cum D. Thom. *in* 3, *dist.* 29, *quæst.* 1, *art.* 2, ordinem charitatis creatæ attendendum esse per se primo secundum affectum. Tum quia objectum charitatis, ut dicit vim affectivam, est bonum ; unde cum illius ordo attendatur secundum diversitatem bonorum, ad quæ afficitur, necesse est illum attendi per se primo ex affectu. Tum etiam, quia affectus exterior non pertinet ad charitatem, nisi in quantum procedit ex affectu, in quo primo est charitatis actus ; si quis enim maxima bona aliis conferat sine affectu ad ipsos, esto exerceat actus liberalitatis, aut justitiæ, non tamen charitatis. Unde cum hæc virtus perhibeatur ordinata, oportet illius ordinem attendi directe, et per se primo ex affectu. D. Tho.

Diximus *per se primo*, quia secundario etiam attendi potest ordo charitatis ex effectu, non quia personæ, quam plus affective diligimus, magis in effectu impendamus ; sed quia magis parati sumus ei in effectu impendere, si necesse fuerit. Etenim cum frequenter ii, quos magis diligimus, nostris auxiliis non indigeant, non debemus eis illa impendere, sed habere animum paratum ad illa eis prius, quam aliis conferenda, siquando ipsis indigeant.

7. Petes secundo, an ordo charitatis

Alterius quæstionis resolutio.

debeat attendi secundum affectum appretiativum, vel intensivum ?

Respondetur ordinem charitatis attendi, per se loquendo, secundum affectum appretiativum. Pro cujus intelligentia nota, quod affectus est major alio objective, quo volumus amico majus bonum : qua ratione affectus, quo appetimus Petro regnum cœleste, est major illo, quo ei concupiscimus bona temporalia ; excedit enim illum ex parte boni voliti.

Affectus vero major intensive ille dicitur, qui excedit in conatu, et efficacia agentis, sive in gradu radicationis majoris in subjecto : sicut si majori impetu et conatu concupiscamus Petro bona temporalia, quam cœlestia, affectus temporalium erit major intensive amore cœlestium, minor vero objective, quia ut docet D. Thom. *loco proxime citato ad* 3, intensio actus liberi non mensuratur ex quantitate objecti tantum, sed magis ex efficacia agentis, et conatu in agendo. Unde sicut non videt melius, qui majorem rem intuetur, sed qui clarius, ita non oportet, quod æquali intensione afficiatur quis ad personam, cui majus bonum desiderat.

D. Tho.

Affectus denique appretiativus ille dicitur, quo aliquam personam plurimi æstimamus, et aliis præferimus ; quo pacto amor charitatis erga Deum est major ex specie sua quolibet alio amore quantumvis intenso ; nam qui habet charitatem, in ea est dispositione, ut si opus fuerit deserere propter Deum personas intimo sibi amoris nexu conjunctas, quales sunt parentes, filii, uxor, etc. eas derelinquet propter illum ; quia ex vi charitatis majori pretio habet Deum, quam parentes, etc. et ideo mallet illos, quam Deum amittere.

Divisio amoris in appretiativum, et intensivum defenditur.

Ex quo patet, distinctionem amoris in appretiativum et intensivum, non esse fictitiam, ut aliqui asserunt, sed urgenti fundamento inductam. Quod vel ex eo liquet, quia sæpe contingit, matrem diligentem intensissime filios amore naturali, suscipere charitatem in gradu remisso ; nulla quippe probabilitatis specie dici potest, gratiam esse magis intensam in omnibus justis quavis alia honesta amicitia ; et tamen eo ipso, quod existat in gratia, majori pretio habet Deum, quam proprios filios, illumque magis diligit amore appretiativo; est enim hic amor proprius charitatis, ut optime vidit D. Thom. 1, 2, *quæst.* 16, *art.* 3, ubi sic corpus articuli concludit : « Cha-

D. Tho.

« ritas autem addit supra amorem perfec-
« tionem quandam amoris, in quantum id,
« quod amatur, magni pretii æstimatur,
« ut ipsum nomen designat. »

Quibus addo, sæpe parentes diligere dulcius, et intensius filios infantilis ætatis, quam majores ; cum tamen amore appretiativo illos ut in plurimum primogenitis postponant, ægrius enim paterentur horum jacturam, quam illorum defectum. Ergo distinctio amoris in appretiativum et intensivum, etiam intra ordinem amoris naturalis debet admitti.

Ex his ergo ad dubitationem nuper excitatam respondetur, ordinem charitatis attendi penes amorem appretiativum. Tum quia hic est potior aliis. Tum etiam, quia in charitate excessus amoris appretiativi trahit secum (saltem per se loquendo) excessum aliorum ; persona enim, quæ secundum ordinem charitatis majori pretio haberi debet, jus habet ut potiori affectu intensivo, et objectivo diligatur.

Incidens aliud dubium deciditur.

8. Petes tertio, an ordo charitatis cadat sub præcepto ?

Respondetur affirmative, quia sub quo præcepto cadit actus alicujus virtutis, cadit ex consequenti modus, per quem completur ratio talis actus : sed ordo per quem unumquodque diligitur juxta suam dignitatem, est modus pertinens ad rationem, et substantiam dilectionis charitativæ : ergo sicut diligere Deum, proximum, et nosipsos, cadit sub præcepto charitatis, ita et ordo, quo debemus hæc ipsa diligere. Quamvis enim liberum sit extra tempus obligationis præcepti elicere actum dilectionis Dei et proximi, hujusque proximi, vel illius ; ex suppositione tamen, quod quis afficitur ad aliquod objectum charitatis, tenetur diligere illud pro sua dignitate, idest observato ordine ab hac virtute præscripto ; non secus ac qui libere orationi incumbit, tenetur attentionem, et devotionem inter orandum observare, quia istæ sunt conditiones propriæ actus orationis.

Resolutio alterius difficultatis.

Quod si petas ultimo, an ordo, de quo hactenus, sit proprius charitatis ?

Respondetur esse proprium illius quasi per excellentiam ; quia licet aliæ virtutes sint principaliter de uno objecto, et secundario de aliis, observentque proinde ordinem in attingentia illorum ; hoc tamen maxime est charitatis, quia tendit per se in ultimum finem sub ratione finis ultimi, qui habet rationem primi principii in appetibilibus :

petibilibus : ordo autem sumitur per habitudinem ad principium, ut dictum est. Et quia primum in unoquoque genere est causa cæterorum, ideo omnis ordo in aliis virtutibus repertus descendit quodammodo a charitate. Ob quam rationem dixit D. Augustinus, eam esse ordinem amoris, quia cujuscumque virtutis ordo ex ordinatione charitatis derivatur.

§ II.

Examinatur posterior difficultas.

1. 9. Ut secundam difficultatem expediamus, animadvertendum est prius, pluribus ex capitibus attendi posse amoris ordinem, sive inæqualitatem. Nam primo potest unus amor excedere alium ex parte bonitatis amatæ ; cum enim amor tendat per se in bonum, quo aliquid est melius, eo per se loquendo est amabilius. Secundo ex parte conjunctionis objecti amati cum amante ; cum enim amicabilia ad alterum veniant ex amicabilibus ad se, propterea quo aliquid est conjunctius amanti, eo est respectu illius magis amabile. Tertio ex similitudine, et convenientia objecti amati cum amante ; similitudo quippe amorem per se loquendo generat, et ideo quo aliquid est similius amanti, eo est respectu illius amabilius, cæteris paribus. Unde cum omnia hæc concurrant in amore charitatis, dubium est, ex quo præcipue capite attendi, et desumi debeat illius ordo, sive inæqualitas.

2. Secundo nota, amorem esse quendam motum amantis in amatum : omnis autem motus proportionatur termino, et mobili ; accipit enim speciem a termino, intensionem vero a mobili, et virtute motiva : nam ut experientia constat, quo aliquod mobile est magis dispositum ad motum ratione figuræ, vel levitatis, eo velocius movetur, etiam minori impulsu percitum. Unde cum amor sit motus amantis in rem amatam, debet accipere ab illa speciem, et quantitatem objectivam ; a subjecto vero et principio movente intensionem, sive inæqualitatem intensivam.

3. Observa denique, quod charitas potest considerari vel in patria, ubi erit omnino perfecta ; vel in via, ubi nondum assequuta est complementum suæ perfectionis. Cum igitur in præsenti inquirimus radicem, seu principium, ex quo mensurari debet ordo dilectionis charitativæ, loquimur de prædicta virtute considerata in statu viæ, quamvis ob connexionem doctrinæ etiam explicandus sit ordo, quem observavit in patria.

His suppositis dicendum est secundo, ordinem dilectionis charitativæ attendendum esse per habitudinem ad Deum, et ipsum diligentem, sicut ad propriam mensuram. Hæc assertio est D. Thom. *in hac quæst.* 26, *artic.* 4 *ad* 1, *et art.* 7, *in corp. et quæst. unic. de charit. art.* 9, quem sequuntur omnes Theologi. Probatur autem ratione ; nam ut § *præcedenti* vidimus, omnis ordo prioris, et posterioris attendi, et mensurari debet per habitudinem ad aliquod principium, quod in omni genere est potius principiatis, sicut et inter ipsa principiata illud magis eminet, quod intimius conjungitur suo principio. Sed principia dilectionis charitativæ sunt duo, Deus scilicet, et ipse diligens ; nam Deus est principium finale, et formale specificativum prædicti actus ; diligens vero materiale, et efficiens : ergo ordo dilectionis charitativæ attendi debet per habitudinem ad illa, sicut ad propriam mensuram. Proponitur secunda conclusio. D. Tho. Fundamentum.

Confirmatur : nam amor charitatis est motus quidam animæ in Deum, sicut in terminum, et finem : sed inæqualitas motuum attenditur ex parte mobilis, et termini : ergo ordo, et inæqualitas amoris eliciti a charitate, attendenda, et mensuranda sunt per habitudinem ad Deum, et personam quæ illum diligit. Cæterum quia hæc inæqualitas potest esse vel objectiva, vel intensiva, idcirco.

10. Dicendum est tertio, inæqualitatem intensivam dilectionis charitativæ sumi per ordinem ad ipsum diligentem ; inæqualitatem vero objectivam per habitudinem ad Deum, ita ut personæ, quæ fuerint Deo magis conjunctæ, diligantur majori amore objectivo ; quæ vero magis ipsi diligenti, amentur strictiori amore intensivo. Hæc conclusio est æque communis ac præcedens, quam docet Angelus Præceptor *artic.* 7, *hujus quæstionis* 26, et sequitur manifeste ex dictis, quia intensio motus sumitur ex parte mobilis ; species vero, et quantitas objectiva illius ex parte termini, aut finis : sed amor charitatis est quidam motus, cujus mobile est persona diligens ; terminus vero, et finis ipse Deus : ergo inæqualitas illius intensiva desumi, et mensurari debet per habitudinem ad per- Tertia conclusio. D. Tho. Ratio.

sonam diligentem, objectiva vero per ordinem ad Deum.

Decisio incidentis dubii. Si autem petas, quænam ex his dilectionibus sit simpliciter, et absolute loquendo major, objectiva, an intensiva? Respondetur intensivam esse absolute perfectiorem objectiva. Tum quia respectu actus a charitate eliciti coincidit cum appretiativa, quæ dilectio longe eminet aliis, ut supra vidimus. Tum etiam, quia intensior affectus charitatis, quem habemus ad aliquam personam nobis intime conjunctam, extendi potest ad concupiscendum illi idem augmentum gratiæ, et beatitudinis, quod desideramus personæ Deo magis conjunctæ; D. Tho. imo et majus, ut docet D. Thom. *art. proxime citato*, atque statim explicabimus, inferentes hujus doctrinæ corollaria, a quibus ipsa perfectam lucem accipiet.

§ III.

Consectaria præcedentis doctrinæ.

Corollarium primum. 11. Ex dictis in hoc dubio infertur primo, Deum esse diligendum ex charitate super omnia, tam intensive, quam appretiative, et objective. Tum quia Deus est principium formale, efficiens, et finale charitatis; principium autem eminet in quolibet genere principiatis, eisque proinde anteponi debet. Tum etiam, quia unaquæque amicitia respicit principaliter id, in quo invenitur potissime illud bonum, super cujus communione fundatur, ut videre est in amicitia politica, quæ principalius respicit Principem, quam cives, eo quod bonum civitatis potissime ab illo dependet. Sed bonum æternæ beatitudinis, super cujus communicatione fundatur amicitia charitatis, invenitur in Deo principaliter, et sicut in primo principio, a quo derivatur in omnes beatitudinis capaces : Deus igitur diligendus est ex charitate super omnia, et omnibus modis, idest, tam intensive, quam objective, et appretiative.

Confirmatur : nam quælibet pars diligit bonum totius plusquam seipsam, et omnia D. Tho. alia, ut probat D. Thom. *art.* 3 *hujus quæstionis* : sed Deus est bonum commune omnium existentium in charitate, quia in eo invenitur beatitudo sicut in communi, et fontali principio omnium, qui illam participare possunt : ergo quilibet existens in charitate debet diligere Deum plusquam seipsum, et omnia alia, ac proinde super omnia tam intensive, quam appretiative; quippe hac ratione diligitur finis, et bonum commune respectu bonorum particularium, et eorum quæ sunt ad finem.

Quæ doctrina sumitur ex illo Matth. 10 : Matth. 10 et 22. *Qui amat patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus.* Et ex illo cap. 22 : *Diliges Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua : hoc est maximum, et primum mandatum in lege.* Nam diligere Deum ex toto corde etc. est diligere eum super omnia, et omnibus modis, ut explicant SS. Patres, et indicat ipse Christus Dominus, dum ait, *hoc esse maximum, et primum legis mandatum*.

12. Nec refert si objicias primo, quod Objectiones. intensio actus charitatis attendi debet per ordinem ad personam diligentem sicut ad propriam mensuram, ut diximus *num.* 10; Prima. ergo, cum mensura sit potior mensuratis, majori amore intensivo debet unusquisque diligere seipsum, quam Deum, imo appretiativo; quia ut ibi asseruimus, in actu charitatis excessus intensivus coincidit cum appretiativo.

Deinde : unumquodque diligitur in Secunda. quantum est proprium bonum : sed id quod est ratio diligendi, magis diligitur quam id, quod propter hanc rationem amatur; sicut principia, quæ sunt ratio cognoscendi conclusiones magis cognoscuntur : ergo homo perfectius diligit seipsum, et proprium bonum ex charitate, quam Deum, et quodlibet aliud objectum.

Et confirmatur, quia ut docet Philosoph. Tertia. Arist. 9 *Ethic. cap.* 8, amicabilia quæ sunt ad alterum, venerunt ex amicabilibus ad se : sed causa potior est suo effectu : ergo major est amicitia hominis ad seipsum, quam ad aliam quamcunque personam, etiamsi inter illas computetur Deus.

Præterea : amor fundatur in unitate, et Quarta. conjunctione amantis cum re amata, ut § præcedenti statuimus : sed nihil est homini magis conjunctum, quam ipse : ergo nullum objectum potest, aut debet plus quam seipsum diligere.

Denique : similitudo est causa dilectio- Quinta. nis, secundum illud Eccles. 13 : *Omne animal diligit simile sibi* : sed major est similitudo hominis ad proximum suum, quam ad Deum : homo igitur magis diligit ex charitate proximum, quam Deum; proindeque falsum est, quod debet illum diligere super omnia, et omnibus modis. Eccles. 13.

13. Non, inquam, hæc referunt; ad primam

uitur ima.

mam enim objectionem respondetur, quod intensio actus charitatis, quo diliguntur creaturæ participantes beatitudinem, respicit ut mensuram personam, a qua elicitur; secus autem actus charitatis, quo amatur Deus in seipso; hujus enim intentio mensurari debet ex summa illius bonitate. Nam cum bonum universale sit magis diligibile intensive, et appretiative, quam bona particularia ordinata ad illud sicut ad finem; Deus autem sit universale bonum beatificans, et finis ultimus omnis creaturæ rationalis; ex ipsa propensione charitatis inclinatur quilibet ad diligendum intensive, et cum majori appretiatione Deum, quam seipsum.

urri- r se- ndæ. Tho.

Ad secundam objectionem occurrit D. Th. *art.* 3, *hujus quæstionis*, *ad* 2, his verbis : « Ad secundum dicendum, quod bo- « num totius diligit quidem pars, secun- « dum quod est sibi conveniens; non au- « tem ita quod bonum totius ad se referat, « sed potius ita quod seipsam refert in bo- « num totius. » Quod perinde est ac si diceret, quamlibet creaturam diligere Deum, in quantum est proprium bonum, non quidem privatum, sed commune, habensque rationem finis ultimi, in quod naturaliter propendet magis quælibet pars, quam in seipsam, ut explicat ibi Cajetan. his verbis : « In responsione ad secundum nota ele- « gantem glossam, et intellectum illius « propositionis : amabile quidem bonum, « unicuique autem proprium. Quod quia « esse proprium, multis modis contingit, « unumquodque bonum alicujus, eo modo « quo est proprium, est amandum. Et sic « cum in proposito dupliciter contingit, « aliquid esse bonum alterius, aut scilicet « quia est propter ipsum, aut econtra bo- « num totius est bonum partis, non ita « quod sit propter partem, sed econtra, « quod scilicet pars est propter totum. Et « propterea pars amat bonum totius tan- « quam proprium, non ita quod referat « bonum totius in seipsam, sed econtra, « quod referat seipsam in bonum totius. « Habes quoque ex hoc loco, quam bene « dictum sit superius contra Durandi « phantasiam, quod Deus secundum seip- « sum est proprium bonum cujuscumque « creaturæ, et specialiter intellectualis. »

isfit tiæ. Tho.

Qua etiam solutione occurrit D. Thom. confirmationi hujus objectionis, sic enim habet loco citato ad 1 : « Dicendum quod « Philosophus loquitur de amicabilibus, « quæ sunt ad alterum, in quo bonum, « quod est objectum amicitiæ, invenitur « secundum aliquem particularem mo- « dum; non autem de amicabilibus, quæ « sunt ad alterum, in quo bonum prædic- « tum invenitur secundum rationem to- « tius. »

Respon- sio ad alias ob- jectio- nes.

14. Ad tertiam objectionem respondetur, quod major conjunctio naturalis est causa majoris amoris, cæteris paribus : in præ- senti autem non sunt cætera paria, nam cum Deus sit summum bonum beatificans, et objectum primarium charitatis, inclinamur ab hac virtute ad diligendum illum plusquam nos ipsos, et omnia alia, quæ amamus ut bona privata, et objecta secundaria prædictæ charitatis. Quæ est solutio D. Thom. *q.* 1, *de charit. art.* 9 *ad* 7, ubi sic ait : « Ad septimum dicendum, quod « unitate naturæ nil est magis unum, « quam nos; sed unitate affectus, cujus « objectum est bonum, summum bonum « debet esse nobis magis unum quam nos. »

D. Tho.

Quibus adde, Deum esse nobis intime conjunctum, causamque unitatis, quam habemus ad nos ipsos, juxta illud Apostoli : *In ipso vivimus, movemur, et sumus.* Quæ ratio sufficiens est, ut etiam titulo conjunctionis naturalis debeamus diligere Deum plusquam nosipsos; quia licet hæc posterior conjunctio sit major, prior tamen nobiliori vinculo inexistit. Etenim hanc ob causam docet D. Thom. *artic.* 2 *hujus quæstionis*, quod titulo similitudinis magis debemus diligere Deum quam proximum, etiamsi hic nobis sit similior; ita enim habet : « Ad secundum dicendum, quod similitudo, « quam habemus ad Deum, est prior, et « causa similitudinis, quam habemus ad « proximum; ex hoc enim, quod participa- « mus a Deo id, quod ab ipso etiam proxi- « mus habet, similes proximo efficimur; et « ideo ratione similitudinis magis debe- « mus Deum diligere, quam proximum. » Ex quibus patet ad ultimam objectionem, constatque manifeste, quod ex inclinatione charitatis debemus diligere Deum super omnia, et omnibus modis.

Apost.

D. Tho.

Dubium inci- dens.

15. Dubitant tamen in præsenti Autho- res, an possit dari aliqua dilectio creaturæ proveniens a charitate, quæ sit intensior dilectione actuali Dei? Et ratio dubitandi est, quia intentio actus non solum provenit ab inclinatione habitus, sed etiam a conatu potentiæ, quæ illo utitur. Unde cum hic usus sit liber voluntati, videtur posse

accidere, quod diligamus actu aliquam creaturam ex charitate intensius, quam Deum, licet inclinatio charitatis propendeat in contrarium.

Prima opinio. Arauxo. In qua difficultate affirmativam partem tuetur Arauxo *art.* 2, *hujus quæstionis, dub.* 2, *concl.* 3, tum ob rationem dubitandi modo propositam : tum etiam, quia dilectio charitativa proximi commendatur in sacra Scriptura absque aliqua determinatione, vel mensura : ergo non requiritur, quod illius intensio sit determinata, sed in quocumque gradu erit adimpletiva præcepti : tum denique, quia amor proxime intensior amore Dei, est actus bonus, et honestus : ergo provenire potest ab influxu charitatis.

Secunda sententia Bannez. Aragon. Oppositum vero defendunt Bannez *loco proxime citato ex hac* 2, 2, *concl.* 4, et Aragon *concl.* 2, eo ducti fundamento, quod ratio formalis diligendi proximum ex charitate, est Deus : sed propter quod unumquodque tale, et illud magis : ergo impossibile est, quod diligamus intensius creaturam, quam Deum per actum provenientem a charitate.

Nota. Sed pro explicatione veritatis nota primo, quod amor proveniens a charitate, alius est elicitus, quem scilicet ipsa immediate producit; alius vero imperatus, quem exerit mediis aliis virtutibus, vel inclinationibus : D. Tho. nam ut docet D. Thom. *art.* 7 *hujus quæstionis*, omnis dilectio naturalis, et honesta potest imperari a charitate.

Secundo nota, quod dupliciter possumus Deum diligere per actum elicitum a charitate : uno modo formaliter, et explicite, illum immediate in seipso amando : alio modo virtualiter, quo pacto eum diligimus per amorem formalem proximi; is enim est virtualis dilectio Dei eo modo, quo amor explicitus mediorum est virtualis dilectio finis.

Legitima dubii resolutio. 16. His suppositis, ad quæstionem propositam respondetur, quod per actum imperatum a charitate possumus optime diligere creaturam intensius, quam Deum; per actum vero elicitum a prædicta virtute, impossibile est, quod diligamus aliquam creaturam intensius quam Deum, loquendo de amore Dei in communi, sive quatenus præscindit ab amore formali, et virtuali; nam si sermo sit de amore formali, et explicito tantum, non repugnat, ut remissius diligamus Deum, quam proximum. Prima pars hujus resolutionis constat ex iis, quæ superius vidimus; nam fieri potest, ut mater habeat magis intensam amicitiam erga filios, quam habitum charitatis : ergo in eo eventu actus amicitiæ naturalis, quo prosequitur filios, erit saltem regulariter intensior physice actu dilectionis elicito a charitate, quo amat Deum : sed prædictus amor filiorum imperatur a charitate, quia in habente gratiam omnes actus alias honesti procedunt imperative a prædicta virtute, ut infra videbimus. Igitur per amorem imperatum a charitate possumus diligere creaturas intensius, quam Deum.

Prima resolutionis pars.

Altera ejusdem resolutionis pars. Secunda vero pars convincitur fundamentis Bannez et Aragon; nam cum Deus sit ratio formalis diligendi creaturas ex charitate, impossibile est, ut intensius diligamus prædictas creaturas, quam Deum, absolute loquendo; quia idemmet actus, qui fertur formaliter et explicite in creaturas, tendit saltem virtualiter in ipsum Deum. Unde sicut ob hanc rationem implicat, ut quis amet intensius media, quam finem, loquendo de intensione amoris præscindentis a formali, et virtuali : ita repugnat ut majori intensione prosequatur creaturas, quam Deum, sumpto amore Dei in eadem abstractione, et communitate.

Motiva contraria eliduntur. Nec obstant in contrarium argumenta, quibus innititur Arauxo, quoniam licet usus inexistentis charitatis subjaceat, absolute loquendo, voluntati, possimusque proinde elicere actum prædictæ virtutis remissum, vel intensum; quia tamen non possumus non habere Deum pro ratione formali actus, quo prosequimur creaturas, illumque in istis virtualiter saltem amare, idcirco repugnat ut majori conatu, et intensione diligamus prædictas creaturas formaliter per actum elicitum a charitate, quam Deum formaliter, vel virtualiter. Et quamvis dilectio charitativa proximi in quocumque gradu exercita esset honesta, et adimpletiva præcepti de amore illius; hinc tamen non probatur prædictam dilectionem esse possibilem in gradu magis intenso, quam sit dilectio Dei; sed quod admissa per hypothesin illius possibilitate, esset adimpletiva prædicti præcepti : quod nemo negat, sed solum esse possibilem prædictam dilectionem.

Posterior resolutionis pars. 17. Ultima denique ejusdem resolutionis pars videtur manifesta ex ratione dubitandi *num.* 15, proposita. Nam cum Deo liberum sit movere intense, vel remisse nostram voluntatem, hæcque utatur pro libito suis habitibus,

habitibus, nulla apparet repugnantia in eo, quod eliciat actum charitatis erga Deum intensum ut duo, et deinde exerat erga proximum amorem ejusdem virtutis intensum ut quatuor; nam licet personam, quam juxta inclinationem charitatis, adeoque habitualiter intensius amamus, debeamus majori appretiatione diligere, atque hoc pacto coincidat in hac virtute uterque amor; non tamen opus est ut idem objectum, quod pro libito voluntatis intensius prosequimur uno, vel altero affectu formali elicito a charitate, majori pretio habeamus; sed potest optime oppositum contingere, ut constat tum ex dictis. Tum etiam, quia dum unico et indivisibili actu charitatis Deum, proximumque complectimur, æquali intensione physica utrumque diligimus; et tamen Deum creaturæ præferimus, et charius amamus.

urri- r ob- tioni. Dices : quia præmissæ sunt ratio formalis assentiendi conclusioni, nequit intellectus assentiri firmius, et intensius conclusionibus, quam præmissis : ergo cum Deus sit ratio formalis diligendi proximum ex charitate, non poterit hic diligi intensius quam Deus per actum elicitum ab hac virtute.

Respondetur primo, admisso antecedenti, negando consequentiam; et ratio disparitatis est, quod tam cognitio principiorum, quam conclusionum est in seipsa necessaria; secus autem dilectio charitatis, qua prosequimur Deum et creaturas.

Secundo respondetur negando antecedens, quia cum habitus principiorum et conclusionum dependeant quoad usum a potestate liberi arbitrii movente intellectum, non apparet repugnantia in eo quod prædictus intellectus feratur aliquando intensius in conclusionem, quam in præmissas; potest quippe esse inæqualis attentio utrobique.

zera stio dens. 18. Ex quibus solutio ad aliam quæstionem, quam versant in præsenti Theologi, an scilicet teneamur ex præcepto rigoroso charitatis diligere Deum super omnia, nedum objective, et appretiative (de quo non est ambigendi locus) verum etiam intensive? Dicendum est quippe, non teneri, sed qualibet intensione diligamus Deum super omnia appretiative, satisfieri præ- olu- cepto charitatis de amore illius. Nam ut o. modo vidimus, per actum imperatum ab hac virtute, possumus amare intensius creaturam quam Deum. Ergo ex præcepto charitatis non constringimur ad amorem intensivum illius super omnia, quia alias amor creaturæ intensior physice amore Dei nec posset imperari a charitate, neque cum illa coexistere, sed esset peccatum lethale illam a subjecto excludens.

Et confirmatur primo, quia ut docet D. Thom. *in* 4, *distinct.* 17, *quæst.* 2, *artic.* 3, *quæstiunc.* 1, contritio quæ sufficicit ad justificationem impii, non oportet quod sit dolor omnium maximus intensive, sed solum appretiative; dummodo enim detestetur peccatum propter Deum super omne detestabile, est vera, et legitima contritio, quantumvis in graduali, et physica intensione remissa sit, et ab aliis doloribus superetur; sed eadem ratio esse debet de dilectione Dei, ac de contritione, et detestatione peccati; quia quantum bonum aliquod placet, tantum ejus contrarium displicet : ergo primum charitatis præceptum solum obligat ad diligendum Deum super omnia objective, et appretiative, non vero intensive; sed quilibet amor supernaturalis appretians Deum super omnia erit elicitus a charitate, adimpletivusque prædicti præcepti, quantumvis alias in gradu intensionis physicæ remissus sit, et ab aliis affectibus excedatur. Roboratur. D. Tho.

Confirmatur secundo, quia præcepta Dei debent esse talis conditionis, ut facile sit homini cognoscere probabiliter se illa adimplere, vel transgredi, alias semper esset animus anxius, innumerisque scrupulis obnoxius; quod maxime derogat suavitati divinæ providentiæ, et animarum saluti : sed si præceptum charitatis obligaret ad diligendum Deum super omnia intensive, vix posset homo formare assensum probabilem de adimpletione, vel transgressione illius; quia quantitas intensiva nostrorum actuum difficillime a nobis percipitur, et præcipue adæquata possibilitati virium, ut etiam advertit D. Thom. *quæstiunc. citata, ad* 4: Ergo præceptum charitatis non obligat ad diligendum Deum super omnia intensive, sed illi satisfit per dilectionem appretiativam Dei super omnia, cujuscumque intensionis sit. Quæ est communis sententia Theologorum, ut videri potest apud Arauxo *art.* 2 *hujus quæstionis, dub.* 2. Major confirmatio. D. Tho. Arauxo.

19. Nec obstat, si objicias cum Scot. *in* 3, *distinct.* 27, *quæst. unic. et* Durand. ibidem *dist.* 29, *quæst.* 2, quod ex præcepto charitatis tenemur diligere tota mente, toto Objectiones Scoti Durand.

corde, et totis viribus, ut liquet ex forma illius præscripta *Deuter.* 6 *et Matth.* 20. Sed hoc est diligere Deum super omnia non solum appretiative, sed etiam intensive; quia intensio actus sumitur ex conatu virium, qui sub omni perfectione nobis possibili in adducto præcepto exprimitur, et imperatur ; ergo, etc.

Deuter. 6. Matth. 20.

Deinde, charitas inclinat ad diligendum Deum intensius quam creaturas, ut nuper vidimus : sed præceptum charitatis coincidit cum inclinatione illius : ergo ex vi prædicti præcepti tenemur diligere intensius Deum, quam creaturas : quod si secus fecerimus, peccati mortalis rei erimus.

Diluitur prima.

Respondetur verba illa, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, etc.* partim esse præcepti, partim vero consilii. Sunt quidem præcepti, quatenus continent, et jubent dilectionem appretiativam Dei super omnia, ad hanc quippe cuncti obligamur : sunt vero consilii, quatenus indicant ita devovendas esse Deo vires animæ, ut illum intensive præ omnibus amemus, et majori conatu nobis possibili , induciarumque ignaro prosequamur. Nam ad hujusmodi charitatis perfectionem nullus tenetur in hac vita, sed magis est propria patriæ, ut docet D. Thom. *quæst. de charit. art.* 10 *ad* 1, his verbis : « Dicendum quod hoc quod « dicitur, Diliges Dominum Deum tuum ex « toto corde tuo, intelligitur esse præcep- « tum secundum quod totalitas excludit « omne illud, quod impedit perfectam Dei « inhæsionem; et hoc non est præceptum, « sed finis præcepti; indicatur enim nobis « per hoc non quid faciendum sit, sed po- « tius quo tendendum sit, ut dicit Augusti- « nus. »

D. Tho.

Satisfit secundæ.

Ad secundam objectionem dicendum similiter, inclinationem charitatis non solum continere illius præcepta, sed etiam consilia, et ordinem, quem debito majoris perfectionis observari oportet. Unde quemadmodum potest quis citra peccatum uxorem ducere, existente in oppositum consilio de perpetua castitate; ita potest absque vitii labe amare intensius proximum, quam Deum, licet charitas inclinet in contrarium. Eo vel maxime, quia minimus gradus amoris appretiativi Dei super omnia plus firmat animam in unione illius, quam infiniti gradus amoris intensivi illam uniant creaturæ; siquidem ex vi prædicti amoris appretiativi ita est disposita anima, ut si necesse foret derelinquere propter Deum creaturam intense amatam, eam relinqueret; nam amor appretiativus Dei super omnia ex specie sua excludit quidquid impedit Dei inhæsionem.

20. Secundo infertur ex supra dictis, quod homo secundum naturam spiritualem magis debet æstimare, et diligere seipsum, quam proximum. Ita communiter Doctores, deduciturque perspicue tum ex illo Matth. 22 : *Diliges proximum tuum sicut seipsum :* ubi dilectio hominis ad seipsum proponitur ut exemplar amoris habiti ad alterum : constat autem exemplar esse potius, quam exemplata. Tum etiam ex dictis § præcedenti; nam ut ibi diximus, intensio amoris charitativi, qui habetur ad proximum, sumitur ex parte personæ diligentis sicut ex propria mensura : sed mensura est potior mensuratis : ergo secundum ordinem charitatis debet unusquisque diligere intensius seipsum quam proximum : sed persona quæ secundum inclinationem charitatis amatur intensius, debet etiam majori pretio haberi, quia in hoc sensu ubique verum est amorem intensivum charitatis connecti cum appretiativo, ut in tota hac quæstione supponit D. Thom. igitur homo secundum naturam spiritualem æstimare debet, et diligere seipsum ex charitate plusquam proximos.

Proponitur secundum corollarium.

Matth. 22.

Et confirmatur primo veritas hujus corollarii ratione, qua utitur D. Thom. *in præsenti articulo* 4; nam homo per charitatem diligit seipsum secundum naturam spiritualem, ut directe participem æternæ beatitudinis, proximum vero ut socium in hac communicatione : sed directa participatio beatitudinis est potior ratio diligendi, quam consociatio in illa; quia societas se habet ad participationem beatitudinis, sicut unio ad unitatem, ex quibus unitas eminet super unionem : ergo homo secundum ordinem charitatis debet seipsum pluris facere, quam proximum.

Roboratur. D. Tho.

Confirmatur amplius ex eodem S. Doctore *art. ult. hujus quæstionis;* nam charitas ordinatur per se primo ad perfectionem sui subjecti; confertur enim illi ad hoc, ut tendat in finem ultimum, illumque assequatur : sed spiritualis perfectio hominis consistit in eo, quod uniatur Deo per amorem charitatis : igitur homo secundum ordinem hujus virtutis debet primo loco intendere, et procurare unionem sui ad Deum, et deinde unionem aliorum : sed dum homo quærit, et amat unionem sui ad Deum,

Fulcitur amplius.

Deum, diligit maxime seipsum : igitur secundum ordinem charitatis debet diligere seipsum magis, quam proximum. Cujus illud est evidens signum, quod nullus debet subire damnum peccati gravis, vel levis propter bonum spirituale proximi, quantumvis maximum.

ertium orolla- ium. Aug. Tho.

Tertio infertur, quod homo debet diligere magis proximum secundum animam, quam proprium corpus. Ita D. August. *lib.* 1, *de doctr. Christiana, cap.* 27, et D. Thom. *in hac quæst. art.* 5, ubi hanc resolutionem probat sequenti ratione. Illud est magis ex charitate diligendum, quod habet pleniorem rationem diligibilis ex charitate; consociatio autem in participatione plena beatitudinis, quæ est ratio diligendi proximum, est major ratio diligendi quam participatio beatitudinis per redundantiam, quæ est ratio diligendi proprium corpus; et ideo magis debemus diligere proximum quantum ad salutem animæ, quam proprium corpus.

§ IV.

Quæ obstant in contrarium, diluuntur.

Prima bjectio.

21. Sed contra hæc duo posteriora corollaria sunt nonnullæ objectiones, quibus opus est occursum ire prius quam ad alia inferenda descendamus. Objicies ergo primo, falsum esse, quod debeat homo diligere seipsum plusquam proximum; quia cum homo diligat creaturas ex charitate propter Deum, illam debet magis amare, quæ fuerit magis conjuncta Deo : sed quandoque proximus est magis Deo conjunctus, quam homo ipse diligens : ergo in eo eventu plus debet diligere proximum, quam seipsum.

iluitur. . Tho.

Ad hanc objectionem occurrit D. Thom. *art.* 4, *hujus quæstionis, in solut. ad* 1, his verbis : « Dicendum, quod dilectio charitatis non solum habet quantitatem ex « parte objecti, quod est Deus, sed ex parte « diligentis, quod est ipse homo charitatem habens; sicut et quantitas cujuslibet « actionis dependet quodammodo ex ipso « subjecto. Et ideo licet proximus melior « sit Deo propinquior, quia tamen non est « ita propinquus charitatem habenti, sicut « ipse sibi, propterea non sequitur, quod « debeat proximum plusquam seipsum diligere. »

ecunda bjectio.

Secundo objicies : nam amare seipsum secundum animam, est velle sibi bona spiritualia : sed potest quis licite postponere bonum spirituale proprium bono spirituali, imo et temporali proximi : ergo potest licite diligere proximum amore appretiativo plusquam seipsum : non igitur tenetur homo præferre seipsum in hoc amore proximis. Cætera patent. Minor vero probatur : tum quia filius potest licite omittere opera majoris perfectionis, v. g. ingressum Religionis, ut consulat bono temporali, aut spirituali parentum : constat autem professionem vitæ monasticæ esse bonum spirituale, quo maxime disponitur anima ad perfectionem charitatis, et consequutionem beatitudinis. Tum etiam, quia gratiæ gratis datæ sunt bona spiritualia, nec infimæ classis; et tamen potest quis licite velle carere illis, si ita expediat ad salutem spiritualem proximi, ad quam ex genere suo ordinantur; hunc enim affectum expressisse videtur Michæas Propheta in illis verbis, quæ habentur c. 2, suæ prophetiæ : *Utinam non essem vir habens spiritum, et mendacium potius loquerer : ergo, etc.* Michæ 2.

Respondetur bona spiritualia esse in duplici differentia. Alia scilicet unientia animam immediate cum Deo, necessariaque simpliciter ad illius salutem, qualia sunt fides, gratia, et charitas. Alia vero, quæ non uniunt animam immediate cum Deo, neque sunt necessaria simpliciter ad illius salutem, sed tantum utilia, uti se habent gratiæ gratis datæ, status Religionis, et alia hujusmodi, quæ disponunt ex se ad augmentum charitatis. Homo igitur potest licite, et aliquando tenetur postponere bona propria spiritualia posterioris generis saluti spirituali, vel temporali proximi, ut convincit hæc objectio; secus vero bona spiritualia prioris generis, in his enim tenetur præferre seipsum cuilibet proximo. Id quod sufficiens est ad hoc, ut simpliciter loquendo, debeat homo diligere seipsum plusquam alios. Tum quia bonum spirituale simpliciter dictum stat pro bonis prioris generis. Tum etiam, quia si homo propter bonum proximi subeat detrimentum vitæ monasticæ, vel contemplationis quietæ, non tamen ex eo patitur jacturam charitatis fervidæ, ad quam status ille disponit; sed potest illam assequi ex vi amoris, et studii, quibus se proximorum saluti procurandæ devovet. Solvitur.

22. Sed contra objicies tertio : etiam in bonis quibus anima immediate copulatur Deo, potest hom licite postponere seipsum proximis : ergo non tenetur ex lege charitatis Objectio tertia.

diligere seipsum plusquam proximum. Consequentia patet, antecedens vero suadetur tum ex illo Moysis Exod. 32 : *Aut dimitte illis hanc noxam, aut dele me de libro tuo, quem scripsisti*, scilicet libro vitæ. Tum etiam ex illo Pauli ad Roman, 9 : *Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis.* Constat namque, quod deleri de libro vitæ, et anathema esse a Christo pro fratribus, nihil aliud est, quam amittere charitatem, et beatitudinem ob bonum spirituale illorum.

Exod.32. Ad Rom. 9.

Huic objectioni respondet Capreol. *in* 3, *disp.* 27, *quæst. unic.* quod homo non potest licite postponere seipsum in bonis gratiæ, et gloriæ alteri privatæ personæ ; bene tamen toti populo, vel communitati : hujus enim salutem (inquit ille) licite potest quis præferre propriæ, ut constat tum ex objectione proposita : tum etiam, quia quælibet pars, sive politica, sive naturalis, magis amat bonum commune totius, quam bonum privatum ; quod pariformiter intelligendum est tam in bonis spiritualibus, quam corporalibus, ut docere videtur D. Thom. *art.* 4, *hujus quæstionis. in solut. ad* 4 his verbis : *Dicendum quod sicut August. dicit in regula, cum dicitur, charitas non quærit quæ sua sunt, sic intelligitur, quod communia propriis anteponit.* Loquiturque de bonis spiritualibus, ut patet ex titulo articuli, et intentione argumenti, cui satisfacit.

Respon-sio Capreoli. D. Tho.

Cæterum hæc solutio sustineri nequit. Tum quia opponi videtur illis verbis Marc. 8, et Luc. 9 : *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* In quibus admonemur præferre salutem spiritualem animæ nostræ saluti totius mundi. Tum etiam, quia impossibile est, quod charitas exerceat actum contrarium suo fini : sed finis charitatis est conjungere hominem cum Deo in hac vita per gratiam, et in patria per visionem beatificam : ergo impossibile est, quod ab ea profluat actus, quo appetamus carere gratia, et beatitudine ob proximi salutem, vel alium quemcumque finem. Tum denique, quia omnino repugnat, ut actualis, et voluntaria aversio a Deo sit affectus, sive actus charitatis ; quia cum hæc virtus consistat in habituali affectiva unione ad Deum, necesse est, ut quilibet actus, vel affectus ab ea elicitus sit conversio ad Denm ; sed volitio amittendi gratiam, vel beatitudinem, est aversio voluntaria a Deo : ergo omnino repugnat, quod a charitate ullo modo procedat.

Displicet. Marc. 8. Luc. 9.

Confirmatur primo : nam ideo charitas non potest influere in peccatum veniale, quia per illum avertitur dispositive anima a Deo : sed per carentiam charitatis avertitur a Deo formaliter, et simpliciter : ergo impossibile est ut affectus prædictæ carentiæ sit consonus charitati.

Refellitur multipliciter.

Confirmatur secundo, quia voluntaria animæ aversio a Deo est ab intrinseco mala, nulloque fine honestari potest : ergo cum volitio carendi beatitudine in perpetuum, aut etiam gratia temporaliter, sit aversio voluntaria a Deo, nullo fine honestari poterit, sed erit peccatum lethale incompossibile cum charitate.

Confirmatur tertio, quoniam unusquisque tenetur diligere Deum super omnia amore charitatis : ergo tenetur velle sibi gratiam, ita ut nunquam liceat velle carere illa. Patet consequentia, quia seclusa gratia, non potest Deus diligi super omnia amore charitatis, proindeque neque illius præceptum adimpleri.

23. Unde hac solutione rejecta, respondetur ad objectionem negando antecedens, quod non evincunt probationes, sive a nobis adductæ, sive a Capreolo adjectæ. Ad primam enim desumptam ex Exod. 32, dicendum cum D. Hieronymo *epistola ad Algasiam. et commentar.* in Jonam, D. Gregorio *lib.* 10 *Moral. cap.* 7, Eucherio *in quæstionibus novi Testamenti*, Euthym. *in Psalm.* 67, Cajetano et aliis, librum de quo Moyses deleri voluit propter populum, non esse librum vitæ æternæ, et prædestinationis ; sed librum principatus, et vitæ temporalis, in quo Moyses erat scriptus a Deo dux populi Judaici : dispositio namque rerum temporalium divina sapientia constituta, etiam appellatur in Scriptura *liber Dei*, de quo dumtaxat deleri voluit Moyses, cum dixit : *Aut dimitte illis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Nam perinde fuit, ac si diceret : Aut indulge populo veniam peccati ; aut depone me a principatu, et vita temporali, quibus fungor, et alium ducem mei loco substitue. In quo nihil commisit contra ordinem charitatis a nobis statutum ; quia etsi licitum non sit amare magis salutem aliorum quam propriam ; licitum tamen est præferre bonum commune populi propriæ vitæ, ut principatui, temporalibus, hæcque pro spiritali illius salute contemnere.

Legitima objectionis solutio. Exod.32. D. Hier. D. Greg. Eucher. Euthym. Cajet. Prima interpretatio Scripturæ, quæ nobis objicitur.

Secundo

ecun-
a, et
elior
positio
Aug.
igo. de
Vict.
yra.
rthus.
ulens.

Secundo, et melius respondetur cum Divo Augustino *quæst.* 147 *in Exod.* Hugone de S. Victore, Lyra, Carthusiano, et Abulensi *in cap. citatum Exodi*, Moysem loquutum fuisse de libro vitæ æternæ, de quo tamen neque sub statu conditionato deleri voluit, dum dixit : *Aut dimitte populo hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Sed significavit dumtaxat ardentem affectum erga populum, cui ut secure veniam conciliaret, interposuit coram Deo strictam, quam cum eo habebat, amicitiam sub figurato et hyperbolico loquendi modo, qui plus exprimit, quam ex loquentis mente significet. Exprimit enim voluntatem recedendi a divina amicitia sub conditione, quod Deus veniam populo deprecatam non indulgeat ; significat vero ardentem affectum erga populum, et securitatem impetrandi a Deo veniam titulo amicitiæ coram illo interpositæ, ut probari potest communi experientia. Etenim cum apud nos quispiam petit ab alio sibi amicissimo aliquam rem, quam vehementer assequi desiderat, utitur frequenter hac phrasi : *O me aveis de conceder esto, o no emos de fer amigos :* aut ista ; *O borrad mi nombre del numero de vuestros amigos, o venid en lo que os pido.* Qui loquendi modus non solet significare voluntatem recedendi ab amicitia, sed securitatem assequendi postulata sub illius titulo. Unde cum hanc loquendi formam usurpaverit Moyses verbis superius adductis, plane constat, tum qualis fuerit illorum sensus, tum etiam nihil ex illis contra nostram resolutionem posse concludi.

xplica-
Apos-
li lo-
cus.
Tho.

24. Ad secundam probationem duplici via occurrit D. Thom. infra, *art.* 8 *ad* 1, his verbis : « Dicendum quod secundum « unam glossæ expositionem hoc Aposto- « lus tunc non optabat, quando erat in « statu gratiæ, ut scilicet separaretur a « Christo pro fratribus suis ; sed hoc opta- « verat, quando erat in statu infidelitatis, « unde in hoc non est imitandus. Vel po- « test dici, sicut dicit Chrysost. lib. de « compunct. quod per hoc non ostenditur, « quod Apostolus plus diligeret proximum, « quam Deum, sed quod plus diligeret « Deum, quam seipsum ; volebat enim ad « tempus privari fruitione divina » (quod pertinet ad dilectionem sui), « ad hoc, « quod honor Dei procuraretur in proxi- « mis, quod pertinet ad dilectionem Dei. » Plures alias hujus loci expositiones adducunt Lypoman. *Exod.* 32, Sixtus Senens. *lib.* 2 *Biblioth. litera V*, et Pereyra *super ad Rom.* 9, ubi videri possunt. In præsenti namque satis sit animadvertere, quod privatio divinæ fruitionis potest esse duplex. Alia fruitionis, quæ habetur in patria per beatitudinem ; alia vero fruitionis, quæ habetur in via per contemplationem : et utraque temporalis privatio potest et charitate eligi, et desiderari propter salutem spiritualem proximi. Primum constat ex Apostolo *ad Philip.* 1, dicente : « Coarctor « autem a duobus, desiderium habens dis- « solvi, et esse cum Christo multo magis, « melius autem in carne necessarium prop- « ter vos, etc. » Secundum autem expressit idem Apostolus capite sæpius citato ad Romanos, ut interpretatur D. Thom. *quæst. de charit. art.* 11 *ad* 6, ubi post alia sic ait : « Quidam vero ad tantum culmen « charitatis ascendunt, quod etiam divi- « nam contemplationem, licet in ea ma- « xime delectentur, prætermittunt, ut Deo « serviant in salute proximorum. Et hæc « perfectio in Paulo apparet, qui dicebat « Rom. 9 : Optabam ego ipse anathema « esse a Christo pro fratribus meis. Et hæc « perfectio est propria Prælatorum, et « Prædicatorum, et quorumcunque alio- « rum, qui procurandæ saluti aliorum in- « sistunt. »

Lyra. Sixtus Senens. Pereyra.

Philip. 1.

D. Tho.

25. Ad tertiam probationem, quam urget Capreolus, respondetur bonum commune gratiæ, et charitatis existentium in aliqua particulari persona non esse salutem spiritualem totius mundi, sed Deum. Tum quia bonum commune partis est illud, ad quod ipsa sicut ad finem ordinatur ; nam pars est propter totum : constat autem Deum esse finem, ad quem ordinatur charitas cujuslibet creaturæ. Tum etiam, quia hæc est expressa sententia D. Thom. *artic.* 3, *hujus quæstionis*, et aliis in locis, quæ dedimus supra, *disput.* 1, *dub.* 4. Unde ex eo, quod unaquæque pars præferat bonum commune totius bono particulari proprio, non concluditur, quod debeamus sustinere jacturam gratiæ, et charitatis propter salutem spiritualem totius mundi, sed quod debemus amare Deum plus quam nos ipsos, et propriam beatitudinem. Quæ est mens D. Thom. *in solut. ad* 3, *artic.* 4, *hujus quæstionis :* nam dum ibi adstruit charitatem anteponere bona communia propriis, intelligi debet per distributionem accommodam, ac proinde quod sicut in rebus corporis

Ultima probatio elliditur.

unaquæque pars magis amat bonum commune totius, quam bonum particulare proprium; ita in ordine spirituali gratiæ magis diligamus Deum, qui est bonum commune illius ordinis, quam nos ipsos, utpote illius quasi partes; nam cuilibet parti magis amabile est bonum commune, quam proprium, ut ibi docet S. Doctor.

Replica. Dices: ergo saltem propter Deum, et illius bonum poterit quis licite incurrere voluntariam privationem gratiæ, et charitatis; ac proinde cum salus totius populi sit majus bonum divinum, quam salus particularis, et propria, poterit quis, illæso charitatis ordine, hanc illi postponere; et si non ut est bonum proximi, bene tamen quatenus est bonum Dei agens illius gloriam.

Solutio. Respondetur negando consequentiam: tum quia privatio gratiæ nequit ex se conducere ad Dei gloriam: tum etiam, quia in hoc statu non possumus incurrere voluntariam gratiæ privationem, nisi præferendo creaturam Deo; qui actus cum contrarius sit amori super omnia, quem ei debemus, non potest provenire a charitate, imo neque cum illa coexistere. Tum denique, quia per carentiam gratiæ, et charitatis desistimus amare Deum super omnia, et amittimus illius amicitiam: sed ex præcepto charitatis tenemur diligere Deum super omnia, et illius amicitiam conservare: ergo impossibile est, quod proveniat a charitate actus, quo appetamus absolute privationem gratiæ propter Deum, et illius gloriam. Hæc enim procurari a nobis debet secundum modum divinæ ordinationis; nam qui illius augmento studeret, inconsulta divina voluntate, non Dei amator, sed stultus censeretur: divinæ autem voluntatis dispositio est, ut unaquæque persona procuret primo loco bonum divinum in seipsa, et deinde in aliis.

Quarta objectio. 26. Contra doctrinam tertii Corollarii objicies, illam creaturam debere a nobis amari magis secundum charitatem, quæ est nobis magis conjuncta: sed corpus nostrum est nobis magis conjunctum, quam proximorum anima: ergo non debemus ex charitate plus diligere proximum secundum animam, quam proprium corpus, sed potius e contrario.

Responsio. Respondetur majorem esse absolute veram, supposita identitate rationis formalis proximæ amandi creaturas; secus autem illa non supposita, sed diversificata, ut in præsenti contingit; nam proximos diligimus ut socios in communicatione æternæ beatitudinis; corpus autem ut participans illam per redundantiam, quæ est multo minor ratio diligendi, quam præcedens. Quibus adde bona spiritualia gratiæ, et charitatis esse longe nobiliora bonis corporalibus; et ideo licet corpus nostrum sit nobis magis conjunctum, quam anima proximi, debemus tamen illum magis diligere secundum animam, cui appetimus gratiam, quam proprium corpus, cui volumus bona inferiora.

Quæstio incidens. 27. Petes autem, an teneamur ex præcepto charitatis subvenire proximo in gravi spiritus necessitate constituto, cum dispendio vitæ propriæ? Pro solutione nota primo, necessitatem spiritualem esse illam, in qua imminet periculum æternæ damnationis, aut peccati mortalis, et est triplex: alia extrema, a qua videlicet vix, aut nullo modo potest proximus expediri absque alieno auxilio, cujusmodi est illa quam habet Sacramenti Baptismi parvulus existens in mortis articulo; et etiam censetur ea, quam patitur Sacramenti Pœnitentiæ peccator constitutus in eodem termino vitæ. Alia vero est necessitas gravis, quam scilicet evadere potest proximus absque alterius auxiliis, licet cum difficultate. Tertia denique necessitas spiritualis, est communis indigentia, quam patitur omnis, qui peccare vult, et qui communes peccandi occasiones incurrit. Observanda pro resolutione.

Secundo nota, quod in præsenti aliqua ut certa supponimus, et aliud in dubium vocamus. Supponimus enim primo, quod habita probabili spe fructus, quilibet homo tenetur subvenire proximo spiritualiter indigenti qualibet ex prædictis necessitatibus, si id præstare potest sine aliquo detrimento proprio spirituali, vel corporali; hæc enim est obligatio charitatis, ad quam adstringimur independenter ab ordine, qui debet esse inter bona corporea, et spiritualia; quia ubi nullum est detrimentum corporale, non præfertur amor proximi dilectioni corporis nostri. Et ideo ex obligatione generali diligendi proximum, tenemur illi auxilium ferre in prædicto casu; qui enim proximo indigenti non subvenit cum facile possit, convincitur illum non amare; quia probatio amoris exhibitio est operis.

Secundo etiam supponimus, licitum esse, et honestum pati corporalis vitæ jacturam, ut proximo constituto in necessitate gravi

spiritus

spiritus subveniamus ; nam hoc est opus proprium charitatis perfectæ, cujus laudabile exemplum nobis præbuere quamplures Martyres : opera autem perfectæ charitatis sunt maxime honesta, et rationi conformia. Quare difficultas solum procedit de obligatione, an scilicet ad hujusmodi opus adstringamur sub peccato mortali. Cui difficultati ut satisfaciamus,

28. Dicendum est, quod si proximus existit in extrema necessitate spirituali, tenetur quilibet sub peccato mortali ei subvenire etiam cum dispendio propriæ vitæ. Ita communiter Doctores in præsenti, et merito ; quia ut nuper vidimus, vita spiritualis proximi anteponitur secundum ordinem charitatis vitæ corporali naturæ : sed ordo charitatis est in præcepto, ut docet D. Thom. infra, *quæst.* 44, *artic.* 8; ergo non potest non obligare in isto casu, qui est omnium urgentissimus. Tum etiam, quia ut dicitur *Joan.* 3, sicut Christus Dominus posuit animam suam pro nobis, *ita et nos debemus pro fratribus animam ponere.* Quod ad minus intelligendum est de fratribus constitutis in extrema necessitate spirituali ; ab hac enim eripuit nos Christus Dominus proprio cruore.

Si vero proximus existat in necessitate spirituali gravi, non tamen extrema, non tenemur cum vitæ discrimine illi opem ferre, nisi alias ex injuncto Pastoris officio ad illius curam, et providentiam adstringamur ; obligamur tamen illi opitulari cum aliquo temporali detrimento inferioris notæ. Sic communiter Doctores. Quorum ratio quantum ad primam partem ea est, quia extra casum extremæ necessitatis spiritualis non est maxima necessitas in proximo : ergo non obligamur ad perdendum summum bonum corporale, quale est vita, ut illi suppetias eamus, nisi alias incumbat nobis ex justitia providentia illius, qualis incumbit Parochis, et Prælatis ; hi enim tenentur cum vitæ detrimento subvenire subditis constitutis in gravi necessitate spiritus, quia hoc est proprium onus officii, quo funguntur ; ob idque debet Parochus, nisi velit incurrere peccatum mortale, ministrare infirmis Sacramenta Unctionis et Eucharistiæ, quamvis inde subeat evidens vitæ periculum, nisi alius hujus oneris immunis illud pro charitate suscipiat.

Quoad secundam vero partem suadetur ; nam gravis necessitas in rebus spiritualibus est gravis momenti ; ergo præferenda est secundum ordinem charitatis damno temporali gravi proprio ; cujus tamen quantitas non potest in universali diffiniri, sed in particulari determinanda est, servata rerum proportione.

Denique si proximus laboret necessitate communi spirituali, non tenemur ei subvenire, vel cum vitæ discrimine, vel cum alio gravi damno temporali ; quia communes necessitates semper sunt in potestate patientis, pluribusque modis ab eo excuti possunt, ob idque non apparet ratio, ob quam teneamur cum gravi detrimento subvenire proximo in illis constituto. Si autem detrimentum valde leve esset, incumberet nobis prædicta obligatio, quia parum pro nullo reputatur. Nullo autem imminente nobis detrimento, tenemur ex præcepto charitatis proximis spiritualiter indigentibus opem ferre, supposita tamen probabili spe fructus ; nam hac seclusa, cessabit hujusmodi charitatis præceptum.

§ V.

Alia ejusdem doctrinæ corollaria.

29. Quarto infertur ex eadem doctrina, quod debemus, per se loquendo, æstimare et diligere magis ex charitate proprium corpus, quam corpus alterius. Tum quia in modo se habendi ad beatitudinem æqualia sunt omnia corporā ; unde cum alias proprium corpus sit nobis magis conjunctum, quam alienum, debet illud secundum ordinem charitatis huic anteponi, et in ordine dilectionis charitativæ præferri. Tum etiam, quia affectus, quem habet homo erga seipsum, debet esse exemplar amoris, quo prosequitur proximos : ergo sicut ob hanc rationem diligimus magis animam propriam, quam alienam ; ita etiam debemus amare magis proprium corpus, quam corpora aliorum. Quartum corollarium.

Contra hoc tamen est difficilis quædam objectio ; nam licitum est, et laudabile exponere proprium corpus evidenti mortis periculo, ut vita corporalis proximi, et præsertim amici, illæsa maneat : ergo non tenemur ex charitate diligere nos ipsos secundum corpus plusquam proximum. Consequentia est evidens, antecedens vero suadetur, tum ex Phil. 9 *Ethic. cap.* 8, ubi asserit esse opus maximæ honestatis mortem subire, et oppetere pro amicis. Quod etiam docent D. Ambros. *lib.* 3 *offic. cap.* Objectio. Arist D. Amb.

D. Aug. D. Hier. Ovid. 12, D. August. *lib.* 4 *Conf. cap.* 6, D. Hieronym. *in Michæam cap.* 7, et Lactantius *lib.* 5, *institut. cap.* 18. Tum deinde, quia cuncti fere ex citatis Patribus laudant Pyladem et Orestem, quorum quilibet appetiit pro altero mortem subire, juxta illud Nasonis :

Ire jubet Pilades charum moriturus Oresten :
Hic negat, hincque vicem pugnat uterque [*mori.*

Necnon Damonem, et Pythiam Pythagoræ discipulos, inter quos tantus fuit amicitiæ nexus, ut cum Dionysius Tyrannus alterum eorum morti adjudicasset, et is tempus ab eo impetrasset, ut priusquam periret, profectus domum res domesticas ordinaret; alter vadem pro altero se tyranno dedit, spondens se mortem subiturum, si amicus tempore condicto non rediret, qui eadem hora, eodemque momento per Dionysium constitutis supervenit; unde factum est, ut miratus tyrannus amborum animum, supplicium remiserit, eorumque fidei se conjungi desiderans, eos ut ipsum in societatem suæ amicitiæ reciperent, rogaverit, ut refert Valer. Max. *lib.* 4, *cap.* 71. Constat autem SS. Patres non laudare nisi opus virtutis : est ergo operatio virtuosa mortem subire pro tuenda vita proximi.

Valer. Max.

Tum præterea, quia licitum est exponere propriam vitam mortis periculo pro defensione bonorum temporalium, ut omnes Doctores concedunt : sed inter bona temporalia potissimum est amicus, ut tradunt Aristot. 9 *Ethic. cap.* 9, et Cicer. *lib. de amicitia*, ubi ait : *Solem e mundo tollere videntur, qui amicitiam e vita tollunt, quia nihil melius a diis immortalibus habemus.* Ergo licitum est ponere vitam pro amico. Tum denique, quia licitum est filio præbere alimenta patri extreme indigenti, etiamsi inde propriæ vitæ jacturam incurrat; hanc enim actionem vitio adscribere feritas esset, et barbaries; cum propensio, et pietatis ratio inclinent ad oppositum : ergo etiam licebit mortem oppetere pro uxore, filio, et amico, quorum conjunctio æmulatur unionem, quam habemus ad parentes.

Aristot. Cicero.

Et confirmatur, quia non solum est licitum, sed valde meritorium opem ferre homini, qui pestilenti morbo laborat, etiam cum evidenti periculo mortis subeundæ, ut patet ex communi sensu fidelium : ergo etiam est licitum, et valde laudabile mortem subire, ut vitam amici extreme indigentis illæsam tueamur.

30. Huic objectioni respondent aliqui negando antecedens, quia licet honestum et laudabile sit mortem aggredi pro bono communi Reipublicæ, aut etiam illustris personæ, ex qua pendet bonum commune populi, qualis est persona regis; illicitum tamen est mortem subire pro conservanda vita amici, aut alterius privatæ personæ nobis æqualis. Ita Durand. *in* 4, *dist.* 17, *quæst.* 6, Palud. *eadem disp. quæst.* 1, *art.* 6, Richard. *in* 4, *disp.* 15, *artic.* 2, *quæst.* 2, Gabriel *disp.* 16, *quæst.* 3, *art.* 1, Bellarm. *lib.* 3, *de bonis oper. cap.* 8, Tolet. *lib. ult. Summæ, cap.* 32, et alii Neotherici, qui suadere conantur suam opinionem.

Aliquorum responsio. Aristot. Durand. Palud. Richard. Gabriel. Bellarm. Tolet.

Primo ex doctrina Corollarii a nobis modo statuti; quia ut in eo vidimus, corpus proprium præferri debet secundum ordinem charitatis corpori alterius personæ privatæ : sed ordo charitatis non potest perverti absque peccato : ergo ponere vitam pro amico nequit esse operatio laudabilis, sed est peccaminosa graviter.

Responsionis motiva.

Secundo ex D. August. *lib. de mendacio, cap.* 6, ubi hæc habet : « Si quis vitam corporalem pro vita corporali amici perdat, « non diligit proximum sicut seipsum, sed « plusquam seipsum, quod doctrinæ regulam excedit.

D. Aug.

Tertio ex D. Thom. infra, *quæst.* 32, *art.* 6, ubi docet illicitum esse erogare eleemosynam pauperi extreme indigenti de iis, quæ sunt nobis simpliciter necessaria ad sustentationem vitæ; sic enim ait : « Dicendum quod necessarium dupliciter dicitur. Uno modo, sine quo aliquid esse « non potest; et de tali necessario omnino « eleemosynam dare non debet, puta si « aliquis in articulo necessitatis constitutus, « haberet solum unde posset sustentari ipse, « et filii sui, et alii ad eum pertinentes : « de hoc enim necessario eleemosynam « dare, est sibi, et suis vitam subtrahere. »

D. Tho.

Quarto, quia non licet præferre vitam amici vitæ parentis : ergo neque vitæ propriæ, quippe quam magis diligimus, quam vitam patris. Consequentia patet ex ratione modo subsumpta. Antecedens vero suadetur; nam casu, quo mihi suppeteret unicus panis, qui non sufficeret parenti, et amico extreme indigentibus alendis, deberem illum patri porrigere; neque liceret, ipso spreto, amico concedere, ut communiter docent Theologi : ergo, etc.

Quinto,

Quinto, et ultimo, quia imminente naufragio, non potest quis arreptam tabulam licite dimittere, et amico tradere, ut commune, urgensque mortis periculum evadat: ergo neque propriam vitam pro eo negligere, sive illius vitæ postponere. Consequentia patet, antecedens vero probatur; quia dimittere tabulam in casu posito, esset occidere seipsum; cum illa dimissa, non remaneat spes probabilis evadendi mortem, quam sæviens procella urget: constat autem nemini esse licitum occidere seipsum: ergo, etc.

31. Cæterum licet hæc solutio congruere videatur doctrinæ quarti corollarii in hoc § a nobis statuti, sustineri tamen nequit, eo quod debilibus nitatur fundamentis, nec satisfaciat adductis in favorem partis contrariæ, quæ majoris sunt momenti, et pro quibus stat tum communior opinio Doctorum, ut statim videbimus; tum etiam sermo ille Christi Domini: *Majorem charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis:* ubi tanquam opus egregiæ charitatis commendat, quod quis vitam suam morti exponat pro amicis etiam temporaliter indigentibus, ut liquet ex contextu litteræ. Tum etiam vox populi, quæ reputatur vox Dei; nam ut expendit Soto *lib. 5 de justitia et jure, quæst. 1, art. 6,* nulla est in orbe natio, in qua non egregiæ laudi detur, quod homo mortis periculo se permittat, ut periclitantem amici vitam illæsam tueatur.

32. Quare hac solutione omissa, respondetur ad objectionem, concesso antecedenti quantum ad corpus amici, vel alterius personæ nobis conjunctæ, negando consequentiam; quia ex eo, quod licitum sit, et laudabile ex genere suo mortem oppetere pro amico, minime sequitur, quod non diligamus, aut diligere debeamus magis proprium corpus, quam alienum, ut charitas præcipit. Sed hæc duo optime inter se cohærent. Tum quia ad hoc ut aliquis magis amet ex charitate proprium corpus quam alienum, sufficit quod velit illud ad majorem gloriam æternam, hancque pluris æstinet quam vitam, et beatitudinem corporis alieni; qui amor compossibilis est cum toleratione mortis voluntariæ susceptæ pro salvanda vita temporali amici, quoniam etiam dum quis morti exponitur pro amico, potest appetere corpori proprie majorem felicitatem æternam, quam desideret corpori amici, illamque huic posteriori beatitudini præferre. Tum etiam, et maxime; nam eo ipso quod mortem subire pro amico extreme indigenti sit ex natura sua actus honestus, et virtuosus, ut intendit objectio; neutiquam ordinem naturæ, aut charitatis a nobis statutum pervertit ille, qui mortis periculo se permittit, ut amici vitam illæsam tueatur; quia in eo eventu non postponit proprium corpus corpori alieno solitarie sumpto, sed etiam bono virtutis, quod in ipso actu oppetendi mortem elucet. Pro quo bono consonum est tam rationi naturali, quam ordini charitatis quælibet temporalia bona negligere, eo quod omnibus illis longe excellentius sit. Et ex consequenti magis diligit seipsum homo, qui illi studet, quam corpus amici, pro quo mortem sustinet, ut animadvertit D. Thom. *art. 4 hujus quæstionis ad 2.* D. Tho.

Porro ut hujus solutionis veritas clarius elucescat, simulque præcludatur locus iis, quæ contra illam objici possent, animadvertendum est primo, quod solutio debiti orti ex quacumque virtute, est actus ex genere suo honestus, et laudabilis, sive illud sit debitum rigorosum, quale est debitum pietatis, et justitiæ commutativæ; sive minus rigorosum, et solius decentiæ, et honestatis. Nota 1.

Secundo nota, quod licet debitum ortum ex virtuosa amicitia non sit strictum, et rigorosum, sed solum decentiæ et honestatis, comprehendit tamen, et extenditur ad omnia temporalia bona, ita ut qui pro amico divitias, honorem, et vitam neglexerit, non conseatur prætergredi rationis modum, honestæque amicitiæ debitum, sed illi satisfacere, ut constat tum ex communi sensu nationum, Philosophorum, ac SS. Patrum, quos adduximus *num.* 29. Tum etiam, quia amicus fidelis majus bonum est, quam propria vita, cum in illo habeamus non solum bona fortunæ, sed etiam animæ, ut consilium, solatium, doctrinam, etc. quæ sunt superioris rationis, juxta illud Ecclesiast. 6: *Amico fideli nulla est comparatio, et non est digna ponderatio auri, et argenti contra bonitatem fidei illius.* Pro bono autem majori debitum est ex decentia, et honestate minus negligere, et in casu amicitiæ adstruitur *Proverb.* 12, his verbis: *Qui damnum contemnit pro amico, justus est.* Nota 2. Eccles. Proverb. 12.

Ex his apparet ratio a priori, ob quam licet negligere vitam pro amico, consan- Firmatur nostra resolutio.

guineo, aut benefactore, absque præjudicio ordinis statuti a charitate. Nam ille qui mortem oppetit pro amico, non postponit corpus proprium vitæ amici nude sumptæ, quod prohibet ordo charitatis; sed unitæ cum solutione debiti orti ex honesta amicitia: quo pacto considerata vita amici excedit omnia bona corporea, ob idque licite potest quisque illam corpori suo præferre; quoniam ex vi hujus prælationis non amat magis amicum, quam seipsum, sed potius e contrario; quia quærit sibi bonum virtutis, quod excellentius est bono corporeo.

Quæ est communior resolutio Doctorum, præsertim D. Bonaventuræ *in* 4, *dist.* 16, *art.* 2, *q.* 1, Dominici de Soto *ubi supra*, Victoriæ *in relect. de homicidio*, Cordubæ *lib.* 1, *quæst.* 38, Arauxo, Bannez, Aragon, Lorcæ, et aliorum in hac quæstione subscribentium D. Thom. *in* 3, *dist.* 29, *quæst.* 1, *art.* 5 *ad* 3, ubi sic habet: « Dicendum « quod tradere se ipsum morti propter « amicum, est perfectissimus actus virtu- « tis. Unde hunc actum magis appetit vir- « tuosus quam vitam propriam corpora- « lem. Unde quando aliquis vitam propriam « corporalem propter amicum ponit, non « contingit ex hoc, quod aliquis plus ami- « cum, quam seipsum diligat, sed quod in « se plus diligit quis bonum virtutis, quam « bonum corporale. »

D. Bona. Domin. Soto. Victoria. Cordub. Arauxo. Bannez. Aragon. Lorca D. Tho.

Motiva opposita convelluntur. Durand.

33. Neque obstant in contrarium, quæ adduximus ex Durando et aliis. Ad primum enim respondetur, ordinem charitatis non perverti absque peccato. Cæterum ille, qui mortis periculo exponitur pro tuenda vita amici, parentis, aut benefactoris egregii, non pervertit ordinem charitatis, sed observat; quia in eo actu non solum intendit conservationem vitæ alienæ, sed etiam solutionem debiti orti ex virtute: quod majus bonum est, et magis diligendum ex charitate, quam vita temporalis propria.

D. Aug.

Ad secundam dicendum, D. Augustinum mutasse sententiam tum loco citato *num.* 29, tum etiam *in lib. Confess.* ubi docet licitum esse vitam temporalem pro amico perdere.

Nisi mavis, Augustinum loqui de vita amici, qui nomine tenus præcise talis sit, pro quo illicitum est mortem oppetere; quia deficit ibi solutio debiti orti ex virtute, quæ in causa est, ut pro vero amico vitam honeste contemnamus.

Ad tertiam probationem dicendum, quod D. Thom. in illo articulo non loquitur de eleemosyna, quæ confertur parentibus, vel amicis extreme indigentibus, sed quæ erogatur pauperibus extraneis, et communi necessitate laborantibus, quibus illicitum est impertiri eleemosynam de iis, quæ sunt necessaria simpliciter ad vitæ sustentationem, vel ad conservationem decentem proprii status. Præsertim si hæc eleemosyna non fiat ab aliqua privata persona, cui non incumbit aliarum providentia, sed a patrefamilias, qui naturali jure tenetur uxori, et filiis alimenta præbere, in quo casu loquitur D. Thom. ut liquet ex contextu.

Limitatio nostræ resolutionis.

34. Ad quartam probationem respondetur, concesso antecedenti negando consequentiam. Et ratio disparitatis est, quia etsi homini insit a natura jus præferendi propriam vitam alienæ, potest tamen renuntiare huic juri ob honestum finem, qualis est defensio amici, aut benefactoris, ob idque licite pro illis mortem subire. Juri autem, quod pater habet adversus filium; ut ei alimenta præbeat, nequit filius renuntiare, cum non sit in ejus potestate: unde quia prædictum jus est majus jure amicitiæ, præsertim quoad alimenta, peccaret graviter filius, si patre extreme indigente neglecto, victum amico ministraret; quia illa ministratio fieret cum præjudicio tertii, scilicet parentis. Qua ratione etiam illicitum est mortem sustinere pro amico, si ex illa sequatur grave detrimentum uxori, filiis, aut aliis personis, quibus providere tenetur ille qui decedit.

Ad ultimam probationem respondetur negando antecedens, et majorem sequentis syllogismi; quia non magis videtur occidere seipsum, qui sævienti mari arreptam tabulam cedit amico, quam qui possessum panem, quo extreme indiget, illi elargitur, qui tamen non occidit seipsum (alias non liceret prædictum panem Regi offerre, quia propria occisio ob nullum finem est licita); sed minus curat de propria vita conservanda, quam posset. Quæ negligentia sæpe est laudabilis, ut constat tum ex dictis: tum etiam, quia persona privata non tenetur uti mediis peregrinis, aut acerbissimis ad propriæ vitæ conservationem, sed sufficit si adhibeat communia. Qua ratione adstruunt communiter Authores, non teneri hominem pati vehementem dolorem, qui ex abscissione alicujus membri consurgit, ut vitam tueatur; sed posse licite hoc medium respuere, mortique imminenti locum cedere. Quod si in cessione tabulæ interveniret

terveniret propria occisio, non posset licite etiam pro boni totius reipublicæ illam dimittere; non quia illicitum sit ex se mortem oppetere pro amico, sed quia in casu posito intervenit ex modo illam oppetendi propria occisio, quæ semper est illicita, nisi divina authoritate fiat.

lica. 35. Dices : sequi ex his, non esse licitum exponere se evidenti periculo mortis pro quolibet proximo extreme indigenti; cujus contrarium probari videtur ex laudabili praxi Fidelium subservientium infirmis peste laborantibus, cujuscumque qualitatis, et conditionis sunt.

Respondetur concedendo sequelam, cui non opponitur laudabilis Fidelium praxis. Tum quia servientes infirmis pestilenti morbo laborantibus, non exponuntur, saltem communiter, evidenti mortis periculo, sed solum probabili; quod licite incurritur pro quacumque persona extreme indigenti. Tum etiam, quia personæ providentes ex officio infirmorum saluti tenentur ex debito officii illorum sanitati consulere, etiam cum certo moraliter mortis periculo, præsertim cum non unius tantum vitam procurant, sed plurium, quibus laudabile est propriam vitam postponere. Tum denique, quia Catholici non devoventur curandis proximis peste laborantibus, ut temporale præcise misericordiæ opus exequantur, sed ut consulant etiam illorum saluti spirituali, quæ frequenter pessum iret, si infirmi una cum morbi contagio, christianæ pietatis jacturam incurrerent.

tum 36. Ex qua doctrina infertur quinto,
olla- quod attento charitatis ordine, debemus
um. æstimare, ac diligere magis proximos nobis conjunctos sanguine, beneficentia, aut amicitia, quam extraneos, cum quibus naturæ tantum, et gratiæ conjunctionem habemus. Tum quia, ut modo diximus, possumus pro illis licite vitam ponere, secus autem pro istis. Quod signum est majoris dilectionis erga primos. Tum etiam, quia intensio, et appretiatio amoris charitativi, qui determinatur ad proximos in hac vita, sumitur, et regulatur ex parte personæ diligentis, ut superius statuimus : quocirca necesse est, ut magis debeamus diligere secundum ordinem charitatis personas nobis sanguine, aut alia ratione conjunctas, quam illas, cum quibus nulla nobis specialis necessitudo intercedit. Et ea propter inter personas nobis sanguine conjunctas, quæ sunt in primo gradu, ut parentes, et filii, præferri debent iis, quas in aliis gradibus attingimus.

Est tamen circa hoc triplex difficultas. Incidentes quæstiones.
Prima, an doctrina hujus corollarii vera sit, supposito adhuc, quod personæ extraneæ sint Deo maxime conjunctæ? Et ratio dubitandi sumitur primo ex eo, quod charitas nostra est participatio quædam charitatis divinæ, quæ magis diligit meliores. Secundo, quia charitas viæ eadem est, ac charitas patriæ, ob idque servare debet utrobique eundem ordinem : in patria autem magis amabimus extraneos Deo intime conjunctos, quam nostros consanguineos minus illi unitos, ut docet Divus Thomas *art. ultim. hujus quæstionis.*

Secunda difficultas est, an personæ nobis conjunctæ in primo consanguinitatis gradu, debeant amari magis, quam insignes amici, aut benefactores?

Tertia, quis ordo observari debeat inter personas, quas primo consanguinitatis gradu attingimus : an scilicet Pater præferri debeat in amore filiis, et uxori, vel potius postponi? Quibus difficultatibus, ut suo ordine fiat satis.

37. Respondetur ad primam affirmative, Resolutio primæ quæstionis.
quia cum excessus amoris appretiativi sumatur ex parte personæ diligentis, et per conjunctionem ad illam reguletur, majori pretio habere debemus personas conjunctas nobis sanguine aut simili nexu, quam extraneas, etiamsi illæ sanctitate præcellant, et divinam bonitatem abundantius participent. Præsertim cum ad satisfactionem hujus debiti sufficiat diligere prædictas personas majori amore objectivo, quam prosequamur nobis conjunctas, et propinquas, ut late ostendit D. Thom. *artic.* 6 *hujus* D. Tho. *quæstionis.*

Nec obstant in contrarium rationes du- Occurritur motivis oppositis.
bitandi; ad primam enim occurrit D. D. Tho.
Thom. *art. proxime citato, ad* 2, his verbis : « Dicendum quod charitas facit ho-
« minem conformari Deo secundum pro-
« portionem, ut scilicet ita se habeat homo
« ad id, quod suum est, sicut Deus ad id,
« quod suum est. Quædam enim possumus
« ex charitate velle, quia sunt nobis con-
« venientia, quæ tamen Deus non vult;
« quia non convenit ei, ut ea velit, sicut
« supra habitum est, cum de bonitate vo-
« luntatis ageretur. »

Ad secundam dicendum, quod licet eadem sit charitas viæ ac patriæ, non tamen oportet, quod observetur utrobique idem

ordo dilectionis, eo quod in patria deficiant providentia, et alia motiva, ob quæ debemus diligere in via personas nobis conjunctas magis, quam extraneas, etiamsi præferantur illis in sanctitate. Quæ est doctrina D. Thomæ *art. ult. hujus quæstionis*, ubi in medio corporis sic habet : « Tota « vita beata consistit in ordinatione men- « tis ad Deum. Unde totus ordo dilectionis « beatorum observabitur per comparatio- « nem ad Deum, ut scilicet ille magis di- « ligatur, et propinquior sibi habeatur ab « unoquoque, qui est Deo propinquior ; « cessabit enim tunc provisio, quæ est in « præsenti vita necessaria, qua necesse « est, ut unusquisque magis sibi conjuncto « secundum quamcunque necessitudinem « provideat magis, quam alieno, ratione « cujus in hac vita ex ipsa inclinatione « charitatis homo plus diligit magis sibi « conjunctum, cui magis debet impendere « charitatis effectum. Contingit tamen in « patria, quod aliquis sibi conjunctum « pluribus modis diligit; non enim cessa- « bunt ab animo beati honestæ dilectionis « causæ : tamen omnibus istis rationibus « præfertur incomparabiliter ratio dilec- « tionis, quæ sumitur ex propinquitate ad « Deum. »

D. Tho.

Observanda pro decisione secundæ difficultatis.

38. Ut secunda difficultas clarius expediatur, animadvertendum est primo, quod nomine amici, et benefactoris egregii illum intelligimus, qui vel nos a servitute redemit, vel prodiga manu temporalia bona impertivit, in eaque est dispositione, ut non dubitet evidenti mortis periculo exponi, ut nobis adferat vitæ subsidium.

Secundo nota, convenire inter Authores, quod ex proximis conjunctis nobis amicitiæ nexu debet unusquisque amari magis per se loquendo in ordine ad illud bonum, super cujus communione fundatur amicitia, quam cum illo gerimus. Unde quia amicitia consanguinitatis fundatur in conjunctione naturalis originis, amicitia autem civilis in communione politica, et sic de aliis ; idcirco in iis, quæ pertinent ad naturam, et vitæ conservationem, debent consanguinei per se loquendo præferri aliis personis ; in iis vero, quæ spectant ad bonum politicum, anteponi debent cives consanguineis. Qua etiam ratione præferre debet monachus in rebus monasticis ejusdem vitæ professorem personis secularibus, quibus alias sanguinis communione obstringitur.

In ordine vero ad æternam beatitudinem, super cujus communione fundatur amicitia charitatis, debemus magis diligere parentes, filios, et uxores, quam concives, aut benefactores communes ; quia ut sæpius diximus, intensio dilectionis charitativæ erga proximos tanto debet esse major, quanto fuerit perfectior, et strictior conjunctio naturalis, quam habemus cum illis. Conjunctio autem sanguinis excedit alias : tum quia est prior, et immobilior illis : tum etiam, quia pertinet ad substantiam, aliæ vero fundantur supra communicationem accidentium ; et ideo attento charitatis ordine, parentes, uxores, et filii debent amari magis in ordine ad beatitudinem, et bona supernaturalia, quam alii amici, aut benefactores communes.

Unde solum remanet difficultas circa benefactorem egregium, qui adæquare videtur parentis beneficia ; utrum scilicet debeamus amare illum in ordine ad vitam temporalem potius, quam parentem ; ita ut utroque in extrema necessitate constituto, teneamur benefactori prius quam patri subvenire? In qua difficultate affirmativam partem sustinet quidam Gerardus relatus a Buridano 9 *Ethic. quæst.* 3, eo ductus fundamento, quod pluribus titulis debeamus vitam amico redemptori, quam patri ; quia pater nullum passus est periculum, nec bonorum jacturam pro nobis; quæ tamen passus est benefactor, qui redemit, et propriam vitam, ut nostræ consuleret, mortis periculo exposuit.

Sententia Gerard. Burid.

39. Sed contraria sententia vera est, quam non obscure docet D. Thom. infra, *quæst.* 31, *art.* 3, *et art.* 8, *præsentis quæstionis*, ubi illam defendunt Bannez, Aragon, Arauxo, Lorca, et plures alii. Et ratio videtur perspicua, quia plus est dedisse vitam, quam illam postea in uno, vel altero casu conservare : sed pater dedit vitam, benefactor autem solum conservavit : ergo plus debet amari pater, quam benefactor.

Refellitur. D. Tho. Bannez. Aragon. Arauxo. Lorca.

Et confirmatur, quia conjunctio fundata supra receptionem temporalis beneficii adæquare nequit conjunctionem naturalis originis, quæ nos parentibus obstringit : sed amoris intensio proportionari debet huic conjunctioni : ergo benefactor non debet præferri in amore parentibus, sed postponi.

Ad argumentum vero Gerardi respondetur, quod etiam boni parentes multa patiuntur propter filios educandos, atque ad debitum

Motivum contrarium diluitur.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

debitum statum promovendos, et præterea parati sunt exponere vitam mortis periculo pro illis; est enim vehemens amor parentum erga filios. Et licet naturalis originis conjunctio non contrahatur propria electione, sicut contrahitur unitas socialis amicitiæ; quia tamen prima illa unitas substantialior est, et stabilior, prævalere debet in iis, quæ ad vitam spectant. Unde in provisione necessariorum magis tenemur parentibus, et filiis succurrere, quam egregiis benefactoribus, et similibus amicis.

Tho. Videatur D. Thom. *art.* 8 *hujus quæstionis, ad* 1.

Circa egregios autem benefactores spirituales, quales sunt magistri, a quibus fidei lucem accepimus, vel doctrinam hausimus, sua est etiam difficultas, an debeant præferri parentibus, et filiis carnalibus in ordine ad bona spiritualia, et æternam beatitudinem, quam potissime intendit charitas?

iquo- n opi- io. nez. gon. Partem negativam defendunt Bannez, Aragon et alii *artic.* 8 *hujus quæstionis.* Quorum fundamentum est, quia respectu finis ultimi communis est conjunctio erga omnes proximos : sed alias obligatio, et conjunctio erga parentes carnales est magis intima, quam erga spirituales : igitur ratione hujus conjunctionis magis debemus amare parentes carnales, quam spirituales, illisque proinde prius quam istis subvenire, si contingat utrosque in necessitatibus spiritualibus existere.

a sen- ntia. Tho. bros. Opinio tamen contraria videtur esse D. Th. *artic. proxime citato, in solut. ad* 2, ubi sic ait : « Dicendum quod Ambrosius loqui- « tur de dilectione quantum ad beneficia, « quæ pertinent ad communicationem gra- « tiæ, scilicet de instructione morum ; in « hac enim magis debet homo subvenire « filiis spiritualibus, quos spiritualiter ge- « nuit, quam filiis corporalibus, quibus « magis tenetur providere in corporalibus « subsidiis. » Si autem filius genitus in spiritu præferendus est filio carnali, ut hic ex Ambros. docet D. Thom. consequens est idem tenendum esse circa patrem spiritualem, a quo majora bona, quam a parente carnali accepimus. Quæ est doctrina Enodii Ticinensis, Aragonii, et aliorum. Sed in hac re libitum sit unicuique sentire quod maluerit.

esolu- poste- oris stio- is. Tho. 40. Ad tertiam difficultatem, quam versat Divus Thomas *articulo* 9, 10 *et* 11, hujus quæstionis, respondetur quod ex parte objecti magis debet amari pater, quam mater ; et mater, quam uxor ; et uxor, quam filii : amore vero intensivo diligenda est uxor primo loco, secundo filii, deinde pater, et ultimo mater. Ita expresse D. Thom. *locis citatis*, et communiter Doctores. Probatur primo ratione desumpta ex principiis, quæ superius statuimus ; nam ex parte objecti illud est magis diligendum, quod habet majorem rationem boni : sed pater majorem boni rationem habet, quam mater ; et mater, quam uxor ; et hæc, quam filii : ergo attenta inclinatione charitatis, diligendi sunt ordine a nobis statuto. Probatur minor, quia id habet rationem eminentioris boni, quod magis assimilatur Deo in ratione principii : constat autem patrem assimilari magis Deo in hac ratione, deinde matrem, et postea uxorem ; quia pater est principium activum generationis, mater vero passivum, quod inferius est activo ; uxor autem non habet rationem principii respectu sponsi, sed comprincipii erga filios, quos ut effectus, adeoque sub ratione inferiori respiciunt.

Secunda vero pars etiam suadetur ex dictis, quia intensio amoris charitativi attenditur penes conjunctionem naturalem amantium ; in hac autem conjunctione uxor obtinet primum locum, secundum filii, tertium pater, et ultimum mater. Quia uxor est conjuncta viro, quasi una caro cum illo existens. Filii sunt aliquid patris ; cum tamen pater non sit aliquid filii : et ideo dilectio, secundum quam pater diligit filium, est similior dilectioni, qua diligit seipsum, quam dilectio, qua amat suum patrem ? Ex parentibus autem, licet sola mater ministret materiam, ex qua formatur corpus, quia tamen pater habet rationem principii activi, quod excellentius est passivo, censetur magis conjunctus filio, quam mater : ergo, etc.

Objectio. 41. Sed objicies, quod tanto aliquis est magis diligendus, quanto gravius peccat homo, si ab illius amore desistat : sed gravius peccat qui desinit amare patrem, aut matrem, quam qui omittit diligere filium : parentes igitur plus sunt amandi, quam filii. Major et consequentia constant : minor vero suadetur, quia si pater, et filius extreme indigerent, potius esset subveniendum patri, quam filio.

Respon- sio. Burid. Huic objectioni respondet Buridan. 9 *Ethic. quæstione* 3, negando minorem, quia magis tenetur homo diligere filios, eisque in provisione rerum corporalium subve-

nire, quam parentibus ; quia ut dicitur 2 ad Corinth. 12: *Filii non debent thesaurizare parentibus, sed parentes filiis.* Huic sententiæ suffragari videtur Divus Thomas *quæst. de charitate, artic.* 9, *ad ultimum.*

2. Cor. 12.

D. Tho.

Melior solutio.

Sed quamvis hæc solutio aliquali fundamento innitatur, non tamen consentanea videtur veritati. Et ideo illa omissa, respondetur quod amor filii ad patrem est magis debitus, quam amor patris ad filium : unde quia peccatum est carentia actus debiti, ideo gravius peccaret qui patris dilectionem, quam qui filii amorem omitteret. Cæterum amor erga filios est magis spontaneus, quia filius est opus patris : propria autem opera libentissime, adeoque majori cum delectatione, et intensione diligimus. Qua ratione docet Divus Thomas *articulo* 12, *hujus quæstionis*, amorem benefactoris erga beneficiatum esse magis intensum, quam amorem benificiati erga benefactorem; quamvis hic posterior amor sit magis debitus, quam prior. Quæ doctrina, sicut et præcedens, intelligenda est formaliter, et per se, loquendo scilicet de benefactore, patre, et filiis, in eo quod tales sunt, et cæteris paribus ; quia si cætera non sunt paria, sed aliunde adsit maximus excessus providentiæ, et virtutis, poterit mater diligi plus quam pater, et quælibet alia persona, ut animadvertat Divus Thomas *art.* 10 *hujus quæstionis*, apud quem videri possunt, si quæ ad perfectiorem hujus materiæ notitiam hic desiderari videantur.

D. Tho.

D. Tho.

DISPUTATIO IV.

De actu principali charitatis, qui est amor Dei super omnia.

Quidditas actus charitatis magna ex parte manifesta est ex præcedentibus, in quibus ejus objectum et ordinem explicuimus. Cæterum ut undique innotescat, opus est specialem disputationem instituere, in qua ipsius principium activum exploremus. Nam cum actus dicat habitudinem ad objectum, in quod tendit, et ad principium activum, a quo oritur, necesse est utrumque investigare ad perfectam illius notitiam capessendam.

DUBIUM I.

Utrum actus charitatis per absolutam Dei potentiam procedere valeat immediate ab Spiritu sancto, sicut a principio activo?

1. Principium immediatum actus vitalis, qualis est amor Dei super omnia, est duplex, *quod*, et *quo* : primum est suppositum, a quo actus elicitur ; posterius vero forma, seu virtus, per quam illum producit, quæ in casu præsentis quæstionis tunc dicitur immediata, quando inter ipsam, et actum producendum non mediat in supposito, a quo elicitur, alia virtus actualis, vel habitualis, principalis, vel instrumentalis, transiens, vel permanens. Unde cum perspicuum sit animam rationalem esse principium *quod* actus, quo diligimus Deum super omnia, solum procedit præsens difficultas de illius principio activo *quo*. Et ideo dum vertimus in dubium, an actus charitatis possit procedere ab Spiritu sancto sicut a principio activo, idem est ac inquirere, utrum persona Spiritus sancti queat uniri nostræ voluntaii in ratione principii immediati *quo* prædicti actus? Quo pacto excitant nonnulli hanc quæstionem, sed sub forma a nobis præscripta quodammodo universalior est, et expedita magis.

Status quæstionis.

Secundo nota, quod principium immediate activum actus charitatis, sive dilectionis Dei super omnia, quam de facto eliciunt justi, est ipsa charitas, quæ non est persona Spiritus sancti, ut docuit Mag. *in* 1, *distinct.* 27, sed forma quædam creata de genere qualitatis, inhærens intrinsece nostræ voluntati, ut habetur satis expresse tum ex illo 1, ad Corinth. 13 : *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc, etc.* Ubi Apostolus loquitur de charitate nostra sicut de fide, et spe, quas constat esse perfectiones creatas intrinsece inhærentes animæ. Tum etiam ex illo ad Roman. 5 : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum.* Nam ibi Apostolus loquitur de charitate habituali, qua omnes justificati Deum amant, ut interpretantur Divus Augustinus *de spiritu, et litter. cap.* 32, D. Bernard. *epistol.* 107, et Concil. Arausican. *can.* 25, manifestum est autem, Apostolum distinguere charitatem, de qua in prædicto loco agit, ab Spiritu sancto, sicut donum infusum ab infundente. Quam etiam distinctionem exprimit in illis verbis : *Fructus spiritus charitas;* quæ habentur *ad Galat.*

Quid de facto contingat.

Magist.

1. Cor. 13.

Rom. 5.

D. Aug. D. Bern.

Concil. Arausic.

lat. 5. Tum denique ex Concil. Trident. *sess.* 6, *cap.* 7, *et can.* 11, ubi definitur charitatem, qua Deum prosequimur, esse formam intrinsece nobis inhærentem, quæ necessario debet esse perfectio creata : nam personæ Spiritus sancti repugnat imperfectio inhærentiæ; sic enim habet Concilium primo loco, ubi agit de justificatione impii : « Hoc enim fit dum charitas diffun-
« ditur in cordibus eorum, qui justifican-
« tur, et illis inhæret; in justificatione enim
« infusa accipit homo tria hæc, fidem, spem,
« et charitatem. » Quod non minus clare exprimunt verba citati canonis, quæ sunt hujusmodi : « Si quis dixerit justificari
« hominem sola remissione peccatorum,
« seclusa gratia, et charitate, quæ in cor-
« dibus hominum diffunditur, et illis in-
« hæret, anathema sit. » Unde sententia Magistri, quæ tempore Innocentii III, et Concilii Viennensis fuit probabilis, ut constat *ex cap. Majores, de Baptismo*, et *Clement. unic. de summa Trinitate*, post Concilium Tridentinum inuritur ab aliquibus nota hæresis, ab aliis vero temeritatis, et erroris. Et sane quantum ad eam partem, quæ negat charitatem nostram esse formam creatam animæ intrinsese inhærentem, distinctamque proinde ab Spiritu sancto, hæretica absolute pronuntiari debet; cum opponatur directe menti Tridentini, ut constat ex illius verbis, et expendunt graviter Vega *lib.* 7, *in prædictum Concil. cap.* 24, Soto *lib.* 2, *de natura et gratia, cap.* 18, Lorca 1, 2, *sect.* 3, *disputatione* 8, Valentia *in hac* 2, 2, *quæstione* 23, *articulo* 2, *disputatione* 3, *punct.* 1, Aragon *dub.* 2, Malder. *sect.* 2, *circa finem*, Arauxo *dub.* 2, *concl.* 3, et alii.

2. Nec refert, si in contrarium objicias cum Magistro. Primo, quod verba sacræ Scripturæ intelligi debent in sensu proprio, et formali : sed in sacra Scriptura Deus dicitur *charitas*, et econverso, ut constat ex illo 1, Joan 4: *Deus charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in illo :* ergo charitas non est forma creata, sed ipse Spiritus sanctus, quatenus unitur nostræ voluntati, et illam movet ad dilectionem Dei.

Deinde, id quo nihil melius inveniri, et excogitari potest, est Deus, ut ostendit Divus Thomas 1 *part. quæstione* 3, *artic.* 1. Sed charitas est id, quo nihil melius inveniri potest, ut tradit D. August. *lib. de moribus Ecclesiæ. cap.* 11, et favet D. Chrysostom. *homil.* 2, *in* 2, *ad Corinth.* Ergo charitas ex mente Augustini non est qualitas creata, sed ipse Deus. Quod perspicue magis tradidit 8, *de Trinitate, cap.* 7, his verbis : « Qui
« proximum diligit, consequens est, ut ip-
« sam præcipue dilectionem diligat : Deus
« autem dilectio est : consequens ergo est,
« ut præcipue Deum diligat. » D. Aug.

Non, inquam, hoc refert. Ad primam enim objectionem respondetur, charitatem esse in duplici differentia; aliam increatam, qua Deus seipsum, et justos diligit; aliam vero creatam, qua justi Deum amant. De priori intelliguntur illa verba Joannis, *Deus charitas est*, ut exponit D. Aug. *lib.* 15, *de Trinitate, cap.* 17, de posteriori vero intelliguntur verba sequentia, *Qui manet in charitate, etc.* nam charitas nostra est vera, et stricta amicitia creaturæ ad Deum, ut supra ostendimus; amicitia autem proprie dicta includit mutuum amorem, ratione cujus amicitia est in amato, et amatum in amante, ut explicat Divus Thomas, 1, 2, *quæstione* 28, *articulo* 2, nosque etiam superius vidimus. Diluitur prima. D. Aug. D. Tho.

Ad secundam objectionem dicendum, quod Divus Augustinus *in lib. de moribus Ecclesiæ.* intelligit sub nomine *charitatis* illius objectum, quo nihil melius excogitari potest; est enim frequens in sacra Scriptura, et Patribus, virtutes pro illarum objectis usurpare, ut constat ex illo Genes. 31: Occurritur secundæ. D. Aug. Gen. 31.
« Nisi Deus patris mei Abraham, et timor
« Isaac affuisset mihi, forsitan modo nu-
« dum me dimisisses. » Ubi nomine *timoris Isaac*, intelligitur Deus, quem ille verebatur. Et ex illo Symboli Athanasii, *Hæc est fides Catholica*, ubi fides pro illius objecto suppŏnit. Unde cum Augustinus *loco citato ex* 8, *de Trinitate*, appellat Deum *dilectionem*, loquitur de charitate increata, quæ est nobis ratio formalis diligendi proximos; ideo quippe infert eum, qui amat proximum, diligere præcipue Deum : quæ consequutio nulla esset, si nomine dilectionis non intelligeret charitatem increatam, qui est ipse Deus. Athanas. in Symbol. D. Aug.

Quibus accedit, doctrinam in hac observatione a nobis prælibatam esse ejusdem Divi Augustini *lib.* 15, *de Trinitate, cap.* 18, Cyrilli *lib.* 9, *in Joan. cap.* 24, Bernardi *lib. de diligendo Deum*, Gregorii *lib.* 10, *Moral. cap.* 28, Divi Thomæ supra *quæstione* 23, *articulo* 2, et aliorum Patrum, qui asserunt charitatem, qua Deus nos diligit, esse substantiam increatam, et Spiritum sanctum : charitatem vero, qua nos D. Aug. D. Cyr. D. Bern. D. Greg. D. Tho.

eum diligimus, esse formam ab ipso productam. Unde quantum ad id, quod de facto contingit, non est ambigendi locus, quod principium immediatum *quo* actus charitatis, non sit Spiritus sanctus, sed perfectio quædam creata transiens, vel permanens. Quocirca difficultas præsentis dubii solum procedit de possibili, an scilicet attenta Dei omnipotentia actus supernaturalis amoris, quo Deum super omnia diligimus, possit procedere ab Spiritu sancto sicut a principio activo *quo*, ita nimirum, ut voluntas nostra absque omni alia virtute, sive perfectione supernaturali prædictum actum eliciat.

§ I.

Communis, et vera sententia statuitur.

Conclusio. 3. Dicendum ergo est, per nullam potentiam fieri posse, ut actus supernaturalis dilectionis, qua Deum prosequimur, et super omnia amamus, procedat immediate a Spiritu sancto sicut ab illius principio activo *quo*, sed id apertam contradictionem involvere. Ita Capreol. *in* 1, *distinct.* 17, *quæst.* 1, *artic.* 1, Cajetan. *in hac quæst.* 23, *artic.* 2, ubi Bannez, Arauxo et Aragon *dub.* 2, Ferre *quæst.* 4, § 3, Lorca *disput.* 4, Pesantius *distinct.* 2, *conclus.* 2, Valent. *punct.* 1, § 3, Ferrara 3, *contra gentes*, *cap.* 150, Soto *lib.* 1 *de natura et gratia*, *cap.* 22, Alvarez *lib.* 7 *de auxil. disput.* 67, et alii plures, tum hic, tum etiam 1 *part. quæst.* 12, *art.* 5. Videantur etiam quæ diximus *tract.* 14, *disp.* 5, *dub.* 3.

Capreol. Cajet. Bannez. Arauxo. Aragon. Ferre. Lorca. Pesant. Valent. Ferrara. Soto. Alvarez.

Ratio fundamentalis. D. Tho. Probatur hæc sententia ratione desumpta ex D. Thom. *in* 1, *distinct.* 17, *quæst.* 1, *artic.* 1. Implicat contradictionem, quod Spiritus sanctus influat ut virtus activa proxima in actum supernaturalis amoris Dei elicitum a voluntate creata, nisi prius uniatur illi in ratione prædictæ virtutis : sed hæc unio est Spiritui sancto impossibilis : ergo etiam quod influat per modum virtutis proximæ, sive principii activi *quo* in actum amoris Dei elicitum a voluntate creata. Major videtur perspicua. Tum quia ex principio *quo*, et *quod*, constituitur unicum principium adæquatum operationis ; non est autem intelligibilis constitutio alicujus tertii absque unione partium, ex quibus constituitur. Tum etiam quia causa, quæ de se non habet virtutem proximam ad productionem alicujus effectus, nequit illum producere, nisi prius obtineat prædictam virtutem, et illam habeat sibi unitam ; quia per virtutem alibi existentem, sibique nec appropriatam, nec intrinsece conjunctam, nullus potest operari, ut ex se liquet : sed voluntas nostra non habet ex se virtutem activam proximam ad producendam supernaturalem dilectionem Dei : ergo impossibile est, quod producat illam in virtute Spiritus sancti sicut principii proximi activi *quo*, nisi prius natura habeat illum sibi intrinsece unitum in ratione dicti principii.

Minor vero suadetur, quia conceptus formæ physice actuantis repugnat Spiritui sancto ob imperfectionem partis, limitationis, et coarctationis, quam essentialiter claudit : non est autem possibile, aut intelligibile, quod Spiritus sanctus uniatur voluntati creatæ per modum principii proximi *quo* actus a bea eliciti, seclusa informatione physica : primo quia in ordine naturali principium activum *quo* habet rationem formæ physicæ respectu principii *quod*, quia perficit, et constituit illud in actu primo erga operationem, quam producit : constituere autem in actu primo operativo est proprium formæ physicæ ; quia omnis actus provenit a forma, ut ex se liquet, et expendit D. Thom. 2, *contra gentes*, *cap.* 59, *rat.* 4, his verbis : « Id quo aliquid « operatur, oportet esse formam ejus ; ni- « hil enim agit, nisi secundum quod est « actu ; actu autem non est aliquid, nisi « per id, quod est forma ejus. Unde et « Aristot. probat animam esse formam per « hoc, quod animal per animam vivit, et « sentit ; homo autem intelligit, et non « nisi per intellectum : oportet igitur in- « tellectum possibilem formaliter uniri « nobis, et non solum per suum objec- « tum. » Secundo, quia operari sequitur ad esse essentiæ actualis præcontinentis ipsam operationem, sicut ad rationem formalem agendi : ergo repugnat aperte, quod voluntas creata eliciat actum amoris Dei ex influxu Spiritus sancti, sicut rationis agendi, nisi prius natura ipse divinus spiritus uniatur ei per modum principii conferentis ipsi aliquod esse essentiæ actualis, ratione cujus dictum amorem præcontineat, et rationem agendi illi proportionatam assequatur : constat autem unionem principii conferentis esse essentiæ actualis, esse propriam formæ physicæ, quia hæc est quæ dat *esse* rei : ergo, etc.

D. Th.

Confirmatur,

Confirmatur, quia virtus proxime operativa non potest influere in operationem agentis, illamque effective bonificare, nisi prius natura ipsum agens intrinsece afficiat, et perficiat formaliter; quia operatio sequitur dispositionem intrinsecam agentis, ob id quippe diffinitur virtus a Philosopho, *Qualitas quæ bonum facit habentem, et opus illius bonum reddit :* sed non est intelligibile, quod virtus operativa afficiat intrinsece, et perficiat potentiam agentis, seclusa informatione physica : ergo cum hæc informatio repugnet Spiritui sancto, non poterit ipse uniri cum voluntate creata per modum virtutis proximæ actus amoris Dei ab ea eliciti.

Quæ est ratio D. Thom. loco proxime citato *ex* 1 *Sent.* ubi sic habet : « Virtus « politica duo facit, quia facit bonum ha- « bentem, et opus ejus bonum reddit : « multo fortius igitur hoc facit charitas. « Neutrum autem horum effici poterit, « nisi charitas sit habitus creatus; constat « enim quod omne esse a forma aliqua in- « hærente est, sicut esse album ab albe- « dine, et esse substantiale a forma subs- « tantiali. Sicut igitur non potest intelligi, « quod paries sit albus sine albedine inhæ- « rente, ita non potest intelligi quod ani- « ma sit bona in esse gratuito sine chari- « tate, et gratia informante ipsam. Simi- « liter cum actus proportionetur potentiæ « operativæ, sicut effectus propriæ causæ, « impossibile est intelligere, quod actus « perfectus in bonitate sit a potentia non « perfecta per habitum; et ideo cum actus « charitatis perfectionem quandam habeat « ex hoc, quod est meritorius, omnibus « modis oportet ponere charitatem esse « habitum creatum in anima, etc. »

§ II.

Triplex adversariorum solutio exploditur.

4. Huic tamen rationi varie occurrunt adversarii; nam primo respondent aliqui, unionem indispensabiliter requisitam ad hoc, ut Spiritus sanctus influat per modum principii proximi, modo a nobis in limine hujus quæstionis exposito, non esse aliam, quam extrinsecam subordinationem voluntatis creatæ ad infinitam virtutem ipsius Spiritus sancti specialiter assistentis; quoniam licet hæc extrinseca assistentia Spiritus sancti nihil intrinsecum ponat in voluntate creata, supplet tamen munus virtutis intrinsece illi inhærentis, eo quod habeat rationem divini auxilii. Et ideo ex eo præcise, quod prædicta voluntas creata conjungatur Spiritui S. per subordinationem extrinsecam, elevatur, et consequitur activitatem sufficientem ad producendum actum charitatis, quem ex se non poterat producere, ad eum sane modum, quo imaginatio hominis ex subordinatione, et conjunctione extrinseca ad partem intellectivam assequitur vim discurrendi circa singularia, quam de se non habet.

Cæterum hæc solutio nullius momenti est, potestque facile refelli : primo, quia non est intelligibile voluntatem creatam elevari, et assequi virtutem sufficientem ad productionem actus charitatis absque mutatione sui intrinseca; quia nisi mutetur intrinsece, et aliter se habeat, manebit sicut antea, impotens videlicet, et insufficiens ad prædicti actus efficientiam : sed voluntas creata ex vi specialis subordinationis extrinsecæ ad Spiritum sanctum, quam modo descripsimus, non mutatur intrinsece, quia non recipit in se de novo aliquam realitatem intrinsecam, sine cujus receptione impossibilis est intrinseca mutatio : ergo ex vi prædictæ subordinationis nequit elevari, et consequi activitatem necessariam ad productionem actus. Refellitur primo.

5. Deinde, nulla causa potest producere effectum, quem in se formaliter, vel virtualiter non præcontinet; nec præcontinere nisi per virtutem sibi intrinsecam, quia ut constat ex dictis pro assertione, implicat contradictionem, quod unum agens per virtutem in alio supposito existentem, et sibi non communicatam, fiat in se potentius, præcontineatque effectum, quem ex natura sua non præcontinet : sed voluntas creata per subordinationem extrinsecam ad Spiritum sanctum non consequitur aliquam virtutem intrinsecam supernaturalem, ut adstruit hæc solutio : ergo implicat, quod ex vi prædictæ subordinationis sortiatur præcontinentiam, et activitatem necessariam ad productionem actus charitatis. Secundo.

Præterea, impossibile est, quod actio oriatur ab aliqua causa, in qua non præexistit intrinseca virtus illi proportionata; quia operatio sequitur intrinsecam dispositionem agentis, ob idque ab agente debili, et infirmo impossibile est oriri actionem vigorosam, et perfectam : ergo cum volun Tertio.

tas creata per extrinsecam subordinatio nem ad Spiritum S., illiusque specialem assistentiam non recipiat virtutem intrinsecam proportionatam actui dilectionis supernaturalis, sed maneat sicut antea, impossibile est, quod prædictus actus oriatur ab illa ex vi prædictæ subordinationis, et assistentiæ divinæ præcise sumptæ, et consequenter quod hæc assistentia suppleat munus qualitatis intrinsece inhærentis animæ, induatque rationem divini auxilii.

Quarto. 6. Ultimo impugnatur eadem evasio : nam ex eo Deus subordinat sibi creaturas, et eis assistit generali, aut speciali assistentia, quia producit in illis aliquam realitatem ipsis intrinsecam ; est enim intrinsece præsens omnibus rebus per essentiam, et potentiam, quia producit in illis ipsum esse ; assistit vero specialiter justis, quia causat, et conservat in illis gratiam sanctificantem : ergo implicat in terminis, quod Spiritus sanctus subordinet sibi voluntatem creatam, eique specialiter assistat, quin ex vi hujus subordinationis, et assistentiæ aliquid intrinsecum in ea producat, prævium productioni actus charitatis : nam dicere Spiritum sanctum assistere specialiter voluntati creatæ, et eam sibi subordinare, quia producit in ipsa prædictum actum charitatis, est manifesta petitio principii, cum de hoc procedat præsens difficultas.

Et confirmatur vis hujus impugnationis : nam Spiritum sanctum subordinare sibi voluntatem creatam, eique uniri in ratione principii operationis supernaturalis, ponit in illo novum respectum rationis, similem illi, quem dicit in ratione creatoris : sed prædictus respectus non consurgit in Spiritu sancto ex intrinseca mutatione illius, ut ex se liquet : ergo ex mutatione intrinseca voluntatis creatæ ; hac enim seclusa, nullum superest fundamentum prædicti respectus : sed mutatio realis importat receptionem intrinsecam novæ formæ realis : hac igitur seclusa, non poterit intelligi, quod voluntas creata sit specialiter subordinata Spiritui sancto in ordine ad productionem actus charitatis.

Diruitur motivum oppositum. Nec refert instantia imaginationis in contrarium adducta, quia ex eo imaginatio hominis potest discurrere circa singularia, quia ex conjunctione ad intellectum refluit in illam quædam virtus spiritualis imperfecta, per quam afficitur intrinsece, et elevatur ad prædictum effectum. Si enim hujusmodi virtus non inhæreret imaginationi humanæ, sed impediretur divinitus illius resultantia, non posset circa singularia discurrere, sed eodem modo se haberet ac imaginatio bruti, quæ nullam conjunctionem habet cum potentia intellectiva.

Aliam disparitatem adhibuimus *tract.* 14, *disput.* 5, *dub.* 3.

Alia responsio ex Suario. Suar. 7. Secundo responderi potest nostræ rationi ex doctrina, quam tradit Pater Suarez *tom.* 1, *in* 3 *part. disp.* 31, *sect.* 5 *et* 6, *et tom.* 1 *Summæ theologicæ, lib.* 2, *cap.* 12, voluntatem creatam elevari sufficienter ad producendum actum charitatis per consortium, et concomitantiam concursus Spiritus sancti influentis cum illa in prædictum actum supra ejus exigentiam, et connaturale debitum. Tum quia ratione hujus concursus unitur Spiritus sanctus prædictæ voluntati in esse principii actus charitatis, et supplet simul quantum ei deficit activitatis ad productionem illius. Tum etiam, quia instrumenta divinæ virtutis redduntur elevata, et sufficientia ad attingendum effectum supernaturalis agentis, scilicet Dei, per solum consortium, et concomitantiam concursus indebiti illius ; ac proinde quin aliquid recipiant, quo in seipsis intrinsece immutentur. Quæ ratio majorem vim habet in præsenti, ubi voluntas creata continet actum charitatis per modum causæ principalis partialis, quam manifestum est reddi sufficientem per consortium alterius concausæ partialis ad producendum effectum, quem se sola non poterat producere, ut apparet in duobus moventibus lapidem, ad cujus motum neuter est sufficiens.

Diluitur. Sed contra evasionem militant primo omnes rationes factæ contra præcedentem ; nam ille concursus concomitans, et indebitus Spiritus sancti non est minus extrinsecus voluntati creatæ, quam virtus residens in ipso Deo, cum ex vi illius nihil recipiat prædicta voluntas, quo intrinsece immutetur, et aliter quam antea se habeat : ergo eisdem rationibus, quibus convincitur non posse voluntatem creatam elevari sufficienter per virtutem increatam Spiritus S., aut aliam quamlibet extrinsecam ad producendum actum charitatis, eisdem concluditur, non posse elevari per concomitantiam concursus indebiti, quem adstruit Suarius. Præsertim cum adhuc in sententia illius non habeat voluntas creata activitatem causæ principalis partialis ad producendum totum

totum actum charitatis, quæ est partialitas causæ, sed solum illius vitalitatem ; hujusmodi enim causa nullo modo potest elevari ad producendum totum effectum per concomitantiam alterius causæ partialis, quantumvis superioris ; quia cum non præcontineat totum effectum, sed quandam dumtaxat illius partem, non potest totum illum producere, nisi prius natura recipiat aliquam virtutem, per quam præcontineat quidquid est in illo, ut constat ex hactenus dictis.

Deinde refelli potest hæc evasio, eo quod innitatur duplici fundamento falso. Est enim a veritate alienum, tum quod instrumenta divinæ virtutis eleventur ad producendum effectum superioris agentis, scilicet Dei, per consortium concursus illius in prædictum effectum, ut contra ipsum Suarez recte probant N. Complut. *in lib. Physic. disputatione* 12, *quæstione* 1, et ex nuper dictis perspicuum est ; quoniam hujusmodi genus elevationis tantum potest competere causis principalibus partialibus. Tum etiam, quod voluntas creata contineat hac ratione vitalitatem propriam actus charitatis ; quia prædicta vitalitas est supernaturalis ; ob idque præcontineri nequit in virtute propria causæ naturalis, ut constabit late ex infra dicendis, a quibus nunc calamum contrahimus, ne minus necessario eadem repetamus. Potest enim præmissæ solutionis insufficientia aliunde demonstrari.

8. Pro quo notandum est, quod actio, præsertim ut vitalis, habet speciem juxta qualitatem principii a quo proxime, et immediate oritur ; quia secundum hanc rationem nihil aliud est, quam respectus transcendentalis ad illud. Quæ suppositio, licet forsan ab Adversariis non negetur, potest magis firmari ex dictis *tract.* 14. *disp.* 3, *dub.* 3.

Secundo nota, quod actus charitatis est essentialiter actus vitalis, quia est causalitas potentiæ vivæ ; hujusmodi autem potentiæ causalitas est actio vitalis, præcipue in opinione contrariorum, qui constituunt operationes perfectas, quales sunt intellectio, et volitio, in prædicamento actionis.

Ex his impugnatur efficaciter solutio adhibita nostræ rationi ex Suario ; nam eadem numero, et indivisibilis actio nequit procedere immediate a duplici virtute diversi ordinis, partiali, vel totali : ergo idem actus charitatis non potest oriri immediate a voluntate creata, et Spiritu sancto, sicut a causis partialibus, et simultaneis. Consequentia patet, quia illorum virtutes sunt diversi ordinis, naturalis scilicet et supernaturalis. Antecedens vero etiam probatur ; nam cum actio vitalis habeat unitatem secundum principium, a quo immediate oritur, impossibile est, ipsam oriri immediate a duplici virtute diversi ordinis, quia eo ipso acciperet ex illis distinctionem specificam, essetque proinde, et non esset unica, et indivisibilis actio ; quod implicat contradictionem, ut optime vidit D. Thom. D. Tho. 3 *part. quæstione* 19, *artic.* 1 et 2, *contra gentes, cap.* 57, ubi sic ait : « Item impossibile est, quod eorum, quæ sunt diversa « secundum esse, sit operatio una. Dico autem operationem unam non ex parte ejus « in quod terminatur actio, sed secundum « quod egreditur ab agente ; multi enim « trahentes navim, unam actionem faciunt « ex parte operati, quod est unum, sed « tamen ex parte trahentium sunt multæ « actiones, quia sunt diversi impulsus ad « trahendum. Cum enim actio consequatur « formam, et virtutem, oportet quod quorum sunt diversæ formæ, et virtutes, et « actiones esse diversas. » In quibus habes solutionem ad instantias, quæ possent in contrarium adduci ; idem siquidem effectus, qualis est motus navis, produci potest a pluribus causis partialibus ejusdem, vel diversi ordinis ; secus autem eadem numero actio, quia effectus non capit speciem a principio, a quo proxime oritur ; bene tamen actio, quam proinde necesse est multiplicari juxta multiplicitatem dicti principii.

9. Dices forsan, actum charitatis procedere immediate a voluntate creata, et a Spiritu sancto, aliter tamen, et aliter : nam a voluntate oritur ut illius causalitas ; a Spiritu sancto vero ut effectus, quem per actionem increatam suæ voluntatis, sicut per propriam causalitatem immediate producit. Unde cum effectus non capiat speciem a suo principio activo, poterit optime prædictus actus immediate procedere a voluntate creata, et Spiritu sancto, sicut a causis partialibus, et simultanee pure se habentibus. Effugium.

Sed contra est primo, quia quælibet actio capit adæquate speciem a principio activo, a quo procedit per modum causalitatis, et ut actio est : sed actus charitatis non potest capere adæquate speciem a virtute Præcluditur.

naturali voluntatis creatæ, cum sit supernaturalis : ergo neque procedere adæquate ab illa per modum causalitatis, et ab Spiritu sancto simultanee influente, ut effectus, qualiter adstruit hæc evasio.

Secundo, nam ex eo præcise actio causæ inferioris potest esse effectus superioris, quia superior communicat inferiori virtutem, per quam agit, vel illam movet intrinsece ad agendum, et per modum inclinationis cum operatione conjungit : sed Spiritus sanctus ex vi concursus simultanei, quem ponit Suarius, nullo ex his modis se habet ad voluntatem creatam, cum nec virtutem, nec motionem intrinsecam ei conferat : ergo nullatenus potest attingere ut effectum actum charitatis ab ea elicitum. Minor, et consequentia constant. Major
D. Tho. vero suadetur, tum ex D. Thom. 1,2,*quæst.* 80, *artic.* 1, ubi expresse docet, quod nemo potest esse causa physica actionis elicitæ a voluntate creata, nisi in quantum dat illi virtutem activam, vel movet illam intrinsece ad agendum, et per modum inclinationis cum operatione conjungit, in qua motione sita est ratio concursus prævii, ut alibi ostendimus. Tum etiam, quia cum actio nihil aliud sit, quam habitudo transcendentalis ad principium immediatum, a quo procedit, et speciem desumit, impossibile est, quod aliam causam respiciat, ab eaque dependeat, et attingatur, nisi mediante dependentia, et subordinatione ad illam prædicti principii, a quo speciem sortitur. Principium autem activum eatenus potest alteri causæ superiori subordinari, ab eaque in agendo dependere, quatenus eget, et dependet ab aliqua virtute ab ea decisa, qua intrinsece perficiatur, atque ad agendum inclinetur, et moveatur, ut in omnibus causis per se subordinatis videre licet. Quare hac virtute, sive motione seclusa, non est intelligibile, quod causa superior subordinet sibi inferiorem, illiusque actionem effective attingat.

Posterior responsio. 10. Tertio, et ultimo respondent alii, essentiam divinam posse uniri intime voluntati creatæ in ratione principii *quo* actus charitativi, illamque intrinsece actuare, perficere, et elevare ad productionem prædicti actus absque imperfectione informationis physicæ, inhærentiæ, vel alterius similis ; eo quod prædicta essentia non minus perfecta est, et infinita in linea charitatis, quam in linea objecti intelligibilis : in qua quia est actus purus, et sua intelligibilitas, potest uniri intrinsece, et de facto unitur mentibus beatorum per modum formæ, sive speciei intelligibilis constituentis illas in actu primo ad eliciendam visionem beatificam, seclusa omni informatione et inhærentia physicis.

Explodi-tur. Hæc tamen solutio sufficienter exclusa manet ex nostra ratione ; quoniam, ut in ea vidimus, unio per modum actus conferentis in ordine entitativo vim agendi, et operandi alteri supposito, non est intelligibilis absque imperfectione partis componentis, vel formæ dependentis in suo esse a subjecto, cui unitur ; quia prædicta unio non potest esse per modum termini, quia terminus quatenus talis non confert vim agendi, et operandi ; et ideo necesse est ut se habeat per modum formæ inhærentis, aut informantis ; quoniam in hæc duo membra dividitur adæquate unio actus, qui in ordine entitativo alteri est unibilis. Unde cum essentia divina sit actus purus, et ens omnino perfectum, ex hac eadem perfectione repugnat illi unio ad voluntatem creatam per modum actus conferentis illi virtutem ad eliciendum actum charitatis, vel alium similem.

Occurritur motivo contrario. Nec obest instantia adducta essentiæ divinæ unitæ mentibus beatorum per modum formæ intelligibilis. Tum quia conceptus speciei intelligibilis est conceptus, sive perfectio simpliciter simplex ; secus autem ratio formæ proprie dictæ, conferentis vim agendi in ordine entitativo : et ideo ratio formæ intelligibilis convenit Deo ob ejus infinitam perfectionem, et actualitatem, ex qua repugnat illi ratio formæ in ordine entitativo. Tum etiam, quia unio speciei intelligibilis præcise sumpta nullam imperfectionem dicit, quoniam species unitur potentiæ secundum universalem rationem formæ ; id est, quin ab ea limitetur, et accipiat individuationem, qua fiat hæc numero, et non alia in esse intelligibili ; unio vero formæ in esse entitativo dicit ex suo generali, et formali conceptu imperfectionem limitationis, quia prædicta forma individuatur a suo subjecto, ab eoque ex consequenti habet, quod sit hæc numero, et non illa. Et ea propter prior unio potest convenire essentiæ divinæ, tam respectu intellectus proprii, quam alieni ; secus vero posterior. De quo videri potest quod diximus *tract.* 2, *disp.* 2, *dub.* 2.

§ III.

§ III.

Duplex alia ratio pro vera sententia.

11. Secunda ratio nostræ assertionis desumitur ex D. Thom. in præsenti, potestque sub hac forma proponi. Implicat actus charitatis, qui non sit intrinsece, et formaliter vitalis; quoniam hujusmodi vitalis est de conceptu essentiali cujuslibet actus voluntarii, qualis est omnis amor, tam supernaturalis, quam naturalis : sed si Spiritus sanctus uniretur creaturæ in ratione principii activi actus charitatis creatæ, is non esset intrinsece et formaliter vitalis : ergo implicat Spiritum sanctum uniri creaturæ in ratione principii activi *quo* prædicti actus. Major, et consequentia constant. Minor vero suadetur : nam actus vitalis est ille, qui dependet per se a proprio subjecto, sicut a principio activo ; quoniam ut diximus *tractat.* 10, *disputatione* 2, *dubio* 4, *num.* 88, vitalitas propria actus secundi consistit in dependentia per modum emanationis, et conjunctionis actualis cum suo principio ; et ideo si Deus se solo poneret in potentia vitali aliquem actum, non esset vitalis, etiamsi extrinsece denominaretur conjunctus potentiæ, quia non haberet prædictum modum emanationis, et conjunctionis intrinsecæ cum principio vitæ. Sed actus charitatis non procederet in casu posito a voluntate creata, cui ut subjecto inest, sicut a principio activo, sed a voluntate increata Spiritus sancti, qui gerit, ut supponitur, munus prædicti principii : ergo non esset intrinsece, et formaliter vitalis per ordinem ad voluntatem creatam, aut per respectum ad voluntatem divinam ; cum non subjectetur in ista, neque oriatur per se ab illa sicut a principio activo.

Confirmatur, quoniam actus vitalis est immanens principio activo, a quo egreditur ; quia ut docet Philosoph. 3 *Phys. text.* 28, officium vitæ est moveri a se : pro quo opus est, ut actus perfecte vitalis subjectetur in principio, a quo egreditur : sed actus charitatis creatæ non potest subjectari in voluntate divina : ergo non potest oriri ab illa sicut a principio activo, et gaudere simul intrinseca, et perfecta vitalitate.

12. Huic rationi responderi potest primo ex Adversariis, ad vitalitatem intrinsecam actus sufficere, quod procedat a potentia, in qua recipitur, sicut a causa proxima partiali, alias pluribus actionibus deneganda esset vitalitatis ratio, quæ illis in communi sententia tribuitur. In casu autem nostræ quæstionis actus charitatis procederet active a voluntate creata, in qua recipitur sicut a causa partiali proxima ; quoniam hoc pacto sufficienter præcontinetur in virtute naturali illius, ob idque posset esse intrinsece vitalis per ordinem ad illam. Porro voluntatem creatam præcontinere sufficienter per modum causæ partialis proximæ actum charitatis, ex eo liquet, quia ipsa vitalitas formalis prædicti actus non est aliquid supernaturale, sed modus quidam naturalis entitative, quem perspicuum est præcontineri sufficienter in virtute naturali creaturæ.

Impugnatur.

Sed hæc solutio facile refellitur, quia ut vidimus *num.* 8, implicat eandem specie actionem procedere immediate a duplici causa diversi ordinis, quales sunt voluntas creata, et increata; quoniam cum actio sortiatur speciem juxta qualitatem principii, a quo immediate oritur, eo ipso quod egrediatur proxime a diversis specie virtutibus, non potest esse una specifice, sed debet necessario multiplicari secundum speciem. Præsertim si sit actio immanens principio activo, a quo immediate oritur, qualis est omnis actus intrinsece voluntarius.

Confirmatur, quia implicat unicam operationem esse propriam duarum naturarum : ergo et quod oriatur proxime a diversis specie virtutibus. Consequentia patet, quia eo ipso, quod actio procedat immediate a diversis virtutibus, debet refundi ultimo in diversas naturas, quibus propriæ, et connaturales sunt illæ virtutes. Antecedens est expressum Agathonis Papæ in epistola synodali, quæ refertur in 6 Synodo Generali, *act.* 4, Augustini *lib. de duabus anim. contra Manich. cap.* 10, Damasceni *lib.* 3, *de Fide, c.* 13 et 14, Leonis Papæ *epistola* 196 et aliorum Patrum probantium ex hoc principio Christum Dominum debuisse habere operationem creatam, et increatam. De quo etiam videri potest Cajet. 3 *part. quæst.* 9, *art.* 10.

Agatho Papæ. Sexta Synod. Generalis. D. Aug. Damasc. Leo Pap. Cajetan.

Diruitur fundamentum evasionis.

Nec verum est, vitalitatem intrinsecam actus charitatis esse entitative naturalem. Tum quia perfectio naturalis nequit esse idem realiter cum entitate supernaturali, ut de se liquet; vitalitas autem intrinseca actus charitatis est idem realiter cum supernaturalitate illius; quia est ratio superior intime imbibita in specie illius, non

secus ac ratio entis, et aliæ hujusmodi, quas essentialiter includit. Tum etiam, quia etsi conceptus vitalitatis sumptæ in communi non exprimat perfectionem naturalem, aut supernaturalem, sed ab utraque præscindat, sicut genus a speciebus; vitalitas tamen propria actus charitatis est determinate, et per se supernaturalis, ob idque præcontineri nequit in virtute naturali voluntatis creatæ. Et ratio est, quam supra tetigimus, quia nimirum vitalitas intrinseca actus charitatis nihil aliud est, quam specialis dependentiæ modus, quem ille importat ex prædicatis essentialibus amoris Dei, quibus in sua specie constituitur, scilicet a principio activo conjuncto; amor autem supernaturalis, quatenus talis, nequit dependere per se sicut a principio conjuncto a potentia ordinis naturalis, seu inferioris; quia alias eo ipso esset, et non esset supernaturalis. Unde impossibile est, ut per ordinem ad illam sortiatur vitalitatem sibi propriam : sed necesse est principium, ad quod immediate terminatur hic vitæ respectus, esse ordinis supernaturalis.

Ad hæc, vitalitas proprii actus corporei est formaliter corporea; et vitalitas propria actus spiritualis est spiritualis : ergo vitalitas propria actus supernaturalis, qualis est amor charitatis, petit esse supernaturalis. Patet consequentia : tum a paritate : tum etiam, quia universaliter loquendo vitalitas actus est de linea specifica illius, quia nihil aliud est, quam specialis modus dependentiæ a principio activo, a quo ille petit ex natura sua produci. Sed de hoc infra sermo redibit.

Alia evasio. 13. Secundo responderi potest rationi propositæ, satis esse ad hoc, ut actus sit intrinsece vitalis, quod oriatur remote a potentia, in qua recipitur; quia per hoc salvatur illum procedere a principio intrinseco conjuncto, quæ est diffinitio vitæ convenientis operationibus : in casu autem nostræ quæstionis, etsi actus charitatis non procederet immediate a voluntate creata, sed ab Spiritu sancto, orietur tamen ab illa remote, non secus ac oritur de facto; quia Spiritus sanctus solum supplet id, quod præstare debebat habitus charitatis, ob idque posset esse vitalis per ordinem ad prædictam voluntatem.

Confutatur. Cæterum neque hæc evasio vim nostræ rationis enervat, quia causa remota nihil potest communicare actui secundo, nisi medio influxu virtutis, a qua ille proxime egreditur; quia si aliquid conferret actui absque mediatione prædictæ virtutis, eo ipso non esset causa remota illius, sed proxima : atqui voluntas creata nihil conferre potest actui charitatis medio Spiritu sancto, sicut virtute proxima, per quam agit : ergo impossibile est, quod hic actus mutuetur ab illa vitalitatem sicut a causa remota, si alias supponatur procedere ab Spiritu sancto sicut a causa proxima. Major, et consequentia constant. Minor vero etiam est perspicua; quia voluntas creata nequit subordinare sibi Spiritum sanctum, aut illi conferre aliquam perfectionem, quam ejus nomine transfundat in actum charitatis; quia utrumque horum importat imperfectionem Deo repugnantem : non est autem intelligibile, quod prædicta voluntas influat in actum charitatis modum vitæ; vel aliquem alium medio Spiritu sancto sicut virtute proxima, quin subordinet sibi ipsum Spiritum sanctum, illique conferat perfectionem transfundendam in prædictum actum; quoniam causa remota non aliter derivat, aut derivare potest suam perfectionem in effectum media causa proxima.

Confirmatur, quia nulla operatio respicit causam remotam, nisi mediante virtute proxima, et principali, a qua immediate oritur; ab hacque, et non ab illa speciem participat, ut discurrenti per singulas constabit, et probat D. Thom. *quæst. unic. de unione Verbi, art. ult.* Unde si prædicta virtus proxima non est talis conditionis, quod ab illa specificari queat modus vitæ conveniens operationi, impossibile est hanc esse vitalem ex influxu causæ remotæ. Sed ratio vitæ conveniens actui charitatis nequit speciem capere ab Spiritu sancto, cum non procedat ab illo ut a principio conjuncto, et se movente per ipsum. Ergo impossibile est prædictum actum esse in eo eventu intrinsece vitalem per ordinem ad voluntatem creatam, sicut ad causam remotam. Major impugnatio. D. Th.

Ex quo patet, Spiritum sanctum non posse supplere influxum, quo habitus charitatis de facto influit in suum actum; quia concurrit ad illum per modum principii proximi conjuncti, sive moventis se per eum, subordinatique gratiæ sanctificanti : qui influendi modus repugnat Spiritui sancto, omninoque necessarius est, ut actus charitatis creatæ sit intrinsece vitalis. Neque is procedit remote a voluntate creata, sed

sed ab anima ut actuata per gratiam sanctificantem, quæ est radix prædicti actus, in quem influit proxime voluntas creaturæ, non quidem secundum se sumpta, sed ut elevata per habitum charitatis, qui est tota ratio agendi proxima in productione sui actus.

14. Ultimo probatur nostra conclusio alia ratione; nam de essentia actus formaliter voluntarii est, quod procedat immediate a principio intrinseco supposito, in quo recipitur, ut constat ex ipsa diffinitione voluntarii, quam explicuimus *tract.* 10, *disp.* 1, *dub.* 1 et circumfertur communiter sub his verbis : *Quod est ab intrinseco cum cognitione :* sed actus charitatis, de quo in præsenti, recipitur in creatura, et est essentialiter voluntarius, utpote qui est amor, seu complacentia in objecto amato, quæ non est intelligibilis absque voluntarietate : ergo petit oriri immediate a principio intrinseco, neque potest, illæsa sua essentia, procedere immediate a principio illi extrinseco, quale est Spiritus sanctus.

Confirmatur : nam implicat, quod actus, in quem homo non influit per appetitum sensitivum, aut rationalem, sit ei formaliter voluntarius; quia ratio *voluntarii* importat egressum a principio intrinseco appetitivo; hujusmodi enim est, quod sequitur ductum cognitionis positæ in diffinitione *voluntarii :* sed neque per appetitum sensitivum, nec rationalem potest homo influere in actum charitatis, si is ponatur oriri immediate a Spiritu sancto, ut constat ex dictis ratione præcedenti : ergo implicat, quod actus charitatis procedat immediate a Spiritu sancto, nisi amittat rationem voluntarii formalis : quæ ratio non potest ei deficere, cum sit illi essentialis : ergo, etc.

Dices : amor beatitudinis, quem habet creatura rationalis in primo instanti usus rationis, est illi voluntarius formaliter; et tamen non procedit immediate a principio illi intrinseco, scilicet a Deo, in quem refunditur in sententia D. Thom. Ergo stabit optime, actum charitatis esse homini voluntarium formaliter, quamvis oriatur immediate a principio illi extrinseco, videlicet a Spiritu sancto.

Respondetur negando minorem, quia amor beatitudinis, quem habet creatura rationalis in principio usus rationis, est formaliter vitalis, et liber, potestque esse meritorius vitæ æternæ, ut fuit de facto in Adamo, et Angelis : quæ salvari non possunt, nisi oriatur immediate a principio intrinseco vitali, quod per ipsum exerceatur. Ad probationem autem in contrarium dicendum, prædictum amorem refundi in Deum, non sicut in principium immediatum, et elicitivum illius, sed triplici alio modo. Nam primo refunditur in ipsum sicut in causam primam, a qua moventur ad suos actus omnes causæ secundæ, tam voluntariæ, quam naturales; quia, ut ait D. Thom. 1, 2, *quæst.* 9, *art.* 4 *ad* 1, etsi motus voluntarius habeat principium proximum intrinsecum, tamen primum principium est ab extra, sicut et primum principium motus naturalis. Secundo refunditur prædictus amor in Deum sicut in authorem voluntatis, a qua ille actus producitur; quia operatio consequens inclinationem naturalem alicujus rei tribuitur naturæ, præsertim si incipiat cum esse illius : amor autem, quem exerit creatura in principio usus rationis, est simul naturalis, et voluntarius : naturalis quidem, quia est juxta inclinationem naturæ rationalis inditam ipsi ab authore naturæ : voluntarius vero, quia sequitur formam apprehensam per cognitionem, a qua dirigitur. Et quia hæc cognitio non procedit in primo instanti sui *esse* ex applicatione voluntatis creatæ, sed Deus movet ejus intellectum ad prædictam cognitionem (unde habet, quod sit necessaria in essendo, licet sit in proponendo indifferens); idcirco refunditur tertio et ultimo prædictus amor in Deum sicut in causam moralem, quæ per notitiam, quam tradit creaturæ, eam dirigit et gubernat. Qua ratione inter alias nequit prædictus actus esse peccaminosus, quia alias refunderetur illius defectus in Deum sicut in authorem creaturæ, et provisorem, a quo ipsa specialiter dirigitur, et gubernatur in elicientia prædicti actus, utpote ad quem non movet seipsam moraliter, id est ex præexistente amore finis, et per proprium consilium, quo pacto movet se ad electionem mediorum; sed movetur a Deo per cognitionem, quam modo explicuimus. D. Tho.

§ IV.

Diluuntur argumenta contrariæ sententiæ, præter ultimum.

15. Opposita sententia docet, quod potest Spiritus sanctus uniri per seipsum Opinio opposita.

voluntati creatæ in ratione principii *quo* actus charitatis, huncque proinde cum prædicta voluntate producere, seclusa omni forma, et motione illi intrinsece communicatis. Ita Scot. *in* 1, *dist.* 17, *quæst* 1 et 2, § *Ad primum*, Vega *cap.* 8, *lib.* 6, *in Trident.* Suar. *tom.* 1, *in* 3 *part. disput.* 31, *sect.* 6, et alii plures neotherici, quos refert, et sequitur Joannes de Ripalda *dist.* 4, *de ente supernaturali*, *sect.* 1.

Scotus. Vega. Suar.

Ripalda.

Primum argumentum.

Probatur hæc opinio primo : nam quidquid Deus efficit media causa secunda, potest efficere immediate per seipsum, quia genus causæ efficientis nullam imperfectionem includit, ob idque potest illius concursus suppleri a Deo, qui continet omnem virtutem creaturæ : sed Deus producit de facto actum dilectionis supernaturalis media virtute charitatis nostræ voluntati infusæ : ergo potest illum producere immediate per seipsum, secluso prædicto habitu charitatis, et omni alio auxilio intrinsece recepto in nostra voluntate.

Solutio.

Respondetur, Deum posse producere immediate per seipsum omnem operationem non vitalem, quam efficit media causa secunda ; secus autem operationem vitalem, et voluntariam, quam producit media prædicta causa; nam cum causa secunda vitalis influat in suam actionem per modum principii conjuncti, et se moventis per eam, nequit illius influxus suppleri a Deo. Habitus autem charitatis influit in suum actum per modum principii vitalis, et voluntarii, ob idque non potest Deus immediate per seipsum supplere illum concursum, quia charitas influit in prædictum actum.

Adde, implicare in terminis, quod Deus efficiat operationem, quæ est causa secunda, absque illius concursu ; eo ipso autem, quod Spiritus sanctus influeret per modum principii *quo* in actum charitatis, nullo modo posset voluntas creata concurrere active ad illum, ut § *præced.* vidimus ; et ideo repugnat etiam ex hoc capite, ut Deus exerceat per seipsum influxum activum, quo habitus charitatis creatæ producit de facto suum actum.

Secundum argumentum.

16. Secundo arguitur, quia multæ causæ inferiores ex subordinatione extrinseca ad superiores elevantur de facto ad producendos effectus, ad quos sunt ex se insufficientes : ergo similiter voluntas creata ex subordinatione extrinseca ad Spiritum sanctum elevabitur sufficienter ad producendum actum charitatis, ad cujus productionem est ex suis meritis insufficiens, et improportionata. Consequentia patet a paritate. Antecedens vero suadetur pluribus instantiis ; nam phantasma ex subordinatione extrinseca ad intellectum agentem elevatur ad productionem speciei intelligibilis, quam non potest ex propriis meritis causare. Calor item ex subordinatione ad animam fit potens gignere carnem, et sanguinem, quorum generatio excedit illius virtutem naturalem. Membra item externa ex subordinatione extrinseca ad imperium intellectus moventur, et exercent suos actus. Ac denique humanitas Christi Domini ex conjunctione ad verbum absque alia forma superaddita elevatur ad producenda miracula, ut colligitur ex Divo Thom. 3 *part. q.* 13. *artic.* 2.

D. Tho

Confirmatur : nam auxilium Dei actuale non est aliqua forma intrinsece recepta in creatura, sed extrinseca hujus subordinatio ad virtutem divinam sibi assistentem : atqui actus dilectionis Dei supernaturalis potest produci sine habitu charitatis per influxum auxilii actualis, ut docet communior pars Theologorum : ergo etiam potest produci immediate ab spiritu sancto exercente per seipsum vicem auxilii actualis : nam cum de ratione hujus auxilii non sit informatio, aut receptio in creatura, non appareret causa, ob quam Spiritus sanctus non valeat exercere per seipsum munus, et officium illius.

Confirmatio.

Respondetur negando antecedens. Ad cujus priorem probationem dicendum, phantasmata elevari ad producendas instrumentaliter species intelligibiles per qualitatem spiritualem vialem, quam recipiunt ex influxu intellectus agentis, a quo illuminantur. Vel dicendum, phantasma non concurrere ad productionem speciei intelligibilis per modum instrumenti proprie dicti, sed imaginationem ex imperio, et applicatione intellectus agentis ut causæ superioris producere sua phantasmata ita disposita et ordinata, ut accedente extrinsecus luce spirituali, fiant omnino habilia, ut intellectus agens eruat ab illis sicut a potentia ministeriali species intelligibiles, easque producat in intellectu possibili, ut docet Cajetan. 1 *part. quæst.* 84, *art.* 6, et *quæst.* 85, *art.* 1, et colligitur ex Divo Thoma tum eisdem locis, tum etiam *quodlib.* 8, *art.* 3, ubi docet, phantasmata esse quasi instrumenta in productione speciei intelligibilis; nam illa particula *quasi*, est additum diminuens, quod

Satisf. argumento

Cajetan.

D. Tho.

quod removet a phantasmatibus rationem instrumenti proprie dicti. Si autem phantasmata non influunt effective in productionem speciei intelligibilis, sed objiciunt solum materiam ministerialem, ex qua illæ eruuntur, opus non est, quod per aliquam formam intrinsecam eleventur, sed sufficit extrinseca subordinatio ad lucem intellectus agentis.

Ad secundam probationem respondetur, calorem naturalem ex conjunctione ad animam sensitivam accipere novam, et intrinsecam virtutem, qua perficitur intrinsece, et elevatur ad generationem carnis, quam non potest ex suis viribus effective producere. Videantur etiam, quæ diximus *tract.* 14, *disp.* 5, *dub.* 3, § 4, ex quibus potest alia responsio deduci.

Ad tertiam dicendum, membra externa non indigere intrinseca elevatione ad producendos actus, ad quos habent ex se debitam proportionem, neque ad suscipiendos quoscumque alios motus, ad quos concurrunt mere passive; egent tamen applicatione intrinseca derivata ex potentia locomotiva, sine cujus impulsu non potest vivens sua membra movere. Voluntas autem creata non se habet mere passive respectu actus charitatis, quo vivit in actu secundo, ut falso existimant Palud. *in* 4, *dist.* 49, *quæst.* 1, *artic.* 3, Gabriel *in* 1, *distinct.* 1, *quæst.* 2, *art.* 2, et Vega *ubi supra :* neque est ex se proportionata ad illius productionem. Unde non potest prædictum actum charitatis efficere, nisi prius recipiat aliquam formam supernaturalem, qua intrinsece perficiatur, et ad ordinem superiorem elevetur.

Ad quartam et ultimam instantiam posset responderi, humanitatem Christi Domini perfici intrinsece in seipsa, et elevari per gratiam unionis ; ob idque mirum non est, si ex vi hujus gratiæ, et qualibet alia forma seclusa, constituatur in esse divinæ virtutis ad patranda miracula ; quæ tamen nunquam producet, nisi ulterius per intrinsecam motionem applicetur, et moveatur actualiter ad exercitium actus, quo miraculum causat, et in suo *esse* constituit. Sed videantur quæ diximus loco proxime citato.

17. Ad confirmationem respondetur ex fuse dictis loco citato, negando majorem ; auxilium actuale, quo Deus opitulatur voluntati creatæ in productione actuum supernaturalium, non est aliqua forma illi extrinseca, utputa illustratio intellectus, et congrua cogitatio objecti, qua ad illius amorem inducitur ; sed est forma, seu motio quædam supernaturalis intrinsece recepta in prædicta voluntate, inclinans illam physice ad eliciendos prædictos actus. Tum quia congrua cogitatio existens in intellectu, non immutat naturam voluntatis, neque confert illi vires, quibus ex se caret; et ideo quantumvis prædicta cogitatio vigeat, urgeatque voluntatem ad eliciendum actum supernaturalem, inanis erit illius conatus, non secus ac labor ejus qui pluribus rationibus induceret ad ambulandum eum, cui deficeret vis ambulativa Tum etiam, quia auxilium actuale, quo egemus ad producendas actiones supernaturales, non esse solam cogitationem congruam a Deo inspiratam, sed motionem supernaturalem intrinsece inhærentem voluntati, videtur diffinitum in concilio Milevitano, *can.* 4, his verbis : « Si quis dixerit eandem gra- « tiam per Jesum Christum Dominum nos- « trum, propter hoc tantum nos adjuvare, « quia per eam revelatur nobis obedientia « mandatorum, ut sciamus quid appetere, « aut quid vitare debeamus ; non au- « tem per illam præstari nobis, ut quod « faciendum cognoverimus, etiam fa- « cere diligamus, et valeamus, anathema « sit. *Et infra :* utrumque est Dei donum, « scire quid facere debeamus, et diligere « ut faciamus : sicut enim scriptum est : « Qui docet hominem scientiam : sic, cha- « ritas ex Deo est. » Quod prosequitur D. August. *lib. de gratia Christi, cap.* 13, *et lib.* 2, *de peccat. mer. et remis. cap.* 17, et aliis in locis. Concil. Milevit. D. Aug.

Pro cujus majori intelligentia nota, quod Pelagius Catholicorum argumentis oppressus concessit, necessarium esse ad observationem mandatorum præter dona naturalia in creatione accepta, aliud auxilium gratiæ naturalis ; asseruit tamen hujusmodi auxilium non esse aliud, quam donum collatum intellectui, ex vi cujus aperiuntur nobis insidiæ diabolicæ, et quid faciendum sit, innotescit. Sed D. August. *locis allegatis, et de gratia Christi cap.* 7, contra clamat, insufficienter Pelagium gratiam Christi Domini confiteri, nec satisfacere fidei catholicæ ; quia nihil concedit necessarium homini ad recte vivendum præter auxilium legis et doctrinæ, quod insufficiens est, nisi ulterius voluntas creata per Dei gratiam intrinsece fulciatur, et roboretur, ut nuper allegatum Concilium statuit. Quæ ut Lec- Explicatur responsio. D. Aug. Concil. Milevit.

tor perfectius capiat, consulat quæ scripsimus *loco citato, et disp.* 1 *ejusdem tractatus, cap.* 3, § 3, *cum seq.*

Tertium argumentum.

18. Tertio arguitur : quia essentia divina potest uniri cum intellectu in ratione speciei intelligibilis : ergo etiam poterit uniri cum voluntate creata in ratione charitatis, seu principii amoris naturalis. Antecedens supponitur. Consequentia vero videtur perspicua ; tum a paritate : tum etiam, quia ideo prior unio competit essentiæ divinæ, quia est actus purus in linea intelligibili : sed etiam est actus purus in linea charitatis : ergo, etc.

Dissolvitur.

Respondetur negando consequentiam, ad cujus priorem probationem abunde satisfecimus *num.* 10, ubi præstitimus duplicem disparitatis rationem inter unionem speciei intelligibilis, et formæ naturalis. Quibus adde unionem divinæ essentiæ per modum speciei intelligibilis non impedire, quominus visio beatifica oriatur ab intellectu creato perfuso lumine gloriæ, sitque proinde formaliter, et intrinsece vitalis ; quia species intelligibilis non est ratio agendi tenens se ex parte potentiæ, sed ex parte objecti. Unio autem ejusdem essentiæ cum voluntate creata per modum charitatis, excludit ab actu hujus virtutis rationem vitalis, et voluntarii ; quia eo ipso, quod prædictus actus procederet ab Spiritu sancto sicut a principio immediate activo, non posset oriri effective a voluntate creata, ut § *præcedenti* vidimus. Quocirca etsi prior unio, scilicet per modum speciei intelligibis, conveniat essentiæ divinæ, hæc tamen posterior est ei impossibilis.

Ex quo ad secundam probationem dicendum, illam causalem probare secundum subjectam materiam, non vero ex vi formæ, et præscindendo ab omni materia ; alias etiam convinceret possibilem esse unionem essentiæ divinæ cum beatis in ratione actualis intellectionis, et amoris ; quod non potest admitti.

§ V.

Ultimum argumentum pro contraria sententia.

Quartum argumentum.

19. Ultimo argumentantur adversarii in hunc modum. Difficilior est unio cum voluntate per modum termini amoris ab ea eliciti, qui appellatur pondus, seu impulsus, et est complementum dilectionis, quam per modum principii illius : sed Spiritus sanctus unitur de facto cum voluntatibus beatorum in ratione ponderis, seu termini amoris beatifici, quo in Deum rapiuntur : ergo poterit uniri cum illis per modum principii *quo* prædicti amoris. Major, et consequentia sunt perspicuæ, quia ratio termini videtur importare dependentiam, a qua immunis est ratio principii. Minor vero suadetur primo, quia est expressa sententia aliquorum Patrum asserentium, beatos in patria amare Deum ipso amore æterno, quo ab ipso diliguntur, scilicet Spiritu sancto. De quo videri possunt D. Bernard. *de vita solit. ad fratres de Mont.*, Hugo de Sanct. Vict. *opusc. de scientia Christi*, Joan. Rusbroq. *lib. de regn. amant. Deum*, *cap.* 35, et P. N. B. Joan. a Cruce *in exposit. Canticorum*, quæ ipse edidit, *cantic.* 36 et 39. Probatur deinde eadem minor, quia essentia divina unitur de facto mentibus beatorum in ratione verbi intelligibilis : ergo etiam debet uniri cum ipsis per modum impulsus affectivi. Patet consequentia, quoniam eodem modo se habet impulsus ad voluntatem, sicut verbum ad intellectum ; nam sicut verbum est terminus intellectionis reddens illius objectum actu intellectum, ita impulsus est terminus reddens illius objectum actu amatum : quorum utrumque convenit essentiæ divinæ per seipsam, nec potest convenire per aliud, cum sit actus purus in utraque linea intellectus, et voluntatis.

D. Bern. Hugo de S. Vict. Joan. Rusb P. N. B. Joan. a Cruce.

Respon sio.

Huic argumento posset occursum iri negando majorem ; quoniam ratio formalis termini immunis est ab omni dependentia, et subordinatione, ut docent Theologi *in tract. de Incarnat.* Unde sicut Deus potest uniri mentibus beatorum in ratione Verbi, ita etiam in ratione termini, seu ponderis voluntatis. Quam doctrinam probabilem reputavimus *tract.* 6, *disput.* 6, *num.* 39. Importat autem imperfectionem ratio actus informantis, vel inhærentis, quam necessario debet includere entitas influens per modum rationis agendi, sive per modum principii activi quo in operationem elicitam a suppposito creato, ut constat ex dictis in priori ratione.

Alia solutio.

Sed respondetur secundo, et non minus probabiliter juxta dicta loco proxime citato, admissa majori negando minorem ; quia de ratione impulsus interni est quod oriatur effective a voluntate, quam trahit, et impellit ad objectum amatum ; nam prædictus

dictus impulsus est pondus, quo quis sponte fertur in rem amatam : implicat autem, ut quis ita feratur, et moveatur per impulsum sibi non spontaneum, nec voluntarium ; nam eo ipso, quod pondus impellens vim appetitivam non esset illi voluntarium, violenter potius, quam spontanee illam traheret. Unde cum repugnet Spiritum sanctum oriri effective a voluntate creata, illique uniri per modum inclinationis eidem voluntariæ, impossibile est, quod in amore beatifico uniatur cum affectibus beatorum per modum impulsus interni, hujusque exerceat officium.

Ad primam autem probationem in contrarium dicendum, longe aliam esse mentem Patrum, et Authorum, qui in argumento referuntur, ab ea quæ ibi prætenditur ; quoniam solum exprimunt, beatos in patria esse similes Trinitati, non solum ex parte convenientiæ in objecto amato, ratione cujus dicuntur esse unus spiritus cum Deo ; sed etiam in modo operandi, quatenus sicut Deus intelligit, et amat se necessario : sic illi facti deiformes per gratiam sanctificantem exercent intellectionem, et dilectionem simillimas divinis, tam in re, quam in modo fiendi. Unde ex verbis prædictorum Patrum apparentius posset inferri, beatos in patria producere verbum, quam non producere impulsum, sed habere sibi unitum Spiritum sanctum in ratione illius.

Ad secundam probationem, concesso antecedenti, negatur consequentia. Et ratio disparitatis sumitur ex ipsa conditione verbi mentalis, et impulsus interni ; verbum enim est actualis imago, media qua objectum et trahitur ad intellectum, et terminat sui cognitionem : impulsus vero est inclinatio, per quam voluntas fertur spontanee ad res, ut sunt in seipsis, et illis copulatur. Nulla autem includitur imperfectio in eo, quod aliqua res sit per seipsam intra intellectum, seclusoque omni medio terminet, et perficiat sui cognitionem ; sed in hoc potius elucet illius immaterialitas, et perfectio, quæ tanta est, ut opus non habeat speculo, quo sit intra intellectum, illumque perficiat tam per modum objecti motivi, quam terminativi. Maxima autem apparet imperfectio in eo, quod aliqua res sit inclinatio, per quam voluntas creata fertur voluntarie in objectum amatum ; quia de ratione hujus inclinationis est dependentia a prædicta voluntate. Et ea propter repugnat Deum uniri cum voluntatibus beatorum per modum ponderis ; non repugnat autem, sed potius expedit, quod uniatur mentibus illorum per modum verbi.

Præmissa responsio magis explicatur.

20. Pro cujus perfecta intelligentia nota, quod verbum mentale creatum potest considerari dupliciter : primo in ratione conceptus dicti, seu expressi ab intelligente, et hoc pacto importat habitudinem effectus ad intellectionem, ut est dictio, seu loquutio ; quoniam loqui nihil aliud est, quam proferre conceptum. Secundo, ut est imago actualissima objecti, reddens illud magis immateriale, ob idque actu intellectum, seu terminans intellectionem ; et hac ratione non est posterius, nec dependens ab intellectione, sed hæc dependet ab eo in genere causæ, ut docent N. Complut. *lib.* N.Comp. *de Anima, disp.* 21, *n.* 68. Interest et aliud discrimen inter hæc duo munia Verbi ; nam primum non quæritur propter se, sed propter secundum : ad hoc enim intellectus noster producit verbum, ut in illo sicut in imagine sibi proportionata in gradu immaterialitatis comtempletur objectum. Unde quoties res intellecta non indiget imagine qua sit intra intellectum, tam in ratione objecti motivi, quam terminativi perficientis suam cognitionem, non est necessaria productio verbi, sed cessare debet ut superflua ; sicut de facto contingit in visione clara Dei. Nam cum essentia divina sit infinitæ immaterialitatis, non indiget imagine, qua constituatur intra intellectum terminans sui cognitionem, per seipsam illam perficit, et terminat, mediaque hac terminatione supplet munus verbi mentalis, quamvis non eodem modo, sed diversimode. Nam munus imaginis reddentis objectum actu intellectum, supplet exercendo illud per seipsam, quia in exercitio hujus muneris nulla apparet imperfectio, sed perfectio propria causæ formalis extrinsecæ. Munus vero conceptus expressi ab intelligente, et dependentis ab eo, supplet impediendo productionem verbi, eamque reddendo superfluam. Cum ergo asserimus essentiam divinam uniri mentibus beatorum in ratione verbi, non est sensus, quod exerceat per seipsam officium formalissimum conceptus ab illis expressi, alias dependeret ab eis, competeretque visioni beatificæ ratio dictionis ; sed quod per seipsam perficit dictam visionem in ratione conemplationis, et hac via excludit indigentiam verbi. Non potest autem habere

se hoc modo circa amorem beatificum, supplereque proinde munus impulsus interni; quia eo ipso, quod pondus non egrediatur a voluntate, sed impediatur hujusmodi egressus, nequit illam voluntarie trahere ad rem amatam, imo neque quovis alio modo; quia voluntas non potest trahi ad aliquod objectum nisi voluntarie, cum solum amando, et volendo trahatur.

Nec obest, essentiam divinam esse per seipsam actu amatam, et purum actum in linea volendi, quominus beati producant in amore illius pondus internum, sicut non producunt verbum in visione beatifica; quia pondus non producitur ob indigentiam objecti, atque ut illi conferat præsentiam, bonitatem, aut aliam perfectionem ei deficientem ad terminandum amorem, qua de causa producimus verbum intelligendo; sed propter perfectionem dilectionis, et conditionem voluntatis, quæ nequit spontanee in aliquod objectum ferri per impulsum, qui ab ipsa non procedit. Unde pondus internum nunquam tribuit objecto voluntatis, quod sit actu amatum, eo sensu, quo verbum confert rei intelligibili, quod sit actu intellecta; quia nunquam impertitur illi bonitatem, aut aliam perfectionem, ratione cujus objectum fiat aptius ad terminandum amorem; sed eo tendit, ut prædicti objecti bonitatem assequatur, et potentiam appetitivam cum illo uniat, et connectat. Recolantur quæ diximus loco supra citato, *numero* 24.

Omittimus alia argumenta; quia vel supponunt non esse de conceptu actus charitatis egredi a potentia, in qua recipitur, sed posse habere se ad illam mere passive. Quod falsum est, neque directe contrarium præsenti assertioni. Vel conantur probare ex principiis alienis ab hac disputatione, vitalitatem intrinsecam prædicti actus non esse supernaturalem, sed naturalis ordinis. Cujus falsitatem deteximus supra, et ex dicendis disputatione sequenti amplius innotescet.

Corollarium. Ex dictis autem in hoc dubio infertur perspicue, Spiritum sanctum non posse uniri voluntati creatæ in ratione actualis amoris, quo Deum prosequimur; quia ob conceptum vitalitatis, et voluntarietatis est essentialis huic actui egressus a voluntate, quam actuat, et vivere facit in actu secundo: repugnat autem Spiritum sanctum egredi a voluntate creata, ob dependentiæ imperfectionem, quam hic egressus præsefert. Oppositum tamen docuerunt Osiander, et Brentius hæretici, ut tradit Osius Cardinalis *lib.* 1, *contra Brent.* affirmabant enim actum charitatis, quo de facto Deum prosequimur, esse essentialem, et increatum Dei amorem, ineffabili modo nobis unitum. Sed in hujus erroris favorem nulla militant argumenta, quæ ex dictis in hoc dubio facilem non habeant solutionem, ob idque ab eis proponendis abstinemus. Osiand. Brent. Osius Card.

DUBIUM II.

Utrum secundum ordinariam Dei providentiam, et potentiam actus charitatis procedere possit ab auxilio actuali, vel potius oriri debeat a gratia sanctificante, et ipsa charitate habituali?

21. Actus charitatis in præsenti supponit pro dilectione super omnia Dei authoris supernaturalis, quam dubio præcedenti ostendimus non posse procedere immediate ab Spiritu sancto sicut a principio activo. Nomine vero *auxilii actualis* non intelligimus aliquam formam extrinsecam creaturæ, neque solam illustrationem intellectus, sed qualitatem transeuntem, intrinsece receptam in voluntate, eamque moventem, et elevantem ad operandum. Providentia autem Dei ordinaria illa dicitur, quæ providet, et consulit rebus juxta modum connaturalem ipsarum. Unde cum aliqua res fit secundum modum, quo illius natura fieri postulat, pertinet ejus productio ad ordinariam Dei providentiam, et potentiam: si vero producatur aliter, quam illius naturæ congruit, non spectat illius fieri ad potentiam ordinariam Dei, sed est opus extraordinariæ, quæ non attendit in suis operibus quid magis congruat naturis rerum, de quibus disponit, sed absolvitur ab hoc respectu, solumque attendit divinæ virtutis efficaciam; ob idque *absoluta* nominatur. Ex quibus manifesti sunt termini appositi in titulo præsentis quæstionis, et in quo consistat difficultas in illa examinanda. Cujus decisio satis constat ex dictis *tract.* 15, *disput.* 2, *dub.* 6, § 4, *et disp.* 3, *dub.* 3, quam proinde breviter hic proponemus ob solam connexionem doctrinæ, colligentes quæ illis locis fusius exaravimus.

§ I.

§ I.

Vera sententia ratione fulcitur.

22. Dicendum ergo est, quod secundum ordinariam Dei providentiam, et potentiam non potest actus charitatis procedere effective ab auxilio supernaturali actuali tantum; sed opus est ut oriatur a gratia sanctificante, et virtute ipsa charitatis. Hæc assertio colligitur ex Divo Gregorio *homil.* 30, *in Evang.* ubi sic ait: *Qui mente integra desiderat, profecto jam habet quem amat, quia non posset Deum diligere, si eum quem diligit, non haberet.* Constat enim Deum non haberi a nobis nisi per gratiam sanctificantem; sicut etiam animum elicientem actum charitatis, de quo in præsenti, mente integra Deum desiderare, cum ex vi prædicti actus convertatur ad ipsum sicut ad finem ultimum. Idem tradit D. August. *tract.* 74, *in Joan.* his verbis: *Quomodo diligimus, ut Spiritum sanctum accipiamus, quem nisi habeamus, diligere non valemus?* Subscribit Div. Thomas 1, *part. quæst.* 62, *artic.* 2 *ad* 3, *et* 1, 2, *quæst.* 110, *et quæst.* 112, *art.* 21, *et quæst.* 113, *art.* 8, *in* 4, *distinct.* 17, *quæst.* 1, *artic.* 4, *quæstiunc.* 1, et pluribus aliis in locis in hoc dubio adducendis. Idem sequuntur omnes Authores relati *tract.* 15, *disput.* 3, *dub.* 4, § 1, qui asserunt actus charitatis, et contritionis, quibus adultus disponitur ultimo ad justificationem, procedere effective a gratia sanctificante.

Probatur conclusio ratione: nam operatio præcipua, et maxime propria alicujus naturæ, non potest attenta suavi, et communi Dei providentia procedere effective ab alio principio, quam ab ipsa natura, et virtute operativa illius: sed amor super omnia Dei ut objecti beatifici, et finis omnino ultimi, est operatio præcipua, et maxime propria naturæ divinæ, quæ in nobis est gratia sanctificans: ergo nequit secundum ordinariam Dei providentiam oriri effective a solo auxilio actuali, sed necesse est ut procedat in nobis ab ipsa gratia sanctificante media charitate, quæ est virtus operativa illius in ordine ad producendum amorem ultimi finis. Minor, et consequentia non indigent probatione. Major vero suadetur: tum quia operatio maxime propria alicujus naturæ illa dicitur, cujus productio convenit omni, et soli tali naturæ; nam proprium est, quod convenit omnia, et soli: eo ipso autem quodproductio alicujus operationis conveniat omni, et soli alicui naturæ, non potest secundum ordinariam Dei providentiam, quæ jura rerum observat, ab alio principio effici. Tum deinde, nam quia movere a se est operatio maxime propria animæ, per quam ipsa discernitur a non viventibus, produci nequit absque influxu prædictæ animæ, et virtutis operativæ illius. Id quod etiam contingit in operationibus propriissimis aliarum naturarum, ut constabit discurrenti per singulas. Tum denique, quia ad producendum actum perfectissimum alicujus naturæ, necessarium est ex natura rei, communique, ac suavi Creatoris providentia perfectissimum principium operativum, quod intra terminos prædictæ naturæ invenitur: constat autem perfectissimum principium operativum, quod intra terminos alicujus naturæ invenitur, esse ipsam naturam, et virtutem operativam in illa radicatam; unde absque influxu hujus naturæ, et virtutis operativæ, non potest prædictus actus ex communi lege fieri.

Confirmatio.

23. Confirmatur hæc ratio animadvertendo prius, quod amor Dei ut finis ultimi, et entis in seipso summe perfecti, est inclinatio propria, et connaturalis naturæ divinæ, quæ in nobis habetur per gratiam. nam amor ex suo genere est inclinatio propria illius naturæ, in cujus connaturale bonum tendit; quia per modum ponderis conjungit prædictam naturam cum illo, juxta tritam illam sententiam D. August. amor meus, pondus meum, eo feror, quocumque feror: constat autem Deum ut finem ultimum, et ens summe perfectum in seipso, esse bonum proprium, et connaturale naturæ divinæ. Unde amor super omnia hujus boni solum potest esse inclinatio propria prædictæ naturæ, illique connaturalis.

D. Aug.

Secundo nota, quod inclinatio propria, et naturalis alicujus naturæ præsupponit necessario illam ut principium, in quo radicatur, et fundatur. Tum quia inclinatio ordinatur, ad perficiendam naturam, cujus est propria, conjungendo eam cum bono, seu fine connaturali illius: non potest autem inclinatio conjungere naturam cum proprio illius bono, eamque hoc pacto perficere, nisi præsupponat ipsam, ut ex se liquet. Tum etiam, quia cuilibet inclinationi præfigitur terminus, in quem debet tendere, a natura ad quam consequitur, et in qua ra-

dicatur : unde hac consequutione, et radicatione seclusis, non suppetit ratio, ob quam debeat tendere in hunc terminum potius, quam in alium, spectetque proinde ad communem Dei providentiam, quæ consulit rebus juxta illarum exigentiam, et naturam.

Ad hæc, vix est intelligibile, quod detur a parte rei gravitatio in aliquo subjecto, in quo neque sit substantia gravis, neque illius gravitas, ut consideranti patebit : hujus autem non potest assignari congruentior ratio, nisi quia gravitatio est propria, et connaturalis inclinatio gravis, ad illius perfectionem ordinata : ergo de ratione inclinationis propriæ, et connaturalis alicujus naturæ est, quod illam præsupponat sicut principium, in quo radicatur, et fundatur ; neque potest oppositum intra terminos communis Dei providentiæ, et citra miraculum contingere.

Ex his confirmatur ratio facta in hunc modum : inclinatio propria et connaturalis alicujus naturæ supponit illam necessario sicut principium, a quo oritur, et in quo radicatur, ob idque non potest ex communi lege absque illius influxu produci : sed amor Dei ut finis ultimi supernaturalis, et summi boni in seipso, est inclinatio propria, et connaturalis naturæ divinæ, quam justi participant per gratiam sanctificantem : ergo præsupponit in illis necessario hujusmodi gratiam sicut principium, a quo effective procedit, et in quo radicatur ; neque potest consequenter ex vi solius auxilii actualis effici. Recolantur quæ diximus *tract.* 8, *disp.* 4, *dub.* 3, § 4.

Duplex evasio.

24. Respondebis forsan huic rationi negando majorem, cujus falsitas ex eo videtur colligi, quod generatio viventis est operatio præcipua, et maxime propria animæ vegeN.Comp. tativæ perfectæ, ut ostendunt N. Complut. *disp.* 8, *de Anima*, *quæst.* 1, et tamen non egreditur ab ipsa anima, neque a potentia generativa illius ; sed a semine, quod neque informatur anima, nec operatur virtute propria, sed per motionem derivatam a vivente, a quo deciditur, et in virtute illius, D. Tho. ut docet D. Thom. 1 *part. quæst.* 118, *art.* 1. Id quod etiam constat aperte in generatione ignis, quæ cum sit operatio propria hujus elementi, sæpe tamen elicitur a sole, et sic de aliis actionibus.

Confirmationi potest etiam responderi, inclinationem propriam, et connaturalem alicujus naturæ, præsupponere illam necessario sicut subjectum, in quo recipitur, non vero sicut principium, a quo effective egreditur, ut apparet in motu gravitationis, qui non præsupponit naturam gravis, quam inclinat ad centrum, ut principium, a quo effective procedit ; cum hoc pacto causetur a generante ; sed solum ut subjectum, cui inhæret. Ex eo autem, quod inclinatio propria alicujus naturæ, v. g. amor Dei super omnia, qui est inclinatio naturæ participative divinæ, scilicet gratiæ, præsupponat illam ut subjectum, cui connaturaliter inest, non prohibetur, quin procedere possit effective ab auxilio actuali ; quia pro his componendis sufficit, quod prædictus amor sit prior gratia sanctificante in genere causæ efficientis, et posterior insimul in genere causæ materialis : quod nemo negare debet, cum hujusmodi prioritas, et posterioritas in aliis rebus passim inveniantur.

Effugium rationi nostræ occurrens præcluditur.

Cæterum nulla ex his solutionibus alicujus momenti est. Et ad impugnationem prioris adhibitæ rationi fundamentali, sufficiunt quæ ad probationem illius adduximus, ut ea recolenti constabit. Instantia vero desumpta ex generatione viventis, falso nititur fundamento, quoniam etsi generatio viventis eliciatur a semine, non tamen sicut a causa principali, sed sicut ab instrumento generantis, a quo deciditur ; hujus quippe anima est virtus principalis effectiva prædictæ actionis : ob idque semper salvatur, operationem propriam alicujus naturæ non posse produci absque influxu illius, ut in nostra ratione prætendimus.

Ad secundam instantiam dicendum est, solem continere eminenter formam ignis, et ideo licet hujus generatio causetur interdum a sole, semper verificatur actionem propriam alicujus naturæ fieri ubique ex influxu illius, neque posse alia via produci ; quoniam generatio ignis est actio propria naturæ formaliter, vel eminenter ignitæ. Qua ratione cum divina omnipotentia contineat eminenter virtutem, et naturam cujuslibet causæ creatæ, potest per se efficere quamlibet actionem propriam creaturæ, dummodo prædicta actio non sit vitalis, ut in præsenti contingit.

Objectio.

25. Nec refert si objicias, sequi ex his, non posse voluntatem creatam diligere super omnia Deum ut authorem supernaturalem, absque speciali influxu naturæ per essentiam, vel participative divinæ ; haud tamen

tamen necessarium esse ad id concursum naturæ per participationem divinæ, qualis est gratia sanctificans. Nam cum amor Dei ut authoris supernaturalis sit maxime connaturalis essentiæ divinæ increatæ, in illaque contineatur formaliter, aut eminenter gratia sanctificans, sufficit quod voluntas creata moveatur a Deo per auxilium actuale ad hoc, ut in virtute illius, adeoque per modum instrumenti eliciat prædictum actum, eo modo quo semen animalis elevatum per motionem ab anima generantis, a quo deciditur, producit in virtute illius aliud vivens.

tur. Respondetur enim negando sequelam. Tum quia licet dilectio increata Dei, ut summi boni in seipso, sit maxime connaturalis naturæ per essentiam divinæ, illa tamen quæ est entitative creata, et finita, maxime connaturalis est, et propria naturæ divinæ per participationem, qualis est gratia sanctificans, ob idque petit ab illa fieri. Tum præsertim, quia dilectio creata Dei ut summi boni in seipso, est actio vitalis, et voluntaria supposito creato, a quo elicitur, hocque per illam vivit in actu secundo, et movet seipsum : suppositum autem productivum actionis vitalis, per quam movet seipsum, non potest influere in illam pure instrumentaliter, et in virtute alterius ; sed debet esse, absolute loquendo, causa principalis illius. Quia in hoc differunt viventia a non viventibus, quod licet non viventia moveant alia, et moveantur ab aliis ; nunquam tamen influunt ut causæ principales in operationes, quibus ipsa moventur, sed hoc est proprium viventium ; cum enim vivere sit moveri a se, primus gradus vitæ consistit in eo, quod viventia influunt in operationes, quibus moventur, non præcise per modum instrumenti, sed ut causæ principales, ac proinde per virtutem permanentem, et completam, in illis intrin-
p. sece existentem, ut docent N. Complut. *disput.* 4 *de Anima, num.* 30, et explicuimus *tract.* 8, *disp.* 2, *num.* 92. Unde licet generatio viventis sumpta pro actione, quæ introducit formam vivam in materia, possit elici a semine, quod est expers vitæ, sicut ipsa actio ab eo elicita ; generatio tamen viventis sumpta pro actione, qua vivens ex propria substantia format semen, non potest elici a subjecto inanimi ; quia est actio vitalis, qua generans movet seipsum, ut
. docet D. Th. 4, *contra gent. c.* 11, et ex illo
p. Complut. *disp.* 8 *de Anima, quæst.* 1, § 2.

Dices, opus non esse, ut homo eliciens actum supernaturalis dilectionis Dei ex vi motionis transeuntis, efficiat eum instrumentaliter, sed posse eum efficere per modum causæ principalis. Tum quia non repugnat auxilium actuale esse æqualis perfectionis cum actu charitatis ; quo dato poterit esse causa principalis illius. Tum etiam quia homo est causa principalis actus justitiæ naturalis, quem elicit ante acquisitionem hujus virtutis ; et tamen in illo eventu solum influit in illum per motionem transeuntem derivatam a potentia superiori, ut diximus *tract.* 8, *disp.* 1, *dub.* 3, ergo, etc. Replica.

Respondetur negando antecedens, ad cujus priorem probationem dicendum est, auxilium Dei actuale non posse adæquare perfectionem actus charitatis, in quem influit, cum hic sit finis illius, et ens completum in suo genere ; prædictum vero auxilium sit ens incompletum, et viale, quod reducitur ad speciem charitatis, sicut ens imperfectum ad perfectum. Ad secundam vero respondetur, hominem esse causam principalem actus justitiæ naturalis, quem elicit ante acquisitionem virtutis : quia non influit in illum per motionem præcise transeuntem, sed magis per naturam rationalem, in qua prædictus actus radicatur, et cujus est inclinatio ; hujusmodi quippe natura est, quæ utitur motione transeunte ad roborandam potentiam elicitivam actus honesti, quem efficit ante acquisitionem virtutis. Quod non contingit in præsenti, ubi supponimus gratiam sanctificantem non præexistere in supposito creato ; nam si hujusmodi gratia in illo præexistat, influatque una cum auxilio actuali in actum charitatis, procedet hic ab homine sicut a causa principali ; illa vero seclusa, non poterit id habere, imo neque dari poterit auxilium, quod moveat hominem ad eliciendam divini amoris ; sicut non potest dari motio potentiæ superioris in inferiorem, seclusa natura rationali, in qua radicatur, et quæ per illas operatur. Solvitur.

26. Evasio adhibita confirmationi exploditur etiam facile; quia licet inclinatio innata, qualis est motus gravium, non præsupponat in suo subjecto naturam, cujus est propria, ut principium a quo effective causatur ; secus autem inclinatio elicita, et vitalis, cujusmodi est actus charitatis. Ratio autem discriminis est, quia inclinatio innata est veluti passio naturæ, cujus est Confutatur responsio confirmationi adhibita.

propria, illique debetur in primo instanti sui esse ; et ideo debet effective causari a generante prædictam naturam, quia qui dat formam, dat consequentia ad illam, debita præsertim, in primo ejus instanti. Inclinatio vero elicita, et vitalis, vel non est passio naturæ, cujus est propria, sed operatio, quam ipsa exercet omnino voluntarie ; vel casu quo aliqua ratione illi debeatur, non tamen ob id fieri petit a solo generante prædictæ naturæ, sicut a causa particulari; sed etiam, et maxime a subjecto, in quo recipitur, quia hoc est proprium actionis vitalis. Et ideo præsupponit necessario in subjecto naturam, cujus est propria, ut principium a quo effective causatur.

Adde primo, quod etiam inclinatio innata præsupponit in suo subjecto naturam, cujus est propria, non solum ut causam materialem receptivam, sed magis ut formalem imponentem necessitatem, et determinationem agenti ad sui productionem ; imo ut causam effectivam, a qua per resultantiam egreditur. Natura quippe gravis est prior in genere causæ efficientis motu gravitationis, quo tendit ad centrum ; quia causa productiva gravis non attingit gravitatem, nisi mediis gravitate radicali et formali, sicut principio, a quo ille motus per resultantiam dimanat. Quod ad veritatem nostræ conclusionis, et tuendum robur confirmationis, quam pro illa construximus, satis foret ; quoniam semper salvatur, non posse actum charitatis creatæ produci absque influxu effectivo gratiæ sanctificantis ; siquidem omnis inclinatio, tam innata, quam elicita, dependet in genere causæ efficientis a natura, cujus est propria, ut constat ex dictis.

Adde secundo, actum charitatis, si semel eliceretur a voluntate creata ex vi solius auxilii actualis, non fore posteriorem gratia sanctificante in genere causæ materialis receptivæ, sicut debet esse omnis inclinatio propria alicujus naturæ ; quoniam in eo eventu non reciperetur in voluntate media gratia, et charitate, sicut ratione recipiendi ; sed media præcise potentia obedientiali inhæreret prædictæ voluntati, illamque hoc pacto disponeret ad receptionem gratiæ, et charitatis, ut astruunt Adversarii. Unde non potest illi commode applicari doctrina solutionis adhibitæ nostræ confirmationi, quæ proinde manet in suo robore.

§ II.

Alia ratio pro assertione.

27. Deinde suadetur nostra conclusio alia ratione desumpta ex D. Thom. 1, 2, *quæst.* 113, *art.* 8, expensa tamen sub hac forma. De facto nullus est actus charitatis creatæ, qui non producatur effective a gratia sanctificante media charitate : ergo secundum potentiam Dei ordinariam non potest produci a creatura ex vi solius auxilii actualis, sed necessarius est ad illius productionem concursus effectivus gratiæ justificantis. Consequentia patet, quia ex vi providentiæ communis, et ordinariæ, sic unumquodque agitur, sicut natum est agi, ut dicitur 2 *Phys. text.* 78 ; quare si de facto actus charitatis producitur ubique per influxum gratiæ sanctificantis, manifeste convincitur, esse illi connaturaliter debitum hunc modum productionis, adeoque non posse citra miraculum alia via produci. Antecedens vero suadetur, quia si in aliquo casu creatura eliceret actum charitatis ex vi solius auxilii actualis, maxime quando extra Sacramentum consequitur gratiam sanctificantem per proprium actum, quo se disponit ad illam : sed actus charitatis, quem elicit creatura rationalis in casu posito, seque ultimo disponit ad gratiam sanctificantem, procedit effective ab illa : ergo, etc. Minor quæ sola indiget probatione, est Angel. Doctoris 1, 2, *quæst.* 112, *art.* 2 *ad* 1, *et quæst.* 113, *art.* 8, *in corp.* ubi sic habet : « Respondeo dicendum, « quod prædicta quatuor, quæ requiruntur « ad justificationem impii, tempore quidem sunt simul, sed ordine naturæ « unum eorum est prius altero, et inter ea « naturali ordine primum est gratiæ infusio, secundum motus liberi arbitrii in « Deum, tertium est motus liberi arbitrii « in peccatum, quartum vero est remissio « culpæ. » Idem tradit *in* 4, *distinct.* 1, *quæst.* 1, *art.* 4, *quæstiunc.* 2, *et de Verit. quæst.* 28, *art.* 3 *ad* 20, *et art.* 8, aliisque in locis, quæ late expendimus *tract.* 15, *disput.* 3, *dub.* 3, *per totum.*

Secundum assertionis fundamentum. D. Tho.

2 Phys. text. 78.

D. Tho.

Confirmatio prima.

Confirmatur deinde ratione primo : quia in naturalibus dispositio omnino ultima ad formam substantialem procedit effective ab illa, ut docet D. Thom. locis nuper citatis, et ex illo nostri Compl. *de generat. disput.* 2, *quæst.* 8. Sed actus charitatis, per quem rationalis creatura convertitur ad Deum

Tho. Com-ut. Deum in instanti, in quo extra Sacramentum suscipit gratiam sanctificantem, est ultima dispositio ad illam, ut omnes concedunt : ergo procedit ab ea effective. Patet consequentia, quia non est ratio, ob quam aliter philosophandum sit de ultimis dispositionibus ad gratiam sanctificantem, quam de dispositionibus ad formam naturalem ; cum gratia sit quædam natura in ordine supernaturali, ut expendimus loco citato, *dub.* 4.

con-a. Confirmatur secundo : nam quilibet actus meritorius ex condigno vitæ æternæ procedit effective a gratia sanctificante, quia sine condignitate gratiæ nullus actus creaturæ potest esse meritorius vitæ æternæ, Tho. ut probat D. Thom. 1, 2, *quæst.* 114, *art.* 2; gratia autem non potest dignificare actum, quem effective non producit : sed actus charitatis, quem elicit homo in instanti justificationis, ut se ultimo disponat ad illam, est meritorius de condigno vitæ æternæ in primo instanti sui esse, ut tradit D. Thom. 1, 2, *quæst.* 112, *art.* 2 *ad* 1. et admittunt fere omnes Adversarii : ergo procedit effective a gratia sanctificante. Recolantur dicta loco citato, § 2.

rtia. Confirmatur tertio : nam eadem indivisibili actione, qua Deus infundit homini gratiam sanctificantem, efficit per modum causæ primæ actus charitatis, et contritionis, quibus ille disponitur ultimo ad justi-Tho. ficationem, ut docet D. Thom. 1, 2, *quæst.* 113, *art.* 8 *ad* 2; sed unius actionis unicus est terminus primarius : ergo vel terminus primarius prædictæ actionis est gratia sanctificans, et secundarius ab ea effective proveniens actus charitatis, et contritionis ; vel e contra hi actus sunt terminus primarius, et gratia secundarius : sed hoc ultimum non potest dici, cum homo non sit causa efficiens gratiæ sanctificantis, quam extra Sacramentum suscipit : ergo dicendum est primum.

arta. Confirmatur quarto : nam si propter aliquam rationem actus charitatis coexistens justificationi non procederet effective a gratia sanctificante, maxime quia est realis, et voluntaria dispositio ad illam : sed hæc ratio est nulla, quia Christus Dominus disposuit se ad receptionem gratiæ habitualis per actum charitatis ab ea elicitum : ergo, etc. Probatur minor. Tum quia Christus Dominus disposuit se ad gratiam per actum amoris beatifici ; constat autem hujusmodi actum esse opus gratiæ consummatæ. Tum etiam, nam si actus charitatis, quo Christus Dominus se disposuit ad gratiam sanctificantem, non provenisset effective ab illa, meruisset eam de facto Christus Dominus ; quoniam etiam pro illo priori, in quo prædictus actus antecedit gratiam justificantem, intelligitur oriri a persona Christi Domini grata Deo, et sanctificata sanctitate personali, et substantiali, quod sufficit ad meritum : sed Christus Dominus non meruit de facto propriam gratiam habitualem : ergo actus, quo se disposuit ad illam, fuit ejus effectus in genere causæ efficientis, ut fusius ostendimus loco citato, § 3.

Ad hæc : actus contritionis, quem elicit Ultima. creatura instanti justificationis, procedit effective ab habitu pœnitentiæ, qui est passio gratiæ sanctificantis : ergo etiam amor Dei super omnia, quem exercet in prædicto instanti, procedit effective immediate ab habitu charitatis, et radicaliter a gratia sanctificante. Consequentia patet, tum a paritate, tum etiam quia actus elicitus a pœnitentia procedit imperative ab habitu charitatis, ut docet D. Thom. 3 *part. quæst.* D. Tho. 85, *art.* 2 *ad* 1. Antecedens vero est ejusdem Sancti Doctoris ibidem *ad* 3, ubi asserit, virtutem pœnitentiæ expellere effective omnia peccata, in quantum elicit effective actum contritionis, quo detestamur peccata, homoque disponitur ad gratiam. Nec potest alia via ita salvari, quod virtus pœnitentiæ expellat effective omnia peccata, ut intuenti constabit.

§ III.

Refertur sententia contraria cum suis argumentis.

28. Pro contraria sententia referri de- Opinio adversa. bent omnes authores, quod dedimus loco citato, et asserunt actus charitatis, et contritionis, quibus homo disponitur ultimo ad consequendam gratiam sanctificantem extra sacramentum, non procedere effective ab illa, sed ab alio auxilio actuali Dei vacantis. Et licet eorum argumentis tam ab authoritate, quam a ratione desumptis satisfacere curaverimus loco citato ; placet tamen illa hic breviter referre, et solvere, ut si aliquid de novo occurrat, responsioni alibi datæ possimus adjicere.

Probatur ergo primo hæc sententia ; nam Primum argu-justificatio impii, quæ de facto contingit mentum. extra sacramentum, fit juxta suavem, et

communem Dei providentiam : sed actus charitatis, quibus tunc homo disponitur ultimo ad consequendam gratiam justificationis, non procedit effective ab illa, sed ab actuali auxilio Dei vocantis : ergo secundum potentiam Dei ordinariam potest actus charitatis procedere effective ab alio principio, quam a gratia sanctificante. Major, et consequentia constant. Ad probationem vero minoris multa congerunt Adversarii, cum ab authoritate, tum a ratione. Ab authoritate ergo probatur primo illa minor ex Concil. Trident. *sess* 6 *de justific. cap.* 5, ubi diffinitur actum dilectionis, quo impius convertitur in Deum, et disponit se ultimo ad consequendam gratiam sanctificantem, esse effectum gratiæ excitantis et prævenientis, quam perspicuum est esse aliam a gratia sanctificante.

Concil. Trid.

Confirmatur primo : nam postquam Concil. *cap.* 6, *citatæ sessionis*, descripsit modum præparationis necessariæ ad justificationem, ibique docuit actus inclusos in hac præparatione procedere efficienter a gratia excitante, et adjuvante, statim *cap.* 7 *sequenti*, subdit quod *hanc dispositionem, seu præparationem justificatio ipsa consequitur, quæ non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio, et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ, et donorum.* Ergo ex mente Concilii actus disponentes ultimo ad justificationem, non procedunt effective a gratia sanctificante, sed a gratia excitante, et auxiliis, quam distinguit a præcedenti textus ipse Concilii.

Confirmatur primo.

Trident.

Secundo. Confirmatur secundo : nam *eodem cap.* 7, docet sacra Synodus, gratiam sanctificantem infundi nobis secundum propriam cujusque dispositionem, et cooperationem : ergo hæc dispositio, et cooperatio non procedit effective a gratia sanctificante, sed ab auxilio actuali. Patet consequentia, quia alias non infunderetur nobis gratia juxta mensuram propriæ dispositionis, sed potius hæc dispositio consequeretur suam quantitatem intensivam, juxta mensuram gratiæ, a quo oriri ponitur.

Tertio. Confirmatur tertio : nam finis est posterior in genere causæ efficientis executivæ iis, quæ sunt ad finem : sed gratia justificans est finis actus charitatis, et contritionis, quibus ultimo disponitur ad illam, ut colligitur ex Trid. *can.* 3 *et* 4. Ergo est posterior in genere causæ efficientis prædictis actibus : ipsi igitur non procedunt effective a gratia sanctificante, sed ab auxilio actuali Spiritus sancti inspirantis, et adjuvantis hominem ad diligendum, et pœnitendum, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur.

Trident.

Quarto. Confirmatur quarto. Actus contritionis disponens ultimo ad justificationem, non procedit effective a gratia habituali : ergo neque actus charitatis. Consequentia patet. Antecedens vero suadetur, quia prædictus actus contritionis impetrat veniam, et remissionem peccatorum, ut docent Trident. *sess.* 14, *cap.* 4 : non posset autem illam impetrare, si procederet effective a gratia sanctificante : tum quia in eo eventu jam supponeret peccatorum veniam consequutam. Tum etiam, quia impetratio affinis est, et similis merito de congruo : actus autem procedens effective a gratia justificante nec de congruo mereri potest veniam peccatorum, quæ per illius infusionem expelluntur, et remittuntur, ut docet sanior, et communior pars Theologorum.

Concil. Trid.

29. Ex D. Thom. nonnullæ authoritates adducuntur, in quibus videtur huic sententiæ suffragari. Prima desumitur *ex* 1 *part.* *quæst.* 62, *artic.* 2 *ad* 3 *et* 1, 2, *quæst.* 109, *artic.* 6, ubi asserit opus non esse gratia habituali, sed auxilio dumtaxat Dei moventis ad hoc, ut voluntas creata eliciat conversionem ad Deum, per quam præparatur ad susceptionem gratiæ justificantis.

Fulcitur ex D. Tho. D. Tho.

Deinde 1, 2, *quæst.* 112, *artic.* 2 *in corp.* expresse asserit, quamcunque præparationem ad gratiam, quæ potest esse in homine, provenire effective ab auxilio Dei moventis animam ad bonum : *Et secundum hoc* (subdit) *ipse bonus motus liberi arbitrii, quo quis præparatur ad donum gratiæ suscipiendum, est actus liberi arbitrii moti a Deo.* Constat autem inter præparationes necessarias ad susceptionem gratiæ habitualis contineri actum charitatis, qui est proxima dispositio ad illam.

D. Tho.

Præterea 3 *part.* *quæst.* 89, *art.* 1 *ad* 2, expresse docet, contritionem quæ est ultima dispositio ad gratiam consequendam, non procedere ex gratia, et virtute pœnitentiæ, sed ab auxilio actuali, hincque differre ab aliis actibus hujus virtutis, qui justificationem consequuntur : constat autem, eandem esse rationem de amore Dei super omnia, qui est ultima dispositio ad gratiam, ac de actu contritionis.

D. Tho.

Ultima denique authoritas habetur *quæst.* 28, *de Verit. art.* 8, ubi relata sententia asserente gratiam habitualem præcedere contritionem

D. Tho.

contritionem in genere causæ efficientis (quæ est opinio a nobis statuta), illam rejicit et impugnat Sanctus Doctor his verbis : « Sed hoc non potest esse. Nam quod causat aliquid per operationem, causat per modum causæ efficientis. Gratia igitur si per actum contritionis, et fidei formatæ remissionem culpæ causat, causabit eam per modum causæ efficientis, quod esse non potest ; nam causa effective destruens aliquid, prius ponitur in esse, quam hoc, quod destruit sit in non esse ; non enim ageret ad ejus destructionem, quod jam non est. Unde etiam sequeretur, quod gratia prius esset in anima, quam culpa esset remissa, quod est impossibile. Unde patet, quod gratia non per aliquam operationem est causa remissionis culpæ, sed per informationem subjecti, quæ importatur per gratiæ infusionem, et culpæ remissionem ; et ideo inter gratiæ infusionem, et culpæ remissionem nihil cadit medium. » In quibus verbis (inquit Mag. Joan. a S. Thoma) continetur invictum argumentum contra nostram assertionem. Nam si contritio, quæ deservit ad destructionem peccati, procedit efficienter a gratia habituali, jam hæc per aliquam operationem a se elicitam causat remissionem culpæ, quæ est propositio expresse negata a D. Thom. in testimonio allegato.

Mag. Joan. a S. Tho.

Occurritur argumento.

30. Hæc tamen non tanti roboris sunt, quanti prædicant Adversarii ; quin et facile expediuntur. Ad argumentum quippe negatur minor, ad cujus priorem probationem respondetur, nullum esse verbum in toto illo capite 5, ex quo desumi possit argumentum contra nostram assertionem ; quoniam ibi Concilium solum docet exordium nostræ justificationis desumi a præveniente, et excitante gratia Dei : stat autem exordium nostræ justificationis sumi ab Spiritus sancti illuminatione excitante, et præveniente animam per gratiam actualis auxilii ; et tamen ad ultimam illius dispositionem necessarium esse insuper donum gratiæ habitualis, quia opus nostræ justificationis non inchoatur ab ultima dispositione ad gratiam sanctificantem, sed a primis, et remotis, quales sunt actus fidei, spei, et attritionis ; ab his enim, sive potius illorum principio, non vero ab actu charitatis opus nostræ justificationis initiatur.

Diluitur prima confirmatio.

Ad primam confirmationem dicendum, Concilium in illo capite 6, solum describere actus necessario inclusos in ultima dispositione ad justificationem, quæ fit intra Sacramentum, ut constat tum ex eo, quod solum requirit illum dolorem de peccatis, quem oportet assumere ante Baptismum, ut illius lavacro consequatur adultus justificationis gratiam : constat namque, prædictum dolorem non esse contritionis perfectæ, qui non præsupponit actum charitatis. Tum etiam, quia actus dilectionis Dei, quem ibi designat, non est proprius charitatis, sed spei ; quoniam ad hanc virtutem spectat, quod Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiamus, ut constat ex D. Thom. 1, 2, *quæst.* 62, *artic.* 4, et docuimus supra *disp.* 1, *dub.* 2, *num.* 27. Tum denique, quia inter causas justificationis, cujus præparationem describit Concilium *prædicto cap.* 6, numerat *cap. sequenti* Sacramentum Baptismi. Actus autem quibus adultus disponitur ultimo ad susceptionem gratiæ intra Sacramentum, opus non est, quod procedant effective ab ipsa, et habitu charitatis ; sed sufficit quod oriantur ab actuali auxilio Dei moventis, quia non sunt actus perfecti doloris, et affectus, sed imperfecti.

D. Tho.

Satisfit secundo.

Ex quo ad secundam confirmationem respondetur, dispositionem, et cooperationem, juxta cujus mensuram asserit Concilium conferri nobis gratiam sanctificantem, non esse actus charitatis, et contritionis perfectæ, quibus disponimur ultimo ad consequutionem prædictæ gratiæ extra Sacramentum receptæ ; sed actus fidei, spei, et attritionis, ex quibus integratur proxima dispositio ad justificationem, quæ intra Sacramentum obtinetur ; de hac quippe loquitur Concilium tota illa sessione 6.

Concil. Trid.

Quod si extendas hoc argumentum ad casum nostræ quæstionis : respondetur optime compati, Spiritum sanctum conferre nobis gratiam sanctificantem juxta mensuram actus charitatis ab illa provenientis, et simul hunc actum consequi suam intensionem juxta mensuram gratiæ sanctificantis ab Spiritu sancto infusæ ; quia pro his componendis sufficit, quod prædictus actus sit prior gratia sanctificante in genere causæ materialis dispositivæ, et posterior in genere causæ efficientis, et finalis ; quippe ob rationem hujus mutuæ prioritatis, et posterioritatis verum est ignem introduci in quantitate palmari ligni, quia est in illa calor ut octo ; et esse in illa calorem ut octo, quia in tota ejus longitudine introductus est ignis.

Occurritur tertiæ. 31. Ad tertiam confirmationem dicendum ea, quæ sunt ad finem, esse in duplici differentia. Alia nimirum quæ habent rationem medii, influentis effective in productionem illius, quo pacto se habet sumptio potionis amaræ ad sanitatem; et hæc præcedunt in genere causæ efficientis exequutivæ consequutionem, et existentiam finis; alia vero ordinantur ad finem, sicut ultima dispositio ad illum, qua ratione ordinatur calor ut octo ad formam ignis; et hæc non præcedunt in genere causæ efficientis finem, ad quem ordinantur, sed potius subsequuntur, ut constat in exemplo adducto, et in passionibus animæ. Unde quia actus charitatis ordinatur hoc posteriori modo ad gratiam sanctificantem, non debet præcedere ejus existentiam in genere causæ efficientis, sed potius subsequi.

Diruitur quarta. Ad ultimam confirmationem respondetur negando antecedens. Ad cujus probationem dicendum est, quod Concilium in illo textu loquitur de contritione in communi, quatenus præscindit a perfecta et imperfecta; et hac ratione quovis tempore necessaria fuit ad consequendam veniam peccatorum, quæ consequutio ibi intelligitur nomine *impetrationis*; non enim usurpavit Concilium hanc vocem omnino stricte, quo pacto est propria orationis; sed paulo latius, prout est idem, ac realis consequutio rei desideratæ, in qua etiam acceptione passim usurpatur ab aliis.

Præterquam quod Concilium non asserit, contritionem impetrare veniam peccatorum, sed fuisse quovis tempore necessariam ad prædictam veniam impetrandam. Quod longe diversum est, et haud nobis officiens; nam ad hoc, ut actus contritionis necessarius sit ad impetrandam veniam peccatorum, sufficit quod oratio, cujus muneris est impetrare, non assequatur gratiam remissivam offensæ independenter ab illo, sed dependenter a prædicto actu, sicut a dispositione ipsius gratiæ justificantis, quæ est nostra, et verior opinio. Recolantur quæ diximus *tract. citato, disp.* 3, *dub.* 4, § 4, ubi eadem Concilii testimonia magis explicuimus.

Explicantur testimonia D. Tho. 32. Ad authoritates autem adductas ex D. Thoma, et plures alias, satis superque constat ex dictis *tractatu citato, disput.* 3, *dub.* 3, *per totum*, ubi ex professo ostendimus, quod nostra fuerit D. Thomæ sententia. Modo vero facilis est solutio; nam prima authoritas potius est pro nobis, quia ad eliciendam conversionem in Deum meritoriam beatitudinis, necessaria est gratia habitualis, ut ibi expresse docet Sanctus Doctor: amor autem Dei super omnia disponens ultimo ad gratiam, meritorius est æternæ beatitudinis, ut ipsi concedunt Adversarii, atque ita ad illius productionem necessaria erit gratia habitualis. Cum autem Magister Angelicus asserit non esse necessariam gratiam justificantem ad eliciendam conversionem in Deum, per quam aliquis præparat se ad illam, non loquitur de præparatione ultima ad gratiam, quæ recipitur extra Sacramentum, sed de remota. Quoniam conversio, seu præparatio, de qua procedit assertum D. Thomæ, non est meritoria beatitudinis, ut constat ex ipsa littera: præparatio autem ad gratiam, quæ non est meritoria beatitudinis, non disponit proxime ad receptionem illius, sed remote tantum et in tempore antecedenti ad instans intrinsecum justificationis, ut perspicue tradit ipse D. Thom. 1, 2, *quæst.* 112, *art.* 2 *ad* 1, his verbis: « Ad primum « dicendum, quod præparatio est quidem « meritoria, sed non gratiæ, quæ jam ha- « betur; sed gloriæ, quæ nondum habetur. « Est et alia præparatio gratiæ imperfecta, « quæ aliquando præcedit donum gratiæ « gratum facientis, quæ tamen est a Deo « movente: sed ista non sufficit ad meri- « tum, nondum homine per gratiam justi- « ficato; quia nullum meritum potest esse « nisi ex gratia, ut infra dicetur. » Ubi, ut vides, præparatio ad gratiam, quæ non est meritoria gloriæ, non est simultanea, et concomitans, sed antecedens tempore ipsam infusionem gratiæ; quia omnis præparatio illi coexistens meritoria est vitæ æternæ, ut constat ex hac littera. D. Tho.

Ex quo ad secundam authoritatem responderi potest, D. Thom. loqui de quacumque præparatione ad gratiam præveniente illam absolute, et simpliciter; hujusmodi namque præparatio non coexistit in eodem instanti cum gratia sanctificante, sed antecedit illam tempore; ob idque non disponit proxime ad illius receptionem, sed remote: de præparatione autem remota ad suscipiendam gratiam non est nobis in præsenti disceptatio.

Vel dicendum, quamcumque dispositionem ad gratiam, quæ potest esse in nobis, provenire ab auxilio Dei moventis; at non oportet, quod prædictum auxilium, ut dat vires et sufficientiam, distinguatur realiter

a gratia sanctificante; quoniam ipsa gratia potest præstare vires, et esse auxilium sufficiens ad actus charitatis, et contritionis, quibus præparamur ultimo ad receptionem illius, ut explicuimus *tract. cit. disp.* 3, *dub.* 3.

Ad tertiam authoritatem dicendum est, Angelicum Præceptorem loqui de actu contritionis, qui est ultima dispositio ad gratiam consequutam vi Sacramenti pœnitentiæ, ut constat perspicue ex ipsa littera, et ex solutione ad 1, ejusdem articuli : hujusmodi autem contritio disponens intra Sacramentum, non est perfecta, sed informis, de qua proinde non est eadem ratio, ac de actu amoris Dei ut finis supernaturalis, et summi boni in seipso.

33. Ultima authoritas non continet invictum argumentum contra nostram assertionem, sed potius pro illa; quia S. Doct. in illo articulo non negat actus charitatis, et contritionis disponentes ultimo ad gratiam sanctificantem procedere effective ab illa; quæ est nostra sententia, sed illos concurrere in genere causæ efficientis ad expulsionem peccati, uti adstruebat illa opinio, quam ibi refutat D. Thom. eo quod asserebat, actus charitatis, et contritionis necessario requisitos ad justificationem, præcedere expulsionem culpæ in genere causæ efficientis, cum essent posteriores gratia in eodem genere; atque ideo ipsam gratiam sanctificantem non expellere peccatum habituale per immediatam sui informationem, sed agendo in illud, eo modo, quo ignis agit in aerem ad destructionem illius; hinc enim sequebatur legitime, gratiam habitualem coexistere in aliquo instanti cum peccato;
D. Tho. quod est inconveniens illatum a D. Thom. contra illam opinionem, nec habet locum in nostra sententia, quam proinde statim eligit, et proponit, his verbis : « Oportet « igitur dicere secundum aliam opinio- « nem, quod prædicti motus eodem ordine « se habeant ad utrumque, ut quodam- « modo sequantur ordine naturæ. Nam si « ordo naturæ attendatur secundum ra- « tionem causæ materialis, sic motus « liberi arbitrii præcedit naturaliter gra- « tiæ infusionem, sicut dispositio ma- « terialis formam; si autem attendatur « secundum rationem causæ formalis, est « e converso. Et est simile in rebus natu- « ralibus de dispositione, quæ est necessi- « tas ad formam, quæ quodammodo præ- « cedit formam substantialem, scilicet se- « cundum rationem causæ materialis; sed « alio modo, scilicet ex parte causæ for- « malis, forma substantialis est prior « in quantum perficit materiam, et acci- « dentia materialia. » Sub nomine autem causæ formalis, in cujus genere asserit gratiam sanctificantem præcedere motus charitatis, et contritionis, quibus ad illius receptionem disponimur, intelligit etiam causam efficientem, ut constat ex iis quæ tradit ibi *in solut. ad* 3 *et* 4, *secundæ sententiæ*, et ex dictis *art.* 7, *præcedenti.* Et sane si actus charitatis, et contritionis disponentes ultimo ad justificationem non possunt causari effective a gratia sanctificante, quia sequeretur ipsam coexistere in aliquo instanti cum peccato habituali, eadem ratione convinceretur, non posse oriri efficienter ab auxilio actuali, quia cum hujusmodi auxilium in primo instanti sui esse producat actus charitatis, et contritionis, sequeretur ipsos esse compossibiles cum peccato, illique pro aliquo instanti coexistere; quod alienum est a mente D. Thom. ut liquet ex solutione ad ultimum D. Tho. ejusdem articuli. Recolantur dicta *tract. cit. disp.* 3, *dub.* 3, § 4, ubi alia quæ possent huic responsioni adversari diluimus.

34. Arguitur secundo : quia nullus actus Secundum argumentum. concurrens dispositive ad *esse* gratiæ potest causari ab illa effective : sed prædictus actus charitatis concurrit dispositive ad *esse* gratiæ : ergo. Minor supponitur : major vero suadetur, quia omnis actus concurrens dispositive ad *esse* gratiæ, antecedit natura illius existentiam, et receptionem in subjecto; actus vero procedens effective a gratia, supponit illius existentiam, et receptionem; quia unumquodque agit secundum quod est in actu existendi; et existentia formæ accidentalis, qualis est gratia, est inhærentia ad subjectum : constat autem idem non posse esse simul prius et posterius natura respectu alterius rei; quia in hoc includitur contradictio antecedentiæ, et non antecedentiæ respectu illius.

Confirmatur primo: nulla res potest esse Confirmatur primo. causa dispositiva suæ causæ efficientis : ergo actus charitatis, qui est vera, et realis dispositio ad gratiam, nequit ab illa effective procedere. Consequentia constat; antecedens vero probatur, quia si aliqua res esset causa dispositiva suæ causæ efficientis, haberet, et non haberet esse ante illam, quod implicat in terminis. Haberet quidem, quia causaret; omnis autem causa,

excepta finali, requirit esse verum, et reale ad causandum. Non haberet autem, quia in illo priori, in quo causat, præsupponitur ad existentiam, et causalitatem suæ causæ efficientis : implicat autem, quod aliqua res habeat esse ante existentiam, et influxum suæ causæ effectivæ.

Secundo Confirmatur secundo: Nam in illo priori, in quo actus charitatis disponit animam ad susceptionem gratiæ, jam est receptus in ipsa anima, alias non posset illam disponere : ergo jam est existens, et extra suam causam efficientem; nam accidentis *esse* est inesse in suo subjecto : sed gratia in illo priori nondum est producens, et causans : ergo prædictus actus charitatis non recipit ab illa effective existentiam, sed ab alio principio.

Tertio. Confirmatur tertio : nam ad hoc, ut gratia existat, debet esse extra omnes causas, et causalitates, a quibus per se dependet; unde cum una ex illis sit causa dispositiva, debet esse extra illius influxum, ut possit esse existens. Sed prius quam gratia prorumpat in aliquam operationem, existit, quia operatio sequitur ad *esse* : ergo prius est extra causam, a qua dispositive pendet, quam aliquam operationem eliciat : igitur nulla operatio proveniens effective a gratia habituali, potest esse causa dispositiva illius, cum præsupponat gratiam extra suam causam dispositivam : sed amor, de quo in præsenti, est dispositio ad gratiam : ergo nequit causari effective ab illa.

Quarto. Confirmatur quarto : nullus motus sequitur suum terminum in genere causæ efficientis, sed præcedit, ut constabit discurrenti per singulos. Sed actus charitatis disponens ultimo ad justificationem, est motus, per quem voluntas creata fertur in Deum, et tendit ad gratiam sicut ad terminum : ergo non oritur effective ab illa, sed ab alio principio.

Quinto. Confirmatur quinto : nam qui ponit effective ultimam dispositionem ad aliquam formam, ponit ipsam formam, ut constat ex vulgari axiomate philosophico : sed gratia sanctificans non potest causare effective seipsam : ergo nec actum charitatis, qui est dispositio ultima ad consequutionem sui ipsius.

Sexto. 35. Confirmatur sexto, et augetur vis hujus argumenti : nam actus charitatis, de quo in præsenti, est dispositio ultima ad gratiam, non solum physica, sed etiam moralis ; quia disponit movendo divinam voluntatem ad hoc, ut prædictam gratiam infundat homini, et peccata dimittat, juxta illud Luc. 7: *Remittuntur ei peccata multa,* Luc. 7. *quoniam dilexit multum :* ergo existit prius quam ipsa gratia, proindeque non potest ab illa effective produci. Hæc ultima consequentia liquet ex prima; prima vero ex antecedenti : tum quia causa moralis pertinet ad genus causæ efficientis, quæ præcedit in existendo suum effectum. Tam etiam, quia eo ipso, quod actus charitatis moveat divinam voluntatem ad infusionem gratiæ, debet videri a Deo per scientiam visionis, prius quam ipsa gratia, illamque proinde in existendo præcedere ; quoniam Deus non movetur ad erogandam gratiam ab actibus illam subsequentibus, sed ad iis, qui eam simpliciter antecedunt, et quos proinde videt, ipsa nondum intuitive conspecta.

Confirmatur septimo et ultimo : nam Septimo. gratia infunditur homini, quia diligit Deum super omnia : ergo hic amor non procedit effective ab ipsa gratia. Antecedens constat : nam gratia infunditur homini, quia est dispositus ad illam, et juxta mensuram hujus dispositionis, ut docet Tridentinum ; disponitur autem per actus charitatis, et contritionis. Consequentia vero suadetur : nam si prædictus amor oriretur effective a gratia habituali, hæc esset vera causalis: *Homini infunditur gratia habitualis, ut Deum amet super omnia;* quia vis productiva actus communicatur potentiæ ad hoc, ut illum eliciat, ut constat in habitibus, et auxiliis actualibus : sed hæc posterior causalitas est incompossibilis cum præcedenti, cujus veritas constat ex Concilio : ergo admitti non potest, tam illa, quam illud, ex quo sequitur. Minor probatur, tum exemplis : nam quia lumen gloriæ communicatur animæ, ut videat Deum, non potest illi infundi, quia Deum videt; idemque est de visu corporeo, et de prima vocatione animam excitante; illa enim quia datur homini, ut convertatur ; non ideo datur, quia convertitur : nec ipsa conversio, quæ est effectus vocationis, potest esse dispositio ad illam. Deinde rattone ; nam ly *ut*, denotat causam finalem, quæ est posterior in executione ; illa vero particula *quia*, importat causam efficientem, seu dispositivam, quæ est in executione prior : idem vero actus non potest esse simul, et semel prior, et posterior ordine exequutionis, quam gratia sanctificans. Eo vel maxime,

xime, quia alias infundetur homini hæc gratia, quia dispositus est, atque ut se disponat; quæ duo sunt incompossibilia inter se.

ro so- tione ota 1.

36. Ut hoc argumentum, illiusque confirmationes radicitus, ac perspicue dissolvantur, animadvertendum est prius, quod prioritas realis est in triplici differentia, videlicet naturæ, temporis, et intellectionis. Prioritas naturæ est prioritas causalitatis, et independentiæ, qua ratione quævis causa actu causans est prior suo effectu; quia est independens ab eo in illo genere causæ, in quo influit in ipsum. Diximus *in illo genere causæ*, quia secundum diversum genus causandi sæpe contingit idem esse prius, et posterius natura, sive causam, et causatum respectu alterius; sicut purgatio est causa sanitatis in genere causæ efficientis, et illius effectus in genere causæ finalis. Et similiter in sententia contraria asserente Deum operari ad extra per actiones transeuntes, creatura est causa materialis receptiva actionis creativæ; cum tamen sit illius effectus in genere causæ efficientis, et sic de aliis; causæ quippe ad invicem sunt causæ,

hilos. ut docuit Philosophus.

Prioritas vero temporis est prioritas durationis, quo pacto aurora præcedit meridiem. Unde ea quæ in eodem momento incipiunt esse, nequeunt gaudere inter se hac prioritate, sed simultanea duratione.

Prioritas autem intelligendi non est illa, in qua cognoscimus unum esse prius alio, tempore vel natura; sed in qua intelligimus unum, non intellecto alio. Pro quo opus est pluribus cognitionibus sibi aliqualiter succedentibus.

ota 2.

Secundo nota, quod res producta in unico instanti nostri temporis (qualis est actus charitatis) habet simul suum *fieri*, et *factum esse;* quia cum primo fit, facta est. Hæc tamen simultas non obstat, quominus prædicta res prius natura sit *in fieri*, quam in *facto esse;* nam ad hoc, quod sit in *fieri*, sufficit quod terminet influxum alicujus ex causis, a quibus per se dependet; ut vero sit *in facto esse*, requiritur quod sit extra omnium illarum causalitates. Quod evenit posterius natura, quia licet omnes causæ exerceant suas causalitates in eodem instanti temporis; naturæ tamen ordine, atque ita absolute, et simpliciter, prima in causando est causa finalis, deinde efficiens, postea formalis, et ultimo materialis. Quoniam ut tradit Divus Thomas *quæstione* 28 *de veritate, artic.* 7, illa causa est prior in causando, quæ minus pendet ab aliis: ex causis autem, quæ minus pendet, est finalis, deinde efficiens, tertio formalis, et ultimo materialis. Qua ratione inter ipsas causas efficientes universalis, et movens particulares, præcedit illas in causando. Juxta quam doctrinam dixit optime D. Thom. D. Tho. *quæst.* 113, *artic.* 8 *in corp.* quod *in quolibet motu naturaliter primum est motio ipsius moventis; secundum autem dispositio materiæ, seu motus ipsius mobilis; ultimum vero terminus motus, ad quem terminatur motio moventis.*

Unde cum effectus eodem ordine naturæ egrediatur a suis causis, quem illæ habent in causando, idcirco prius natura est extra causam finalem, quam extra efficientem; et prius natura pendet a causa efficiente, quæ primo movet, quam ab efficiente, quæ agit ex motione illius, ut apparet tum in actu voluntatis, qui ut est a fine, præcedit seipsum, prout se tenet ex parte voluntatis: tum etiam in actione cujuslibet creaturæ, quæ prius natura pendet a Deo sicut a causa universali movente, quam ab ipsa creatura, a qua elicitur; et ideo ut se tenet ex parte Dei, præcedit seipsam quatenus se habet ex parte creaturæ, non quidem prioritate temporis, quia hæc omnia perficiuntur in unico instanti; sed prioritate naturæ, quæ est prioritas independentiæ.

Cæterum, quamvis omnes causæ exer- Nota 3. ceant suas causalitates in unico instanti reali, ob naturæ tamen prioritatem, qua gaudet unaquæque in suo genere, et ordinem generationis, quem modo præmisimus, partitur intellectus prædictum instans reale in quatuor, vel quinque instantia rationis, quorum primum tribuit causæ finali, secundum efficienti, etc. Porro hæc instantia rationis non sunt instantia essendi, hoc est, in quo unum sine alio sit; sed sunt signa, seu instantia intelligendi ea, quæ pertinent ad unum genus causæ, sive ut principia, sive ut effectus, non intellectis iis, quæ eodem modo spectant ad alia genera causarum; sed præscindendo ab illis per cognitionem pure præcisivam, ita ut dum intelliguntur ea, quæ sunt unius generis, non intelligantur explicite quæ pertinent ad aliud, ibi tamen non negentur adesse.

37. Ex his quæ fusius explicuimus *tract. cit. disp.* 3, *dub.* 4, § 1, et aliis, quæ ibidem adjecimus, ad argumentum, et confirmationes facilis est solutio. Ad argumentum quippe negatur major, ad cujus probatio- Recurritur argumento.

nem dicendum est, actum charitatis, qui est proxima dispositio ad gratiam sanctificantem, præcedere existentiam illius in genere causæ materialis dispositivæ, et subsequi ad illam in genere causæ efficientis, formalis, et finalis, in quo nulla involvitur contradictio, sed mutua dependentia causarum in diverso genere causæ, quam adstruit vera philosophia, admittereque tenentur Adversarii in casu *num. præced.* adducto actionis creativæ.

Diluitur prima confirmatio. Ad primam confirmationem negatur antecedens, cujus probatio nullius momenti est, quia ex eo, quod aliqua res sit causa dispositiva suæ causæ efficientis, non sequitur quod habeat *esse* ante illam ; nam ly *ante*, importat prioritatem durationis, quæ non invenitur inter causam actu causantem, et illius effectum: sed solum infertur, quod simul tempore cum sua causa effectiva habeat *esse*, dependens quidem ab illa simpliciter, nempe in genere causæ efficientis; et independens ab ea secundum quid, videlicet in genere causæ materialis dispositivæ, quæ est ultima in ordine causarum. Potestque firmari solutio in casu actionis creativæ, ubi anima est causa materialis actionis, a qua producitur.

Eliditur secunda. Ad secundam confirmationem respondetur, actum charitatis non disponere animam ad susceptionem gratiæ sanctificantis, nisi informando re ipsa voluntatem creatam, illique intrinsece inhærendo. Unde in illo priori, in quo prædictum officium disponendi exercet, jam existit, et est extra suam causam efficientem, quæ nullo modo prohibetur esse gratia sanctificans, ad quam disponit ; quoniam licet hujusmodi gratia in illo priori naturæ, in quo dependet dispositive ab actu charitatis, non causet, neque præcedat illum, sed subsequatur ; causat tamen, et præcedit in alio priori magis nobili, et antecedenti secundum ordinem originis, nempe causæ efficientis, quæ absolute loquendo præcedit dispositivam, cum qua habet simultatem durationis. Atque in eodem instanti, et signo essendi, in quo actus charitatis antecedit gratiam dispositive, pendet ab ea efficienter sicut a forma operante, et sicut ab applicatione illius.

Satisfit tertiæ. D. Tho. 38. Ad tertiam confirmationem respondetur ex D. Thom. *quæst.* 27 *de veritate*, *art.* 4 *ad* 4, non oportere quod gratia, vel quævis alia causa existat *in facto esse* prius natura, quam in operationem prorumpat ; sufficit enim quod prius natura sit existens in fieri, sive quoad essentialia, ut liquet ad hominem in actione creativa, quæ prius natura producit animam, quam ab illa dependeat, et *in facto esse* in ea existat. Ad hoc autem, ut gratia habeat existentiam *in fieri*, non requiritur, quod sit extra suam causam materialem dispositivam ; sufficit enim, quod terminet dependentiam suæ causæ efficientis, quia cum hujusmodi causa tendat directe ad existentiam, eo ipso quod gratia dependeat in actu secundo ab ea, debet esse existens, saltem *in fieri*, et quoad essentialia. Quam responsionem fusius explicuimus *tractat. et disput. citatis.*

Respondetur quartæ. Ad quartam confirmationem respondetur, majorem esse veram loquendo de motu proprie dicto, qui est actus entis imperfecti; nam motus improprie talis, qualis est actus charitatis, potest procedere effective ab eadem forma, ad quam terminatur sicut dispositio, ut admittit D. Thom. 1, 2, *q.* 113, *art.* 7 *ad* 4. D. Tho.

Diluitur quinta. 39. Ad quintam respondetur, quod dispositio ultima, sive necessitans ad formam, est duplex : alia antecedens illam tempore, alia concomitans, quo pacto se habet actus charitatis ad gratiam justificantem. Illa ergo maxima : *Qui producit ultimam dispositionem ad aliquam formam, producit ipsam formam*, intelligenda est de dispositione antecedenti, ubi verificatur, non vero de dispositione concomitanti, quia in omnium sententia homo est causa principalis actus charitatis, qui est ultima dispositio ad gratiam, vel intentionem illius, quas tamen non potest effective causare.

Occurritur sextæ. Ad sextam confirmationem respondetur negando antecedens, quia dispositio moralis proprie dicta est illa, quæ movet divinam voluntatem per modum meriti congrui, aut condigni formæ, cujus est dispositio ; actus autem charitatis, de quo in hoc dubio, neutro ex his modis allicit divinam voluntatem ad infusionem gratiæ, sed tantum per modum physicæ dispositionis, ad eum modum, quo calor disponens ad ignem, movet Deum ad productionem illius. Nec obest probatio in contrarium, quia illa causalis, *quoniam dilexit multum*, sufficienter exponitur de causa dispositiva physica. Recolantur quæ diximus *disput. citata*, et videantur quæ dicemus *disp. sequenti, dub.* 2.

Enodatur septima. 40. Ad septimam, cui valde fidit Suarez, respondetur negando consequentiam, et minorem subsumpti syllogismi. Cujus prior probatio nullius momenti est, redditur quippe

quippe in illa non causa pro causa ; quoniam non ex eo repugnat lumen gloriæ conferri homini, quia videt, quoniam datur illi ut videat ; sed quia non dependet in genere causæ materialis a suo actu, quo pacto dependet gratia sanctificans, ut recepta voluntarie, et connaturaliter in anima adulti ab actu charitatis ; datur enim prædicta gratia homini dependenter a dispositione vitali subsequenti. Per quod patet ad alia exempla in hac conformatione adducta ; in omnibus quippe redditur non causa pro causa.

Ad secundam vero probationem dicendum est, finem præcedere sæpe in exequutione ultimam sui dispositionem, ut patet in forma substantiali, quæ præcedit suas dispositiones concomitantes, non solum in intentione, sed etiam in exequutione ; ob idque mirum non est, si idem habet gratia sanctificans respectu actuum charitatis, et contritionis, a quibus dispositive dependet.

Adde ordinem exequutionis comprehendere sub se plura causarum genera ; unde nihil prohibet, actum charitatis esse priorem, et posteriorem gratia in ordine exequutivo, dummodo id non fiat in eadem specie causæ, sed in diversis, ut de facto contingit. Nam si exequutio justificationis consideretur ex parte causæ efficientis, prior est gratiæ infusio, quam actus charitatis ; si vero attendatur ex parte mobilis, præcedit actus charitatis receptionem gratiæ quatenus sanctificantis, ut tradit Divus Thomas loco proxime citato ad primum ; simpliciter autem loquendo is ordo observatur, quem describit Angel. Magist. in corpore dicti articuli.

. Tho.

ertium argu-ien'u n.

41. Tertio arguunt Adversarii : quia ita se habet actus honestus ordinis naturalis ad virtutem acquisitam, sicut amor supernaturalis Dei ut finis ultimi ad virtutem charitatis, et habitum gratiæ sanctificantis ; quia unusquisque est propria, et connaturalis inclinatio virtutis, cui correspondet : sed actus virtutis acquisitæ, v. g. justitiæ, non præsupponit illam necessario, sed fieri potest ex vi solius motionis actualis derivatæ a potentia superiori, sicque de facto producitur, quoties virtus non supponitur generata, ut diximus *tract.* 12, *disputatione* 1, *dub.* 3. Ergo et amor supernaturalis Dei, ut finis ultimi, non præsupponit necessario gratiam, et charitatem ut sui principium ; sed fieri potest ex vi solius divinæ motionis distinctæ realiter ab illis.

Respondetur negando majorem. Tum quia actus honestus ordinis naturalis non est propria, et connaturalis inclinatio virtutis acquisitæ, secundum se acceptus, sed ut conjunctus facilitati, et suavitati ; actus vero charitatis etiam secundum se sumptus, et præcisive a facilitate, est propria inclinatio illius ; quoniam ut supra diximus, virtus acquisita solum datur ad faciliter posse ; infusa vero, et præsertim theologalis, etiam confert posse simpliciter. Quocirca sicut actus humilitatis naturalis, verbi gratia, non potest fieri suaviter, et delectabiliter absque influxu activo hujus virtutis ; ita neque amor Dei supernaturalis secundum se acceptus, produci poterit absque influxu charitatis et gratiæ. Tum etiam, et præcipue, quia licet actus virtutis acquisitæ non præsupponat ipsam virtutem, cui respondet ; præsupponit tamen ipsam naturam rationalem, cujus est inclinatio, et in qua radicatur ; ob idque mirum non est, quod fieri possit absque influxu prædictæ virtutis. Cæterum amor supernaturalis Dei ut finis omnino ultimi, si semel non præsupponit virtutem charitatis, nequit præsupponere saltem lege ordinaria gratiam sanctificantem, quæ est natura divina participative, et in ea radicari. Unde si non producitur ex influxu charitatis, produci nequit ex influxu naturæ, cujus est inclinatio, proindeque nec quovis alio modo. Solutio.

42. Quarto arguitur : quia omnis actus procedens effective a gratia est de condigno meritorius gloriæ : sed aliquis actus charitatis non est meritorius gloriæ, nempe ille qui disponit ad justificationem consequutam extra sacramentum : igitur non omnis actus charitatis procedit adhuc de potentia ordinaria a gratia habituali. Major, et consequentia constant : minor vero suadetur, quia si prædictus actus esset meritorius gloriæ essentialis, utique primæ ; nam gloria dicitur prima per respectum ad primum actum meritorium : sed primus actus non promeretur primam gloriam. Tum quia prima gloria confertur gratis, ut hæreditas correspondens primæ gratiæ. Tum etiam, quia nullus potest mereri gloriam, nisi mereatur gratiam, quæ est illius radix : sed prima gratia non cadit sub merito : ergo nec prima gloria, quæ in illa radicatur. Quartum argumentum.

Respondetur negando minorem. Ad primam autem probationem in contrarium Respon-sio.

respondetur, quod sicut gloria corporis confertur Christo Domino duplici titulo, nempe connaturalitatis, et ex meritis; ita prima gloria potest tribui justis, tum ut hæreditas respondens primæ gratiæ, tum ut corona debita primo actui meritorio. Ad secundam probationem dicendum est, quod si gloria non supponat in subjecto merente gratiam, in qua radicatur, non potest mereri, quin simul ipsa gratia cadat sub merito; secus autem si illam præsupponat. Unde cum prima gratia præsupponatur in justo, potest hic mereri primam gloriam, quamvis non mereatur primam gratiam, quæ est illius radix.

Quintum argumentum. 43. Quinto arguitur : nam sæpe homo existens in peccato mortali tenetur præcepto affirmativo convertere se in Deum per amorem charitatis : ergo habet auxilium sufficiens ad eliciendum prædictum actum, quia nemo tenetur ad impossibile, qualis est productio actus charitatis respectu hominis non habentis auxilium sufficiens ad illum producendum : sed auxilium sufficiens, quod pro tunc habet, non est gratia sanctificans, cum supponamus prædictum hominem esse in peccato mortali : ergo est aliquod aliud actuale, et transiens, a quo potest oriri actus charitatis secundum potentiam Dei ordinariam.

Diluitur. D. Tho. Respondetur ex D. Thom. 1, 2, *quæst.* 109, *artic.* 8, et 2, 2, *quæst.* 2, *artic.* 5 *ad* 1, auxilium proxime sufficiens ad eliciendum actum charitatis esse gratiam sanctificantem, et virtutem ipsam charitatis, quæ dupliciter potest haberi ab homine : uno modo in re suscepta, quo pacto non inest peccatori, quandiu subjacet peccato mortali : alio modo in præparatione divinæ misericordiæ, quæ facientibus quod in se est, non denegat suam gratiam, sed illam offert omnibus, tribuitque de facto, si ipsi debito modo postulent, et recipere ambiant. Et hac ratione habetur gratia sanctificans a peccatore fideli, vel infideli privative, aut contrarie, etiam dum est in peccato; idque sufficit, ut illi imputetur ad culpam omissio actus charitatis, illius præcepto urgente. Tum quia eo ipso verificatur absolute, quod potest prædictum præceptum adimplere, quia vere dicimur posse id, quod possumus per auxilia in manu Dei nobis præparata, juxta commune Philosophi proloquium : *Id possumus, quod per amicos possumus.* Tum etiam, et maxime, quia per ipsum peccatorem stat, quod non habeat in se ipsam gratiam sanctificantem, quæ necessaria est ad eliciendum amorem Dei super omnia; si enim debito modo se disponeret, et orationes funderet, impetraret proculdubio auxilium divinæ gratiæ, quod misericorditer datur quibuscumque conceditur; quibus autem denegatur, ex justitia denegatur, in pœnam præcedentis peccati, saltem originalis. Sed ut hæc responsio magis intelligatur, et satisfiat aliquibus objectionibus contra illam emergentibus, recolantur quæ diximus *tract.* 14, *disput.* 6, *dub.* 1, § 2, *per totum.*

Sextum argumentum. 44. Sexto arguitur : quia intensio actus charitatis producitur sæpe absque influxu gratiæ sanctificantis : ergo idem poterit competere substantiæ prædicti actus. Consequentia videtur perspicua, quia intensio actus est de linea illius, ob idque dependentia, vel independentia conveniens intensioni actus poterit illius substantiæ convenire. Antecedens vero suadetur; nam quando subjectum habens gratiam ut quatuor, elicit actum charitatis ut octo, ille major excessus intensivus non producitur a gratia sanctificante, cum non præcontineatur in illa; sed ab auxilio actuali, quo voluntas creata movetur a Deo ad operandum supra virtutem, et efficaciam habitus præexistentis.

Solvitur. Huic argumento variæ adhibentur solutiones; illis tamen, quia sunt insufficientes, omissis : respondetur negando antecedens, ad cujus probationem dicendum est, modum intensionis ut octo produci in casu posito a gratia sanctificante, et ab auxilio actuali, sicut a causis partialibus; nam cum gratia operetur in eo eventu secundum totam suam virtutem, et alias modus prædictæ intensionis sit unicus, et indivisibilis entitative, ne esse est quod proveniat ab illa effective. Cumque non possit ab ea procedere sicut a causa principali totali, propter rationem in argumento tactam, opus est, ut proveniat ab illa, et ab auxilio actuali sicut a causis partialibus, ex quibus integratur adæquata causa prædicti actus : cujus intensio ut sit meritoria, et ejusdem lineæ cum substantia, quam afficit, sufficit quod oriatur a gratia, vel sicut a causa totali, vel sicut a causa partiali partialitate causæ.

Replica. 45. Sed urgebis : nam auxilium, de quo in argumento, habet gradus intensionis ut octo, alias non posset voluntas in virtute illius, et gratiæ sanctificantis producere actum

actum charitatis intensum ut octo, quia a proportione minoris inæqualitatis non datur actio : auxilium autem intensum ut octo non est causa partialis, sed totalis actus ejusdem intensionis, quia continet omnem illius perfectionem : ergo solutio tradita sustineri nequit.

Respondetur admissa majori, negando minorem. Ad cujus probationem dicendum est, auxilium intensum ut octo continere sufficienter in esse rei æqualem intensionem inventam in actu charitatis ; non tamen in esse producibili, nisi quatenus constituit unam causam totalem cum gratia sanctificante. Et ratio hujus est, quia intensio actus non est producibilis, nisi una cum substantia illius, et per eundem influxum ad illam terminatum : unde cum substantia actus simul cum intensione ut octo excedat vim auxilii actualis sumpti seorsim a gratia sanctificante intensa ut quatuor, sicut et virtutem hujus gratiæ sumptæ seorsum ab auxilio, idcirco a neutra ex his causis potest produci sicut a principio totali ; sed ab utraque simul sumpta sortitur adæquatum principium, a quo fit. Respon-sio.

Aliud argumentum difficile, quod nostræ assertioni objici posset, late proposuimus, et diluimus *tract.* 15, *disp.* 2, *dub.* 6, § 9, ad quem locum lectorem remittimus, quia prædicta difficultas plura continet, quæ hic repetere non oportet, nec facile ad suminam redigere.

DUBIUM III.

Utrum saltem per absolutam Dei potentiam possit actus charitatis oriri effective a solo auxilio actuali.

Plurima quæ connaturali exigentia determinant sibi unicum productionis modum, admittunt alium, inspecta absoluta Dei omnipotentia. Unde postquam vidimus actum charitatis connecti naturaliter cum gratia sanctificante, sicut cum principio sui effectivo, proindeque non posse de potentia Dei ordinaria causari a voluntate creata in virtute solius auxilii actualis, restat exploremus an contingere queat oppositum per absolutam Dei potentiam, quæ non attendit quis productionis modus sit magis connaturalis rebus, quas efficit, sed quid ipsa independenter ab hoc respectu efficere valeat ? Nec procedit quæstio de connexione actus charitatis cum gratia sicut cum motione applicante liberum arbitrium ad agendum, sed sicut cum virtute elicitiva redicali, sive ratione agendi.

§. 1.

Statuitur assertio, fundamentalique ratione munitur.

46. Dicendum ergo est, amorem super omnia Dei ut finis omnino ultimi supernaturalis, quem hic intelligimus nomine actus charitatis, connecti essentialiter cum gratia sanctificante cum principio effectivo, proindeque neque per absolutam Dei potentiam fieri posse a voluntate creata in virtute solius auxilii actualis, Hanc conclusionem statuimus *tractat.* 15, *disput.* 2, *dub.* 6, et pluribus motivis ex professo probavimus. Unde in præsenti non oportet plura expendere. Unicum tamen, quod ibidem § 8, brevius tetigimus, hic magis firmare curabimus. Quod desumitur ex D. Thom. 1 *part. quæst.* 62, *artic.* 2 *ad* 3, *et* 1, 2, *quæstione* 112, *artic.* 2 *ad* 1. Ut autem ejus vis clarius percipiatur, animadvertendum est prius, quod amor super omnia Dei ut finis ultimi supernaturalis, et summi boni in seipso, habet ex se condignitatem ad præmium æternæ beatitudinis. Tum quia hujusmodi amor est motus quidam tendens ex natura rei in visionem beatificam sicut in proprium terminum ; nulla autem recta operatio tendere potest ex natura sua ad terminum superiorem, aut fundare exigentiam præmii excedentis suam dignitatem ; quia ut Divus Thomas 1, 2, *quæstione* 114, *articulo* 2, ait : *Hoc est in institutione divinæ providentiæ, ut nihil agat supra suam virtutem.* Tum etiam, quia summum obsequium, quod potest creatura offerre Deo, necesse est habeat condignitatem ad summum ex specie præmium illi conferibile ; quia possibilitas præmii dependet intrinsece, aut connexa est cum possibilitate meriti : sed amor, de quo in præsenti, est summum in specie obsequium, quod Deo offerre potest creatura : ergo habet condignitatem ex natura sua cum visione beatifica, quæ est summum præmium secundum speciem ex omnibus, quæ illi sunt communicabilia. Tum præterea, quia amor supernaturalis Dei ut objecti beatificantis, est operatio omnino proportionata fini ultimo, qui est æterna beatitudo ; imo impossibilis est alius actus, qui ex specie sua magis Conclusio. D. Tho. Nota 1. D. Tho.

proportionatus sit cum illo : constat autem operationi omnino proportionatæ alicui fini debitam esse ex condigno consequutionem illius, quandoquidem ob hanc rationem, posita in rebus naturalibus operatione ultimo proportionata fini, illico finis ipse obtinetur. Tum denique, quia alii actus honesti, quatenus formati per relationem ad Deum ut est finis ultimus supernaturalis, sunt condigni vitæ æternæ : sed amor, de quo in præsenti, consistit in relatione transcendentali actuali ad finem ultimum supernaturalem : igitur ex specie sua habet condignitatem ad vitam æternam. Recolantur quæ diximus *tract.* 16, *disp.* 3, *dub.* 2.

Nota 2. 47. Secundo observa, non esse possibilem actum meritorium ex condigno vitæ æternæ, nisi oriatur effective a gratia sanc-

Joan. 15. tificante. Tum quia ut dicitur *Joan.* 15, nulla creatura potest ferre fructum operis meritorii, nisi manserit in vite Christo, in quo perspicuum est manere non posse nisi media gratia sanctificante. Tum etiam, quia nulla operatio potest esse condigna præmio excedente principium, a quo effective causatur ; quia nobilitas actus desumitur ab illius principio, in eoque continetur : sed præmium vitæ æternæ excedit perfectionem auxilii actualis, et cujusvis alterius formæ creatæ, unica excepta gratia sanctificante : ergo nisi actus proveniat effective ab illa, nequit esse condignus vita æterna. Tum denique, quia homo sine gratia sanctificante nequit elicere opus æquale operi, quod procedit ex gratia, ut

D. Tho. expresse tradit D. Thom, 1, 2, *quæst.* 114, *art.* 2 *ad* 2; sed opus procedens ex gratia non excedit præmium vitæ æternæ, sed est illi æquale : ergo opus non proveniens a gratia, nequit adæquare dignitatem vitæ æternæ, sed necessario erit illa inferius, ut ex professo ostendimus *tract. cit. disput.* 3, *dub.* 1, quod Lector consulat.

Fundamentum assertionis. Hinc formatur sequens ratio pro assertione, quia amor super omnia Dei ut finis ultimi supernaturalis, est ex sua specie condignus vitæ æternæ, ob idque impossibile est careat hujusmodi condignitate : sed repugnat, quod aliquis actus sit condignus vitæ æternæ, nisi proveniat effective a gratia sanctificante : ergo amor super omnia Dei ut finis ultimi supernaturalis, connectitur essentialiter cum hujusmodi gratia, sicut cum principio sui effectivo, ob idque repugnat ipsum produci ex vi solius auxilii actualis. Utraque præmissa constat ex prænotatis, et consequentia est legitima.

48. Confirmatur : quia operatio omnino proportionata alicui fini, nequit provenire sicut a causa principali, nisi a principio ejusdem ordinis, et dignitatis cum prædicto fine, ut ex se liquet : sed actus charitatis, de quo in præsenti agimus, est ex sua specie operatio omnino proportionata æternæ beatitudini, quæ est finis ultimus creaturæ rationalis : ergo nequit produci nisi a principio ejusdem dignitatis cum illa : atqui sola gratia sanctificans adæquat dignitatem æternæ beatitudinis : ergo prædictus actus charitatis connectitur essentialiter cum ipsa gratia sicut cum principio effectivo. Fulcitur.

Confirmatur secundo : nam ut docet D. August. *tract.* 87, *in Joan.* dilectio charitatis non potest haberi sine cæteris bonis; quibus homo efficitur bonus : sed homo efficitur bonus per consequutionem gratiæ sanctificantis, neque potest esse bonus simpliciter sine illa : ergo neque habere dilectionem charitatis. Roboratur amplius. D. Aug.

§ II.

Præcluditur duplex evasio recentiorum.

49. Huic rationi occurri potest ex Vasquez 1, 2, *quæst.* 114, *disp.* 217, dicendo convinci quidem ex illa, actum charitatis esse inseparabilem a gratia, non tamen connecti cum ea essentialiter sicut cum principio effectivo ; quia etsi nullius virtutis actus possit esse condignus vitæ æternæ absque informatione gratiæ sanctificantis ; ad hanc tamen informationem consequendam opus non est, quod oriatur effective ab ipsa gratia, sed sufficit quod sit conjunctus supposito cum illa ; quoniam in hac conjunctione sita est informatio, per quam actus honesti fiunt intrinsece condigni vitæ æternæ. Primum effugium. Vasq.

Cæterum hæc solutio falso nititur fundamento, potestque refelli, quia ut actus sit condignus vitæ æternæ, debet esse æqualis valoris cum illa : sed nisi oriatur effective a gratia, non potest esse æqualis valoris cum gloria : ergo neque esse illa dignus. Probatur minor, quia actus virtutis nequit habere æqualem valorem cum gloria, nisi participet dignitatem gratiæ ; hæc autem non potest suam dignitatem communicare actibus, nisi influendo in illos effective. Tum quia gratia non respicit immediate operationem, Præcluditur.

nem, sed mediate, scilicet per modum principii effectivi radicalis : unde nisi hoc pacto influat in illam, non potest illam dignificare. Tum etiam, quia ex aliis habitibus nullus communicat suam perfectionem operationi, nisi medio influxu effectivo in illam : ergo idem dicendum est de habitu gratiæ, ut ex rationis paritate convincitur. Tum denique, quia gratia eatenus format, et dignificat actus honestos, quatenus media charitate causat in illis relationem intrinsecam ad
D. Tho. ultimum finem, ut expresse tradit D. Thom. *quæst.* 14, *de Verit. art.* 5 *ad ult. et in hac* 2, 2, *quæst.* 23, *artic.* 8, *et* 1, 2, *quæst.* 114, *art.* 4, ibique late ostendimus *disp.* 4, *dub.* 1. Quare seclusa productione hujus relationis, nullus actus potest dignificari per gratiam, quantumvis sit illi alias physice conjunctus, ut loco citato probavimus.

Refellitur multipliciter. Confirmatur primo hæc impugnatio ; nam ut actus sit condignus vitæ æternæ, debet esse operatio hominis Dei amici ut amici : sed ex eo præcise, quod actus virtutis conjungatur supposito cum gratia, non est operatio hominis amici Dei ut amici : igitur hujusmodi conjunctio non sufficit, ut actus sit condignus æternæ vitæ. Major, et consequentia constant : minor vero, imo etiam et ipsa major suadetur, quia plures actus conjunguntur supposito cum gratia, qui tamen non sunt condigni vitæ æternæ, neque hominis amici Dei ut amici : ut patet in peccatis venialibus, et in actibus per accidens indifferentibus, quæ sæpe elicit homo justus.

D. Aug. Confirmatur secundo : nam ut ait D. August. *de spiritu et litera cap.* 14, non est fructus bonus (scilicet ad vitam æternam promerendam), *quia de charitatis radice non surgit* : sed surgere ex radice charitatis, est oriri effective a gratia, quæ est illius radix : igitur absque hujusmodi ortu, et dependentia nullus actus potest esse meritorius æternæ vitæ.

Confirmatur ultimo : nam actus eliciti ab homine peccatore non maculantur per conjunctionem ad peccatum habituale, in quo existit, alias omnes actus prædicti hominis essent peccaminosi mortaliter, quod est absurdum : ergo neque actus honesti eliciti ab homine justo efficiuntur digni vita æterna, et formati per gratiam ex eo præcise, quod jungantur cum illa in supposito ; sed insuper necesse est, quod proveniant ab illa effective, indeque recipiant aliquam perfectionem, quæ æquivalere possit æternæ beatitudini. Patet consequentia a paritate, quia sicut homo per gratiam constituit in Deo finem ultimum, et fit illi acceptus ; ita per peccatum avertitur ab illo, et constituit finem ultimum in creatura.

Objectio. 50. Dices : eo ipso, quod operatio libera, et honesta conjungatur in supposito cum humanitate Christi Domini, accipit ab illo dignitatem moralem infinitam : ergo eo ipso, quod prædicta operatio uniatur in supposito cum gratia habituali, participabit illius dignitatem, fietque vitæ æternæ condignus.

Solvitur. Respondetur negando consequentiam : cujus duplex est disparitatis ratio. Prima, quia eo ipso, quod operatio oriatur effective ab humanitate Christi Domini, producitur *ut quod* a supposito verbi ; actiones enim sunt suppositorum, ob idque mirum non est, quod mutuentur ab illo dignitatem infinitam. Adversarii autem supponunt, gratiam non influere effective in operationem, quam efficit suppositum, in quo uniuntur.

Secundo, quia hoc interest discriminis inter dignitatem proprie personalem, qualis erat dignitas Christi Domini, et inter dignitatem habitualem, uti est dignitas gratiæ, quod illa prior tota subjicitur, et offertur Deo in qualibet operatione meritoria ; si enim rex se humiliat, non potest non totam suam regiam dignitatem humiliare, et submittere personæ, cui se humiliat. Unde suppositum secundum totam suam dignitatem informat, et dignificat suas operationes dignitate personali. Cæterum dignitate gratiæ, quæ est dignitas habitualis, utitur persona grata, quando vult, et quantum vult ; nam habitibus utimur quando, et quomodo volumus. Unde persona operans non dignificat suos actus secundum totam dignitatem gratiæ, sed juxta mensuram influxus, quo concurrit ad illos. Quocirca si nullo modo influat in operationes elicitas a supposito in quo existit, nullatenus dignificabit illas. Videantur quæ diximus *tractatu citato, disput.* 4, *dub.* 4, *per totum.*

Aliud effugium. 51. Secundo respondent alii, verum quidem esse, quod nullius virtutis actus habere potest condignitatem ad gloriam, nisi participet ex influxu effectivo gratiæ actualem relationem ad ultimum finem ; quia ratio meriti provenit actibus ab informatione hujusce habitudinis. Cæterum

ad hoc, ut gratia sanctificans informet aliquem actum communicando illi respectum ad ultimum finem, opus non est, quod efficiat illius substantiam, sed sufficit, quod illi coexistat, quoniam in eo instanti, in quo habitus gratiæ infunditur animæ, dimanant ab ea efficienter plures modi, et habitudines ad ultimum finem, quibus dignificantur, et informantur intrinsece omnes actus honesti existentes actu in potentiis rationalibus, et ipsæ etiam potentiæ rationales, quatenus sunt principia recte operandi, juxta doctrinam quam tradidimus *tractatu citato, disput.* 4, *dub.* 5. Unde, ex nostra ratione non habetur, quod actus charitatis secundum suam substantiam acceptus connectatur essentialiter cum gratia, sicut cum principio sui effectivo, ut in conclusione prætendimus.

D. Tho. Potestque juvari hæc solutio primo ex D. Thom. *quæst.* 28, *de Verit. artic.* 8 *ad* 4, *secundæ sententiæ*, ubi docere videtur, habitum gratiæ dignificare actum contritionis, qui est ultima dispositio ad justificationem, per hoc præcise, quod est causa efficiens relationis ad ultimum finem, per quam intrinsece formatur prædicti actus substantia, quam non obscure docet oriri ab alio principio.

Secundo, quia actus fidei, quo dirigitur voluntas ad eliciendas operationes disponentes ad justificationem, non procedit effective a gratia sanctificante, sed ab alio principio : quo tamen non obstante, in ipsa duratione infusionis gratiæ informatur ab illa per relationem ad ultimum finem, redditurque meritorius de condigno vitæ æternæ.

Confutatur. Sed neque hæc evasio vim nostræ rationis enervat ; quoniam ut in illa admittitur, actus honestus, quatenus relatus actualiter ad ultimum finem supernaturalem, connectitur essentialiter cum gratia sicut cum principio effectivo : sed actus charitatis secundum suam substantiam acceptus, est formalis, et transcendentalis relatio ad ultimum finem supernaturalem : igitur ex sua specie est connexus essentialiter cum principio effectivo.

Motivum responsionis eliditur. 52. Nec obstant quæ in favorem hujus solutionis adduximus ; nam licet in instanti infusionis gratiæ dimanent ab illa plures modi relationis habitualis ad ultimum finem, quibus informantur permanenter potentiæ rationales, quatenus sunt principia recte agendi, et ea propter quilibet actus honestus hominis existentis in gratia sit meritorius vitæ æternæ ; non tamen dimanat, aut dimanare potest ab illa modus relationis actualis, quo dignificetur actus productus absque influxu effectivo illius. Et ratio est, quia actus secundus non potest sortiri actualem relationem ad ultimum finem, nisi ex actuali influxu illius ; quia referri actu ad finem, est trahi ab illo, in quo finis causalitas sita est : finis autem nihil potest influere in actum secundum, nisi medio influxu actuali potentiæ, seu virtutis affectivæ, a qua directe respicitur, et quam specificat ; quia causa efficiens, et finalis mutuo sibi correspondent, uniunturque in entitate suarum causalitatum. Quocirca eo ipso, quod actus non proveniat effective per imperium, aut elicientiam a gratia, aut charitate, quæ est virtus directe correspondens ultimo fini supernaturali, non potest sortiri relationem ad illum. Hæc autem ratio non militat in aliis modis charitatis, quibus informantur habitualiter potentiæ rationales ; nam ad illorum productionem non requiritur actualis influxus ultimi finis in voluntatem creatam. Tum quia attingitur ab illa actualiter. Tum etiam, quia sunt veluti passiones gratiæ, ob idque debent ad illius fieri comproduci.

Alia fundamenta convelluntur. Ad authoritatem vero D. Thom. respondetur, quod Angelicus Doctor in illo loco solum docet, gratiam influere in actum contritionis disponentem ultimo ad justificationem, eo modo quo habitus virtutis naturalis influit in actum virtuosum. Unde cum habitus virtutis in sententia D. Thom. non possit causare honestatem sui actus, nisi producendo simul illius entitatem physicam, ut ostendimus loco proxime citato ; idcirco ex verbis Sancti Doctoris non debet inferri, quod gratia possit formare actum contritionis, aut alterius virtutis, quin concurrat efficienter ad illius entitatem producendam, sed potius concludi debet oppositum. Præsertim si sermo sit de amore super omnia Dei ut ultimi finis supernaturalis ; quoniam iste actus per suammet substantiam habet formationem, quam mutuantur aliarum virtutum actus ex influxu, et participatione charitatis.

Adde quod hæc virtus non producit immediate per seipsam relationem actualem ad ultimum finem, quæ dignificat intrinsece actus aliarum virtutum, sed mediis ipsis virtutibus a quibus eliciuntur : constat autem nullam virtutem producere in suo actu

actu relationem ad ultimum finem, nisi ex vi influxus, quo producit illius substantiam ex imperio, et applicatione charitatis.

Explicatur D. Tho. 53. Nec refert, quod D. Thom. asserat, habitum esse principium formale actus formati, quamvis respectu formationis habeat rationem causæ efficientis; quoniam usus est Angelicus Doctor hoc modo loquendi ad denotandum, quod habitus non causat per se primo, et ratione sui substantiam physicam actus, quem informat, sed honestatem moralem, qua illum intrinsece dignificat; hæc enim est, quæ intenditur per se ab habitu. Cæterum quia non potest illam efficere, quin simul attingat substantiam actus, idcirco utramque effective producit; cum hac tamen diversitate, quod honestas est per se causa efficiens, et nullo modo formalis; substantia vero, quæ illi substernitur, est per se causa formalis, media honestate; efficiens vero per accidens, vel per aliud. Unde cum hoc modo philosophandum sit de gratia, et charitate in ordine ad informandos actus aliarum virtutum, plane sequitur, quod contritio, aut alius actus honestus, pure coexistens gratiæ, et non procedens secundum suam substantiam ex influxu illius, nequit ab ea informari per relationem ad ultimum finem, reddique proinde meritorius vitæ æternæ.

Dispellitur exemplum. Ad instantiam vero actus fidei regulantis operationes amoris, et contritionis, quibus adultus disponitur ultimo ad justificationem: respondetur prædictum actum produci, aut conservari de novo in illo instanti ex imperio, et applicatione charitatis, et non tantum piæ affectionis; quia etsi prædictus actus fidei antecedat in genere causæ formalis extrinsecæ actum amoris a charitate elicitum; est tamen posterior illo in genere causæ efficientis exequutivæ, et applicativæ; quod sufficit ad hoc, ut procedat ex imperio formali charitatis, sortiaturque proinde relationem ad ultimum finem. Potestque illustrari hæc doctrina, tum ex eo, quod per prædictum actum credimus in Deum; credere autem in Deum est actus fidei operantis ex influxu charitatis: tum etiam ex iis, quæ diximus *in tract. de Angelis, disp.* 10, *dub.* 5, ubi ostendimus cognitionem regulantem primum peccatum Angeli fuisse defectuosam, et peccaminosam ex applicatione, et imperio ipsius peccati, seu affectus superbi, quem regulavit.

54. Sed contra urgebis adhuc: nam cum adultus accedit attritus ad Sacramentum Pœnitentiæ, vel Baptismi, suscipit gratiam, per quam redditur viva, et formata ipsa attritio; et similiter actus fidei, et spei, qui illam comitantur: sed istorum actuum substantia non procedit effective in illo instanti a gratia, et charitate: ergo ad hoc, quod aliquis actus sit condignus vitæ æternæ, sufficit quod gratiæ sanctificanti coexistat, nec oportet quod ab illa effective causetur. Minor videtur perspicua, quia illa attritio habuit esse ante instans justificationis, neque dolor de peccatis procedens a gratia est pura attritio, ut docet D. Thom. *de Veritate, quæst.* 28, *art.* 8. Major vero suadetur: tum quia prædicti actus sunt pro illo instanti opera bona hominis justi, et Deo grati; omnia autem opera bona hominis justificati sunt meritoria de condigno vitæ æternæ, ut docet Trid. *sess.* 6, *can.* 32. Tum etiam, quia si prædictus homo decederet e vita in tempore immediate sequenti ad instans justificationis, ut est valde possibile, obtineret gloriam non solum per modum hæreditatis, sed etiam ut coronam; quia sub utraque ratione debita est adultis, qui in Christo Domino renascuntur, ut deducunt communiter Theologi ex canone citato Tridentini: constat autem coronam solum tribui meritis, seu operibus dignificatis per gratiam.

Replica. D. Tho.

Respondetur tripliciter posse intelligi, quód adultus accedat attritus ad Sacramentum, in quo gratiam assequitur. Primo ita ut perseverent in seipsis actus fidei, spei, et attritionis, quibus se disposuit ad susceptionem Sacramenti. Secundo ita ut non existant pro tunc in seipsis physice et formaliter; perseverent tamen virtualiter, et sicut in effectu in alio actu formaliter, et intrinsece libero, et honesto. Tertio ita ut prædicti actus neque in seipsis formaliter, nec virtualiter in aliquo alio actu intrinsece libero, et honesto physice perseverent, sed moraliter, quatenus scilicet non sunt retractati, ut contingeret si catechumenus præmissis attritione peccatorum, et desiderio manifesto suscipiendi Sacramentum Baptismi alienetur mente, et in hoc statu illud suscipiat.

Solutio.

In primo igitur, et secundo casu justificatur adultus, et in ipso instanti justificationis habet meritum vitæ æternæ. Hoc autem non ex eo contingit, quod gratia dignificet opera, in quorum substantiam non influit active; sed quia ipsi actus fidei, etc.

sive ut continuati in seipsis formaliter, et physice, sive ut perseverantes virtualiter in alio actu intrinsece libero, et honesto, producuntur ex influxu gratiæ, et charitatis; hæc quippe virtus ita dominatur voluntati et reliquis potentiis rationalibus, ut eo ipso, quod existat in anima, influat effective in omnes actus honestos ab illis elicitos; et ab hinc provenit, quod dolor peccatorum coexistens gratiæ, nequeat esse pura attritio, sed habeat contritionis perfectionem, juxta doctrinam D. Thom. *loco citato*. Videantur quæ diximus *tractatu* 16, *disputat.* 4, *dub.* 6, *per totum*.

In tertio vero casu suscipit quidem adultus gratiam, sed non videmus, qualiter habere possit meritum ad vitam æternam; cum in instanti infusionis gratiæ nullum actum habeat intrinsece liberum, et honestum, qui possit dignificari ab illa. Unde si prædictus homo decederet e vita in tempore immediate sequenti ad prædictum instans, consequeretur gloriam per modum hæreditatis præcise. Cujus oppositum nec apparenter colligitur ex canone citato Tri-
Trident. dentini, quoniam ibi Concilium non docet omnem adultum decedentem in gratia consequi de facto gloriam per modum coronæ, in quo valde hallucinantur plures Theologi; sed bona opera hominis justificati esse meritoria vitæ æternæ, quod longe diversum est a præcedenti, nobisque minime adversatur; quoniam adultus, quem in hoc tertio casu raro contingenti descripsimus, nullum habuit opus procedens a gratia, aut physice illi coexistens.

§ III.

Exploditur alia evasio ex Cajetano.

Tertium effugium. Cajetan. 55. Alia via occurrit Cajetanus nostræ rationi *tom.* 1 *suorum opusc. tract.* 4, *quæst.* 1, *de attritione, et contritione*, negando scilicet majorem, quia amor super omnia Dei ut objecti beatifici, non habet ex suis propriis, et intrinsecis prædicatis condignitatem ad gloriam, sed ex superveniente accidentaliter informatione gratiæ, a qua potest separari. Tum quia finis est nobilior iis, quæ sunt ad finem, ob idque non potest ab illis de condigno promereri: constat autem beatitudinem esse finem amoris charitatis. Tum etiam, quia in hac vita nemo potest, seclusa revelatione, certo scire se esse in gratia: sed multi, seclusa revelatione, sciunt certo se diligere super omnia Deum ut objectum beatificum, atque etiam detestari peccata super omnia detestabilia; quia ex testimonio conscientiæ innotescit cuilibet, an constituat Deum pro ultimo fine, præferendo ipsum ex voluntate deliberata omnibus, quæ desiderari, et haberi possunt; an vero secus. Sicut enim est in nostra potestate constituere nobis pro ultimo fine regnum temporale; ita est in nostra potestate constituere nobis Deum ut est objectum beatificans pro fine ultimo. Ergo amor super omnia Dei ut objecti beatifici, et ultimi finis, non est ex se condignus gloriæ, neque indispensabiliter connexus cum gratia sicut cum principio effectivo, alias seclusa revelatione constaret certo pluribus se esse in gratia, quod est contra fidem.

Refutatur. Hæc tamen evasio facile impugnatur. Primo, quia ex eo actus procedentes a gratia sunt condigni vitæ æternæ, quia participant ab illa relationem ad ultimum finem supernaturalem; nam ex vi hujus relationis habent ex se intrinsece pretium æqualis valoris cum gloria: sed amor charitatis, de quo in præsenti, constituitur in sua differentia specifica per habitudinem ad ultimum finem supernaturalem: ergo ex sua specie est condignus vitæ æternæ, et essentialiter connexus cum gratia sanctificante, sicut cum principio sui effectivo.

Secundo, quia sicut vivere in communi sumptum, est moveri a se, ita vivere vita gratiæ est moveri in Deum sicut in finem ultimum supernaturalem; ejusmodi quippe actus non est hominis mortui in peccato, sed viventis vita deifica. Tum quia per illum communicat creatura cum Deo in modo vivendi proprio illius. Tum etiam, quia dum creatura existit in peccato, non est conversa in Deum sicut in finem ultimum, sed aversa potius ab illo: sed amor charitatis, de quo in præsenti, est motus, seu conversio in Deum sicut in finem omnino ultimum supernaturalem: igitur ex sua specie est vitalis vita divinæ gratiæ. Constat autem actum honestum, quatenus vitalem vita gratiæ, esse connexum essentialiter cum illa sicut cum principio effectivo, habereque condignitatem ad gloriam.

Contraria motiva enervantur. Cajet. 56. Probationes autem, quibus nititur evasio Cajetani, parvi momenti sunt. Ad primam enim (quæ si quid probat, etiam convincit actus honestos hominis justi, quatenus formaliter dignificatos per gratiam, non esse condignos beatitudinis, cum adhuc

prout

prout sic formati ordinentur ad illam sicut ad finem) : respondetur amorem super omnia Dei ut objecti beatifici posse sumi dupliciter : uno modo physice, quo pacto non adæquat perfectionem beatitudinis:alio modo moraliter,et secundum prudentum æstimationem ; et hac ratione est tanti valoris, quanti illa : quoniam perfectio physica, in qua beatitudo excedit actum charitatis,adæquatur, et compensatur in æstimatione divinæ justitiæ per honestatem moralem, et libertatem, quæ insunt prædicto amori ; secus autem beatitudini , ut exposuimus *tract.* 16, *disp.* 3, *dub.* 2.

Ad secundam negatur minor, quia seclusa divina revelatione, ex nullo principio potest evidenter constare homini, quod diligit super omnia Deum ut finem omnino ultimum supernaturalem. Tum quia etsi sit in nostra potestate, supposito tamen adjutorio divini auxilii, constituere nobis Deum pro ultimo fine, ipsumque proinde super omnia diligere ; quia tamen hic actus est entitative supernaturalis, et nobilissimus, idcirco non potest illius existentia innotescere nobis evidenter, seclusa revelatione divina. Præsertim cum animus hominis sit valde multiplex, et qui magna cum difficultate deprehenditur.Tum etiam, quia alias eo ipso sciret evidenter homo se esse in gratia, incideretque proinde in inconveniens, quod evitare intendit Cajetanus. Et ratio est perspicua, quia esto amor super omnia Dei ut finis ultimi supernaturalis non sit connexus inseparabiliter cum gratia sanctificante sicut cum principio effectivo, bene tamen sicut cum forma, ad quam disponit ultimo ; nam ultima dispositio ad aliquam formam connectitur inseparabiliter cum illa : ergo eo ipso, quod quis sciat evidenter, quod diligit super omnia Deum ut objectum beatificans, cognoscit eadem certitudine se esse in gratia, quod est contrarium fidei, ut ex professo ostendimus *tractatu* 14, *disputat.* 9, *dubio unico.*

Respon-sio. Cajet. 57. Nec refert id, quod respondet Cajetanus huic impugnationi, videlicet amorem super omnia Dei ut finis ultimi supernaturalis esse in duplici differentia : alium supernaturalem, procedentemque ab auxilio divino, et hic est ultima dispositio ad gratiam, nec potest separari ab illa : alium vero naturalem, qui non procedit a divino auxilio, sed elicitur naturæ viribus, ob idque non est ultima dispositio ad gratiam, habet tamen cum præcedenti actu tantam similitudinem, ut nequeat homo absque lumine divinæ revelationis illos inter se discernere. Quapropter etsi constet illi evidenter, quod habet amorem super omnia Dei ut finis ultimi supernaturalis ; non tamen ob id cognoscit evidenter se esse in gratia, quia ignorat utrum prædictus amor procedat ab auxilio supernaturali, necne, sitque proinde ultima dispositio ad gratiam, vel potius actus naturalis ab illa separabilis.

Refelli-tur. Contra enim est primo, quod amor super omnia Dei ut objecti beatifici non potest esse actus naturalis, sed debet esse supernaturalis ordinis ; nam qualitas actus sequitur naturam sui objecti, objectum autem prædicti amoris est supernaturale tam in esse rei, quam in esse attingibili ; quia terminat illius respectum, ut propositum, et regulatum per lucem fidei : constat autem ad productionem actus supernaturalis necessarium esse supernaturale auxilium. Quo discursu usi sumus, illumque late expendimus *tract.* 14, *disp.* 3, *dub.* 3, ubi ostendimus implicare assensum fidei naturalis, qui attingat objectum sub motivo fidei theologicæ.

Secundo, quia amor Dei super omnia, nedum ut objecti beatifici, sed etiam ut authoris naturæ, est incomposibilis cum peccato mortali, atque ideo in hoc statu connexus cum gratia sanctificante, ut ex communi doctrina Thomistarum ostendimus *tract. cit. disp.* 2, *dub.* 4. Ergo eo ipso, quod quis sciat evidenter se diligere Deum super omnia, cognoscit evidenter se esse in gratia, quamvis ignoret differentiam specificam prædicti amoris. Quia eo ipso, quod sciat evidenter se diligere Deum super omnia, cognoscit eadem certitudine, quod non est in peccato mortali : eo ipso autem, quod homo non sit in peccato mortali, necessario est in gratia, quia de facto inter hæc duo extrema non cadit medium.

Tertio, quia quidquid fuerit de his, nostra conclusio procedit determinate de amore Dei super omnia, qui est entitative supernaturalis et incompossibilis ex natura rei cum peccato, mortali ; de hoc enim actu asserimus esse ex sua specie condignum vitæ æternæ, connexumque proinde essentialiter cum gratia, sicut cum principio sui effectivo ; quod nullatenus labefactatur evasione Cajetani.

§ IV.

Refertur opinio contraria.

Sententia opposita. 58. Contrariam tamen sententiam, quæ asserit actum charitatis non connecti essentialiter cum gratia sanctificante sicut cum principio sui effectivo, ac proinde posse, attenta Dei omnipotentia, produci a creatura in virtute solius auxilii actualis, multos habet patronos ; illam enim præter assignatos loco supra citato *n.* 28, defendunt Capreol. *in* 2, *dist.* 28, *quæst. unica*, Ferrara 3, *contra gent. cap.* 150, Cajetan, *ubi supra*, *et* 1, 2, *q.* 113, *art.* 8, Valentia ibi, *disp.* 1, *q.* 12, *punct.* 3, Lorca et alii, quos refert et sequitur Arauxo *in hac* 2, 2, *q.* 23, *art.* 2, *dub.* 2.

Capreol. Ferrara. Cajetan. Valent. Lorca. Arauxo.

Primum argumentum. Probatur hæc opinio primo, quia licet Christus Dominus non haberet habitum gratiæ sanctificantis, posset tamen cum motione divini auxilii elicere amorem super omnia Dei ut finis omnino ultimi supernaturalis, ut liquet ex his, quæ admisimus *dub. præced.* igitur hic amor non connectitur essentialiter cum habitu gratiæ sicut cum principio effectivo, sed produci potest virtute auxilii transeuntis.

Solutio. Huic argumento respondetur primo negando antecedens; nam quæ expendimus *tract.* 15, *disp.* 2, *dub.* 6, § 5, manifestant esse falsum : quæ referre non oportet in præsenti, ne actum agere videamur.

Sed quantum attinet ad motivum, quod in hoc dubio expendimus, desumptum ex parte valoris æqualis, sive condignitatis actus charitatis cum gloria, potest secundo responderi, admisso antecedenti, negando consequentiam intellectam de actu charitatis elicito a pura creatura ; nam gratia unionis hypostaticæ continet eminenti modo perfectionem moralem gratiæ accidentalis, qua sanctificantur filii Dei adoptivi. Quocirca licet prædicta unio possit esse principium radicale amoris super omnia Dei ut objecti, non sequitur quod hujusmodi actus non connectatur essentialiter in creatura cum gratia sanctificante, sicut cum principio effectivo, fierique proinde possit in virtute solius auxilii transeuntis. Quia hujusmodi auxilium neque formaliter, nec eminenter continet perfectionem gratiæ habitualis ; et ideo eo ipso, quod supposito creatum careat hujusmodi gratia, non potest producere amorem super omnia Dei ut ultimi finis supernaturalis, quia caret principio sufficienter præcontentivo illius. Unde ex hoc argumento solum convinci valet, prædictum actum amoris connecti essentialiter cum gratia sanctificante, sive accidentali, sive substantiali, et hypostatica, quam in assertione non exclusimus.

Secundum argumentum. 59. Sed contra arguitur secundo. In ordine supernaturali possibile est, et de facto datur auxilium transiens, in quo participatur virtualiter habitus charitatis : ergo etiam erit possibile auxilium actuale, in quo participetur gratia virtualiter, animamque transeunter sanctificet ; non enim potest adduci ratio efficax, quæ contrarium suadeat. Sed in virtute utriusque istius auxilii sufficienter præcontinetur amor Dei super omnia, et condignitas illius ad beatitudinem : ergo attenta Dei omnipotentia produci potest a creatura abque gratia habituali.

Respondetur negando primam consequentiam; est enim maxima, disparitas utrobique. Nam quodlibet auxilium transiens ordinatur per se primo ad operandum, quia hæc ordinatio est de conceptu essentiali motionis transeuntis : forma autem respiciens per se primo operationem non potest participare directe gratiam sanctificantem, nec recipi immediate in anima, illamque justificare. Tum quia gratia non ordinatur per se primo ad aliquam operationem, sed ad dandum esse supernaturale. Tum etiam, quia cum anima respiciat per se primo *esse* naturale, solum est capax recipiendi immediate in seipsa formam perfectivam hujus *esse*, communicando aliud supernaturale, qualis est habitus gratiæ sanctificantis, nec potest esse forma ex natura sua transiens, utpote orninata ad operandum. Quocirca etsi charitas participari queat ab auxilio actuali, et transeunti, secus vero gratia. Videatur D. Thom. *quæst.* 27 *de Veritate*, *artic.* 2, *ad ult.* Quam doctrinam fuse expendimus *loco supra citato*, § 6.

Responsio.

D. Tho.

Tertium argumentum. 60. Tertio arguitur, quia non magis necessaria est charitas ad amorem super omnia, quam necessarium sit lumen gloriæ ad visionem beatificam, ut constat a paritate : sed habitus luminis gloriæ non est simpliciter necessarius ad videndum Deum in seipso ; potest enim videri in vi luminis transeuntis, ut liquet ex visione D. Pauli, et doctrina, quam tradit D. Thom. *quæst.* 13 *de Veritate*, *articulo* 2. Ergo nec habitus charitatis est simpliciter necessarius ad diligendum Deum super omnia, sed sufficiet

D. Tho.

ciet ad id auxilium transiens : at amor qui non dependet essentialiter ab habitu charitatis, non potest habere dependentiam essentialem a gratia, cum non dependeat ab ista, nisi mediante illa : ergo, etc.

Diluitur. D. Tho. Respondetur ex D. Thom. *quæst.* 20 *de Veritate, articulo* 2, concesso priori syllogismo, negando minorem subsumptam. Ex cujus probatione potius deducitur contrarium, quia sicut amor naturalis magis dependet ab anima rationali, quam a voluntate, a qua proxime elicitur, et qua mediante dependet ab anima : ita amor supernaturalis Dei ut finis ultimi, magis dependet a gratia sanctificante in qua radicatur, quam ab habitu charitatis, a qua proxime oritur; et ideo quamvis per absolutam Dei potentiam produci possit absque influxu istius, neutiquam vero absque illius concursu. Ratio est, quia gratia sanctificans est necessaria per modum naturæ proportionantis animam ad dilectionem, et visionem Dei in seipso : unde illa deficiente, nequeunt prædictæ operationes in homine existere ; illa vero supposita, et influente radicaliter, possunt ab eo produci, sive mediante habitu proxime operativo, sive in virtute motionis transeuntis. Videantur quæ diximus loco proxime citato.

Quartum argumentum. 61. Ultimo, et difficilius arguitur : nam si propter aliquam rationem amor Dei super omnia authoris supernaturalis connecteretur essentialiter cum gratia sanctificante, sicut cum principio effectivo, maxime quia est ex sua specie condignus vitæ æternæ : sed hoc est falsum : ergo, etc. Probatur minor : tum quia sicut actus charitatis est motus in beatitudinem, ita et actus spei; constat autem actum spei non esse ex se vitæ æternæ condignum. Tum etiam, quia charitas secundum se sumpta, non est causa actus meritorii vitæ æternæ, sed quatenus informata per gratiam, quæ est forma ipsius charitatis, sicut aliorum virtutum, ut

D. Tho. docet D. Thom. *in* 3, *distinct.* 27, *quæst.* 2, *artic.* 4, *quæstiunc.* 3 *ad* 2 *et* 5, *et quæst.* 27 *de Veritate, art.* 2 *ad* 6. Sed amor super omnia Dei ut finis ultimi supernaturalis, consideratus secundum suam speciem, correspondet charitati secundum se sumptæ, utpote quæ est inclinatio habitualis in prædictum finem : igitur prædictus amor non est ex specie sua vitæ æternæ condignus.

D. Tho. Id quod expresse docet D. Thom. *quæst. modo citata de Veritate, articul.* 2 *ad* 4, his verbis : « Dicendum quod charitas non sufficeret ad merendum bonum æternum, « nisi præsupposita idoneitate merentis, « quæ est per gratiam ; aliter enim dilectio « nostra non esset tanto præmio condigna. » Quod iterum repetit *articulo sequenti, ad* 5.

Confirmatio. Confirmatur, quia actus honestus non ex eo est condignus vitæ æternæ, quia ordinatur in Deum sicut in ultimum finem ; sed quia importat specialem modum dependentiæ a gratia sanctificante, ratione cujus est actus hominis Deo accepti : sed actus charitatis ex sua specie solum importat ordinem ad Deum sicut ad ultimum finem : ergo ex suis meritis non est condignus vitæ æternæ. Major, quæ sola indiget probatione, suadetur. Tum quia charitas secundum se sumpta, non potest efficere opus condignum vitæ æternæ, ut modo vidimus ex D. Thom. et ex eo insuper liquet, quia D. Tho. per suam informationem non reddit hominem prædictæ vitæ condignum : constat autem charitatem secundum se sumptam esse causam sufficientem amoris tendentis in Deum sicut in finem ultimum. Tum etiam, quia charitas participat a gratia efficaciam merendi, ut tradit D. Thom. locis relatis : sed non participat ab illa vim ordinandi suos actus in ultimum finem, cum in hac virtute sita sit essentia ipsius charitatis : igitur actus honestus non ex eo est meritorius vitæ æternæ, quia refertur in Deum sicut in finem ultimum, sed quia sortitur specialem modum dependentiæ a gratia sanctificante, sive conjunctionis ad illam.

Occurritur argumento. Respondetur negando minorem, ad cujus primam probationem dicendum est, quod actus spei est motus in beatitudinem per modum prætensionis innitentis divino auxilio, et merito charitatis : quo pacto potest optime natura inferior tendere in rem superiorem, ad quam non habet condignitatem, aut exigentiam. Cæterum actus charitatis est motus absolutus, et perfectus in beatitudinem, sicut in fructum sibi proportionatum; nam qui ardenter amat, condignus est visione amati, et ideo non potest non importare condignitatem ad illam.

D. Tho. Quæ solutio desumitur ex D. Thom. 1, 2, *quæst.* 114, *artic.* 4 *in corp.* ubi sic habet : « Considerandum est, quod vita æterna « in Dei fruitione consistit ; motus autem « humanæ mentis ad fruitionem divini « boni est proprius actus charitatis, per « quem omnes actus aliarum virtutum or« dinantur ad ultimum finem, secundum

« quod aliæ virtutes imperantur a chari-
« tate ; et ideo meritum vitæ æternæ primo
« pertinet ad charitatem, ad alias autem
« virtutes secundario, secundum quod ea-
« rum actus a charitate imperantur. » Ubi, ut vides, ex eo Ang. Doct. asserit, meritum vitæ æternæ pertinere per se primo ad charitatem, quia illius actus est motus in vitam æternam.

Nota. 1. D. Tho. Reliquæ propositi argumenti probationes majoris sunt momenti. Quas proinde ut perfecte dissolvamus, nota primo, quod gratia est charitatis forma eo modo, quo essentia animæ est forma voluntatis ; sic enim explicat illius informationem D. Thomas *in* 3, *dist.* 27, *quæst.* 2, *artic.* 4, *quæstiunc.* 3 *ad* 2; anima autem non dicitur forma voluntatis, quia conferat illi aliquam perfectionem ipsius speciei superadditam; sed ex eo præcise, quia radicat connaturalem ejus inclinationem ad bonum rationis : quocirca gratiam esse formam charitatis, nihil aliud præsefert, quam esse radicem illius; nam radix est superior virtute, quam radicat : omnis autem causa superior induit rationem formæ
D. Tho. respectu inferioris, ut tradit D. Thom. *loco citato*, his verbis : « Cum superiora sint
« formalia respectu inferiorum, quasi per-
« fectiora, quod participatur a superioribus
« in inferioribus, formale est. » Et post pauca : « Similiter essentia animæ supe-
« rior est voluntate, in quantum ab essen-
« tia voluntas, et omnes vires animæ
« fluunt. Et ideo gratia, quæ est perfectio
« essentiæ animæ, constituens ipsam in
« esse spirituali, est forma charitatis, et
« prudentiæ, et temperantiæ. » Potestque illustrari hæc doctrina alio exemplo ex eadem quæstione 27 *de Verit. artic.* 5 *ad* 5, nam gratia (ut ibi insinuat S. Doct.) est forma charitatis ad eum modum, quo prudentia dicitur forma virtutum moralium : constat autem, prudentiam ex eo præcise esse formam virtutum moralium, quia per modum regulæ, et causæ superioris producit in illarum actibus honestatem moralem, quam prædictæ virtutes per se primo respiciunt, et a qua speciem desumunt : ergo gratia non dicitur forma charitatis, quia addat illius actui aliquam perfectionem, quam prædicta virtus ex sua specie non respiciat, sed quia influit per modum fundamenti, et regulæ in ipsam charitatem, et ejus actus illammet perfectionem, qua in suo *esse* specifico constituuntur.

62. Secundo nota, quod perfectio, quam participat actus honestus ex influxu, et formatione gratiæ, non potest esse alia, quam habitudo ad Deum sicut ad ultimum finem super omnia dilectum, ut constat tum ex notabili modo præmisso : tum etiam, quia effectus proprius gratiæ debet sapere illius indolem, et naturam ; unde cum essentia gratiæ consistat in radice videndi, et amandi Deum, prout est in seipso, forma per quam dignificat actus honestos, debet esse ordo ad hunc finem. Tum deinde, quia omne quod per se respicit principium effectivum, debet per se respicere aliquem finem, quia nullum agens operatur nisi ex motione finis, et in ordine ad illum, ut expendit Divus Thomas *in* 2, *distinct.* 40, *quæst.* 2, D. Tho. *art.* 5; sed perfectio, per quam actus dignificantur a gratia, dependet per se ab illa sicut a principio effectivo : ergo tendit per se, et ordinatur ad aliquem finem, qui non potest esse alius, quam Deus ut beatificans, et summe bonus in seipso, cum elevemur per gratiam sanctificantem ad participationem, et fruitionem illius. Tum denique, qui ut tradit idem S. Doctor. 2, 2, *q.* 23, D. Tho. *art.* 8, in moralibus illa causa dat formam actui, quæ confert illi ordinem ad finem : sed gratia reddit actus meritorios dando illis supremam formam, quæ respectu nullius se habet ut materia : ergo dignificat illos conferendo illis ordinem ad supremum finem, qualis est Deus ut beatificans.

Nota 2.

Ex quo infertur primo, quod amor super omnia Dei ut finis ultimi supernaturalis, habet ex se condignitatem ad gloriam ; quia constituitur in sua specie per formam, per cujus participationem alii actus procedentes a gratia fiunt intrinsece vitæ æternæ condigni. Atque hinc infertur secundo, prædictum actum connecti essentialiter cum gratia, sicut cum principio effectivo, quia actus ut condignus beatitudinis importat hujusmodi connexionem cum illa. Quæ videntur esse perspicua Divo Thomæ D. Tho. loco supra adducto ex 1, 2, ubi dicit, meritum vitæ æternæ consistere principaliter in actu charitatis : et *in* 3, *distinct.* 29, *quæst.* 2, *artic.* 4, *quæstiunc.* 4 *ad* 3, ubi docet, quod amor charitatis participat essentialiter vitam gratiæ : et *quæst.* 2, *de Malo, art.* 5 *ad* 7, *et quæst. de Charitate, art.* 6, et supra, *quæst.* 23, *artic.* 8, et pluribus aliis in locis, in quibus statuit actus honestos ex eo esse meritorios vitæ æternæ, quia ordinantur actu in finem charitatis.

Observa

Nota 8. 63. Observa denique, quod ratio specifica charitatis potest sumi dupliciter: uno modo inadæquate quantum ad id quod exprimit, quo pacto solum dicit actualem benevolentiæ amorem ad ultimum finem, præcisive a quovis alio respectu. Secundo modo adæquate, atque ideo secundum id etiam, quod implicite claudit; et hac ratione importat habitudinem conjunctionis cum gratia, sicut cum radice, a qua formatur, estque proinde amicitia hominis ad Deum; nam D. Tho. ut ex professo probat D. Thom. *in* 3, *distinct.* 27, *quæst.* 2, *art.* 4, *quæstiunc.* 4, charitas non potest esse informis, sed connectitur essentialiter cum gratia, sicut voluntas cum anima, aut virtus moralis cum prudentia.

Si ergo virtus charitatis primo modo consideretur, non est causa adæquata actus meritorii, etiam intra lineam causæ proximæ; bene tamen si posteriori modo consideretur, quia prout sic operatur in virtute gratiæ, estque proxima, et immediata perfectio virtutum, sicut ipsa gratia prima, D. Tho. et radicalis, ut expresse tradit D. Thom. *quæst.* 14, *de Verit. art.* 5 *ad* 6, *et in corp.* his verbis: « Oportet quod habitus in infe- « rioribus viribus formentur per habitus, « qui sunt in superioribus; et sic ab aliqua « virtute superiori debet esse inferiorum « virtutum formatio, non a gratia imme- « diate. Unde communiter dicitur, quod « charitas est forma virtutum, non solum « in quantum habet gratiam inseparabili- « ter annexam, sed etiam ex hoc ipso, « quod est charitas. » Videatur ibi in solutione ad ultimum.

Præmissa doctrina applicatur argumento. 64. Ex his (quæ maxime confirmant veritatem nostræ conclusionis, imo et satis evincunt) respondetur primo ad secundam argumenti probationem, negando suppositum illius adversativæ, quæ in majori includitur; nam charitas secundum se, et adæquate sumpta est essentialiter informata per gratiam, non secus ac virtus moralis per prudentiam; quoniam ex sua formali ratione est amicitia hominis ad Deum, et virtus gratiæ in ordine ad dignificandos actus honestos per meritum vitæ . Tho. æternæ, ut docet D. Thom. *art. proxime citato ad* 3, ubi sic ait: « Dicendum, quod « modus quo charitas dicitur forma, ap- « propinquat ad modum illum, quo exem- « plar formam dicimus; quia id, quod est « perfectionis in fide, a charitate deduci- « tur, ita quod charitas habeat illud essen- « tialiter, fides vero et aliæ virtutes par- « ticipative. » Et loquitur de formatione virtutum in esse principii actus meritorii vitæ æternæ, ut constat ex corpore articuli.

Secundo respondetur distinguendo majorem, et si intelligatur de causa adæquata actus meritorii, concedatur; si vero de causa inadæquata, negetur: et eadem distinctione applicata minori, negetur consequentia. Neque obest probatio ex D. Thom. D. Tho. quia ibi solum docet charitatem secundum se acceptam non esse causam adæquatam actus meritorii, quod libenter admittimus; necessarius est enim insuper influxus gratiæ. Dum autem ait, quod si dilectio nostra procederet a sola charitate, non esset condigna beatitudine, verum quidem asserit: at solum probat unam partem contradictionis, quæ sequitur ex contraria sententia; nam si amor Dei super omnia poneretur in re absque influxu gratiæ, esset, et non esset condignus vitæ æternæ. Esset quidem, quia haberet omnem perfectionem, quam habet dum procedit a gratia, ut constat ex modo dictis. Non esset autem, quia nulla operatio potest esse Deo accepta in ordine ad beatitudinem, nisi supposita acceptione subjecti, et influxu gratiæ.

65. Ad confirmationem respondetur ne- Diluitur confirmatio. gando suppositum adversativæ in majori præmissa; sicut enim dependentia actus a gratia est reipsa ordo ad ultimum finem supernaturalem, ita habitudo illius ad finem ultimum est reipsa specialis dependentia actus a gratia; aliter quippe non esset suprema forma omnium moralium. Ex quo patet, falsam esse minorem illius syllogismi. Ad cujus primam probationem dicendum est, quod charitas secundum se sumpta non potest efficere opus condignum vitæ æternæ, ut causa illius adæquata; bene tame ut causa inadæquata simpliciter, et completa in suo genere, scilicet causæ proximæ.

Ad secundam respondetur negando minorem, quia sicut voluntas habet ab anima vim tendendi in bonum consonum rationi: ita charitas participat a gratia vim, et efficaciam ordinandi actus honestos in finem ultimum, per quam constituitur in sua specie. Videatur D. Thom. *quæst. unica de* D. Tho. *charit. artic.* 6, *in corpore, et quæst.* 27, *de Verit. artic.* 5, *in corp.* ubi ex mente Dionysii nostram firmat assertionem. Videantur etiam quæ diximus *tractat.* 16, *disputat.* 2, *dub.* 6, et eandem resolutionem valde confirmant.

DISPUTATIO V.

De augmento charitatis.

Cum habitus augeatur dependenter a suis actibus, vel sicut a causa efficiente, ut contingit in acquisitis, vel sicut a dispositione physica, aut morali, ut ostendemus evenire in per se infusis ; idcirco postquam egimus de actu charitatis, congruum est ut de illius augmento disseramus. Præsertim cum ea, quæ possent circa ipsam charitatem in præsenti agitari, vel sufficienter constent ex ipsa littera D. Thomæ, vel non obscure ex dictis in disputationibus præcedentibus colligantur.

DUBIUM I.

Utrum charitas sit capax augmenti ?

Augmentum qualitatis est duplex, aliud extensivum, aliud vero intensivum. Primum sumitur vel per ordinem ad partes subjecti, ut cum albedo existens in parva quantitate extenditur ad informationem majoris : vel per respectum ad diversas partes ejusdem objecti, quas de novo attingit ; quo pacto se extendit habitus scientiæ acquisitus per primam demonstrationem, cum fertur in alias conclusiones. Posterius vero augmentum, scilicet intensivum, sumitur per ordinem ad idem indivisibile subjectum, quia consistit in eo, quod forma magis, ac magis radicetur in illo, ejusque potentiam perfectius expleat, et sibi subjiciat, ut modo supponimus ex Philosophia Thomistica, et recte tradunt N. Complut. *in lib. de generat. disput.* 4, *quæst.* 8 *et* 9. In præsenti ergo non agimus de priori augmento, quia subjectum charitatis est ratio indivisibilis, ipsaque quantumvis minima sit, sufficiens est ad attingenda omnia objecta, quæ oportet ex charitate diligere ; ob idque non est capax extensionis subjectivæ, aut objectivæ. Sed procedit sermo de augmento intensivo, quod fit per majorem radicationem in subjecto. Et quia virtus charitatis potest considerari tripliciter : primo secundum se : secundo ut est in Viatoribus : tertio ut existit in Beatis ; idcirco ad plenam hujus materiæ intelligentiam considerabimus prædictam virtutem in his tribus statibus, et per respectum ad illos excitatam quæstionem decidemus.

N. Comp

§ I.

Prima pars dubii expeditur.

Prima conclusio.

1. Dicendum est primo, charitatem secundum se sumptam esse capacem augmenti intensivi syncategorematice infiniti. Hæc assertio est expressa D. Thom. *in* 1, *distinct.* 17, *quæst.* 2, *art.* 4, *et in hac* 2, 2, *quæst.* 24, *art.* 7, ubi Bannez, et Arauxo *dub.* 5, Malderus, dub. 5, Valent. *punct.* 5, Capreol. *in* 3, *distinct.* 13, *quæst.* 1, quibus accedunt omnes Authores, qui asserunt gratiam Christi Domini posse physice augeri in infinitum. Hi autem sunt Medina 3 *part. quæst.* 7, *artic.* 12, Alvar. *ibi, disput.* 36, Vincent. Asturicensis *relect. de gratia Christi, pag. nobis* 236, Joan. a Sanct. Thom. *eadem quæst. disput.* 9, *artic.* 1, Gonet *disputat.* 13, *articul.* 1, Suarez *disput.* 22, *sectione* 2, Vasquez *disput.* 47, *cap.* 3, et alii plures.

D. Tho. Bannez. Arauxo. Malder. Valent. Capreol. Medin. Alvarez. Vincent. Asturic. J. à S. Thom. Gonet. Suarez. Vasq.

Fundamentum.

Probatur autem ratione : nam illa qualitas est capax secundum se sumpta intensionis syncategorematice infinitæ, cui ex suis principiis specificis nullus præfigitur terminus augmenti infra infinitum : sed charitati ex suis principiis specificis nullus præfigitur terminus augmenti infra infinitum : charitas igitur secundum se sumpta capax est intensionis syncategorematice infinitæ. Major, et consequentia constant ; quia qualitas secundum se sumpta tantum respicit sua principia specifica : unde si ex parte illorum non præfigitur ei certus terminus intensionis, erit secundum se sumpta augmentabilis in infinitum. Minor vero suadetur, quia principia specifica charitatis sunt bonum summum, in quod tendit, et divinus amor, cujus est participatio formalis. Ex his autem capitibus nullus ei præfigitur terminus infra infinitum simpliciter ; nam quantumvis ipsa accedat ad summum bonum, potest magis, ac magis accedere ; et quantumcunque participet divini amoris, potest amplius, et amplius : cum enim divinus amor sit actu infinitus, inter ipsum, et quamlibet ejus participationem signatam mediant infiniti in potentio participationis modi. Quocirca necesse est, ut data qualibet intensione charitatis dabilis sit alia, et alia major sine termino infra, infinitum simpliciter.

Confirmatio prima.

Confirmatur primo : nam quantumvis charitas intendatur, nec potest exhaurire divinum amorem, cujus est participatio ; nec

nec amittere propriam speciem, et transire ad aliam, eo modo quo color fuscus, si nimium intendatur, corrumpitur in sua specie, et transit in nigrum : ergo charitas secundum se sumpta est capax augmenti interminabilis infra infinitum simpliciter. Consequentia patet, et etiam prima pars antecedentis ; nam cum divinus amor sit infinite participabilis, nequit per finitam sui participationem exhauriri. Secunda vero probatur, quia charitas per sui intensionem non mutat principia specifica, sed magis, ac magis accedit ad illa : sed dum non variantur principia specifica, non potest corrumpi species rei, quæ ab illis desumitur : charitas igitur non potest destrui per sui intensionem, sed quo magis intenditur, eo magis intra terminos suæ speciei perficitur.

Confirmatio secunda.

Confirmatur secundo : nam si propter aliquam rationem charitas secundum se sumpta non esset capax intensionis syncategorematice infinitæ, maxime quia dicit essentialiter ordinem transcendentalem ad subjectum creatum, cujus receptiva potentia est actu finita, et limitata : sed hæc ratio est nulla : ergo, etc. Probatur minor : tum quia licet potentia receptiva naturalis creaturæ sit omnino finita, secus vero potentia obedientialis, quia cum hæc dicatur per ordinem ad omnipotentiam Dei, commensuratur cum illa : unde sicut potentia Dei est infinita, ita potentia obedientialis creaturæ, quæ illi correspondet, debet esse infinita in suo ordine, scilicet in capacitate recipiendi. Constat autem charitatem non respicere potentiam naturalem creaturæ, sed obedientialem. Tum etiam, quia ut tradit D. Thom. *in* 1, *dist.* 17, *quæst.* 2, *art.* 4, *in corp.* quanto plus anima recipit de bonitate divina, tanto capacior efficitur ad recipiendum, proindeque tanto plus potest recipere; quoniam potentiæ immateriales non limitantur ex materia, sed proportionantur bonitati divinæ in eis perceptæ : unde sicut intellectus, quo difficiliora intelligit, eo fit habilior ad intelligendum ; ita voluntas, quanto plus recipit de charitate, tanto plus potest recipere ; per ipsam quippe receptionem bonitatis perficitur, et augetur in illa capacitas ad recipiendum, ut § 4 magis explicabimus.

D. Tho.

Objectio.

2. Dices : essentia finita vindicat sibi finitam intensionem, neque potest suscipere infinitam, eo quod modus intensionis debet esse proportionatus essentiæ, quam modificat : sed charitas est finita secundum essentiam, ut quæ constat genere, et differentia : igitur non est capax intensionis infinitæ.

Diluitur.

Respondetur, quod essentia finita est incapax intensionis infinitæ simpliciter, et in actu ; secus vero infinitæ secundum quid, et in potentia : nam cum hujusmodi intensio sit finita simpliciter, et in actu ; et infinitas ei competens solum sit possibilis, non vero actu existens extra causas, sufficienter proportionantur essentiæ finitæ, præsertim si hujusmodi essentia sit formalis participatio actus infinite communicabilis, ut in charitate contingit.

Replica.

Sed instabis : nam quælibet forma creata vindicat sibi ex propria ratione determinatam suæ perfectionis quantitatem, ultra quam non potest connaturaliter crescère : sed charitas est forma creata : ergo ex propria ratione determinat sibi gradum intensionis, ultra quem non possit ex natura rei augeri.

Solvitur.

Respondetur majorem esse veram, loquendo de forma creata, quæ est connaturalis alicui substantiæ ; nam ex hac connaturalitate plures formæ vindicant determinatum augmentum, ultra quod si pertingant, fiunt innaturales suis subjectis, illorumque corruptionem inducunt, ut videre est in calore, qui si intendatur in homine ultra certum gradum, dissolvit connaturale illius temperamentum, quo dissoluto, perit homo, et omnes qualitates in illo receptæ. Charitas autem non est connaturalis alicui substantiæ creatæ, vel creabili ; et ideo non determinat sibi ex natura sua certum intensionis gradum, sed est connaturaliter intensibilis in infinitum.

Alia replica.

3. Sed urgebis adhuc : nam albedo, et nigredo non sunt capaces intensionis syncategorematice infinitæ : ergo nec charitas. Antecedens constat : tum quia albedo, si nimium intendatur, destruitur : tum etiam, quia sequitur determinatam formam ; accidentia autem quæ sequuntur determinatam formam, non possunt crescere in infinitum, ut probat D. Thom. 1 *part. q.* 7, *art.* 3. Consequentia vero liquet a paritate, quia sicut charitas est participatio amoris infiniti, ita albedo est participatio entis infiniti, scilicet primi.

D. Tho.

Convellitur. Soto.

Respondetur negando antecedens cum Magistro Soto 1 *physic. quæst.* 4, art. 2, *et* 3. Ad illius autem probationes dicendum, accidentia consequentia aliquam formam,

esse proportionata cum illa : unde eo ipso, quod prædicta forma sit determinata, debent illius accidentia habere terminum magnitudinis, et parvitatis, quem non possint naturali cursu transcendere ; secus autem de potentia Dei absoluta. Nam attenta hujusmodi potentia nullus præfigitur terminus infra infinitum in actu accidentibus, ex eo quod sequantur formam determinatam, ut patet in quantitate ignis, vel aquæ, quæ licet habeat connaturalem terminum sui augmenti, de potentia vero absoluta est augmentabilis in infinitum syncategorematice. Id quod etiam videre est in albedine nivis, quæ nunquam erit ita intensa, quin de potentia Dei absoluta possit magis ac magis intendi. Charitas autem non consequitur aliquam formam naturalem, et determinatam ; et ideo ex natura sua est capax intensionis syncategorematice infinitæ.

Quibus adde, albedinem, calorem, et alia hujuscemodi, non esse participationes formales alicujus perfectionis divinæ, sed virtuales tantum : etsi autem virtualis participatio formæ per magnum accessum ad illam corrumpatur, et in aliam speciem transeat; secus autem ipsius participatio formalis, quo pacto charitas creata divinum amorem participat.

§ II.

Dirimitur secunda difficultas.

Secunda conclusio.

4. Dicendum est secundo, charitatem viæ esse capacem ex sua natura augmenti syncategorematice infiniti, atque ideo in nullo viatore actu habere terminum, quem non valeat de potentia Dei ordinaria transire. Hæc assertio colligitur ex illo ad Philip. 1 : *Oro ut charitas magis, ac magis abundet ;* et ad Thessalonicens. 4 : *Crescamus in illo per omnia :* et Apocal. 22*: Qui justus est, justificetur adhuc.* Et ex Concil. Trid. *sess.*6,*cap.*10,ubi diffinitur,justos per bona opera crescere in dies, ac proficere in sanctitate.Nam si charitas per bona opera, quæ justi eliciunt, crescit et augetur in dies, evidens est,quod non habetin illis intensionis terminum, quem non possit de potentia Dei ordinaria transcendere, sed esse capacem augmenti syncategorematice infiniti ; nam hujusmodi augmenti capacitas in eo consistit, quod charitas viæ non habeat intensionis gradum, ultra quem non possit augeri. Unde hanc conclusionem tuentur cum D. Thom. *in hac.* 2, 2, *quæst.*24, *artic.* 4, Bannez, Valentia *punct.* 3, *conclus.* 3, Malderus *concl.* 1, *et* 5, Pesantius *disp.* 1, Arauxo *dub.* 1, Ferre *quæst.* 14, § 1, Gonet *disp.* 10, *art.* 6, *concl.* 1, et plures alii.

Ad Phil. 1. Ad Thess. 4. Apoc. 22.

Fundamentum ab auctoritate Concil. Trid.

D. Tho. Bannez. Valent. Malder. Pesant. Arauxo. Ferre. Gonet.

Probatur autem ratione qua utitur D. Thom. *in* 1, *distinct.* 17, *quæst.* 2, *artic.* 4, et *in hac* 2, 2, *quæst.* 24, *art.* 7. Nam quod aliqua forma habeat terminum finitum suæ intensionis, ultra quem non possit ascendere, vel provenit ex parte ipsius formæ, vel ex parte subjecti, in quo recipitur, vel ex parte agentis, a quo producitur : sed ex nullo ex his capitibus præfigitur charitati viæ terminus actu finitus suæ intensionis : ergo charitas viæ non habet terminum finitum, ultra quem non possit de potentia Dei ordinaria intendi, sed est capax augmenti syncategorematice infiniti. Major, et consequentia constant : minor vero quoad primam, et secundam partem etiam liquet ex dictis § *præced.* quoad ultimam autem suadetur, quia causa productiva, et intensiva charitatis est infinita virtus Dei : virtus autem infinita non potest adæquari per effectum actu, et potentia finitum ; sed quolibet dato, potest producere alium, et alium perfectiorem sine termino infra infinitum simpliciter.

Ratio assertionis. D. Tho.

Alia ratio.

5. Secundo probatur eadem conclusio alia ratione magis speciali ; nam dum quis est in via ad aliquem terminum,potestquantum est ex parte ipsius viæ ulterius pergere, ampliusque ad illum accedere : sed charitas est via, per quam tendimus in hac vita in Deum sicut in finem ultimum nostræ beatitudinis, ad quem accedimus non passibus corporis, sed affectibus mentis, ut constat ex illo 1, ad Corinth. 12 : *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro :* quod esse intelligendum de charitate, docet D. Thom. *quæst.* 24 *citata, art.* 4. Ergo dum sumus in hac vita, possumus magis, ac magis in charitate procedere,et Deo appropinquare : sed hæc major propinquitas, et accessus ad Deum per charitatem in eo consistit, quod ipsa magis, ac magis augeatur : ergo charitas viæ non habet terminum præfixum suæ intensionis, sed potest magis ac magis in infinitum syncategorematice augeri.Cætera constant : major vero probatur, quia dum aliquis est in via ad aliquem terminum, distat aliqualiter ab illo ; nam si esset illi indistans, non esset in via, sed in

1 Cor. 12.

D. Tho.

fine

fine viæ, et reali possessione termini, in quem tendit : constat autem, quod dum aliquis est in via ad terminum, potest quantum est ex hac parte ulterius pergere, illique amplius appropinquare.

Roboratur. Confirmatur primo : nam processus viæ ad aliquem terminum finiri nequit ante realem consequutionem illius : sed charitas est via, per quam modo tendimus in beatitudinem sicut in terminum : igitur ante realem consequutionem illius, non potest charitatis processus, seu augmentum finiri; sed quolibet dato, poterit dari aliud, et aliud perfectius sine termino.

Fulcitur amplius. Confirmatur secundo : quia status viæ consistit in eo, quod mobile possit ulterius pergere versus finem, in quem tendit; status siquidem viæ est status motus, seu processus ad aliquem terminum : ergo implicatorium est, quod charitas viæ assequatur intensionis gradum, ultra quem non possit intendi. Patet consequentia, quia cum processus, seu motus charitatis consistat in illius intensione, eo ipso quod non posset amplius intendi, non posset ulterius procedere, seu moveri : subjectum autem, quod moveri nequit, non est in motu, seu statu viæ, sed in termino ; quia deficiente possibilitate motus, cessat per locum ab intrinseco viæ processus.

Objectio. 6. Dices : cuilibet justo præfixa est per divinam providentiam determinata, et finita charitatis intensio, in gradu scilicet proportionato gloriæ, ad quam est prædestinatus : ergo charitas viæ nequit de potentia Dei ordinaria in infinitum syncategorematice augeri, sed solum usque ad certum gradum divinitus constitutum. Patet consequentia, quia si ulterius posset augeri, posset frustrari dispositio divinæ providentiæ, quod est blasphemum.

Solutio. Respondetur negando consequentiam, quam non evincit probatio ; nam respectu charitatis viæ per accidens, et de materiali se habet, quod Deus illi præfixerit certum suæ intensionis gradum; non enim id exposcit ex natura rei, aut ex conditione status vialis. Unde licet de facto nunquam transcendat illum gradum, nec attingat ante ultimum instans merendi, augerive possit in infinitum syncategorematice in sensu composito divini decreti præfigentis sibi intensionis gradum ; bene tamen in sensu diviso, et quantum est ex natura sua, et status viæ, in quo est. Quod non infert frustrationem divinæ providentiæ, ut ex alibi dictis liquet. Et quidem si hæc consequentia aliquid probaret, etiam convinceret, quod per nullam potentiam posset augeri charitas parvuli decedentis ante usum rationis ; quia per nullam potentiam frustrari potest dispositio divinæ providentiæ, quæ decrevit illius obitum in statu remisso charitatis; quod tamen nemo concedet, cum perspicuum sit, habitum adeo remissum posse de lege ordinaria a Deo intendi : nam hujus potentiæ sphæra non restringitur ad id, quod libera Dei voluntate sancitum est, sed totum id potest, quod congruit naturis rerum secundum se, et secundum status illis annexos.

§ III.

Ultima pars dubii absolvitur.

Tertia conclusio. 7. Dicendum est tertio, quod charitas patriæ non potest augeri de potentia Dei ordinaria, bene tamen de potentia absoluta, idque in infinitum syncategorematice. Hæc assertio est de mente D. Thom. *in* 1, D. Tho. *dist.* 17, *q.* 2, *artic.* 4, et *in hac* 2, 2, *q.* 24, *art.* 4 *et* 7, cui subscribunt Authores, quos pro assertionibus præcedentibus adduximus.

Suadetur prima assertionis pars. Probatur autem prima hujus conclusionis pars ratione; nam quod est extra statum viæ, nequit saltem de lege ordinaria procedere : sed charitas patriæ est extra statum viæ; fruitur namque suo termino, scilicet beatitudine, per cujus possessionem excluditur status viæ : ergo nequit de lege Dei ordinaria procedere : sed charitatis processio est illius intensio : charitas ergo patriæ nequit de potentia Dei ordinaria intendi.

Roboratur. Confirmatur : nam eo ipso, quod quis sit extra tempus destinatum per naturam ad augmentum, nequit de lege ordinaria amplius augeri : sed charitas patriæ est extra tempus destinatum ex natura rei ad sui augmentum, quia tempus augendi charitatem est tempus merendi beatitudinem, quod cessat per illius possessionem : ergo charitas, ut est in patria, non est capax augmenti, attenta lege ordinaria Dei.

Aliud ejusdem partis motivum. Deinde probatur eadem assertionis pars alia ratione magis speciali, et a priori. Nam quod est in statu immobili ex natura sua, non potest de lege ordinaria minui, aut intendi; statui quippe immutabili debita est immutabilitas, et persistentia in

sua perfectione; ob idque non potest pati variationem in illa, attenta ordinaria Dei potentia, quæ providet rebus juxta naturam rerum, et ipsarum connaturalia debita : sed charitas patriæ est in statu immobili, et immutabili ab intrinseco, quantum ad suam substantiam, quæ pensatur ex beatitudine essentiali, et amore Dei ut finis ultimi, et summi boni in seipso : ergo charitas patriæ non potest de lege Dei ordinaria intendi, sed in eo gradu, quem habuit in primo instanti visionis beatificæ, persistere debet usque in sempiternum.

Probatur secunda pars assertionis.

8. Secunda vero pars hujus conclusionis suadetur breviter; nam charitati patriæ ex nullo capite repugnat augmentum syncategorematice infinitum : ergo capax est illius, attenta Dei omnipotentia. Consequentia liquet : antecedens vero probatur; quia qualitati creatæ solum potest repugnare intensio syncategorematice infinita, vel ex parte agentis, cujus virtus non extenditur ad tantam perfectionem; vel ex parte subjecti, quod est incapax illius; vel ex parte ipsius formæ, quæ habet ex se determinatam mensuram, quam non potest transcendere, ut contingit in pallore, cujus termini per continuam alterationem exceduntur, perveniturque ad albedinem, vel nigredinem : sed nullo ex his capitibus repugnat charitati patriæ intensio syncategorematice infinita, ut constat ex dictis *num.* 1, et ostendit D. Thom. locis pro assertione allegatis : ergo charitas patriæ attenta Dei omnipotentia augmentabilis est in infinitum.

D. Tho.

Responsio.

Dices superesse aliud caput, ex quo repugnat charitati patriæ intensionis processus, scilicet statum ipsum, in quo est; nam subjectum existens in aliquo termino, per nullam potentiam potest amplius moveri ad illum, alias non esset in possessione prædicti termini, sed ab eo distans : charitas autem accedit ad terminum beatitudinis per sui intensionem; unde si semel præsupponatur esse in illo, per nullam potentiam valebit amplius intendi.

Evertitur.

Sed contra est : nam quamvis status beatificus excludat a charitate patriæ intensionem de potentia ordinaria, secus autem de potentia absoluta; quoniam prædicta intensio ex nullo capite includit contradictionem : non enim involvit illam (quod dubitari posset), ex conditione ipsius status beatifici : tum quia etsi charitas patriæ sit in termino meriti, qui est beatitudo, distat tamen infinite ab amore divino, cujus est formalis participatio; et ideo nihil prohibet, quin amplius intendatur, et media hac intensione, magis ac magis accedat ad illum. Tum etiam, quia licet subjectum existens in termino omnino indivisibili, et incapaci majoris augmenti, et latitudinis, nequeat amplius moveri ad illum, secus autem si prædictus terminus sit capax extensionis majoris ea, quam actu habet; quoniam in hoc casu inter possessionem termini, in qua existit mobile, et illius latitudinem possibilem, cadit distantia motus pertransibilis : hujusmodi autem conditionis est visio beatifica; nam quamvis sit actu finita, est tamen capax intensionis syncategorematice infinitæ. Unde per ordinem ad hanc illius latitudinem possibilem potest charitas patriæ in infinitum augeri, utpote quæ non est actu conjuncta prædictæ visionis latitudini, sed ab illa distans.

§ IV.

Referuntur opiniones contrariæ.

Prima sententia opposita.

9. Adversus conclusionem § 1, a nobis stabilitam est quorundam, neque infimæ notæ, Theologorum opinio, quæ asserit charitatem secundum se sumptam non esse capacem intensionis syncategorematice infinitæ, sed terminari ex natura sua per maximum quod sic, et minimum quod non; atque ideo dabilem esse summam charitatem, quæ per nullam potentiam amplius valeat augeri. Ita Durandus *in* 3, *distinct.* 13, *quæstione* 1, Scotus *ibidem*, Cajetan. *in hac* 2, 2, *quæstione* 24, *articulo* 7 *et* 3 *part. quæstione* 7, *articulo* 9, 10 *et* 11, Driedo *de captivitate, et redemptione humani generis, tract.* 2, *cap.* 2, *part.* 3, *art.* 6, Lorca *loco proxime citato*, 2, 2, *disput.* 29, a quibus non longe absunt D. Bonavent. *in* 3, *dist.* 13, *art.* 1, *q.* 2, et Palud. *ibid. quæst.* 1.

Durand. Scot. Cajet. Driedo. Lorca. D. Bon. Paludan.

Primum argumentum Philos.

Probatur primo hæc sententia : nam ut docet Philosoph. 2, *de Anima, text.* 41, omnium natura vitali constantium est certus terminus magnitudinis, et augmenti : sed charitas est forma vitalis : ergo vindicat sibi ex natura rei certum suæ intensionis terminum, quem non poterit de lege saltem ordinaria transcendere.

Solutio.

Respondetur Philosophum non loqui de intensione qualitatum supernaturalium, quas ignoravit, sed de augmento substantiarum viventium ordinis naturalis, quæ determinant

determinant sibi certum quantitatis augmentum, eo quod sub illo, et non sub majori, habeant debitam dispositionem ad suas operationes exercendas. Quæ ratio non militat in charitate; nam hæc quo intensior, eo melius disposita est ad exercitium sui actus, eoque perfectiorem dilectionem exerit.

Secundum argumentum.

10. Secundo arguitur : nam charitas Christi Domini est in summo gradu intensionis, qui intra charitatis speciem est possibilis; et tamen est actu finita : ergo charitas secundum se sumpta non est capax intensionis syncategorematice infinitæ. Minor. et consequentia constant : major vero suadetur. quia quanto potentia receptiva est magis conjuncta causæ influenti, tanto abundantius recipit : sed anima Christi Domini est summe conjuncta Deo, qui est causa influens charitatem, et gratiam : ergo anima Christi Domini participat ab illo has virtutes in summo gradu possibili intra illarum speciem. Quæ est expressa doctrina D. Thom. 3 *part. quæst.* 7, *art.* 9, 10, 11 *et* 12, ubi post alia ita concludit : « Finis « gratiæ est unio creaturæ rationalis ad « Deum; non potest autem esse, neque in- « telligi major unio, quam quæ est in per- « sona; et ideo gratia Christi Domini per- « tingit ad summam mensuram gratiæ : et « sic manifestum est, quod gratia Christi « Domini non potest augeri, neque ex parte « ipsius gratiæ, sed neque ex parte sub- « jecti. » Quod etiam tradit *in* 3, *dist.* 13, *quæst.* 1, *art.* 2, *quæstiunc.* 3. Constat autem, eandem esse rationem de charitate Christi Domini, ac de illius gratia.

D. Tho.

Nota primo pro solutione

Hujus argumenti difficultas expendenda est, et decidenda ex professo 3 *part. quæst.* 7, ubi propriam sedem habet. Quare in præsenti breviter illius solutionem perstringemus. Pro quo nota primo, quod gratia Christi Domini (et idem est de illius charitate), potest sumi dupliciter : uno modo physice, quo pacto est formalis participatio naturæ divinæ : alio modo moraliter, qua ratione importat dignitatem ad merendum, et satisfaciendum pro nobis, participatam ex conjunctione personali Verbi divini. Interest autem tantum discriminis inter utramque considerationem gratiæ, quod priori modo accepta est actu finita, posteriori vero infinita simpliciter.

Nota 2.

Secundo nota, quod formæ intensibili præfigitur naturalis terminus sui augmenti ex fine, ad quem per divinam sapientiam dirigitur, ut docet D. Th. 3 *part. q.* 7, *art.* 12; finis autem ad quem gratia essentialiter ordinatur, est unio affectiva, et assimilativa creaturæ rationalis ad Deum. Unde quia in hac unione non est dabilis ex natura rei summus gradus infra infinitum, sed quolibet dato, potest dari alius perfectior, idcirco gratia secundum se sumpta non vindicat sibi determinatum gradum sui augmenti, sed est capax ex natura rei intensionis syncategorematice infinitæ.

D. Tho

Observa denique, quod gratia Christi Domini ordinata est insuper ad unionem personalem humanitatis cum Verbo, et per respectum ad hunc finem sortita est terminum intensionis in illo gradu, quem divina sapientia judicavit convenientissimum per modum dispositionis ad prædictam unionem. Unde gratia Christi Domini nequit augeri physice de lege ordinaria, eo vel maxime, quia existit in illo ut in subjecto connaturali : omnis autem forma connaturalis suo subjecto vindicat certum suæ intensionis gradum, quem nequit de lege ordinaria transcendere.

Nota 3.

Satisfit argumento.

11. Ex his ad argumentum respondetur negando majorem intellectam de gratia, aut charitate Christi Domini physice sumpta; nam considerata moraliter, est in summo perfectionis gradu, qui haberi potest. Ad primam autem probationem in contrarium dicendum est, illum discursum convincere intentum in causa necessario influente, secus autem in causa libera; nam etsi hujusmodi causa eo, cæteris paribus, actuet melius potentiam passivam, quo habet illam sibi magis unitam; non tamen sequitur, quod si habet eam summe conjunctam sibi, influat in ipsam secundum ultimum suæ virtutis; quia cum hic influxus liber sit causæ influenti, potest ab eà pro libito restringi, et moderari, ut contingit in præsenti. Verbum quippe non influit gratiam in humanitatem assumptam secundum ultimum suæ virtutis, et prædictæ humanitatis capacitatem; sed secundum suæ voluntatis beneplacitum, atque ideo in illo gradu, quem divinæ providentiæ mensura taxavit. Unde gratia Christi Domni physice accepta est summa, quæ haberi potest sub mensura prædictæ dispositionis, non vero absolute loquendo, et inspectis præcise terminis suæ speciei. Quæ solutio desumitur ex D. Thom. *q.* 10, *art.* 4 *ad* 3, ubi sic habet : « Ad tertium dicendum, quod « sicut supra dictum est de gratia, quod

D. Tho.

« non potest esse major gratia, quam gra-
« tia Christi Domini per respectum ad
« unionem Verbi ; idem etiam dicendum
« est de perfectione divinæ visionis, licet
« absolute considerando possit esse aliquis
« gradus sublimior secundum infinitatem
« divinæ potentiæ. » Constat autem gradum intensionis, qui est absolute loquendo possibilis, sive ad quem attenta Dei omnipotentia potest ascendere gratia Christi Domini contineri, intra illius speciem.

Ad secundam probationem respondetur, gratiam non ordinari essentialiter ad unionem personalem animæ cum Verbo, sed accidentaliter ex dispositione divina. Unde licet gratia Christi Domini ex hac posteriori ordinatione assequatur summum gradum suæ intensionis ; secundum se tamen considerata non determinat sibi certum suæ intensionis augmentum. Sed est capax intensionis syncategorematice infinitæ, potestque proinde attenta Dei omnipotentia amplius intendi, quamvis de lege ordinaria oppositum illi conveniat, ut docet D. Thom. locis in argumento citatis, in quibus solum intendit probare gratiam Christi Domini non posse augeri de lege ordinaria, ut constat tum ex gravitate terræ, et charitate patriæ, quas ibi adducit in exemplum ad ostendendum gratiam Christi Domini non posse augeri, neque ex parte formæ, neque ex parte subjecti ; nam tam gravitas terræ, quam charitas patriæ possunt amplius intendi, attenta Dei omnipotentia, absolute loquendo. Tum etiam ex authoritate proxime adducta, in qua suam mentem perspicue manifestat.

Mens D. Thomæ. D. Tho.

12. Tertio arguitur pro hac sententia : nam capacitas creaturæ ad recipiendam charitatem non est infinita syncategorematice : ergo charitas secundum se sumpta non potest augeri in infinitum. Consequentia ex eo liquet, quia charitas secundum se accepta dicit habitudinem ad subjectum creatum, atque ita necesse est, ut illius capacitati proportionetur. Antecedens vero probatur : tum quia potentia receptiva charitatis est connaturalis creaturæ rationali ; quoniam ut docet D. August. *lib. de præd. Sanct. c.* 5, posse habere gratiam, et charitatem, naturæ est hominis : constat autem potentiam naturalem esse incapacem formæ syncategorematice infinitæ. Tum etiam, quia si propter aliquam rationem esset in creatura capacitas ad suscipiendam hujusmodi formam, maxime quia quo plus recipitur charitatis in creatura, eo hæc fit magis habilis ad recipiendum illius augmentam ; hoc autem est aperte falsum, quia causa formalis, qualis est charitas, nequit augere in suo subjecto id, quod est proprium illius, scilicet potentiam recipiendi, cum potius prædictam potentiam actuet, perficiat, et quodammodo excludat.

Tertium argumentum.

D. Aug.

Respondetur negando antecedens. Ad cujus priorem probationem dicendum, potentiam receptivam gratiæ posse sumi dupliciter : uno modo in esse entis, et hac ratione est ordinis naturalis, quia est ipsa entitas substantialis animæ, ut constat inter alia ex adducta authoritate D. Augustini. Alio modo in esse potentiæ passivæ obedientialis, quo pacto respicit agens supernaturale, et proportionatur cum illo. Unde sicut prædictum agens est infinitæ virtutis activæ, ita potentia obedientialis est infinitæ capacitatis passivæ ; in hoc videlicet sensu, quod sicut Deus potest efficere effectum magis, ac magis perfectum infra infinitum simpliciter, ita potentia obedientialis capax est recipiendi formam syncategorematice infinitam.

Dissolvitur.

D Aug.

Ad secundam probationem negatur minor, quam non evincit probatio, quia mens D. Th. non est, quod charitas augeat entitative capacitatem potentiæ, in qua recipitur, eo modo quo portio materiæ addita præexistentibus, auget in illa potentiam receptivam quantitatis ; sed solum vult, quod potentia obedientialis animæ per charitatem, quam recipit, disponatur, et habilitetur ad recipiendum illius augmentum, eo modo quo intellectus percepto objecto difficili, fit magis habilis ad alia intelligibilia capessenda ; vel sicut subjectum habens calorem ut unum est magis dispositum, et approximatum receptioni caloris ut duo, quam si nullum calorem haberet. In qua assertione nullum est inconveniens, nullaque involvitur conditio, quæ dissonet naturæ charitatis ; quippe illi consentaneum est, ut per sui receptionem habilitet capacitatem animæ, et approximet ad perfectiorem sui intentionem recipiendam ; quandoquidem ipsa capacitas animæ per susceptionem charitatis remissæ fit magis propinqua, et proxime susceptiva charitatis intensæ. De quo videri potest Cajet. *in hac* 2, 2, *quæst.* 24, *artic.* 7.

Cajetan.

Aliæ sententiæ contrariæ. Begardi. Beguinæ.

13. Contra nostram secundam assertionem triplex militat sententia. Prima, quæ fuit Begardorum, et Beguinarum, asserit justos

justos in hac vita pervenire regulariter ad statum, in quo illorum charitas non possit amplius augeri : quæ positio refertur, et damnatur in Clementina *Ad nostram, de hæretic.* Secunda fuit Joviniani, qui asserebat omnium justorum charitatem esse æqualem, ac proinde in nullo eorum augeri, ut referunt D. Hier. *lib.* 2, *adversus ipsum Jovin.* et D. August. *lib. de hæres.* 82. Tertia opinio adstruit, charitatem viæ posse quidem augeri, non tamen in infinitum syncategorematice. Ita Rich. *in* 1, *dist.* 17, et Gandavens. *quodlib.* 2, *quæst.* 2, quibus accedunt Authores *num.* 9 adducti contra nostram primam assertionem. Id autem, in quo omnes istæ sententiæ conveniunt, scilicet charitatem viæ non esse capacem intensionis syncategorematice infinitæ, suadetur ab inconvenienti. Primo, quia si charitas viæ esset ex natura rei augmentabilis in infinitum, posset charitas cujuslibet justi, attenta præcise potentia Dei ordinaria, excedere gratiam Christi Domini : at consequens est plusquam falsum : ergo et illud, ex quo sequitur. Probatur sequela, quia charitas Christi Domini physice considerata est actu finita, ut § *præced.* vidimus : constat autem quodlibet finitum posse superari ab alio finito, cujus non sit terminus augmenti.

Clem. unic. Jovinian. D. Hier. D. Aug. Richard. Gandav. Primum argumentum.

Huic argumento respondet D. Thom. 3 *part. quæst.* 7, *art.* 11 *ad* 3, sic : « Dicendum, quod minus per augmentum potest « pervenire ad quantitatem majoris in iis, « quæ habent quantitatem unius rationis ; « sed gratia alterius hominis comparatur « ad gratiam Christi Domini sicut virtus « quædam particularis ad universalem. « Unde sicut virtus ignis, quantumcunque « crescat, non potest adæquare virtutem « solis ; ita gratia alterius hominis, quan- « tumcunque crescat, non potest adæquare « gratiam Christi. » Constat autem idem esse dicendum, quantum ad hoc de charitate Christi Domini, ac de illius gratia.

Respon- sio. D. Tho.

Secundo respondetur, sive amplius explicatur præcedens solutio animadvertendo, charitatem justorum posse considerari dupliciter. Uno modo quantum ad id præcise, quod importat ex sua ratione specifica, et statu viali. Alio modo, ut est gratia membri participantis illam ex influxu Christi Domini sicut capitis. Primo igitur modo considerata potest de lege ordinaria augeri in infinitum syncategorematice, excedereque proinde charitatem Christi Domini ; secus autem posteriori modo accepta. Nam charitati inferioris, sive membri, quatenus tali, connaturale est sistere infra charitatem capitis. Unde quia absoluta loquutio, præsertim negativa, quæ totum destruit, proferri debet attentis omnibus, non vero consideratis præcise, quæ ex hoc, vel illo capite aut sunt connaturalia, aut non repugnant ; idcirco absolute loquendo dicendum est, charitatem justi existentis in via non posse de lege ordinaria Christi Domini charitatem excedere, eo quod hic excessus sit illi inconnaturalis ex uno capite, nempe ex conditione speciali sui subjecti, quod non habet gratiam, nisi ex influxu Christi Domini sicut capitis

14. Secundo arguitur : quia infinitum in actu neque per divinam potentiam est possibile : sed si charitas viæ esset augmentabilis sine termino, posset dari infinitum in actu : charitas igitur viæ non est absque termino intensibilis. Probatur minor, quia si a parte rei poneretur charitas interminata, existeret a parte rei infinitum in actu : ergo si potest dari a parte rei prædicta intensio carens termino, dari poterit infinitum in actu ; quandoquidem quidquid facit actus actu, facit potentia possibiliter. Secundum argumentum.

Respondetur negando minorem, cujus nulla est probatio, utpote in qua arguitur a divisiva ad copulativam ; infinitum siquidem in potentia eo ipso, quod tale, nequit secundum omnes suas partes copulative sumptas a parte rei existere ; quia de illius ratione est, quod aliquid ejus semper restet producendum, eo quod est inexhauribile in sua productione. Unde si poneretur a parte rei existens secundum se totum, amitteret infinitatem in potentia, transiretque ad infinitum in actu, quod est impossibile : nam infinitum in potentia non est potentia ad infinitum in actu, ut falso supponit argumentum ; sed potentia ad finitum in actu, cui semper potest fieri additio. Videantur N. Compl. 3 *Phys. disp.* 18, *quæst.* 3. Solutio. N.Comp.

Tertio, et ultimo arguitur : nam si charitas viæ esset augmentabilis in infinitum, posset excedere charitatem patriæ, utpote finitam, et limitatam : sed hoc non est dicendum ; charitas enim viæ comparatur ad charitatem patriæ sicut imperfectum ad perfectum, et sicut motus ad suum terminum : ergo neque illud, ex quo sequitur. Tertium argumentum.

Respondetur perfectionem charitatis

Respon-sio. posse attendi, vel ex sola intensione, vel ex omnibus capitibus, quæ concurrunt ad illam integrandam, atque ideo absolute, et simpliciter. Ex primo igitur capite neque repugnat, neque est inconveniens, quod charitas viæ excedat charitatem patriæ in diversis subjectis ; nemo enim Catholicorum abnuet charitatem, qua beatissima Virgo Deum amabat in via, excedere charitatem alicujus comprehensoris, utputa parvuli decedentis immediate post regenerationis lavacrum. Cæterum attentis omnibus, adeoque absolute loquendo, charitas viæ non potest adæquare perfectionem charitatis patriæ. Tum ob majus dominium, quod habet in patria supra subjectum. Tum quia secundum ultimum sui posse, et sine intermissione fertur actualiter formaliter in Deum. Tum ob præsentiam objecti, cujus visio maxime auget amorem. Tum denique ob alias causas ibi concurrentes, quæ videri
D. Tho. possunt apud D. Thom. *quæst. unic. de charitate, art.* 10, et *in hac* 2, 2, *quæst.* 24, *art.* 7 *ad* 8, et magis expendemus *disp.* 7, *dub.* 4.

Contra tertiam conclusionem nulla militat difficultas, quæ ex dictis § 3, non diluatur.

DUBIUM II.

Utrum charitas augeatur physice dispositive nostris actibus.

Oportet hic præmittere nonnulla, quæ alibi discussa reliquimus, ut ad punctum præsentis difficultatis cum majori expeditione accedamus, et sensus dubii amplius innotescat.

§ I.

Prælibantur aliqua.

Nota. 15. Primo observandum est, quod cum charitas sit proprietas gratiæ sanctificantis, juxta ea quæ diximus *tract.* 14, *disp.* 4, *dub.* 6, nequit augeri nisi ad ejus augmentum, sicut nec infundi, nisi ad ejus infusionem. Unde idem debet esse influxus nostrorum actuum in gratiam, et charitatem. Sed quia gratia exercet vim meritoriam media charitate, potius quam per alias virtutes, ut ex professo ostendimus *tract.* 16, *disp.* 4, *dub.* 1, propterea pertinet specialiter ad hunc Tractatum agere de utriusque augmento sub nomine charitatis.

Et quidem actus nostros concurrere in aliquo causæ genere ad charitatem, et gratiam augescendas, sive (et in idem redit) gratiam, et charitatem non augeri nisi dependenter a nostris actibus, constat ex Concil. Tri- Concil. Trid.
dent. *sess.* 6, *cap.* 24, ubi diffinitur : « Si « quis dixerit, justitiam acceptam non con- « servari, atque etiam augeri coram Deo « per bona opera, sed ipsa opera fructus « solummodo esse, et signa justificationis « adeptæ, non autem ipsius augendæ cau- « sam, anathema sit. » Cum autem causa multiplex sit, nempe finalis, efficiens, materialis, formalis, et dispositiva, quæ ad materialem reducitur ; et de his omnibus dubitari possit, exponere opus est, cur dubium ad solam causam dispositivam restringatur. Et quidem actus nostros non esse causam finalem augmenti charitatis, quod ad eos sequitur, facile constat ; siquidem augmentum charitatis non ordinatur ad illos, sed potius e contra illi ordinantur ad charitatem augendam. Et similiter prædictos actus non esse causam materialem receptivam, aut formalem hujusmodi augmenti, certius est, ut in dubium vocari non possit ; non enim recipiunt illud in se, nec in illo recipiuntur, aut ipsum formaliter constituunt. Unde difficultas reducitur ad causam efficientem, et dispositivam.

16. Est autem duplex causa effectiva : Alia observatio.
alia quæ efficit physice, et alia quæ efficit moraliter. Et quod actus a gratia, et charitate procedentes efficiant moraliter charitatis augmentum, constat ex dictis *tract.* 16, *disp.* 6, *dub.* 4, ubi ostendimus prædictos actus mereri de condigno augmentum gratiæ. Idque communiter docent Theologi
D. Bon. hujus temporis contra D. Bonavent. et alios antiquiores, saltem loquendo de actibus intensioribus gratia præexistenti. An autem eadem doctrina extendi debeat ad actus gratia remissiores, infra constabit *dub. seq.* Modo enim sufficit supponere actus intensiores efficere moraliter gratiæ, et charitatis augmentum. Quod vero actus nostri nequeant efficere principaliter physice hujusmodi augmentum, constat ex dictis *tract.* 14, *disp.* 8, *dub.* 1, ubi ostendimus repugnare, quod aliqua creatura efficiat principaliter gratiam. Ex quo principio facile colligitur similis repugnantia in eo, quod actus nostri efficiant principaliter augmentum charitatis ; quoniam charitas non augetur, nisi ad augmentum gratiæ : quod autem nequit principaliter physice producere

cere gratiam, nequit eam principaliter physice augere, quod actio augmentativa est de se productiva ejus, quod auget, illudque efficeret, nisi productum supponeret : ergo si nulla creatura valet efficere principaliter physice gratiam, nulla valet augere principaliter physice gratiam et charitatem; atque ideo charitas non augetur physice principaliter nostris actibus.

Nota 8. 17. Dubitari autem posset, an actus nostri efficiant physice instrumentaliter charitatis augmentum ? Et loquendo de actibus nostris, quatenus sunt partes sacramenti,

D. Tho. certa est pars affirmativa apud D. Thom. et ejus discipulos ; nam cum doceant sacramenta novæ legis efficere, et augere physice instrumentaliter gratiam, consequenter docent actus, qui sunt pars sacramenti, habere eundem influxum circa augmentum charitatis. De quo 3 *part. quæst.* 62 *et* 84 *et* 89. Si vero sermo fiat de actibus nostris extra sacramentum, vera est pars negativa, et communis apud Authores. Nam actus nostri nequeunt habere hujusmodi influxum ex natura sua, sed ex sola institutione divina, quæ tamen nobis quantum ad hoc minime innotescit ; et ideo absque ullo rationabili fundamento assereretur talis influxus. Testimonia quippe significantia influxum effectivum nostrorum actuum in gratiam, et charitatem, et eorum augmentum , sufficienter explicantur de influxu morali, vel de influxu physico instrumentali intra sacramenta, vel denique de influxu physico principali in dispositionem ad gratiam, et charitatem ; efficimus enim principaliter actus, quibus ad earum receptionem, et augmentum disponimur.

Status quæstionis. 18. Supposito ergo, quod actus nostri influant effective moraliter in augmentum charitatis, et quod non influant effective physice, saltem extra sacramentum, videre oportet, an circa illud habeant concursum dispositivum ? In qua difficultate præsupponendum est, prædictos actus non esse dispositiones essentialiter requisitas ad charitatem augescendam, et sine quibus charitas augeri non possit. Tum quia de facto potest augeri in parvulis absque actuali eorum dispositione ; si enim infans baptizatus confirmetur, aut ordinetur, vel Eucharistiam recipiat, consequitur horum sacramentorum effectum, atque ideo augmentum gratiæ, in qua præexistebat, ut

Martinez de Prado. cum pluribus aliis docet Martinez de Prado 3 *part. quæstione*, 80, *dub.* 12, *num.* 31 *et* 38. Tum etiam, quia non implicat, quod Deus justificet adultum peccatorem absque ulla actuali ejus dispositione, ut ostendimus *tractat.* 15, *disputatione* 3, *dub.* 2 ; ergo pariter non repugnat, quod augeat præexistentem gratiam independenter a dispositione actuali ad hujusmodi augmentum. Quare difficultas procedit attendendo ad communem, et connaturalem ordinis gratiæ providentiam, secundum quam adulti in gratia, et charitate proficiunt. Et nemo Catholicorum est, qui neget actus nostros meritorios disponere in aliquo sensu ad charitatis augmentum. Sed eorum non pauci confundunt influxum dispositivum cum concursu morali per modum meriti, et sic dicunt actus nostros disponere moraliter ad augmentum charitatis, non autem physice. In quo consistit punctum præsentis difficultatis.

Ultima observatio. 19. Quam ut cum majori perspicuitate decidamus, et æquivocationem propulsemus, recolenda sunt quæ jam observavimus *tractat.* 15, *disputatione* 3, *dub.* 5, nempe denominationem causæ physicæ, aut moralis non regulari penes entitatem causæ, sed magis penes modum causandi. Sunt enim aliqua, quæ cum quid physicum sint, causant moraliter ; sicut actus, qui suadendo movet. Et econtra id, quod est morale, valet causare physice ; sicut malitia peccati gravis, quæ quid morale est, et tamen expellit physice gratiam. Hic autem diversus causandi modus consistit in eo, quod causa moralis non inducit immediate per semetipsam effectum principaliter intentum, sed movet, et allicit aliam causam ad id præstandum, ut patet in consilio, suasione, meritis, et aliis causis moralibus. Causa autem physica influit in suo genere immediate per id, quod in se, et ex natura sua habet, licet nec concursum aliarum causarum excludat ; sicut materia per seipsam recipit, forma per seipsam informat, et agens per suam virtutem agit. Unde illa est dispositio physica, aut disponens physice, quæ per seipsam præstat munera propria dispositionis, quæ sunt aptare subjectum ad formam illud expurgando a contrariis dispositionibus, ipsumque determinando, et trahendo ad participationem formæ. Et in hoc sensu inquirimus, an charitas augeatur physice dispositive nostris actibus ; sive, et in idem redit, an augmentum charitatis dependeat a nostris actibus tanquam a dispositione physica, et ex

natura rei necessaria ad connaturale charitatis augmentum. Restringiturque difficultas tum ad augmentum charitatis in adultis (in parvulis enim non habet locum actualis dispositio, ut *numero præcedenti* prænotavimus) ; tum ad augmentum extra sacramentum, ut sic præscindamus ab augmento ex opere operato, quod fit virtute sacramentorum supra dispositionem subjecti.

§ II.

Præfertur D. Thomæ sententia.

Conclusio. 20. Dicendum est, charitatem augeri physice dispositive nostris actibus, atque ideo actus nostros non solum mereri augmentum charitatis, sed ad illud etiam requiri per modum dispositionis physicæ, et ex natura rei. Ita docet satis aperte Divus D. Tho. Thomas *in* 1, *distinct.* 17, *quæstione* 2, *articulo* 3, *in corpore*, ubi hæc habet : « Non « eodem modo se habet actus informatus « charitate ad augmentum charitatis, et « actus præcedens charitatem, ad habendam charitatem. Actus enim qui « est ex charitate, ordinatur ad augmentum charitatis et per modum disposi« sitionis, et per modum meriti : sed actus « præcedens charitatem ordinatur ad con« sequendam charitatem solum per modum « dispositionis, et non per modum meriti, « quia ante charitatem nullum potest esse « meritum. » Quibus verbis palam docet D. Tho. Divus Thomas, quod actus meritorii non solum influunt moraliter, seu meritorie in charitatis augmentum, sed quod etiam concurrant ad illud per modum dispositionis : qui concurrendi modus nequit non esse physicus, alioquin non distingueretur ab influxu morali per modum meriti. Præsertim cum S. Doctor affirmet actus supponentes charitatem retinere rationem dispositionis, quam habent actus charitatem præcedentes, et superaddere concursum per modum meriti ; actus autem præcedentes charitatem disponunt physice ad ejus infusionem. Idem haud obscure docet in præsenti, *quæstione* 24, *articulo* 6, ubi ait : Non « quolibet actu charitatis charitas actu auge« tur, sed quilibet actus charitatis disponit « ad charitatis augmentum, in quantum « ex uno actu charitatis homo redditur « promptior iterum ad agendum secundum « charitatem ; et habilitate crescente, homo « prorumpit in actum ferventiorem dilec« tionis, quo conatur ad charitatis profec« tum ; et tunc charitas augetur in actu. » Ubi satis liquet, S. Doctorem, loqui de dispositione physica, alias non peteret exactam adeo correspondentiam inter dispositionem, et augmentum ; nec distingueret dispositionem remotam, et ultimam ; sed aperte concederet quolibet actu charitatis augeri reipsa charitatem : sicut discurrunt, qui contrariam nobis opinionem tuentur. Unde nostram assertionem docent communiter Thomistæ, Cajetan. *ad locum proxime citatum*, ubi Bannez *dub.* 1, Arauxo *dub.* 1, Joan. a S. Thoma *disputatione* 15, *artic.* 2, Gonet *disputatione* 10, *artic.* 6, *conclus.* 2, Labat *disput.* 3, *dub.* 2, *concl.* 2. Ferre *quæst.* 16, § 5, Capreol. *in* 4, *dist.* 4, *q.* 1, *art.* 3 *ad* 1, *Scoti contra* 1, Conrad. 1, 2, *q.* 114, *art.* 8, ubi Montesinos *disp.* 36, *q.* 7, § *ult.* et alii plures, quorum aliquos dedimus *tractat.* 15, *disp.* 3, *dub.* 5, § 1. Cajet. Bannez Arauxo. Joan à S. Tho. Gonet Labat. Ferre. Capreol Conrad. Montes.

21. Ratio unica, et fundamentalis est : Quoniam charitas non augetur nisi ad augmentum gratiæ, cujus est proprietas : sed gratiæ augmentum dependet a nostris actibus sicut a dispositione physica : ergo idem dicendum est de augmento charitatis. Major, et consequentia constant. Minor autem probatur, quia gratiæ infusio dependet a nostris actibus sicut a dispositione physica : ergo et augmentum. Antecedens late ostendimus loco supra relato, et hic supponendum est. Consequentia autem probatur tum a paritate ; nam gratia, dum infunditur, et augetur, est ejusdem rationis : ergo si in sua infusione dependet a nostris actibus sicut a dispositione physica, pariter dependet in suo augmento. Tum etiam, quia ut tradit D. Thom. 1, 2, *quæst.* 53, *artic.* 2, habitus ex eisdem causis augentur, ex quibus generantur : ergo si prima gratiæ productio dependet a nostris actibus sicut a dispositione physica, idem dicendum est de ejus augmento. Tum denique, nam ideo gratia infunditur adultis dependenter ab eorum actibus, sicut a dispositione physyca, quia quælibet forma perfecta dependet ex natura sua ab aliquibus dispositionibus ad eam præparantibus, et determinantibus, et quia debet recipi ad modum recipientis : unde cum gratia sit forma perfecta, et adultus sit susceptivum liberum, consonum rerum naturis est, quod recipiat libere gratiam se disponendo ad ejus receptionem : sed hæc eadem ratio militat in augmento gratiæ, ut facile consideranti constabit : Fundamentum D. Tho

constabit : ergo prædictum augmentum dependet a nostris actibus sicut a dispositione physica.

Confirmatio. Confirmatur, quia de his, quæ ad supernaturalem ordinem pertinent, id sentire debemus, quod magis congruit naturis rerum, dum oppositum per sufficientem auctoritatem non constat : sed magis congruit naturis rerum, quod augmentum gratiæ fiat dependenter a nostris actibus sicut a dispositione physica ; et nulla authoritas cogit ad oppositum asserendum : ergo dicendum est, quod augmentum gratiæ dependet a nostris actibus sicut a physica dispositione. Minor quoad secundam partem est manifesta, opposita enim opinio nulli innititur authoritati Scripturæ, Conciliorum, aut Patrum. Prima vero ejusdem pars suadetur exemplo naturalium, in quibus videmus substantiam dependere a physicis dispositionibus, non solum cum generatur, sed etiam cum augetur ; quippe non solum ad generationem, sed etiam ad nutritionem, et augmentationem præcedit aliqua alteratio inducens dispositiones physicas, quibus subjectum aptatur ad generationem, vel augmentum ; idque exposcit consonus rerum ordo : ergo quod augmentum gratiæ fiat mediis nostris actibus tanquam dispositione physica, est magis consonum rerum naturis. Quod significavit D. Tho. D. Thom. *in præsenti quæstione* 24, *articulo* 6, ubi ait : « Dicendum quod augmentum « spirituale charitatis quodammodo simile « est corporali augmento. » Et post pauca subdit : « Per aliquod tempus natura ope« ratur disponens ad augmentum, et nihil « augens actu, et postmodum producit in « effectum id, ad quod disposuerat, augen« do ipsum animal, vel plantam in actu. « Ita etiam non quolibet actu charitatis, « etc. » Ubi discurrit de augmento charitatis cum proportione ad augmentum rerum naturalium, quod fit mediis dispositionibus physicis.

Accedit, quod gratia, et charitas non sunt formæ morales consistentes præcise in aliqua extrinseca appretiatione ; sed sunt quid physicum, quod ex natura sua præstat subjecto suos effectus, ut ostendimus *tractat.* 14, *disputatione* 4, *dub.* 2, unde ad earum connaturalem receptionem, et augmentationem non sufficit dispositio præcise moralis, sed requiritur coaptatio, et determinatio physica per actus nostros.

22. Nec apparet ulla conveniens disparitatis ratio inter primam gratiæ infusionem, et ejus augmentum. Quæ enim ab aliquibus assignatur, nempe actus gratiam antecedentes non esse meritorios illius, atque ideo disponere ad eam non moraliter, sed physice ; actus vero, qui ex gratia procedunt, mereri ex hoc ipso ejus augmentum, et subinde disponere ad illud, non physice, sed moraliter, facile dispellitur. Nam per hoc, quod actus sit meritorius, non exuit vim disponendi physice ; nulla quippe inter hos conceptus apparet repugnantia : ergo si actus nostri gratiam præcedentes disponunt physice ad gratiam, eodem modo actus gratiam subsequentes debent disponere ad ejus augmentum, quamvis simul illud mereantur. Præsertim cum actus gratiam antecedentes mereantur de congruo, ut plures volunt, ejus infusionem. Si enim iidem actus simul sunt dispositiones physicæ, et meritum de congruo respectu primæ gratiæ, cur actus ex gratia orti non erunt et dispositiones physicæ, et meritum de condigno ad ejus augmentum ? Valor enim condignus, quem ex gratia trahunt, non deprimit, aut extinguit vim dispositivam physicam quam ex se habent. Unde elucet quantum præemineat D. Thom. sententia contrariæ opinioni ; hæc quippe nulli auctoritati, aut urgenti rationi innititur, sed soli negantium voluntati ; illa vero attendit ad rerum naturas, et ipsis se accommodat. Quæ est optima procedendi methodus, dum authoritas, aut firma ratio non evincit oppositum. Præclu-ditur evasio.

23. Quod autem alii addunt, discrimen in hac parte inter primam gratiæ infusionem, et ejus augmentum consistere in eo, quod ante primam gratiam non supponitur aliud, quam actus nostri, qui proinde exercere debent munus dispositionis physicæ respectu illius : sed ad augmentum supponitur ipsa gratia, quia ad illud sufficienter coaptat, quin alia dispositio physica necessaria sit, eadem facilitate evertitur. Tum exemplo naturalium ; nam licet augmentum supponat naturam, nihilominus non fit nisi dependenter ab aliquibus dispositionibus physicis, ita quod eædem fere dispositiones, quæ prius præpararunt ad productionem substantiæ, postea auctæ, aut aliter modificatæ præparant physice ad ejus augmentum : ergo idem proportionabiliter dicendum est de augmento gratiæ, et charitatis. Tum etiam, quia sicut susceptivum immediatum, et velut connatu- Confutatur alia responsio.

rale augmenti gratiæ, est anima per gratiam actuata ; ita susceptivum immediatum, et quasi connaturale primæ gratiæ, est anima secundum potentiam obedientialem ; et tamen ut anima recipiat primam gratiam, requiruntur præter potentiam obedientialem aliqui actus, qui eandem potentiam determinent, et trahant ad gratiæ participationem : ergo ad augmentum gratiæ requiruntur præter substantiam ipsius gratiæ aliqui actus, qui determinent, et trahant illam ad suum augmentum. Et ratio est eadem utrobique ; nam munus dispositionis non est constituere absolute potentiam, et capacitatem ad recipiendum vel formam, vel ejus augmentum ; hæc quippe capacitas salvatur absolute independenter a dispositionibus : sed situm est in eo, quod illa capacitas ex se indifferens determinetur, proportionetur, et trahatur ad formam, vel ejus augmentum. Sicut autem potentia obedientialis non habet ex se hujusmodi coaptationem, et determinationem, et propterea requiruntur aliqui actus, qui eam coaptent, et determinent, quæ sunt munera propria dispositionis physicæ : ita anima per gratiam constituta non manet coaptata, et determinata ad ejus augmentum, sed indiget actibus, quibus coaptetur, et determinetur ad illud ; quod est disponi physice per actus ad gratiæ augmentum. Et in hoc stat proportio inter modum, quo gratia in adultis producitur, et modum, quo in eisdem augetur.

Aliud effugium evertitur.

24. Dices hanc Philosophiam, aut Theologiam habere quidem locum in substantia, aut formis substantialibus, secus vero in accidentibus, cujusmodi est gratia ; hæc quippe non exposcunt ullam physicam dispositionem a se distinctam ; sed primus eorum gradus potest disponere ad secundum, ut patet in augmento, aut intensione caloris ; potest enim transire a gradu secundo ad tertium, et alios, nulla interveniente dispositione physica distincta a gradibus præexistentibus

Sed contra hoc est, quod licet gratia sanctificans sit entitative accidens, habet tamen rationem naturæ in ordine supernaturali, ut ostendimus *tract.* 14, *disp.* 4, *dub.* 3, *et* 6. Unde in sui productione, et augmento non imitatur accidentia naturalia, sed magis naturam, aut substantiam. Quocirca sicut hæc fit, et augetur dependenter a dispositione physica ; ita de productione, et augmento gratiæ proportionabiliter dicendum est. Et quamvis charitas non se gerat per modum naturæ, habet tamen rationem proprietatis respectu gratiæ, et non fit, nec augetur nisi cum commensuratione ad illam : unde producitur, et intenditur dependenter ab eisdem causis, et dispositionibus. Accidentia autem naturalia, quæ non sunt proprietates, valent terminare propriam actionem ; et cum non habeant rationem formæ perfectæ, non egent dispositionibus : atque ideo et produci, et intendi possunt, nulla interveniente dispositione, ut in exemplo caloris contingit.

Corollarium.

25. Ex dictis sequitur, solos actus charitate intensiores esse dispositionem physicam ultimam ad charitatis augmentum ; actus vero remissiores, aut æque intensos, disponere quidem physice, non proxime, et ultimo, sed remote. Hoc consectarium quoad utramque partem continet expressam doctrinam D. Thom. *in præs. quæst.* 24, *art.* 6, ubi ait : « Non quolibet actu charitatis charitas augetur, sed quilibet actus « charitatis disponit ad charitatis augmentum, in quantum ex uno actu charitatis « homo redditur promptior iterum ad « agendum secundum charitatem ; et ha« bilitate crescente homo prorumpit in « actum ferventiorem dilectionis, quo co« natur ad charitatis profectum ; et tunc « charitas augetur in actu. » Et similia habet *in* 1, *distinct.* 17, *q.* 2, *art.* 9 ad 4. Et probatur ex dictis ; nam supposito quod actus nostri disponant physice ad augendam gratiam, et charitatem, ille actus erit dispositio ultima, qui omnino proportionatur augmento : sed solus actus gratia, et charitate præexistentibus intensior est omnino proportionatus cum tali augmento ; alii autem vel remissiores, vel ejusdem intensionis solum habent proportionem remotam : ergo soli actus intensiores disponunt ultimo, cæteri vero solum remote. Probatur minor, quia augmentum habitus idem est, ac excessus supra habitum præexistentem : sed actus non excedentes habitum præexistentem non habent omnimodam proportionem cum hoc excessu, ut ex terminis constare videtur ; si enim intensio ut quinque excedit habitum intensum ut quatuor, eodem excessu excedit actum intensum ut quatuor, et a fortiori actus remissiores : ergo cum prædicto augmento solus actus ut quinque omnino proportionatur, alii autem inferiores non habent nisi proportionem remotam.

D. Tho.

Ad

Ad hæc: recta ratio dictat, ut circa hæc discurramus cum proportione ad naturalia, nisi oppositum constet ex sufficienti authoritate, quæ in præsenti assignari non valet: atqui in naturalibus soli actus intensiores habitu præexistenti sunt omnino proportionati ad ejus augmentum: ergo idem dicendum est de actibus, qui ad augmentum gratiæ, et charitatis concurrunt.

Tho. Minor probatur ex D. Thom. loco supra relato *in resp. ad* 2, ubi ait: « In generatione virtutis acquisitæ non quilibet actus « complet generationem, sed quilibet operatur ad eam ut disponens; et ultimus, « qui est perfectior agens, in virtute omnium præcedentium reducit eam in actum, sicut etiam est in multis guttis « cavantibus lapidem. » Et ratio idem convincit; nam actus intensus ut quatuor procedens ab habitu intenso ut quatuor, est omnino proportionatus cum habitu intenso ut quatuor: sed habitus intensus ut quinque, aut sex, excedit seipsum intensum ut quatuor, ut ex terminis liquet: ergo etiam excedit proportionem actus intensi ut quatuor, et consequenter prædictus actus non est omnino proportionatus ad illud augmentum.

ncidens quæstionis ecisio. 26. Si autem inquiras, an actus intensiores habitu præexistenti disponant ad augmentum secundum totam latitudinem actus, an vero solum secundum excessum actus supra habitum? Verbi gratia, habens charitatem ut quatuor elicit actum intensum ut sex, inquiritur an hic actus disponat ad sex quasi gradus charitatis supra præexistentem, et sic ad charitatem ut decem, an solum ad duos gradus supra priorem charitatem, et sic ad charitatem ut sex? Respondetur eligendo secundam partem, quæ aperte constat ex hactenus dictis. Quoniam dispositio, et terminus, aut forma, ad quæ disponit, debent proportionari: sed actus intensus ut sex est omnino proportionatus cum augmento ut sex, secus vero cum augmento ut decem: ergo non disponit saltem proxime, et ultimo ad augmentum ut decem, sed ad augmentum ut sex. Accedit, quod actum disponere ad augmentum, est disponere ad excessum habitus supra id, quod præexistebat: sed ipse actus in casu proposito non excedit habitum præexistentem, nisi in duobus gradibus, siquidem quantum ad quatuor ei adæquatur: ergo non disponit saltem ultimo nisi ad duos gradus augmenti supra habitum præexistentem. Quod amplius confirmari potest exemplo sæpius inculcato naturalium; nam si habitus acquisitus sit intensus ut quatuor, et eliciat actum intensum ut quinque, non se intendit usque ad nonum gradum, alias effectus excederet causam, sed solum se constituit in quinto gradu intensionis: ergo idem dicendum est in intensione habituum supernaturalium per nostros actus, considerando actus secundum munus dispositionis physicæ ad augmentum. Et cui nimis scrupulosa videatur hæc naturalium similitudo, exhibeat doctrinam aliquam revelatam, quæ lumen naturale corrigat. Alias illud deserat solius voluntatis arbitrio.

§ III.

Refertur sententia contraria.

Opinio adversa. Suar. Vasq. Torres. 27. Oppositam opinionem tuentur Suarez *lib.* 8, *de gratia, cap.* 5, *et in relectione de reviviscentia meritorum, disp.* 1, *sect.* 3, Vasquez 1, 2, *disp.* 220, *cap.* 8, Torres *in præs. disp.* 68, *dub.* 3, et alii plures. Quæ probari solet pluribus argumentis, quæ æqualiter impugnant concursum nostrorum actuum per modum dispositionis physicæ ad primam gratiæ infusionem. Eis tamen ex professo occurrimus *tract.* 15, *disp.* 3, *dub.* 5. Unde supervacaneum foret illa in præsenti referre, et diluere.

Primum argumentum. Potest tamen aliter suaderi: quoniam augmentum charitatis fit modo longe diverso, ac augmentum habitus acquisiti: ergo ex eo, quod actus nostri disponant physice ad augmentum habitus acquisiti, non sequitur, quod eodem modo debeant comparari ad augmentum charitatis; atque ideo non requiritur exacta adeo proportio inter nostros actus, et charitatis augmentum, qualem hactenus descripsimus. Utraque consequentia patet, et antecedens suadetur: tum quia actus nostri comparantur ad habitum acquisitum nedum per modum dispositionis physicæ, sed etiam per modum causæ effectivæ principalis; quod tamen nequit convenire nostris actibus in ordine ad charitatis augmentum. Tum etiam, quia actus charitatis non solum disponit ad augmentum charitatis, sed etiam ad augmentum cæterorum habituum supernaturalium; actus autem unius habitus solum disponit ad augescendum eundem habitum, non vero ad cæterorum habituum

augmentum; et ideo potest intendi habitus, v. g. Logicæ, quin intendatur habitus Philosophiæ, aliæque similes differentiæ assignari possunt. Ergo modo longe diverso comparantur actus nostri ad augmentum charitatis, et ad habitus naturales augescendos.

Confirmatio. Confirmatur: nam charitas solet augeri in susceptione sacramentorum ex opere operato, et supra dispositionem subjecti: ergo charitatis augmentum non dependet a nostris actibus sicut a dispositione physica. Antecedens est certum, et consequentia probatur; nam si augmentum charitatis compararetur ad actus nostros sicut ad dispositionem physicam, ex natura rei penderet ab illis, atque ideo non posset citra miraculum augeri supra illos; nullum autem intervenit miraculum in eo, quod charitas augeatur intra sacramentum ex opere operato: ergo signum est, quod ejus augmentum non dependet a nostris actibus sicut a dispositione physica.

Satisfit argumento. Ad argumentum respondetur, dubitari non posse, quod plures reperiantur differentiæ inter augmentum charitatis ex una parte, et augmentum habituum acquisitorum ex alia; id quippe exposcit diversa terminorum utriusque augmenti natura. Et hanc diversitatem semper concedimus, quoties recta ratio id evincit. Nulla autem obligat, ut dicamus habitus acquisitos augeri physice nostris actibus, secus vero charitatem: et ut concedamus servandam esse proportionem inter nostros actus, et augmentum habituum naturalium, secus vero inter actus nostros, et charitatis augmentum; et ideo oportet utrobique cum eadem proportione philosophari. Ad ea vero, quæ pro antecedentis probatione afferuntur, quatenus nostræ doctrinæ adversari possent, facile constat. Ad primum quidem; nam sicut habitus acquisiti producuntur per nostros actus, ita possunt per eosdem effective augeri; charitas autem a solo Deo principaliter fit, et ideo a solo Deo effective intenditur, licet dependenter a nostris actibus, sicut a dispositione physica. Ad secundum etiam patet, quoniam intensio habitus acquisiti non terminatur per se primo ad unam communem omnium habituum radicem, sed ad habitum peculiarem, et speciali actui correspondentem; et ideo potest unus habitus intendi, quin alius intendatur. Cæterum intensio charitatis non terminatur per se primo, et unice ad ipsum habitum charitatis; sed terminatur ad gratiam sanctificantem, quæ est communis radix omnium habituum supernaturalium; et ideo ad augmentum gratiæ omnes simul habitus supernaturales augentur.

Observandum tamen est, motivum nostræ asssertionis non desumi præcipue ex proportione, aut similitudine ad habitus naturales, sed magis ex similitudine ad augmentum substantiæ, seu naturæ; cui potius, quam ulli habitui acquisito comparanda est gratia sanctificans, cum habeat rationem naturæ in ordine supernaturali. Nota.

Ad confirmationem respondetur negando consequentiam; nam licet augmentum gratiæ, et charitatis in adultis dependeat ab eorum actibus sicut a dispositione physica, potest tamen Deus operari supra hanc exigentiam. Et ita accidit in sacramentis, ubi Deus præter gratiam actibus correspondentem, amplius quid ex sua misericordia, et ob Christi merita superaddit. Nec tamen ex hoc sequitur, quod ibi interveniat miraculum; non enim cuncta, quæ cum minori connaturalitate fiunt, sunt statim dicenda miracula, ut fusius explicuimus *loco citato*. Quod autem in sacramentis ita contingat, habemus ex fide per divinam revelationem. Unde curandum est Adversariis, ut quid simile proferant circa improportionem aut independentiam physicam a nostris actibus, quam statuunt in augmento gratiæ extra sacramentum, et tunc credemus. Potestque confirmatio in ipsos retorqueri; nam affirmant gratiam extra sacramentum augeri dependenter a nostris actibus sicut a dispositione morali, cui cum quadam proportione augmentum gratiæ commensurandum est; et tamen intra sacramentum augetur gratia ultra hanc proportionem ex opere operato. Sicut ergo ex eo, quod gratiæ augmentum in sacramentis non commensuretur actibus nostris sicut dispositioni morali, non infertur, quod extra sacramentum detur sine hac commensuratione: ita ex eo, quod gratia in sacramentis augeatur supra mensuram nostrorum actuum, non sequitur, quod extra sacramentum non dependeat ab illis sicut a dispositionibus physicis, quibus debeat commensurari. Diluitur confirmatio.

28. Arguitur secundo: nam actus charitatis remissi non disponunt physice ad ejus augmentum: ergo neque actus intensi, atque ideo tam isti, quam illi disponent solum moraliter. Secundum argumentum.

moraliter. Hæc secunda consequentia patet ex prima; nam actus charitatis aliquo modo disponunt ad ejus augmentum. Prior vero recte infertur ex antecedenti : tum quia actus remissi, et intensi sunt ejusdem rationis, et solum differunt penes magis, et minus ; unde si actus charitatis intensi disponerent physice ad ejus augmentum, etiam actus remissi disponerent physice, licet minus proxime. Si ergo hi non disponunt physice, idem de illis dicendum erit. Tum exemplo naturalium ; nam quia calor est dispositio physica ad ignem, calor remissus disponit physice remote, et calor intensus disponit physice proxime, et ultimo. Ergo si actus charitatis disponerent physice ad ejus augmentum, omnes charitatis actus ad id physice disponerent : ergo e converso si aliqui charitatis actus, nempe remissi, non disponunt physice ad ejus augmentum, sequitur quod nulli charitatis actus etiam intensi physice disponant ad illud. Antecedens autem probatur, quia actus charitatis remissi nihil producunt, nihil imprimunt potentiæ, nihil post se in ea relinquunt, ratione cujus dicatur magis disposita physice ad charitatis augmentum; transactis quippe actibus remissis, manet potentia sicut prius : ergo actus remissi non sunt dispositiones physicæ ad prædictum augmentum.

liquo- am res- ponsio. . Tho.

Respondetur negando aniecedens, oppositum enim satis constat tum ex probationibus primæ consequentiæ, tum ex Divo Thoma *in præsenti, articulo* 6, ubi ait : « Quilibet actus charitatis disponit ad cha- « ritatis augmentum, in quantum ex uno « actu charitatis homo redditur promptior « iterum ad agendum ex charitate ; et ha- « bilitate crescente, homo prorumpit in ac- « tum ferventiorem dilectionis, quo cona- « tur ad charitatis profectum, et tunc cha- « ritas augetur in actu. » Ubi loquitur de dispositione physica, alias non assereret requiri actum ferventiorem, ut charitas augeatur in actu ; sed diceret quemlibet charitatis actum disponere sufficienter, et ultimo ad ejus augmentum, cum quilibet ipsius actus mereatur de condigno prædictum augmentum, ut Adversarii discurrunt. Ad probationem autem in contrarium respondent nonnulli, actum charitatis remissum producere, et relinquere in potentia aliquid habituale physicum, ratione cujus potentia determinatur, et inclinatur saltem remote ad eliciendum perfectiorem actum, qui ultimo disponat ad charitatis augmentum. Cui dicendi modo suffragari putant D. Thom. *loco citato ad* 2, ubi loquens de augmento charitatis sicut de augmento virtutis acquisitæ, inquit : « Dicendum quod « etiam in generatione virtutis acquisitæ « non quilibet actus complet generationem « virtutis, sed quilibet operatur ad eam ut « disponens; et ultimus qui est perfectior « agens in virtute omnium præcedentium, « reducit eam in actum, sicut etiam est in « multis guttis cavantibus lapidem.» Constat autem actus remissos virtutis acquisitæ aliquam dispositionem habitualem relinquere in potentiis, quæ conducit ad virtutis generationem, vel augmentum. Idque probat etiam exemplum guttarum excavantium lapidem ; aliquid enim physicum afferunt, ratione cujus præparant lapidem ad ultimam excavationem. D. Tho.

Displicet præmissa responsio.

29. Sed huic dicendi modo non subscribimus, quoniam actus charitatis remissus, v. g. ut duo, in habente charitatem ut quatuor, licet sæpius repetatur, nihil habituale, et intrinsecum valet causare, et relinquere in potentia, quod non sit de linea charitatis, habeatque idem specificativum, siquidem prædictus actus tendit in idem formaliter objectum : quidquid autem hujusmodi fuerit, eminentius præstatur per ipsum habitum charitatis ut quatuor; unde non relinquitur locus, ut per actus remissos aliquid habituale, et intrinsecum fiat, vel relinquatur in potentia. Nec D. Thom. oppositum docet *loco citato;* solum enim intendit explicare illis exemplis, qualiter actus remissi charitatis disponant saltem mediate, et remote ad ejus augmentum, sicut etiam contingit in prioribus actibus virtutis acquisitæ, et in primis guttis cadentibus super lapidem. Sed minime intendit æqualitatem in modo, cum certum sit actus virtutis acquisitæ concurrere effective physice ad ejus productionem, et augmentum ; et impulsum guttarum cadentium concurrere ad excavationem lapidis : actus autem charitatis non influunt effective physice in ejus productionem, vel augmentum, ut supra diximus *num.* 16, et docet S. Doctor *in hac quæst. art.* 2. Unde non oportet, quod si actus virtutis acquisitæ, et guttæ cadentes disponunt physice efficiendo, et relinquendo in potentia, et lapide aliquid habituale distinctum a seipsis, idem dicatur de actibus charitatis; sed potius contrarium dicendum est, propter oppositam conditionem. D. Tho.

Melior argumenti solutio.

Ad antecedentis ergo probationem respondemus, quod ut actus charitatis remissus disponat physice, mediate, et remote ad charitatis augmentum, non requiritur quod aliquid a se distinctum producat, et in potentia relinquat; nam independenter ab hoc potest subire munia prædictæ dispositionis. Primo, quia inter alia recensetur expurgare subjectum a dispositione contraria; actus autem charitatis licet remissus, impedit actus peccaminosos, qui possunt et conservatione, et augmento charitatis obsistere, ut de se constat; atque ideo disponit physice, licet remote ad charitatis augmentum. Secundo, quia dum mens se exercet in actibus charitatis, licet remissis, avertitur ab extrinsecis impedimentis, et occasionibus, quæ impediunt charitatis fervorem; unde fit habilior quasi negative ad exercendum actus intensos, quia major habilitas pertinet etiam ad rationem physicæ dispositionis. Potestque id declarari ex D. Thom. 1, 2, *q.* 85, *art.* 1, *et* 2, ubi docet per peccata diminui inclinationem ad bonum naturale, non quia per peccata aliquid de entitate prædictæ inclinationis, sive naturæ, aut potentiarum naturalium auferatur; sed quia peccata retardant prædictam inclinationem, et minus expeditam relinquunt, ut magis explicuimus in commentario illius articuli secundi. Si ergo a contrario sensu, actus charitatis remissi disponunt, et habilitant physice, saltem remote ad actus fervidos, et charitatis augmentum, non quia aliquid habituale superaddant potentiæ, sed quia illam expediunt ab actibus contrariis, et vitiosis, qui possent afferre oppositam indispositionem. Et in hoc sensu D. Aug. super illud Psalm. 119: *Incolatus meus, etc.* ait: « Exerceamur in charitate, ut redeamus ad charitatem » Ubi non agit de reditu ad charitatem deperditam, sic enim non possemus exerceri in charitate; sed de reditu ad charitatis augmentum, ad quod disponimur per charitatis exercitium, sive fiat in gradu intenso, sive in remisso. Videantur quæ infra adjiciemus *num.* 38, *et dub.* 4, *num.* 199.

D. Tho.

D. Aug.

Tertium argumentum.

30. Arguitur tertio: nam charitas meretur de condigno suum augmentum, non solum per actus intensiores, sed etiam per actus ejusdem, aut minoris intensionis: id autem quod cadit sub merito de condigno, infallibiliter confertur: ergo charitas per omnes, et quoslibet suos actus augetur: quod non contingeret, si charitatis augmentum dependeret ab ipsius actibus sicut a dispositione physica, cui deberet proportionari.

Et confirmatur, quoniam si actus remissi non disponerent sufficienter ad augmentum charitatis, sed requireretur alia intensior dispositio, nunquam actus remissi consequerentur prædictum augmentum; quod est nimis durum, cum relinquat actus remissos sine præmio. Sequela autem videtur manifesta, nam superveniens actus intensior per seipsum meretur illud præmium, seu augmentum, et ad illud disponit; atque ideo hujusmodi augmentum correspondebit actui intensiori, tanquam merito, et dispositioni; et consequenter actus remissi præcedentes nullum aliud præmium, aut augmentum consequentur.

Hoc argumentum, et confirmatio afferunt duas graves difficultates, quas opus est seorsim tractare, atque decidere.

DUBIUM III.

Utrum actus charitatis remissi mereantur de condigno charitatis augmentum.

Difficultatem hanc ex se satis arduam, molestissimam fecit prolixus nimis aliquorum labor, qui in ejus resolutione plurima coacervant, vel alio spectantia, vel quæ seorsim tractari petunt. Hujusmodi sunt *primo*, an ratio augescendi charitatem reperiatur in solis actibus a charitate elicitis, an etiam in actibus aliarum virtutum? *Secundo*, utrum vis merendi conveniat solum ratione substantiæ operationum, an etiam ratione durationis, multiplicationis actuum, difficultatum materialium, et quarumlibet circumstantiarum, ex quibus bonitas moralis crescit? *Tertio*, an actus meritorius augeat charitatem secundum totam latitudinem ejusdem actus, vel præcise quoad aliquid incertum, et indeterminatum? *Quarto*, utrum posito quolibet actu meritorio, statim augeatur charitas; an vero differatur hujusmodi augmentum, et ad quod tempus? Sed duas priores difficultates decisas reliquimus *in tract.* 16, *de Merito* (ad quem pertinent), *disp.* 4, *dub.* 1 *et* 2, ubi late ostendimus rationem merendi reperiri primario in actibus charitatis, et nullius virtutis actum mereri de condigno augmentum gloriæ, ac perinde gratiæ, et charitatis, nisi ex hujus virtutis imperio,

et

et influxu : eis autem suppositis, et informantibus, aut dignificantibus aliarum virtutum opera, omnem, et quamlibet bonitatem moralem in nostris actibus repertam (ex quolibet capite proveniat), augere meritum in ordine ad majus præmium. Quæ doctrina loquendo de actibus intensioribus habitu præexistente, et abstrahendo ab actibus remissioribus (hos enim respicit præsens difficultas) hic citra controversiam supponenda est. Quartæ vero, et ultimæ difficultatis resolutio haud obscure constat ex dictis *in eodem tract. disput.* 5, *dub. unic.* sed majoris claritatis gratia iterum revocabitur ad speciale examen *dub. seq.* Tertia denique difficultas præsenti dubio est affinis, ejusque legitima decisio ex dicendis obiter apparebit. Oportet autem aliqua præmittere, quæ dubium istud, rescissis extraneis, aut facilioribus, ad specialem, et valde gravem controversiam reducant.

§ I.

Observationes nonnullæ.

Nota 1. 31. Ut status præsentis difficultatis facilius intelligatur, supponamus, v. g. Petrum habere charitatem ut *quatuor*. Potest utique tripliciter charitatem exercere : primo eliciendo actus minus intensos, videlicet ut *duo*, vel *tres* : secundo eliciendo actus æque intensos, nempe ut *quatuor* : tertio eliciendo actus magis intensos, nimirum ut *quinque*, aut *sex*, et deinceps. Et quod charitas crescat per actus magis intensos, certum omnino, et extra controversiam est ; habent enim prædicti actus sufficientem proportionem, tam in esse dispositionis physicæ, quam in esse meriti ad augescendum habitum præexistentem, ut liquet exemplo habituum naturalium, qui per similes actus augentur. Unde dubium revocatur ad alios actus, tam minus intensos, quam æque intensos ; et omnes hos vocamus remissos, quia licet actus, v. g. ut quatuor, adæquet intensionem habitus ut quatuor, a quo elicitur ; nihilominus non adæquat latitudinem augmenti superaddendi, hoc enim debet ad minus esse ut quinque. Quocirca ne sæpius eadem inculcemus, nomine *actus remissi* significamus omnem actum non excedentem habitum charitatis, a quo elicitur, quantumvis actus in se, et absolute intensissimus sit, v. g. ut centum ; dicitur enim remissus pro qualitate præsentis materiæ per comparationem ad augmentum, sive terminum intensiorem, v. g. ut *centum et unum*. Et de actibus in hoc sensu remissis inquirimus, an mereantur charitatis augmentum ? Proceditque difficultas de merito de condigno, quod inter alia importat jus justitiæ ad præmium, fundatum in æqualitate morali inter valorem meriti, sive obsequii ex una parte, et æstimabilitatem præmii, sive mercedis ex alia. Quod enim per actus remissos valeat quis mereri de congruo augmentum charitatis, aut alia superexcedentia præmia, facile intelligitur, cum hujusmodi meritum solum importet jus amicabile fundatum in amicitia inter merentem, et præmiantem, et in aliquali proportione meriti ad præmium, ut explicuimus *tract. citato, disp.* 2, *dub. unic.* Quamvis verosimilius sit de facto, nec gloriam, nec charitatis augmentum cadere sub merito præcise de congruo, sed solum esse præmia correspondentia merito de condigno, Deo ita disponente, qui supposita primæ gratiæ, et charitatis infusione, et gloria eis correspondente, vult quod earum augmentum sit corona justitiæ, atque ideo supponat merita æqualia de condigno.

32. Et quia ex pluribus testimoniis, quæ in hac controversia expendi solent, quædam loquuntur de augmento justitiæ, seu gratiæ, alia de augmento gloriæ, et alia de augmento charitatis ; ex quo Authores nonnulli ansam arripuerunt, ut diversimode circa hæc discurrerent, unde obscuriorem, et prolixiorem difficultatem hanc reddiderunt : propterea resolutorie supponendum est, gloriam non augeri, quin augeatur gratia ; nec hanc crescere, quin crescat charitas : ita quod si augmentum gloriæ fuerit physicum, et exercitum, eodem modo augeantur gratia, et charitas, nempe physice, et exercite : et si augmentum gloriæ fiat moraliter meritorie, et quoad jus illud consequendi, eadem saltem ratione crescant gratia, et charitas, videlicet quantum ad jus consequendi suo tempore debitum augmentum. Nota 2.

Priorem hujus suppositionis partem, nempe gloriam non augeri, quin proportionabiliter augeatur gratia, negavit Durand. *in* 1, *dist.* 17, *quæst.* 8, existimans actus charitatis remissos mereri augmentum gloriæ, non autem augmentum gratiæ. Sed eam communiter docent Theologi, et merito. Tum quia sicut gloria datur justis, et sanctis ; ita major gloria datur ma- Gloria non augetur, quin proportionabiliter augeatur gratia. Durand.

gis justis, et magis sanctis : sed homo constituitur formaliter justus, et sanctus per gratiam, ut diximus *tract.* 13, *disput.* 2, *dub.* 1, et aliis locis ibidem relatis : ergo gloria non augetur, quin proportionabiliter augeatur gratia. Tum etiam, quia lumen gloriæ, quod est ratio proxima eliciendi visionem beatificam, comparatur ad gratiam sicut passio ad essentiam, et proprietas ad naturam, juxta ea quæ diximus *tractat.* 14, *disput.* 4, *dub.* 6. Sed passio, et proprietas proportionari debet cum essentia, et natura : ergo eo proportionali modo, quo augetur gloria, augetur etiam gratia. Tum denique, quia nequit crescere gloria, quin homo magis terminet specialem Dei amorem, quo ad eandem gloriam acceptatur : sed gratia est terminus specialis amoris Dei acceptantis hominem ad gloriam, ut diximus *loco proxime citato, dub.* 1; ergo nequit homo crescere in gloria, vel in jure illam consequendi, quin crescat in gratia.

An autem crescente jure ad majorem gloriam, debeat statim augeri physice gratia, constabit ex dicendis *dub. seq.* Modo enim sufficit præmittere, non posse augeri gloriam, vel in re, vel in jure, quin gratia aliquo modo augeatur.

Nexus inter gratiam, et charitatem in suo augmento. Victoria Soto.

33. Secundam etiam suppositionis partem, videlicet gratiam non augeri, quin proportionabiliter augeatur charitas, negarunt Victoria *in relectione de augmento charitatis, part.* 1, *num.* 6, et Soto *lib.* 2, *de natura, et gratia, cap.* 17, *circa finem*, censentes actus charitatis remissos mereri augmentum gratiæ. et gloriæ, secus vero augmentum charitatis. Sed est jam communis inter Theologos, et communiter eisdem fere motivis. *Primo*, quia charitas est proprietas physice dimanans a gratia, ut diximus *tract. cit. disput.* 4, *dub.* 6. Sed crescente natura crescunt, saltem per se loquendo, ejus proprietates : ergo crescente gratia crescit charitas. *Secundo*, quia quanto aliquis magis diligit Deum, tanto magis a Deo diligitur, juxta illud Proverb. 8 : *Ego diligentes me diligo :* et Joan. 14 : *Si quis diligit me, diligetur a patre meo, et ego diligam eum.* Gratia autem est forma, per quam homo constituitur objectum terminans Dei dilectionem ; et charitas est virtus proxima, per quam diligit Deum : ergo quanto augetur gratia, tanto augetur charitas, et e converso. Tertio, quia augmentum gloriæ est juxta augmentum charitatis, ut expresse tradit Divus Thom. 1 *part. quæst.* 12, *artic.* 6, ubi ait : *Qui plus habebit de charitate, perfectius videbit, et beatior erit :* sed gloria nequit augeri, quin augeatur gratia, ut diximus *num. præced.* Ergo gratia, et charitas simul augentur, et eandem mensuram, seu proportionem observant. Et in hoc sensu D. Aug. *tract. ult. in Joan.* dixit, inchoatam charitatem esse inchoatam justitiam ; et perfectam charitatem esse perfectam justitiam ; *justitiæ* nomine significans gratiam, qua justificamur. Argumenta vero, quibus utramque suppositionis partem impugnant Authores supra relati, sunt satis debilia : quocirca illa prætermittimus. Videatur Arauxo *in præsenti, dub.* 2, qui illa refert, et diluit.

Proverb. 8. D. Tho.

Dubii præambuli resolutio.

34. Dubitari autem potest, utrum quod diximus de charitatis augmento comparative ad augmentum gratiæ, debeat extendi ad alias virtutes infusas, an videlicet omnes simul augeantur cum commensuratione ad augmentum gratiæ ? Ad quam difficultatem Arauxo ubi proxime, *num.* 67, negative respondet, affertque pro sua opinione Cajetan. Conradum, et Valentiam. Sed loquendo de virtutibus, quæ simul cum gratia infunduntur, probabiliorem censemus partem affirmativam; quoniam prædictæ virtutes sunt proprietates gratiæ ab ea physice dimanantes : unde sicut non producuntur per se, sed ad productionem gratiæ; ita nec augentur, nisi ad ejus augmentum : quocirca debent ipsi in quantitate, et intensione commensurari. Nec ratio urgens occurrit, ut aliter de his virtutibus, ac de charitate discurramus, ut jam observavimus 1, 2, *quæst.* 66, *artic.* 2, *num.* 2. Et ea, quæ pro sua opinione affert Arauxo, solum probant, quod detur inter virtutes inæqualitas ex parte actus, quatenus homo valet exercere magis actus unius virtutis, quam alterius : quo sensu in solennitate Confessorum utitur Ecclesia illis verbis Eccles. 44 : *Non est inventus similis illi*, utique in usu alicujus virtutis ; nemo enim est, qui in alicujus exercitio non præemineat. Sed cujuscumque virtutis actus exerceatur, sicut vel physice, vel moraliter illam auget, ita et in eadem quantitate auget gratiam, et reliquas virtutes.

Arauxo. Cajet. Conrad. Valent.

Arauxó.

Eccles. 44.

Diximus, *loquendo de virtutibus, etc.* ut excluderemus a resolutione nostra fidem, et spem ; hæ quippe possunt et infundi, et augeri independenter a gratia, et sine commensuratione cum illa, ut patet in peccatoribus. Unde contingere solet, quod cum

gratia

gratia infunditur in gradu remisso, supponat et reperiat fidem in gradu intenso ; atque ideo quod non commensurentur in quantitate.

Ilatio. Ex præmissa observatione liquet, augmentum gratiæ, charitatis, et gloriæ eidem subdi controversiæ, et resolutioni ; et testimonia, atque argumenta, quæ de augmento gloriæ procedunt, applicanda esse eodem modo gratiæ, et charitati, et e converso, quin oporteat de his singillatim discurrere. Unde dubii titulus, qui solius charitatis meminit, ad augmentum gratiæ, et gloriæ extendi debet ; licet, ne vocum multitudo confusionem pariat, ad solam charitatem convenienter restringatur.

Nota 3. 35. Deinde observandum est, quod cum inquirimus, an actus remissi mereantur charitatis augmentum, difficultas præcipue refertur ad qualecumque augmentum superaddendum habitui præexistenti, quidquid sit de quantitate ejus, quod superadditur, an videlicet debeat esse secundum totam latitudinem actus meritorii, ita quod si actus est ut quatuor, debeant totidem gradus charitatis superaddi, necne ? Ad præsentem enim controversiam sufficit illud prius, quidquid sit de hoc posteriori. Unde Authores, qui ad primum illud affirmative respondent, communiter docent hoc secundum esse incertum. Imo eorum plures affirmant, quod licet omnes gradus actus remissi sint meritorii, nihilominus non oportet, quod singulis gradibus ex parte actus correspondeant secundum arithmeticam æqualitatem singuli, et totidem gradus ex parte augmenti ; sed sufficere, quod actibus minus, aut magis perfectis correspondeat minus, aut majus augmentum secundum proportionem geometricam, ut videri potest apud Suarez *in relect. de revivisc. merit. sect.* 3, Malderum *in præs. art.* 6, *dub.* 3, et Arauxo *dub.* 3, *concl.* 3 et 4. Quod nobis videtur longe probabilius ; nam ex opposito fieret, charitatem per viginti, aut triginta actus augeri augmento quodam incredibili, quasi infinito, et excedente communem experientiam. Si enim habens charitatem ut decem eliceret actum ut decem, fieret charitas ut viginti ; et rursus eliciens actum ut viginti, fieret charitas ut quadraginta ; et ita procedendo juxta hanc calculationem, vigesimus, aut etiam trigesimus actus immensam quandam charitatis molem parturiret. Quod, nisi afferatur aliquod Scripturæ testimonium Dei voluntatem in hac parte manifestans, apparet prorsus incredibile. Scriptura autem magis significat contrarium, nam de his, qui corde bono retinent Dei verbum, dicitur *Luc.* 8, quod *fructum centuplum afferunt in patientia.* Et Jacobi 1, dicitur, quod *patientia opus perfectum habet.* Per quæ significatur, neminem magnam sibi sanctitatem comparare, nisi exerceat egregia virtutum opera, quæ absque continuatione laboris, et patientiæ non elicit. Unde in præsenti vel supponendum est, charitatem non augeri in quantitate omnino commensurata gradibus actus meritorii ; vel saltem abstrahendum est ab hoc, tanquam a re prorsus incerta. Et difficultas reducitur ad augmentum, in quacumque quantitate fiat supra habitum præexistentem. In quo sensu inquirimus, an actus remissi, sive non adæquantes latitudinem augmenti superaddendi mereantur illud de condigno ? Verbi causa, an si habens charitatem ut quatuor eliciat actum ut tres, mereatur quod ejus habitualis charitas suscipiat aliquod augmentum, et crescat ultra priorem mensuram ?

uarez. alder. rauxo.

Luc. 8. Jacob. 1.

Status quæstionis.

36. In quo sensu, et abstrahendo ab hoc, quod hujusmodi augmentum sit illudmet, quod actibus intensioribus correspondet, vel distinctum ; et similiter abstrahendo ab hoc, quod actus remissus sit meritum adæquatum, vel inadæquatum respectu augmenti superaddendi, omnes Theologi hujus temporis supponunt actus charitatis remissos mereri de condigno charitatis augmentum, et hanc suppositionem esse omnino certam. Quod relictis aliis fundamentis, tam ab authoritate, quam a ratione, satis liquido, et urgenter probatur ex Concilio Tridentino ; nam *sess.* 6, *cap.* 10, ait : « Sic ergo justificati, et amici Dei euntes de « virtute in virtutem renovantur, ut Apos« tolus inquit, de die in diem, hoc est mor« tificando membra carnis suæ, et exhi« bendo ea arma justitiæ in sanctificatio« nem per observationem mandatorum « Dei, et Ecclesiæ, in ipsa justitia per « Christi gratiam accepta, cooperante fide « bonis operibus, crescunt, atque magis « justificantur, etc. » Et conformiter ad hanc doctrinam diffinit in eadem sess. can. 24 : « Si quis dixerit, justitiam acceptam « non conservari, atque etiam augeri co« rum Deo per bona opera ; sed opera « ipsa fructus solummodo, et signa esse « justificationis adeptæ, non autem ipsius « augendæ causam, anathema sit. » Et can.

Commune placitum Theologorum.

Conc. Trid.

32 : « Si quis dixerit, hominis justificati « bona opera ita esse dona Dei, ut non sint « etiam bona ipsius justificati merita ; aut « ipsum justificatum bonis operibus, quæ « ab eo per Dei gratiam, et Jesu Christi « meritum, cujus vivum membrum est, « fiunt, non vere mereri augmentum gra- « tiæ, vitam æternam, et ipsius vitæ æter- « næ, si tamen in gratia decesserit, conse- « quutionem, atque etiam gloriæ augmen- « tum, anathema sit. »

Firmatur prædicta sententia.

37. Nec prædicta decreta debent, aut possunt limitari ad solos actus intensiores. Tum quia nullum præstant ad hanc limitationem fundamentum. Tum etiam, quia licet indefinite loquantur, nihilominus diffinitiones, aut propositiones indefinitæ in re dogmatica æquivalent universalibus, ut a simili constat in pluribus aliis, quæ in eadem sessione diffiniuntur, ut cum *can.* 18, diffinitur, Dei præcepta esse homini justificato possibilia, non licet id limitare ad præcepta facilia, excludendo difficiliora. Tum præterea, quia sicut Concilium loquitur indefinite de bonis operibus, ita etiam loquitur indefinite de homine bene operante ; et tamen non possumus diffinitionem Concilii limitare ad peculiares quosdam homines, alios excludendo : ergo nec possumus eam limitare ad quædam opera, excludendo alia. Tum insuper, quia Concilium loquitur de bonis operibus, quibus homo observat præcepta Dei, et Ecclesiæ, ut constat ex doctrina *cap.* 10, cui relati canones correspondent ; homo autem observat illa præcepta non solum per actus intensiores, sed etiam per remissos, qui proinde comprehenduntur sub determinatione Concilii. Tum denique, nam ex opposito fieret, hanc propositionem esse veram : *Si quis dixerit hominem justificatum bonis operibus non mereri augmentum gratiæ, non est anathema.* Quam tamen nemo Catholicorum concedet, siquidem est aperte contra determinationem Concilii. Sequela autem videtur manifesta, quoniam hæc propositio est indefinita, et quæ de operibus remissis verificatur, si prædictum effugium admittatur ; limitatur enim ad opera, quæ illud effugium excludit a determinatione Concilii.

Conc. Trid.

Objectiones.

38. Sed objicies : actus charitatis remissus non est opus bonum, sed potius peccaminosum : ergo cum Concilium loquatur de operibus bonis, non comprehendit actum charitatis remissum. Probatur antecedens, quia idem est operari remisse, ac operari negligenter, ut sumitur ex D. Ambros. *super Psalm.* 118, *serm.* 2, *vers.* 2, D. Hieronym. *super illud Proverb.* 10 : *Egestatem operata est manus remissa :* et D. Thom, 1, 2, *quæst.* 57, *artic.* 3. Constat autem, quod operari negligenter est peccatum, juxta illud Hieremiæ 48 : *Maledictus qui facit opus Dei negligenter.* Ergo actus charitatis remissus est peccatum.

D. Amb. D. Hier. Proverb. 10. D. Tho. Hierem. 48.

Confirmatur primo ; nam quod actus charitatis sit remissus, provenit ex defectu fervoris charitatis : sed hic defectus importat negligentiam, quæ est peccatum veniale, ut expresse docet D. Thom. infra, *quæst.* 54, *art.* 3 *ad* 1 ; ergo actus charitatis remissus est peccatum veniale.

D. Tho.

Confirmatur secundo, quia nihil disponit ad corruptionem charitatis, nisi peccatum : sed actus charitatis remissi disponunt ad charitatis corruptionem : ergo sunt peccaminosi. Minor probatur ex D. Thom. 1, 2, *q.* 52, *art.* 3, ubi resolvit actus remissos disponere ad diminutionem, et corruptionem habitus.

Respondetur objectioni negando antecedens, ad cujus probationem neganda est major absolute, quia ut inquit D. Thom. infra, quæst. 52, art. 1, *negligentia importat defectum debitæ sollicitudinis.* Et ideo ubi non datur debitum operandi intense, defectus intensionis, seu remissio non est negligentia. Et ita accidit in eo, qui habens charitatem ut quatuor, amat ut duo ; non enim tenetur operari cum majori intensione, atque ideo non peccat, sed ponit absolute actum bonum.

Enervatur.

D. Tho.

Et hinc patet ad primam confirmationem ; nam Div. Thomas eo loco agit de negligentia quæ, ut vidimus, dicit defectum debitæ solicitudinis. Carentia autem majoris intensionis in actu non est defectus rei debitæ, cum intensio non cadat sub præcepto, sed sub consilio. Unde non sequitur, quod actus charitatis remissus sit peccatum veniale. Nec defectus intensionis potest in rigore appellari defectus fervoris ; nam fervor non diminuitur, nisi per oppositionem peccati venialis impedientis charitatis exercitium. Per hoc autem, quod quis eliciat actus remissos charitatis, non impeditur ab ejus exercitio, sed potius eam exercet, ut ex terminis liquet.

Unde etiam patet ad secundam ; nam cum actus remissus charitatis non importet defectum alicujus debiti, nequit disponere ad corruptionen charitatis : sicut enim

hujus

hujus corruptio non fit, nisi per pecatum mortale ; ita dispositio ad ejus corruptionem non fit, nisi per venialia. Et D. Thom. loco in hac confirmatione relato non agit de habitibus infusis, sed de acquisitis, ut satis liquet ex eisdem verbis, quæ in contrarium referuntur. *Si intentio*, inquit, *actus proportionabiliter deficiat ab intensione habitus, talis actus non disponit ad augmentum habitus, sed magis ad diminutionem ipsius.* Diminutio enim non habet locum, saltem de lege ordinaria, in habitibus infusis, et multo minus in charitate, ut resolvit D. Thom. *in præs. quæst. art.* 10, *in corp. et in resp. ad* 3, ubi ait : « Dicendum, « quod in infusione charitatis requiritur « motus liberi arbitrii, sicut supra dictum « est. Et ideo illud, quod diminuit intensionem liberi arbitrii, dispositive operatur ad hoc, quod charitas infundenda sit « minor. Sed ad conservationem charitatis non requiritur motus liberi arbitrii, « alioquin non remaneret in dormientibus. Unde per impedimentum intensionis liberi arbitrii non diminuitur charitas. »

39. Diximus in hac ultima suppositione, resolutionem in ea contentam esse omnino certam, et possemus addere, esse etiam de fide secundum communem Theologorum hujus temporis sententiam, *abstrahendo ab hoc quod actibus intensioribus, etc.* quia Concilium solum expresse determinat bona opera hominis justificati mereri augmentum gratiæ, et gloriæ ; sed non diffinit expresse, quod istud augmentum sit præmium essentiale distinctum ab eo, quod actibus intensioribus correspondet ; nec diffinit expresse, quod quilibet actus etiam remissus mereatur per modum pretii adæquati illud augmentum. Unde sententiæ diversæ, quæ circa hujus rei declarationem circumferuntur, non excedunt probabilitatem, ut recte observavit M. Joan. a S. Thom. *in præs. disp.* 15, *art.* 3, *in principio*. Et opinio Bannez, quæ in hac parte videtur durissima, et doctrinæ Concilii minus cohærens (asserit enim actus charitatis remissos non mereri de condigno augmentum charitatis, aut gloriæ diversum ab eo, quod correspondet actui intensiori, si quem forte homo post actus remissos eliciat); non reputatur improbabilis, ut tradit sapientissimus M. Herrera *in MS. ad art.* 6 *hujus quæst. dub.* 2, ubi relatis Juniorum argumentis, addit :« Hæc sunt argumenta, « quibus prædicti Authores sententiam « suam defendere conantur, ut primam, « quæ sibi contradicit, damnent gravi censura vel temeritatis, vel periculosæ in « fide. Nihilominus licet nos illam non teneamus (nec enim in sensu, quem intendunt ejus sequaces, loquitur D. Th.) non « videmus sufficiens motivum, quare sic « debeat damnari, maxime attestantibus « eam viris sanctis Vincentio, et Antonino, « et doctissimis Conrado, Capréolo : etc. » Et *concl.* 8, subjungit : « Dico octavo : Prima sententia ex relatis a principio dubii, ut defenditur a M. Bannez, multis « gravissimis Theologis visa est multum « probabilis, et valde consona verbis D. Thomæ. Ita tenuit Deza. Hæc conclusio patet « ex variis eorum approbationibus, quæ « circumferuntur, etc. » Posset etiam addere : Patet ex fundamentis, quibus fulcitur, et ex modo non inverosimili, quo Concilium exponit ; licet enim illa non omnino convincant, nec iste penitus satisfaciat ; nihilominus cum sufficienti probabilitate procedunt, et contrariam sententiam reddunt incertam. Quæ minime adnotamus, ut a censura vindicemus propriam statim proponendam sententiam, quæ (licet cum communiori non plene conveniat), longe distat ab ea opinione Bannez, illiusque rigorem multum temperat, ut ex dicendis constabit : sed ut retundamus excedentes quorundam invectivas, et censuras contra prædictum Magistrum.

His suppositis, videamus qualiter oporteat exponere, quomodo actus charitatis remissi mereantur ejus augmentum. In quo non multa inculcabimus, sed breviter, et resolutorie illum dicendi modum proponemus, qui nobis videtur verior, et temperantior inter extremas opiniones, magisque aptus ad conciliandum diversa D. Thom. testimonia specie tenus contraria.

§ II.

Duæ assertiones stabiliuntur pro dubii resolutione.

40. Dicendum est primo, quod si actus charitatis fuerit remissus, tam physice, quam moraliter, respectu augmenti superaddendi, non meretur illud de condigno, saltem ut meritum, seu pretium adæquatum. Explicatur assertio ; etenim intensio actus potest attendi vel penes gradus

Prima conclusio.

physicos entitatis, aut radicationis, vel penes gradus valoris; et ille dicitur physice remissus, qui non adæquat physicam latitudinem augmenti, sicut cum actus est ut duo, et augmentum ut quatuor: ille vero dicitur moraliter remissus, cujus valor non adæquat valorem, seu æstimabilitatem augmenti, sicut cum actus habet valorem ut duo, et augmentum habet valorem ut quatuor. Abstrahimus autem ab hoc, quod præmium retribuatur ex justitia commutativa, vel ex distributiva; utrobique enim attenditur adæquatio meriti cum præmio, licet in priori adæquatio sit secundum æqualitatem, et in posteriori secundum proportionem. Et actum deficientem ab hac saltem adæquatione in valore, seu æstimatione morali, appellamus moraliter remissum per comparationem ad præmium. Addimus autem illam limitationem, saltem ut meritum, seu pretium adæquatum, ob ea quæ infra *num.* 48 dicimus. Conclusionem ergo sic expositam censemus admittendam esse ab omnibus Theologis, qui in hac controversia diversimode opinantur. Censemus etiam continere propriam mentem D. Thom. in pluribus testimoniis, quæ solent referri pro opinione Bannez, et in quibus affirmat actus charitatis remissos non mereri charitatis augmentum; non enim referenda est ejus resolutio ad remissionem operationis quantum ad solos gradus physicæ radicationis; sed magis ad inadæquationem valoris, penes quem potissime attendi debet adæquatio inter meritum, et præmium.

Explicatur.

D. Tho. Bannez.

Assertio hæc probatur unica, sed evidenti ratione; quoniam ad meritum de condigno requiritur inter alias conditiones, quod opus adæquet valorem præmii, sive (et in idem redit) quod opus sit tantum in esse obsequii, et meriti, quantum est præmium in esse præmii, et remunerationis, ut constat ex dictis *tract.* 16, *disp.* 2, *dub. unico*, ubi descripsimus proprias conditiones, ac rationes meriti de condigno, et meriti de congruo. Constat autem, quod ubi opus est remissum, tam physice, quam moraliter respectu augmenti superaddenddi, non adæquat valorem prædicti augmenti in esse præmii, alioquin non remissum, sed potius æque intensum diceretur, ut ex ipsis terminis liquet. Ergo si actus charitatis fuerit remissus, tam physice, quam moraliter respectu augmenti superaddendi, non meretur tale augmentum de condigno.

Fundetur.

Nec videmus, qualiter possit hoc motivum enervari, nisi negetur ad meritum de condigno requiri adæquationem cum præmio. Quod et confundit proprias rationes meriti de condigno, et meriti de congruo; et in præsenti supponimus esse falsum ex his, quæ suo loco diximus.

41. Dicendum est secundo, contingere posse, quod actus charitatis physice remissus respectu augmenti superaddendi, sit æque intensus moraliter; atque ideo fieri posse, quod actus charitatis physice intensus ut duo, mereatur de condigno, et ut pretium adæquatum augmentum charitatis ut quinque, diversum ab eo, quod actibus physice intensioribus correspondet. Hæc conclusio est contra Bannez, et alios Authores, quos *num.* 67 dabimus; sed eam communiter docent Theologi hujus temporis, ut videbimus *n.* 53, cum sine distinctione, aut limitatione affirment, hominem per actus charitatis remissos mereri de condigno charitatis augmentum distinctum ab illo, quod correspondet actibus intensioribus. Potestque assertio probari testimoniis Concilii Tridentini *num.* 36 relatis, quæ cum indefinite loquantur, ad minus comprehendunt casum hujus assertionis. Continet etiam propriam sententiam D. Thom. ut statim videbimus.

Secunda conclusio.

Concil. Trid.

D. Tho.

Probatur conclusio ratione fundamentali; quoniam ut actus charitatis mereantur de condigno augmentum superaddendum, sufficit suppositis aliis conditionibus, quod adæquent in valore morali illud augmentum in esse præmii: sed nulla est repugnantia in eo, quod actus physice remissi adæquent sibi in valore morali augmentum in esse præmii: ergo fieri potest, quod actus physice remissus illud de condigno mereatur. Major est evidens; nam cum rationes formales meriti, et præmii, quatenus tales, non sint quid physicum, sed morale; et cum influxus meriti in præmium non sit physicus sed moralis; potissimum quod in regulanda adæquatione inter meritum, et præmium attendi debet, est valor moralis, et in ordine ad prudentem æstimationem. Minor autem probatur; nam valor moralis operationis non sumitur unice, et adæquate ex ejus physica intensione, sed etiam desumitur ex aliis capitibus: ergo non est necessarium, quod valor moralis commensuretur cum intensione physica operationis, sed potest illam excedere, atque ideo non repugnat, quod actus

Fundamentum.

actus charitatis physice remissus adæquet sibi moraliter augmentum superaddendum.

Confirmatio. Confirmatur, et declaratur ; nam quidquid sit de aliis capitibus, certum est, quod continuatio, aut multiplicatio ejusdem obsequii habentis eandem physicam intensionem, auget ejus valorem moralem in esse obsequii. Unde pluris æstimantur viginti obsequia ut duo, quam unum obsequium ut duo ; et pluris habetur obsequium ut duo continuatum per unum diem, quam obsequium ut duo durans per brevem morulam. Quod evidenter liquet in laborantibus in obsequium alterius, et promerentibus præmium ; plus quippe dicitur laborare, et promereri, qui per unum diem continuat idem physice opus, quam qui illud efficit per unam tantum horam, licet in omni spatio conservet opus eandem physicam intensionem. Et similiter plus dicitur laborare, et promereri, qui plura opera ejusdem rationis, et intensionis physicæ facit, quam qui facit unicum tantum opus. Qua de causa præmium , quod in esse talis excederet unicum tantum opus, an factum per unicam tantum horam, minime excedit in esse præmii idem opus, si vel continuetur per longum tempus, vel frequenter multiplicetur cum eadem intensione. Et injustum esset non plus rependere illi,qui opus ut duo vel multum continuat, vel sæpe repetit, quam ei, qui opus ut duo semel tantum, et per breve spatium facit, ut satis liquet ipsa experientia, et ex communi modo concipiendi. Ergo pariter continuatio, aut multiplicatio actus charitatis ut duo auget ejus valorem moralem in esse meriti, et obsequii ; nec enim ulla conveniens differentiæ ratio assignari valet. Et consequenter fieri poterit, quod actus charitatis non adæquans physice gradus augmenti superaddendi, ita crescat in valore morali, ut illud sibi adæquet in esse meriti, et obsequii : ut continget v. g. si comparemus actum intensum physice ut duo cum augmento physice ut quinque. Si enim illemet actus cum eadem physica intensione centies repetatur, aut per centum horas continuetur, crescit profecto quantum ad æstimabilitatem moralem in esse obsequii, et crescit adeo, ut sibi adæquet, imo excedat valorem augmenti ut quinque in esse præmii , ut discursus proxime factus plane evincit.

Declaratur vis argumenti. 42. Explicatur amplius ex his, quæ tam in ipso merito, quam in rerum naturalium permutationibus contingunt. Nam si attendamus ad physicam rerum dignitatem, actus charitatis nunquam adæquat physicam perfectionem visionis beatificæ, quæ est præmium nostris operibus correspondens: atque ideo, si ad considerationem pure physicam attenderemus, non posset illam mereri de condigno. Et nihilominus tam ratione libertatis, quam ratione gratiæ, a qua procedit, ita crescit in ratione obsequii, ut mereatur de condigno visionem beatificam, ut explicuimus *tractat.* 16, *disput.* 3, *dub.* 2. Quod satis declarat, intensionem, ut sic dicamus, valoris moralis non omnino commensurari perfectioni specificæ, aut latitudini graduali physicæ operationum ; sed posse crescere supra illam. Similiter in naturalibus æs non adæquat perfectionem specificam auri, sed quodlibet aurum vel in minima quantitate excedit perfectionem specificam totius æris ; et tamen in ordine ad permutationem justam, et secundum prudentem æstimationem potest æs ita multiplicari, ut sit dignum quasi pretium pro una libra auri, ut experientia liquet. Sic ergo licet actus charitatis intensus physice ut duo non adæquet augmentum charitatis ut quinque ; potest tamen vel ratione continuationis, vel ratione multiplicationis, vel ex aliis capitibus ita crescere in æstimatione morali, ut sibi adæquet in esse meriti, et obsequii illud augmentum in esse præmii, et mercedis. Quod suppositis aliis conditionibus sufficit, ut illud mereatur de condigno.

Explicatur amplius. Declaratur ulterius alio exemplo, quod magis adhuc ad rem præsentem accedit ; etenim in operibus satisfactoriis valor ad satisfaciendum non commensuratur physicæ ipsorum intensioni, sed potest illam excedere, atque ideo consequi remissionem majoris pœnæ, quam sit illa remissio, quæ operi secundum latitudinem physicæ intensionis considerato respondet. Unde opus satisfactorium, quod non sufficeret ad rependendam pœnam, si repetatur, aut continuetur, potest sufficere. Hac de causa plus satisfacit, qui cum eadem intensione, et charitate decies jejunat, quam si semel jejunasset. Alioquin non oporteret in satisfactione sacramentali imponere plura opera pœnalia ejusdem rationis, v. g. decem jejunia ; siquidem plura non plus satisfacerent, quam unum ejusdem rationis ; quod plane est absurdum, et contra communem confessariorium, et fidelium praxim. Ergo

pariter valor meritorius non omnino commensuratur physicæ intensioni operis meritorii; sed fieri potest, quod ratione continuationis, vel multiplicationis, vel aliarum circumstantiarum ita crescat, ut latitudinem gradualem physicæ intensionis excedat; et consequenter poterit mereri de condigno illud charitatis augmentum, ad quod consideratum præcise secundum physicam intensionem, esset insufficiens Id quippe paritatis ratio convincit.

Roboratur ex D. Tho

43. Et quod hæc sit propria, et expressa sententia D. Tom. liquet ex eo, quod S. Doctor contemplatur in actibus charitatis et rationem physicæ dispositionis in ordine ad charitatis augmentum, et rationem meriti de condigno in ordine ad idem augmentum; ita quod illud augmentum comparetur ad nostros actus et per modum formæ ad suam dispositionem, et per modum præmii ad meritum. Quo supposito asserit, quod cum actus sunt physice remissiores augmento superaddendo, non disponunt sufficienter ad tale augmentum, sed egent ulteriori dispositione, quæ physice adæquet latitudinem gradualem augmenti. Docet tamen illos actus physice remissiores mereri de condigno tale augmentum. Et inde concludit, quod posito actu meritorio augmenti, non semper sequitur immediate tale augmentum; sed multoties differtur usquedum eliciatur actus ejusdem physicæ intensionis cum augmento, et qui physice ultimo ad tale augmentum disponat. Quæ doctrina plane supponit latitudinem gradualem physicæ intensionis non omnino commensurari cum latitudine graduali valoris moralis; sed fieri posse, quod actus physice remissior augmento, adæquet sibi valorem illius, ipsumque proinde mereatur de condigno. Alioquin non oporteret aliter philosophari de actibus secundum rationem dispositionis physicæ, et secundum rationem meriti de condigno in ordine ad idem augmentum, ut ex se liquet. Quod autem

D. Tho.

D. Thom. ita discurrat, constat evidenter; nam *in hac quæstione, articulo* 6 *ad* 1, ait: « Dicendum, quod quilibet actus charitatis « meretur vitam æternam, non quidem « statim exhibendam, sed suo tempore. Et « similiter etiam quilibet actus charitatis « meretur charitatis augmentum, non ta« men statim augetur, sed quando aliquis « conatur ad hujusmodi augmentum. » Et *quæstione* 114, *articulo* 8. sibi objicit, quod si quilibet actus charitatis mereretur ejusdem charitatis augmentum: « sequeretur « quod per quemlibet actum meritorium « gratia, vel charitas augeretur; quod vi« detur inconveniens, cum quandoque ac« tus meritorii non sint multum fervens, ita quod sufficiant ad charitatis aug« mentum. » Ad quod respondet in hunc modum: « Ad tertium dicendum, quod « quolibet actu meritorio meretur homo « augmentum gratiæ, sicut et gratiæ con« summationem, quæ est vita æterna. Sed « sicut vita æterna non statim redditur, « sed suo tempore; ita nec gratia statim « augetur, sed suo tempore, cum scilicet « aliquis fuerit sufficienter dispositus ad « gratiæ augmentum. » Ubi plane supponit, actum charitatis sufficientem in ratione meriti ad augmentum charitatis, esse aliquando insufficientem ad illud in ratione dispositionis physicæ. Quod nunquam verificaretur, si valor moralis, penes quem attenditur ratio meriti, non posset excedere latitudinem gradualem intensionis physicæ ejusdem actus, penes quam attenditur ratio dispositionis physicæ ad augmentum.

Nota.

44. Ubi obiter elucet discrimen inter actus naturales augescentes habitus acquisitos ex una parte, et actus charitatis augescentes habitum charitatis ex alia: quod quia aliqui non considerarunt, decepti sunt circa modum, quo charitas crescit per actus meritorios. Nam actus naturales non augent habitus meritorie, sed solum physice, aut dispositive, aut effective; et quia actus remissus non est dispositio sufficiens ad augmentum, nec vis sufficiens ad illud efficiendum, propterea actus naturales remissi non dicuntur augere habitum, sed dumtaxat disponunt remote ad prædictum augmentum. Cæterum actus charitatis non solum habet disponere physice ad charitatis augmentum, ut vidimus *dub. præced.* sed etiam comparatur ad illud per modum meriti, ut docet S. Thom. *in præsenti, art.* 6, et ostendimus *tract.* 16, *disp.* 6, *dub.* 4, et supponunt omnes in præsenti. Unde similitudo inter actum charitatis, et actus naturales in ordine ad augescendum habitum, observanda dumtaxat est in genere causæ dispositivæ physice, consistitque in eo, quod sicut habitus acquisitus non augetur dispositive, nisi per actus intensos, et adæquantes latitudinem augmenti, et usquedum tales actus eliciantur, suspenditur augmentum; ita charitatis habitus non augetur

getur dispositive, nisi per actus intensos, et adæquantes latitudinem augmenti superaddendi, quod proinde suspenditur usque ad durationem, in qua tales actus eliciantur, ut docet D. Thom. locis supra relatis. Sed quia valor moralis, penes quem attenditur ratio meriti, potest excedere latitudinem gradualem physicam operationis, ut hactenus vidimus; propterea fieri valet, quod actus physice remissus, et insufficiens in vi physicæ dispositionis ad augmentum charitatis, habeat sufficientem intensionem, aut valorem moralem ad merendum illud de condigno, illudque reipsa mereatur, et subinde augeat charitatem moraliter meritorie; licet illud augmentum ut physice exercitum ad aliud tempus differatur, ut fusius *dub. seq.* dicemus. Quas causalitates quidam non distinguentes imaginati sunt solos illos actus mereri de condigno charitatis augmentum, qui ad illud ultimo physice disponunt; et quia videbant (ut reipsa contingit), actus remissos non disponere physice ultimo ad augmentum charitatis, propterea asseruerunt, tales actus non mereri de condigno prædictum augmentum. Sed eorum deceptio, et fundamentum inde procedens manent ex dictis convulsa.

Interrogationi satisfit.

45. Si autem inquiras, quoties debeat actus physice remissus repeti, aut quantum debeat continuari, ut ex his capitibus capiat valorem moralem sufficientem ad merendum de condigno augmentum superaddendum? Respondetur, id non posse certa regula determinari, sed pendere ex pluribus, utputa ex quantitate physica actus, et augmenti inter se collati, et ex aliis principiis, quæ forte solus Deus cognoscit. In communi autem (quod ad resolutionem præsentis difficultatis sufficit), dicendum est eam repetitionem, aut continuationem, aut alias circumstantias debere superaddi, quæ præstent actui physice remisso tantum valorem, ut adæquet æstimabilitatem augmenti superaddendi. Sed ad considerationem magis particularem descendendo, valde probabile censemus, quod supposita eadem physica intensione actus, v. g. ut duo, magis confert ad augescendum ipsius valorem moralem continuatio, quam repetitio; atque ideo pluris æstimari continuationem actus ut duo per unam horam, quam frequentissimam repetitionem actus ut duo intra eandem horam. Quod communiter docent Thomistæ contra Suarium, et merito: tum quia ipsa perseverantia importat specialissimam difficultatem, ut tradit D. Thom. infra, *q.* 137, *art.* 1; ergo cæteris paribus, pluris æstimanda est continuatio actus charitatis per unam horam, quam multiplex ejusdem actus repetitio intra eandem horam. Tum etiam, quia actus perseverans per unam horam durat in omnibus instantibus, in quibus actus interrupti intra eandem horam exercentur; et insuper durat in aliis instantibus, aut partibus, in quibus illi actus interrumpuntur: hoc autem, supposita cæterorum æqualitate, nequit non conferre ad aliqualem excessum in valore morali. Tum præterea, quia interruptio continuationi opposita dicit cessationem ab actu pro aliquo tempore, aut momento; atque ideo dicit cessationem a valore morali, qui in solis actibus reperitur; non vero in cessatione, aut privatione. Tum denique, quia pejus reputatur continuo peccare, quam peccata cum interruptione committere; et gravius supplicium æstimatur pœna continua, quam interrupta: ergo pariter pluris habendus est actus bonus continuus, quam ejusdem repetitio intra idem temporis spatium. Nec motiva Suarii aliud evincunt, quam in actibus interruptis inveniri majorem rationem voluntarii. Quia vero valor moralis non adæquatur cum sola voluntarii ratione, sed crescit etiam ex aliis capitibus, in quibus continuatio interruptioni præeminet; non inde convincitur majorem valorem moralem inveniri in actibus interruptis intra horam, quam in actu continuato per idem tempus, sed potius sequitur contrarium, ut constat ex dictis.

Suar.

D. Tho. Melior est boni operis continuatio, quam repetitio.

Major resolutionis explicatio.

46. Facta autem comparatione inter ipsos actus remissos, ex quorum multiplicatione, aut repetitione consurgit valor moralis, qui augmento superaddendo adæquandus est, censemus plus conferre tres, vel quatuor actus non ita remissos, quam plurimos actus valde remissos. Verbi gratia, pluris æstimantur, et plus merentur duo actus intensi ut quinque, quam quinque actus intensi ut duo, aut decem actus ut unum. Et ratio est, quoniam intensio non fit per gradus ejusdem prorsus rationis (horum quippe multiplicatio non importat nisi materialem quandam rei extensionem, et augmentum quasi quantitativum); sed fit vel per modos, vel per gradus diversæ rationis, quorum superior longe præstat inferioribus, ad eum plane modum, quo species suprema infimas antecellit. Ut au-

tem valor rei inferioris adæquet in æstimatione morali valorem rei superioris, non sufficiunt iidem physici gradus multiplicati, sed requiruntur multo plures, qui ratione multitudinis adæquent. Si enim supponamus aurum habere quinque gradus intensionis, non sufficiunt quinque gradus intensionis argenti, ut adæquent in æstimatione morali valorem auri; sed requiritur major argenti multitudo. Et ob eandem rationem adamans habens gradus (vulgo *quilates*, aut *fondos*) ut octo, pluris æstimatur, quam duo adamantes ut quatuor, et quam octo adamantes ut *unum*. Qua de causa ad adæquandum valorem adamantis ut octo non sufficiunt, quatuor adamantes ut duo, nec octo ut unum, sed requiruntur plures; et quo fuerint perfectiores, licet infra octo, eo pauciores sufficient. Sic in præsenti materia ut fiat moralis adæquatio inter valorem actuum remissorum, et valorem augmenti superaddendi, non sufficiunt iidem gradus physici ex parte utriusque extremi, sed plures requiruntur ex parte meriti, eo quod modus intensionis in augmento repertus est excellentioris rationis, et cum eminenti quadam elevatione continet omnes gradus in actibus illis repertos. Quanto vero actus illi fuerint magis remissi, tanto major eorum multiplicatio requiretur, ut fiat moralis adæquatio cum præmio. Si autem actus fuerint magis intensi, licet infra augmentum superaddendum, minor multitudo sufficiet pro illa morali adæquatione, eo quod sunt majoris æstimabilitatis. Quamvis ergo per actus remissiores augmento queat fieri adæquatio moralis cum illo, nihilominus observanda est proportio hactenus explicata.

Consectarium. 47. Ex qua etiam doctrina infertur, non sufficere eosdem actus remissos repetitos, aut eundem actum remissum continuatum ad merendum augmentum supra charitatem præexistentem; sed quo charitas intensior supponitur, eo desiderari plus valoris ex parte meriti, ut quis mereatur charitatis augmentum. Verbi causa plus requiritur ad merendum addi unum, ut sic dicamus, modum, aut gradum supra charitatem ut decem, quam ad merendum unicum gradum supra charitatem ut quinque, licet utraque charitas augeatur præcise ut unum. Quoniam gradus addendus charitati ut decem, est alterius, et longe excellentioris rationis, ac gradus addendus charitati ut quinque; non enim imaginandum est, hos gradus esse ejusdem æstimabilitatis, aut solum materialiter, et velut quantitative distingui, sicut comparatur nummus additus nummo. Sed distinguuntur ad instar specierum, quarum superior excedit perfectionem cujuslibet inferioris. Unde gradus, aut modus superaddendus charitati ut decem, nempe gradus, aut modus undecimus, longe præstat gradui, aut modo superaddendo charitati ut quinque, videlicet modo, aut gradui sexto, atque ideo fundat majorem æstimabilitatem moralem. Licet enim moralis valor non debeat omnino commensurari intensioni physicæ, ut supra vidimus, sed possit etiam ex aliis capitibus desumi; nihilominus ex illa etiam pendet, atque ideo crescit ad augmentum illius. Quod maxime in præmio verificatur, et potius quam in actibus meritoriis; in his enim præter intensionem attenduntur multiplicatio, continuatio, difficultas, et aliæ circumstantiæ, ex quibus, stante eadem intensione, valor moralis variari potest; in præmio autem augmenti nil fere horum occurrit præter intensionis modos, ad quos proinde oportet potissimum attendere. Si ergo modus, aut gradus ut unum, superaddendus charitati ut decem est perfectior, quam modus, aut gradus ut unum superaddendus charitati ut quinque, illumque excedit in æstimabilitate morali; plane sequitur plus valoris requiri ex parte meriti ad merendum augmentum charitatis ut decem usque ad undecimum gradum, quam ad merendum augmentum charitatis ut quinque usque ad gradum sextum, et non sufficere eosdem actus ad hos effectus. Necessaria quippe est pro merito de condigno adæquatio in valore morali inter meritum, et præmium; et quo præmium est nobilius, eo requirit majorem valorem moralem ex parte meriti.

Unde difficilior redditur resolutio præsentis quæstionis; nam licet non obscure intelligatur, qualiter actus physice remissi queant ratione valoris moralis ex aliis capitibus desumpti adæquare valorem augmenti supperaddendi, ac proinde illud de condigno mereri, ut hactenus explicuimus; arduum tamen intellectu est, qualiter actus quilibet remissus mereatur de condigno charitatis augmentum; fieri enim potest, quod ex nullo capite suscipiat valorem sufficientem ad prædictam adæquationem, utputa si augmentum sit superaddendum charitati ut decem, atque ideo debeat esse

ut

ut undecim; et actus solum habeat modum ut unum, et duret præcise per unum instans, et fiat absque difficultate. In hoc ergo præcipue stat cardo præsentis difficultatis, quæ respicit actum remissum divisive, et præcisive ab aliis actibus supervenientibus, et a continuatione; non vero ut simul cum illis, aut continuatus fundat majorem valorem moralem, ut hucusque diximus. Et inquirimus, an ita divisive acceptus sit adæquatum pretium, seu meritum augmenti supperaddendi.

Instantur, et augetur difficultas præsentis dubii.

§ III.

Alia conclusio ad magis expediendam difficultatem.

48. Dicendum est tertio, quod si ad solas leges meriti de condigno attenderetur, nulla alia interveniente dispositione, aut providentia, justus non quolibet actu charitatis mereretur charitatis augmentum. Hanc conclusionem defendunt Bannez, et alii plures Authores *num.* 67 referendi. Probatur ratione; nam ad meritum de condigno requiritur, suppositis aliis conditionibus, quod adæquet in valore morali præmium: sed non quilibet actus charitatis adæquat in valore morali augmentum charitati præexistenti supperaddendum: ergo si ad solas leges meriti de condigno attenderetur, justus non quolibet actu charitatis mereretur charitatis augmentum. Major, et consequentia patent. Minor autem probatur in hunc modum: supponamus, justum habere charitatem ut novem, et elicere actum charitatis qui ex nullo capite habeat nisi valorem ut unum. Tum sic: augmentum in hoc casu supperaddendum debet esse ad minimum ut decem; nec enim alius inferior gradus supra novem excogitari valet, atque ideo debet importare valorem ut decem: sed actus habens valorem præcise ut unum non adæquat valorem ut decem, ut ex ipsis terminis liquet: ergo non quilibet actus charitatis a justo elicitus adæquat in valore morali augmentum præexistenti charitati superaddendum.

Tertia conclusio. Bannez Ratio.

49. Nec satisfacit si dicas hoc argumentum ex æquivocatione procedere; comparat enim cum augmento ut decem actum meritorium ut unum præcisive acceptum; quo pacto evidens est, quod valorem prædicti augmenti non adæquat. Comparatio autem non debet ita fieri, sed sumendus est actus ut unum simul cum actibus præcedentibus, qui meruerunt charitatem ut novem; et hoc modo adæquat valorem augmenti ut decem. Si enim quis eliciat actum habentem valorem ut novem, quo meretur totidem gradus augmenti, et deinde eliciat actum habentem valorem ut unum, sufficientem adæquationem ponit inter meritum, et augmentum ut decem; nam novem, et unum in valore ex parte meriti adæquant decem gradus valoris ex parte augmenti.

Effugium.

Non, inquam, hoc satisfacit; quoniam actus habens valorem præcise ut unum, nec divisive, aut præcisive sumptus, nec cum aliis actibus meritoriis præcedentibus acceptus adæquat valorem augmenti ut decem. Et ratio est, nam licet actus remissi queant in valore morali adæquare præmium intensius; nihilominus ad hanc moralem adæquationem non sufficit adæquatio in solo numero graduum; sed requiritur major multitudo ex parte actuum, eo quod gradus reperti in pluribus actibus remissis, important minorem æstimabilitatem ac totidem gradus reperti in unico præmio intenso, ut supra explicuimus. Duo autem actus, unus, ut novem, et alter ut unum, non important nisi eundem numerum graduum, qui in augmento ut decem eminentius invenitur: quocirca non adæquant ejus valorem moralem, sed major actuum vel multitudo, vel continuatio, vel intensio adjicienda est.

Præcluditur.

50. Explicatur hoc amplius, etenim unus actus intensus, et meritorius ut decem, majorem valorem moralem importat, quam decem actus ut unum, et quam duo actus ut quinque, et quam duo actus, unus ut novem, et alter ut unum; habere quippe decem gradus unite, et indivisibiliter in unico modo superiori, melius quid est physice, et moraliter, quam habere eosdem gradus partitos, et divisos in modis inferioribus, ut supra exposuimus: quocirca actus intensus, et meritorius ut decem, plus meretur, quam decem actus ut unum, et quam duo actus ut quinque, et quam duo actus, unus ut novem, et alter ut unum. Sed actus intensus ut decem sufficientem adæquationem habet cum augmento charitatis ut decem; nec enim in ratione meriti excedit illud præmium in esse præmii. Ergo actus ut unum, non solum consideratus secundum se, sed etiam ut conjunctus alteri actui ut novem, non habet adæqua-

Aperitur vis impugnationis.

tionem in valore morali cum augmento charitatis ut decem.

Urgetur. Declaratur ulterius : actus intensus ut novem non excedit in valore morali augmentum charitatis ut novem ; et actus ut unum non adæquat valorem moralem modi augmenti ut decem ; siquidem hic modus est nobilior, quam modus ut novem, et quam omnes modi inferiores : ergo actus ut unum, nec sumptus secundum se, nec ut conjunctus actui ut novem, habet adæquationem in valore morali cum augmento charitatis ut decem. Itaque ad hujusmodi adæquationem opus erat, quod sicut modus ut decem ex parte augmenti addit physice supra modum ut novem illum excedendo ; ita id, quod additur actui ut novem adderet physice supra actum ut novem illum superando. Quod tamen aliter, et valde aliter contingit ; nam modus ut decem ex parte augmenti continet physice modum ut novem, additque aliquid excellentius : actus autem ut unum non continet actum ut novem, nec super illum physice addit, sed potius continetur in eo. Ergo duo illi actus nec divisim, nec copulative accepti adæquant valorem moralem augmenti ut decem. Unde nisi eorum valor ratione continuationis, vel repetitionis crescat (quod in hypothesi nostræ assertionis non supponitur), nequeunt mereri de condigno charitatis augmentum.

Objectio. 51. Sed objicies : nam plures actus honesti simul sumpti majorem valorem important, quam eorum quilibet seorsim acceptus ; et ideo pluris æstimantur duo actus ut quatuor, quam unicus actus ut quatuor, juxta ea quæ diximus *a num.* 41. Ergo plus valoris important duo actus, unus ut novem, et alter ut unum, quam unicus actus ut novem ; et consequenter plus meretur qui elicit actum ut novem, et deinde actum ut unum, quam si præcise eliceret actum ut novem. Sed si eliceret præcise actum ut novem, mereretur augmentum charitatis ut novem. Ergo eliciendo postea actum ut unum, meretur augmentum charitatis supra novem, atque ideo quod charitas augeatur usque ad gradum, aut modum ut decem. Hoc quippe augmentum est, quod immediate, et in minima proportione sequitur post gradum, aut modum ut novem.

Diluitur. Respondetur concedendo, quod in duobus actibus, uno ut novem, et alio ut unum, reperiatur plus valoris, quam in unico actu ut novem ; et admittendo pariter quod eliciens illos duos actus plus mereatur saltem in actu primo, et quoad sufficientiam, quam si eliceret unicum præcise actum ut novem. Negamus tamen, quod mereatur augmentum præexistentis charitatis ; nam, ut supponitur, est ut novem, supra quam nequit adjici, nisi gradus, aut modus ut decem. Hic autem gradus ex una parte indivisibilis est, et ex alia parte excedit valorem repertum in duobus actibus, uno ut novem, et alio ut unum, ut hactenus ostendimus. Quocirca Deus præmians non tenetur rependere illis actibus augmentum charitatis ut decem ; nam ad meritum de condigno requiritur, quod meritum habeat adæquationem in valore morali cum præmio. Posset tamen aliud præmium retribuere, quod excessui valoris ex parte meriti responderet, et subrogaretur loco augmenti charitatis. Sicut si aliquis promitteret præmium aliquod indivisibile elicientibus opera ejusdem valoris cum præmio, nemo eorum qui illum valorem non attingeret, redderet præmium sibi debitum, quantumcunque laborasset, et ad illius valorem accessisset. Sed promittens deobligaretur præmium illud reddere, et ad summum posset, si vellet, rependere aliquid aliud, quod valorem operum non excederet. Et sicut in hoc casu non esset inconveniens, quod opera illa, quantumvis valorosa, manerent impræmiata ob defectum adæquationis in valore morali cum præmio illo indivisibili : ita in nostro casu (si attendamus præcise ad naturas rerum, et ad solas leges meriti de condigno), nullum foret absurdum, quod opera illa non consequerentur in ratione præmii augmentum charitatis ut decem, ob defectum videlicet adæquationis in valore morali cum illo. Præsertim cum posset Deus aliquid aliud rependere, quod valori illorum operum adæquaretur.

Replica. 52. Dices : licet modus ille, aut gradus augmenti ut decem sit formaliter indivisibilis, habet tamen virtualem latitudinem ; continet enim et illud valoris, quod duobus actibus, uni ut novem, et alteri ut unum adæquate correspondet ; et insuper illud plus valoris, in quo prædictos actus excedit. Unde quamvis hujusmodi actus nequeant de condigno mereri, et reddere sibi debitum illud augmentum adæquate acceptum, poterunt tamen illud mereri secundum illam portionem virtualem valoris, quæ ipsis correspondet. Quod satis est, ut

qui

qui habet charitatem ut novem, et elicit actum ut unum, dicatur mereri de condigno suæ charitatis augmentum.

Dissolvitur. Respondetur, quod meritum de condigno respicit suum præmium, ut exercite ex justitia conferendum. Et quod ita conferri non debet, nequit cadere sub merito de condigno, ut modo supponimus in dictis *tract.* 16, *disp.* 2, *num.* 10. Eo autem ipso, quod modus, aut gradus augmenti charitatis ut decem sit formaliter indivisibilis, et ad solas leges meriti de condigno attendamus (seclusa alia gratia, aut dispositione prædictis legibus accidentaria), fieri non valet, quod augmentum charitatis debeatur actibus, de quibus loquimur; sed absolute, et non violando illam legem meriti de condigno, posset Deus nullum augmentum conferre. Et ratio constat ex dictis; nam vel conferretur illud præcise virtuale valoris, quod duobus his actibus correspondet? Et hoc est impossibile: siquidem, ut supponitur, modus ille, aut gradus est formaliter indivisibilis, atque ideo nequit inadæquate produci, et conferri. Vel conferretur ille modus, aut gradus adæquate acceptus? Et nec hoc dici potest, quia excedit valorem meriti, ut supra ostendimus; et præmians non tenetur retribuere supra valorem operum. Quod si faciat, jam convincitur non attendi ibidem solas leges meriti de condigno, sed gratiam supra, et præter illas leges intervenire. An autem de facto ita contingat, statim declarabimus.

§ IV.

Præcipuæ difficultatis resolutio.

Quarta conclusio. 53. Dicendum est ultimo, justum quolibet actu charitatis, quantumvis remisso, mereri de facto, et secundum præsentem providentiam merito de condigno suæ charitatis augmentum : sive (et in idem redit) per omnes, et singulos charitatis actus augere meritorie de condigno suam charitatem. Hanc conclusionem docet Divus Thom. locis statim referendis. Cui ex discipulis subscribunt Capreol *in* 1, *dist.* 17, *quæst.* 2, *art.* 3, *et in* 4, *dist.* 21, *q.* 2, *art.* 3, Cajet. et Conradus 1, 2, *quæst.* 114, *art.* 8. Idem Cajet. *in præsent. art.* 6, § *Ad hoc dicitur*, ubi Arauxo *dub.* 2, Labat. *disp.* 3, *dub.* 2, Gonet. *disp.* 10, *art.* 7. Ferre *quæst.* 18, § 1, Alvarez *lib.* 7 *de auxiliis, disp.* 60, *concl.* 3, Zumel 1, 2, *q.* 144, *art.* 8, *disp.* 2, ubi Montesin. *disp.* 36, *quæst.* 7, Vasquez *disp.* 220, *cap.* 3. Eandem sententiam tuentur B. Albertus *in* 1, *dist.* 17, *art.* 10, Richardus *art.* 2, *quæst.* 3, Gabriel *quæst.* 2, *art.* 3, *dub.* 2, et *in* 4, *dist.* 14, *quæst.* 3, *dub.* 3, Scotus *in* 4, *distinct.* 21, *quæst.* 21, § *In ista vero*, et *dist.* 22, *quæst.* 1, § *De secundo*, Almainus *tract. Moral. cap.* 11 *et* 12, Corduba *lib.* 1, *quæst.* 9, Suarez *in relect. de reviviscentia merit. disp.* 2, et *tom.* 2, *in* 3 *part. disp.* 18, *cap.* 2, Lorca *in præs. disp.* 16, *dub.* 1, Malder. *art.* 6, *concl.* 2, Castillo *disp.* 3, *quæst.* 7, Valentia *punct.* 3, *concl.* 9, Pesantius *disp.* 3, et communiter omnes Theologi hujus temporis.

D. Tho. Capreol. Cajetan. Conrad. Arauxo. Labat. Gonet. Ferre. Alvarez. Zumel. Montes. Vasq. B Alber. Richard. Gabriel. Scot. Almain. Cordub. Suarez. Lorca. Malder. Castillo. Valent. Pesant.

Præcipuum hujus assertionis fundamentum desumitur ab authoritate; nam in sacra Scriptura promittitur merces æternæ vitæ omnibus, et singulis charitatis operibus : ergo justus per quodlibet charitatis opus meretur augmentum gloriæ : ergo meretur gratiæ, et charitatis augmentum. Hæc secunda consequentia recte infertur ex prima, adjunctis his, quæ *num.* 32 præmisimus, ubi ostendimus augmento gloriæ inseparabiliter conjungi augmentum gratiæ, et charitatis, et sub eodem merito cadere. Prima vero consequentia liquet ex antecedenti; nam si justus per aliquod charitatis opus valde remissum non mereretur gloriæ augmentum, non omnibus, et singulis charitatis operibus posset merces vitæ æternæ repromitti, sed plura sine hac mercede relinquerentur. Antecedens autem probatur, quia *Matthæi* 10, dicitur : « Quicumque potum dederit uni ex mini- « mis istis calicem aquæ frigidæ tantum in « nomine discipuli, amen dico vobis, non « perdet mercedem suam. » Quod opus videtur valde exiguum inter charitatis, et pietatis officia. Et Apost. 1, *ad Corinth.* 15, ait : « Stabiles state abundantes in omni « opere bono, scientes quod labor vester « non est inanis in Domino. » Ubi fructum æternæ vitæ non ad sola opera egregia, aut intensa restringit, sed omni operi bono promittit. Idem traditur in aliis Scripturæ locis, in quibus dicitur, quod Deus unicuique retribuet mercedem gloriæ secundum laborem, et opera ejus, nulla adhibita limitatione ad opera dumtaxat intensa, aut difficilia.

Fundamentum. Matth. 10. 1. Cor. 15.

54. Confirmatur primo, et valde urgenter ex Conciliis; nam Arausicanum *can.* 18, universaliter diffinivit deberi mercedem bonis operibus in gratia factis. Quili-

Confirmatio prima. Conc. Arausican.

bet autem charitatis actus a justo elicitus
Conc. Flor. est opus bonum in gratia factum. Et Florentinum in litteris sanctæ unionis decernit, sanctos perfecte purgatos intueri clare Deum, meritorum tamen diversitate alium alio perfectius. Ubi non ad solam bonorum operum intensionem, sed etiam ad diversitatem attendit : quæ diversitas per quodlibet etiam minimum opus inducitur. Et
Conc. Trid. Trident. *sess.* 6, *cap.* 16, sic docet : « Bene « operantibus usque in finem, et in Deo « sperantibus proponenda est vita æterna, « et tanquam gratia filiis Dei per Christum « Jesum misericorditer promissa, et tanquam merces ex ipsius Dei promissione « bonis ipsorum operibus, et meritis fideliter reddenda. Hæc enim est illa corona « justitiæ, quam post suum certamen, et « cursum repositam sibi esse aiebat Apostolus a justo judice sibi reddendam ; non « solum autem sibi, sed et omnibus, qui « diligunt adventum ejus. Cum enim ille « ipse Christus Jesus, tanquam caput in « membra, et tanquam vitis in palmites in « ipsos justificatos jugiter virtutem influat, « quæ virtus bona opera semper antecedit, « et comitatur, et subsequitur, et sine qua « nullo pacto Deo grata, et meritoria esse « possent ; nihil ipsis justificatis amplius « deesse credendum est, quominus plene « illis quidem operibus, quæ in Deo sunt « facta, divinæ legi pro hujus vitæ statu « satisfecisse, et vitam æternam suo etiam « tempore, si tamen in gratia decesserint, « consequendam vere promeruisse cen- « seantur, etc. » In qua doctrina Concilium minime limitat meritum vitæ æternæ ad sola opera bona excedentia charitatem præexistentem, sed universaliter affirmat cuncta bona opera hominis justi vitam æternam promereri ; sicut et quod per omnia bona opera satisfacit divinæ legi : ad quod certum est, non requiri, quod opus bonum sit perfectius gratia, et charitate præexistentibus, vel eas intensive superet. Et conformiter ad hanc doctrinam diffinit in eadem sess. *can.* 32 : « Si quis dixerit
Concil. Trid. « hominis justificati bona opera ita esse « dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius « justificati merita ; aut ipsum justificatum « bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, et Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, « et ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia « decesserit, consequutionem, atque etiam « gloriæ augmentum, anathema sit. » De quolibet autem minimo, et valde remisso actu charitatis verificatur esse opus bonum hominis justificati, factum ex Dei gratia, et Jesu Christi merito. Ergo secundum doctrinam, et sententiam Concilii justus per quodlibet charitatis opus, licet exiguum, et valde remissum, meretur charitatis augmentum.

Confirmatur secundo ex D. Thom. *in præs. art.* 6, *in resp. ad* 1, ubi inquit : « Dicendum quod quilibet actus charitatis « meretur vitam æternam, non quidem « statim exhibendam, sed suo tempore. « Similiter etiam quilibet actus charitatis « meretur charitatis augmentum, non tamen statim augetur, sed quando aliquis « conatur ad hujusmodi augmentum. » Quibus verbis perspicue docet, nullum esse charitatis actum, cui gloria, et augmentum charitatis in ratione præmii non correspondeat, quod falsum esset, si de facto aliquis charitatis actus ob defectum intensionis, aut valoris non mereretur de condigno charitatis augmentum. Idem docet 1, 2, *q.* 114, *art.* 8 *ad* 3, ubi ait : *Dicendum, quod quolibet actu meritorio meretur homo augmentum gratiæ, etc.* Quilibet autem charitatis actus a justo elicitus, sive intensus sit, sive remissus, est actus meritorius, ut ex se constat. Confirmatio secunda. D. Tho.

55. Ad hæc testimonia, et præcipue ad authoritates Concilii Tridentini quidam respondent, intelligenda esse vel de merito congrui, vel de merito in ordine ad aliquod præmium accidentale ; atque ideo non evincere, quod justus quolibet opere charitatis mereatur de condigno augmentum gloriæ essentialis, et charitatis. Evasio.

Sed hæc responsio quoad utramque partem evidenter refellitur verbis Concilii. *Primo*, quia expresse recenset inter præmia augmentum gratiæ, ut constat ex canone relato, *Non vere mereri augmentum gratiæ, etc.* Et hæc præmia vocat coronam justitiæ, ut liquet ex cap. 16 : *Hæc enim est illa corona justitiæ, etc.* Quæ nequeunt nisi omnino violenter detorqueri vel ad meritum præcise de congruo, vel ad præmia accidentalia. *Secundo*, quia Concilium eis locis docet, et decernit oppositum ejus, quod hæretici affirmabant : ii autem non negarunt operibus nostris rationem meriti de congruo, et in ordine ad aliqua præmia accidentalia ; sed negarunt meritum de condigno in ordine ad vitam æternam, et quæ illam, Præclu-ditur. Concil. Trid.

illam, ejusque augmentum comitantur, ostendentes Christum Dominum hæc nobis jam perfecte promeruisse, ut videri potest apud Vegam *lib.* 15, *in Concil. cap.* 16. Ergo doctrina, et diffinitio Concilii præcipue respiciunt meritum de condigno, et in ordine ad præmium essentiale. *Tertio*, quia nisi ita dicamus, sequitur non esse contra fidem negare, quod justus per bona opera mereatur de condigno vitam æternam, ejusque, et gratiæ, seu charitatis augmentum ; quod tamen nemo Catholicorum audebit admittere, cum omnes ex eis locis colligant esse de fide, justum per aliqua opera, saltem intensiora, et eximii valoris mereri de condigno prædicta præmia. Cum autem doctrina, et diffinitio Concilii sit indefinita, et universalis, nullamque afferat limitationem, qua vel excludat, vel indicet excludenda fore opera minus intensa ; fit hæc etiam debere comprehendi sub determinatione Concilii, atque ideo nullum esse opus charitatis, quod non mereatur vitam æternam, ejusque, et charitatis augmentum.

Aliud effugium.

56. Alii respondent, ex doctrina Concilii solum colligi, quod justus bonis operibus mereatur de condigno præmium essentiale, cujusmodi est vita æterna, et augmentum charitatis ei correspondens ; non vero quod mereatur præmium distinctum ab eo, quod aliis operibus correspondet. Unde ut satisfaciat intentioni Concilii, inquiunt illi, necessarium non est asserere, quod minimum charitatis opus mereatur distinctum augmentum ; sed sufficit concedere, quod mereatur idem augmentum, quod operibus intensioribus debetur. Ita ut idem augmentum sit præmium omnibus his operibus ex diversis titulis debitum, sicut eadem corporis Christi gloria est præmium respondens pluribus titulis, et meritis.

Infutatur.

Cæterum hæc responsio verbis tantum consistit, et nullum habet fundamentum in Concilio, sed ei satis aperte adversatur. Quoniam si hoc pacto licet Concilium interpretari, pariter licebit asserere, quod justus nullis operibus mereatur distinctum præmium, sed quod meretur eandem gloriam, quæ primæ gratiæ absque meritis infusæ, vel primo operi meritorio correspondet ; ita quod idem præmium diversis titulis retribuatur, sicut contingit in exemplo meritorum Christi, quo utitur ista responsio. Hoc autem est aperte contra intentionem Concilii, quod ex operibus justitiæ infert contra hæreticos ipsius justitiæ profectum, et incrementum. Sequela patet ; nam Concilium non magis indicat, aut fundat istam expositionem, quam illam.

Deinde refellitur hæc responsio, nam Concilium decernit, justum bene operando mereri vere augmentum gratiæ : sed fieri potest, ut post infusionem primæ gratiæ justificantis non eliciat, nisi unicum actum charitatis, et valde remissum : ergo per hunc autem vere meretur augmentum gratiæ, quin opus sit recurrere ad alia opera intensiora, vel ad alios titulos. Augmentum enim gratiæ in hoc casu non respondet alteri operi intensiori, siquidem nullum aliud fit, ut supponitur. Nec tandem oportet expectare aliud opus futurum intensius ; nam Concilium hanc conditionem non exposcit, sed solam gratiæ perseverantiam, ut constat *ex can.* 32.

Major impugnatio.

Ad hæc : licet prædicta evasio videatur salvare, quod Deus rependendo idem præmium ob diversos titulos retribuat unicuique operi præmium ipsi seorsim et divisive considerato ad æqualitatem respondens ; minime tamen salvat, quod retribuat operibus præmium ipsis simul sumptis debitum ; et multo minus, quod retribuat ultra, et supra condignum. Quoniam plura opera vel ejusdem, vel diversæ intensionis simul sumpta majorem valorem moralem important, quam eorum quodlibet seorsim acceptum ; crescit enim moralis valor non solum ex intensione, sed etiam ex operum multitudine, aut repetitione, ut *a num.* 41 ostendimus. Ergo nisi Deus rependat unicuique operi etiam remisso distinctum præmium, augeatque præmium operibus intensioribus correspondens, non retribuit ad æqualitatem, et multo minus ultra condignum ; et tamen Concilium aperte supponit, Deum de facto ita se gerere in præmiando opera nostra. Unde obiter dispellitur exemplum illud meritorum Christi Domini; nam cum quodlibet ejus opus sit infiniti simpliciter valoris, supervenientia ipsius opera non augent intensive condignitatem ad præmium ; et ideo non se extendunt ad præmia distincta, sed ad eadem ex novo titulo conferenda. Quod aliter accidit in homine pure justo ; nam quodlibet bonum ejus opus auget intensive valorem moralem operum præcedentium, atque ideo potest vel ad novum præmium, vel ad prius debitum magis augescendum extendi. Et in hoc sensu loquitur Concilium, nullumque præstat fundamentum contrariæ interpretationi.

Tertia responsio.

57. Per quod denique rejicitur tertia quorundam evasio præcedenti satis affinis, qui dicunt Concilium solum determinare, quod omne opus bonum mereatur augmentum præmii. Pro quo, inquiunt, sufficit gloriam, et gratiam augeri in esse præmii, quatenus confertur ob plures titulos; et non requiritur, quod crescant in esse entis per aliquos intensionis modos, aut gradus. Redditur enim præmium magis æstimabile, atque ideo crescit in esse præmii ex hoc ipso, quod pluribus titulis correspondeat.

Evertitur.

Hoc, inquam, effugium præcluditur ex dictis. Tum quia nullum habet fundamentum in Concilio. Tum etiam, quia æstimabilitas præmii non constituitur per correlationem ad meritum, cum merita se teneant ex parte merentis, non ex parte præmiantis; sed importat perfectionem absolutam, quæ a præmiante venit, et merenti rependitur: ergo ut quis dicatur mereri majus præmium, non sufficit (licet etiam requiratur), quod merita multiplicentur; sed desideratur, quod præmium meritis respondens crescat, et sit majoris valoris in seipso. Tum præterea, quia nisi ita dicamus, nullum erit in Scriptura, aut Conciliis testimonium, ex quo convincatur justum per opera intensiora mereri augmentum gratiæ, et gloriæ; quod in communi omnium sententia est de fide. Sequela ostenditur; nam juxta præmissam responsionem dicetur augeri quidem gratiam, et gloriam in esse præmii, quatenus operibus intensioribus correspondet. Et ita minima gratia et gloria in esse entis erunt præmium correspondens innumeris, et excellentissimis operibus; erit enim præmium majus in esse præmii. Tum insuper, nam ex eadem doctrina inferretur, merita Christi Domini præmiari adæquate, et ad æqualitatem per quodlibet beneficium eorum intuitu nobis collatum. Quod absurdissimum est, et contra communem sensum. Sequela patet; nam juxta illam doctrinam, præmium crescit in esse præmii per hoc, quod pluribus meritis correspondeat: ergo beneficium collatum ob infinita Christi merita est præmium infinitum in esse præmii, eisque respondet adæquate, et ad æqualitatem. Tum denique, nam pari licentia dici poterit, quod pluribus demeritis non correspondeat major pœna sensus in esse entis, sed præcise major in esse pœnæ, quatenus ob plura peccata infligitur; nam ita proportionabiliter se habet demeritum ad pœnam, sicut se habet meritum ad præmium. Consequens autem est contra fidem, quæ docet damnatos diversa pœna, majori et minori torqueri.

Illatio.

58. Ex quibus liquet, quam multum nostra, et communis sententia præstat contrariæ; nostra enim positive fundatur in doctrina Scripturæ, et Conciliorum; illa vero vix, aut nullo modo valet prædictis testimoniis occurrere, ut liquet ex hactenus dictis. Nec propterea ipsi ullam censuram inurimus, quam videmus defendi a viris piis, et doctis. Sed eam relinquimus in eo probabilitatis statu, quem ipsi nonnulli concedunt, ut vidimus *num.* 39. Negari tamen nequit, communem sententiam, cui subscribimus, esse longe probabiliorem, præcipue post Concilium Tridentinum; nam ejus doctrina haud facile componi potest cum opinione contraria.

Nota.

59. Ratio autem nostræ assertionis sumitur ex hucusque dictis; sed priusquam illam formemus, aliqua præsupponere oportet. Primum sit, quodlibet opus charitatis, quantumvis remissum, additum aliis meritis, aut alteri juri antecedentibus, augere valorem, et jus. Quod satis liquet ex dictis pro secunda conclusione; nam prædictum opus importat aliquem valorem moralem: ergo additum aliis meritis, aut titulis, auget eorum valorem, et jus; valor enim moralis crescit non solum ex intensione, sed etiam ex operum multitudine, ut ibidem ratione, et exemplis ostendimus.

Secundum sit, non esse contra rationem meriti de condigno, et præmii ei respondentis, quod si præmium habeat latitudinem, conferatur secundum aliquam sui partem ex justitia, et in vi præmii; et secundum aliam tribuatur ex gratia, aut ex sola fidelitate. Ut si rex laborantibus ut quinquaginta proponat munus valoris ut centum, rependendo illud quoad quinquaginta gradus, ut mercedem debitam labori, et promittendo ipsum quoad alios gradus ut puram gratiam, dependentem tamen a labore ut conditione. In quo eventu negari non valet, quod laborans ut quinquaginta, mereretur de condigno illud præmium inadæquate acceptum, sive quoad quinquaginta valoris gradus. Adæquate vero acceptum, sive quoad omnes collative sumptos consequeretur illud, partim ex justitia, partim ex promittentis gratia. Et quamvis hujusmodi regis lex esset præter, et supra communes,

munes, et solas leges meriti de condigno, adjiceretque conditionem cujusdam gratiæ prædicto merito accidentariæ, ut constat ex dictis pro tertia assertione ; nihilominus non esset contra essentiam prædicti meriti, nec ejus rationem evertet. Quoniam hujusmodi meritum, suppositis aliis conditionibus, solum exposcit adæquationem in valore morali inter ipsum, et id quod confertur ut præmium, quæ adæquatio salvaretur in prædicto casu. Illud enim donum, aut bonum habens valorem ut centum, non haberet rationem præmii adæquate acceptum, sed sumptum præcise quoad quinquaginta valoris gradus ; quo pacto valorem laboris ut quinquaginta non excederet. Secundum alios autem quinquaginta gradus non tribueretur ut præmium debitum ex justitia, sed haberet rationem doni gratuiti debiti non quidem labori, sed ex sola promittentis fidelitate.

Ratio conclusionis.

60. His suppositis probatur conclusio : Nam si justus habens charitatem valde intensam, et eliciens actum unicum charitatis valde remissum, non mereretur de condigno præexistentis charitatis augmentum, maxime quia prædictus actus non adæquat in valore morali modum, aut gradum illum, quo charitas esset augescenda, ut ponderavimus *a num.* 48. Sed hæc ratio de facto, et secundum præsentem providentiam non probat : ergo justus secundum præsentem providentiam quolibet actu charitatis meretur de condigno charitatis augmentum. Probatur minor, quia actus ille, licet remissus, conjunctus tamen meritis, aut titulis præcedentibus, importat plus valoris, et juris, atque ideo condignitatem ad majorem modum, vel gradum augmenti, saltem inadæquate acceptum, et quoad aliquid, in quo ille modus excedit præexistentem charitatem ; aliunde vero Deus statuit de facto præmiare ultra condignum, ut communiter docent Theologi : ergo de facto quilibet actus charitatis meretur augmentum charitatis, saltem inadæquate sumptum Ita quod modus augmenti formaliter indivisibibilis secundum illud virtuale, in quo non excedit actum remissum, ut aliis meritis, et titulis conjunctum, sit præmium ex justitia ipsi debitum, tanquam merito de condigno ; et secundum aliud virtuale, in quo actum excedit, sit donum gratuitum collatum ex sola fidelitate Dei promittentis.

Confirmatur, et declaratur primo, quia non est contra rationem meriti de condigno, quod præmians adjiciat ex gratia aliquid supra id, ad quod merita important condignum, et æqualem valorem ; licet id, quod retribuitur, sit indivisibile, et adæquate acceptum excedat valorem operis meritorii. Id quippe solum probat, quod in tali eventu non tantum interveniant leges meriti de condigno, sed gratia etiam huic merito accidentaria ; et quod id, quod sortitur rationem præmii, non sit adæquate præmium, sed partim præmium ex justitia debitum, et partim donum ex gratia datum, ut *num. præced.* observavimus. Constat autem, quod novus modus, aut gradus augmenti, licet indivisibilis sit, habet tamen aliquid, in quo adæquat valorem operis meritorii remissi ; et aliquid, in quo prædictum valorem excedit : ergo quoad illud primum potest esse præmium debitum operi remisso, tanquam merito de condigno, et quoad secundum valet esse donum gratuitum ex liberali Dei promissione collatum. Quod autem de facto ita contingat, constat tum ex testimoniis Scripturæ, et Conciliorum supra relatis, quæ id ad minus evincunt : tum ex communi Theologorum proloquio, quod Deus præmiat ultra condignum. Confirmatio.

Confirmatur secundo, et declaratur amplius : nam cum ex una parte Deus sit summe justus, et liberalis in præmiando ; et ex alia nos alliciat ad recte operandum intuitu futuri præmii, ut constat ex testimoniis sacræ Scripturæ supra relatis ; fateri oportet omnem actum charitatis mereri gloriæ, et præexistentis charitatis augmentum, nisi oppositum constet sufficienti authoritate, vel urgenti ratione ; et curandum Theologis est invenire vias, quibus id cum majori facilitate, et connaturalitate explicent. Modus autem a nobis propositus id haud obscure declarat, et nec authoritati, nec rationi opponitur, sed utrique potius cohæret, ut liquet ex hactenus dictis. Ergo ita asserendum est. Quod magis constabit diruendo fundamenta contrariæ opinionis. Secunda confirmatio.

61. Sed objicies, doctrinam in hac ratione, et confirmationibus traditam non cohærere cum illa, quam tradidimus *tract.* 16, *disp.* 6, *dub.* 2, § 3, ubi statuimus, purum hominem non posse mereri de condigno primam gratiam justificantem dandam peccatori. Idque probavimus,quoniam Deus nequit obligari ad conferendam peccatori gratiam, quin obligetur ad remittendum Objectio.

jus exigendi infinitam satisfactionem, quod resultat ex infinita offensæ gravitate : pura autem creatura nequit Deum obligare ad prædictam remissionem, cum hujusmodi præmium sit infinite æstimabile ; et poscat meritum simpliciter infinitum. Cujus discursus efficacia penitus evacuatur per doctrinam, quam modo tradimus ; nam dici poterit, purum hominem mereri de condigno justificationem peccatoris inadæquate acceptam, id est quantum ad id æstimabilitatis, quod non excedit puri hominis meritum : cætera vero, et præsertim remissio offensæ gravis, adjiciuntur ex liberalitate Dei præmiantis, sicut modo discurrimus de augmento charitatis adæquate, vel inadæquate considerato ; quod secundum aliquam sui rationem non excedit meritum actus remissi, et confertur ex justitia ; et secundum aliam excedit, et datur ex gratia.

Diluitur. Respondetur negando antecedens ; nam doctrina eo loco tradita procedit absolute, et nulla facta suppositione merito accidentaria; quo pacto impossibile est, purum hominem suo merito obligare Deum, ut gratiam det peccatori, quin eodem merito ipsum obliget, ut pacetur, et jus ad exigendum infinitam satisfactionem remittat : et quia hoc posterius repugnat, recte asseruimus repugnare et illud primum, variosque dicendi modos impugnavimus, quibus nonnulli docent, meritum in eo eventu solum debere habere adæquationem cum gratia, secus vero cum remissione offensæ, quæ per viam incompossibilitatis inducitur. Nulla quippe præeunte suppositione, fieri non potest, quod præmians obligetur ex merito ad collationem gratiæ, et non obligetur ex eodem merito ad omnia, quæ prædicta gratiæ collatio secum indispensabiliter affert ; et propterea meritum debet omnibus adæquari, et si omnibus non adæquetur, eo ipso non meretur id, quod necessario annectitur aliis, et cum eis constituit unicum, et inseparabile exercite donum. Cæterum si fiat suppositio accidentalis, et gratiosa, quod Deus antecedenter paciscatur cum puro homine se justificaturum esse peccatorem, si ipse purus homo tale, aut tale opus meritorium eliciat, ita quod remissio offensæ sit mera liberalitas ab illo opere sicut a sola conditione dependens, gratia vero in peccatore recepta sit præmium merito respondens ; non negamus purum hominem posse hoc pacto mereri primam gratiam dandam peccatori ; quia fieri valet, ut meritum puri hominis habeat sufficientem adæquationem cum prædicta gratia considerata secundum se, divisive, et præcisive a remissione offensæ. Quo pacto valeret etiam concedi, puram creaturam posse mereri de condigno præmium simpliciter infinitum, v. g. Incarnationem, si meritum referatur ad aliquid finitum, et inadæquatum in eo infinito inclusum, et Deus pactum faciat exequendi alia ex mera liberalitate : et tamen hæc communiter negantur a Doctoribus, quia loquuntur absolute, et independenter a suppositione adeo accidentaria, solumque considerant adæquationem inter meritum creaturæ, et bonum, quod exercite confertur, atque infinitam æstimabilitatem indispensabiliter secum affert. In quo sensu prædictam difficultatem eo loco discussimus. Modo vero ut salvemus justum quolibet actu charitatis, licet remisso, mereri de condigno ejusdem charitatis augmentum, quod aliquando videtur valorem actus excedere, supponimus dari pactum, quo Deus statuit nihil in actu charitatis irremuneratum relinquere, quamvis ad adjiciendum charitatis augmentum opus sit adjicere aliquid ex gratia. Nec hujusmodi suppositio est voluntaria, sed satis innotescit ex testimoniis Scripturæ, et Conciliorum, quæ supra expendimus ; in eis quippe, omnibus, et singulis charitatis actibus a justo elicitis præmium essentiale promittitur.

Observatio præ oculis habenda. 62. Sed hic præ oculis habendum est, nos præsentem difficultatem ad eas angustias reduxisse, ut repræsentaretur inadæquatio inter actum meritorium, et augmentum superaddendum ; sic enim difficultas magis ardua redditur, exposcitque modum, ut concilietur juxta communem, et veram sententiam. Eo autem, quem hactenus proposuimus, satis facile explicatur. Sed revera de facto prædictæ angustiæ non pungunt, quia ex una parte augmentum charitatis non ponitur statim, ac elicitur actus meritorius remissus, sed post hanc vitam, ut *dub. seq.* dicemus. Et ex alia Deus, sicut ante prævisa merita elegit efficaciter homines ad gloriam, ut diximus *tract.* 5, *disp.* 9, *dub.* 1, *cum sequentibus :* ita elegit ad determinatum gradum gloriæ, v. g. Petrum ad gloriam ut decem, Johannem ad gloriam ut quatuor, et sic de aliis. Et conformiter ad prædictam intentionem, et finem distribuit auxilia in tempore, ut homines

mines eliciant opera meritoria adæquate correspondentia illi gradui gloriæ, ad quem sicut ad coronam prædestinantur, et non plura, vel pauciora, quæ vel illum gradum excedant, vel ipsi non adæquentur; id quippe exposcit divinæ providentiæ ordo. Unde nunquam justus decedet cum minori merito, quam sit corona ei præparata; sed sive intense, sive remisse operetur, eum tandem meritorum cumulum habebit, qui par sit illi gloriæ, ad quam sicut ad coronam eligitur. Quocirca juxta præsentem providentiam non trahimur ad angustias supra repræsentatas, sed facile ab eis expedimur. Possunt tamen, et debent permitti disputationis gratia, præsertim apud illos, qui censent Deum prius prævidisse merita, et deinde intendisse efficaciter hominum gloriam. Et propterea modum proposuimus, qui sive hoc, sive aliud dicatur, salvat veritatem nostræ, et communis sententiæ.

§ V.

Refertur prima sententia contraria.

Prima opinio contraria. Suar.

63. Contra tertiam nostram assertionem sentire videntur Authores *num.* 53 relati, et præcipue Suarez; concludunt enim suis argumentis, justum quolibet charitatis actu, licet valde remisso, mereri de condigno charitatis augmentum adæquate, et independenter ab alia gratia merito de condigno accidentaria. Quod probant primo testimoniis Scripturæ, et Conciliorum, quæ a *num.* 53 expendimus. Sed hoc motivum facile diruitur; nam (præscindendo etiam a vera doctrina *num. præcedenti* tradita), prædicta testimonia procedunt de facto, et secundum præsentem providentiam, qua Deus præmiat ultra condignum; et non respiciunt alium statum, in quo observarentur solæ, et puræ leges meriti de condigno, et ea quæ hujusmodi meritum ex se, et præscindendo ab alia gratia affert. Unde optima sunt ad roborandam quartam assertionem nostram, sed nequeunt allegari contra tertiam.

Primum argumentum diruitur.

Secundum argumentum.

64. Arguitur secundo, quia valor moralis meriti crescit ex bonorum operum multitudine : ergo plus meretur qui elicit duos actus, unum ut decem, et alterum ut unum, quam si unicum præcise actum ut decem eliceret : sed eliciendo actum ut decem, meretur charitatem ut decem : ergo eliciendo postea actum ut unum, meretur augmentum supra charitatem ut decem.

Confirmatio.

Confirmatur; nam si habens charitatem ut centum, eliciat actum ut duo, meretur charitatis augmentum : ergo si habens charitatem ut centum, eliciat actum ut duo, merebitur quod ejus charitas augeatur. Patet consequentia, quoniam ex parte operis datur æqualitas; et aliunde quod ex parte subjecti detur major charitas, nequit esse conditio deprimens operis valorem, et vim ejus meritoriam.

Satisfit argumento.

Respondetur argumento concedendo, quod in duobus actibus, uno ut decem, et alio ut unum, reperiatur major valor moralis, quam in unico præcise actu ut decem. Sed negamus, quod habens charitatem ut decem, et eliciens actum ut unum, mereatur præexistentis charitatis augmentum, stando præcise legibus meriti de condigno, nullamque adjiciendo gratiam huic merito accidentariam. Quoniam licet in illis duobus actibus reperiatur major valor, quam in actu ut decem; nihilominus eorum valor non adæquat valorem augmenti supra decem, nempe modum, aut gradum ut undecim : sicut nec æstimabilitatem unius actus ut undecim, ut supra ponderavimus *a num.* 49. Præmians autem non tenetur retribuere ultra valorem meriti, nisi ex liberali sua permissione se obliget ad præmiandum ultra condignum. Et ideo in prædicto casu actus ut unum non mereretur exercite augmentum charitatis supra decem, nec in actu primo esset meritorius illius augmenti, nisi ut pretium inadæquatum, quod simul cum aliis actibus, si succederent, posset adæquare valorem augmenti, istudque exercite promereri.

Diluitur confirmatio.

Ad confirmationem concedimus totum, quod concludit; sed assertionem nostram non impugnat. Quia non negamus, quod per actus remissiores, præexistente charitate, possimus ejus augmentum de condigno mereri; sed asserimus contingere posse, quod actus sit adeo remissus, ut nequeat de condigno mereri prædictum augmentum, stando præcise legibus meriti de condigno. Actus autem ut duo, licet non adæquet valorem augmenti ut tria, potest tamen aliis actibus conjunctus adæquare valorem augmenti ut duo; ita ut quantum deficit rebus ex parte meriti, dematur etiam intensionis ex parte præmii. Et idem proportionabiliter dicendum est de actu ut duo conjuncto meritis ut centum, licet enim non

habeat adæquationem in valore morali cum gratia ut centum et duo, habet tamen adæquationem cum gratia ut centum et unum, juxta proportionem *num.* 46, descriptam. Potest autem actus charitatis esse adeo remissus, ut cum nullo augmento possibili in ratione præmii habeat adæquationem ob rationem traditam in responsione ad argumentum. Qui proinde nullum augmentum charitatis mereri poterit de condigno, nisi Deus adjiciat novam, et ipsi merito accidentariam legem, qua retribuere ultra condignum promittat, ut supra exposuimus.

Tertium argumentum.

65. Arguitur tertio : nam quolibet peccato mortali quantumvis remisso meremur augmentum pœnæ : ergo quolibet opere charitatis meremur augmentum præmii : antecedens est omnino certum, et consequentia probatur, quia eandem proportionem habet actus meritorius ad præmium, quam habet actus demeritorius ad pœnam. Ergo sicut ad hoc, ut quodlibet peccatum mortale mereatur augmentum pœnæ, non recurrimus ad extrinsecam Dei legem demerito accidentariam ; ita recurrere non debemus, ut quodlibet etiam minimum charitatis opus mereatur augmentum præmii.

Confirmatur primo.

Confirmatur primo : nam per quodlibet opus satisfactorium diminuitur pœna : ergo quolibet opere meritorio augetur præmium, id quippe paritatis ratio convincit.

Secundo.

Confirmatur secundo, quoniam nullum est virtutis opus, per quod non augeatur præmium accidentale, licet valde intensum supponatur : ergo nullus est charitatis actus, qui non mereatur de condigno augmentum charitatis, quamvis hæc præsupponatur valde intensa.

Occurritur argumento.

Ad argumentum respondetur negando consequentiam, et disparitas posset ex eo desumi, quod omne peccatum mortale importat infinitam gravitatem in ratione offensæ ; atque ideo ex hac parte trahit vel obligationem ad satisfactionem infinitam, vel (ubi hæc non fit), reatum ad pœnam infinitam loco satisfactionis ; unde quodlibet peccatum grave importat condignitatem ad augescendum pœnam. Opus autem charitatis habet finitum valorem, potestque esse ita remissum, ut non adæquet valorem augmenti charitatis, ut supra exposuimus.

Sed addimus, quod si sermo sit de pœna essentiali, seu damni, hæc proprie loquendo non augetur intensive, quia non est forma, sed privatio visionis beatificæ. Dicitur autem major non per ullam additionem in seipsa, sed solum per connotationem novi peccati impedientis visionem. Quocirca mirum non est, quod per omnia, et singula peccata gravia dicatur augeri pœna. Augmentum autem charitatis est proprie tale, fitque per additionem modi, aut gradus simpliciter perfectioris, et qui potest excedere in valore morali actum charitatis valde remissum, ut supra declaravimus. Et ideo si ad solam naturam, et leges meriti de condigno attenderetur, non omnis, et quilibet charitatis actus mereretur præexistentis charitatis augmentum. Loquendo autem de pœna, et præmio accidentalibus, permittimus quod sicut quodlibet peccatum meretur majorem pœnam sensus, ita quodlibet opus charitatis meretur augmentum præmii accidentalis ; utrobique enim adest proportio, et condignitas in ordine ad illos terminos.

Confirmatio prima solvitur.

Ad primam confirmationem neganda est consequentia, loquendo de præmio essentiali, et augmento charitatis. Et ratio disparitatis est satis manifesta, quia in uno casu fit diminutio, et in alio intensio. Pœna quippe correspondet reatui inducto per peccata, et quilibet actus satisfactorius sicut solvit aliquod debitum, ita diluit aliquem reatum, saltem ex parte ; et ideo posito quolibet actu satisfactorio diminuitur pœna. Augmentum autem charitatis fit per additionem modi indivisibilis perfectioris; et quia non omnis actus charitatis adæquat valorem hujusmodi, propterea (attentis præcise legibus meriti de condigno), non omnis charitatis actus mereretur de condigno charitatis augmentum.

Accedit etiam, pœnam pro qua satisfacimus, semper esse temporalem; reatus enim ad pœnam æternam diluitur gratis in ipsa peccatoris justificatione. Satisfactioni autem pro pœna temporali non est comparandum meritum præmii essentialis, quale est augmentum charitatis, sed meritum majoris præmii accidentalis, quod facile permittimus,

Respondetur secundæ.

Ad secundam confirmationem concedimus antecedens intellectum de omni actu virtutis ut charitate informato, et quatenus aliis actibus meritoriis conjungitur augendo eorum valorem ; et negamus consequentiam. Ratio disparitatis est, quoniam omnis virtutis actus illis conditionibus affectus habet condignum, et æqualem valorem, ut

præmium

præmium accidentale aliquantulum augetur. Cæterum non omnis charitatis actus, licet aliis meritis conjunctus, habet valorem æqualem modo minimo, et indivisibili, quo charitas augescenda est; quoniam hic modus, aut gradus excedit in valore morali actum valde remissum aliis etiam meritis adjunctum, ut supra *n.* 49 exposuimus.

Diximus concedendum esse antecedens intellectum, etc. quia si loquamur de actu virtutis secundum se, et præcisive ab informatione charitatis, et a conjunctione ad præcedentia merita, non est universaliter verum; nam fieri potest, ut actus virtutis sic sumptus non adæquet in valore morali augmentum præmii accidentalis, atque ideo quod non mereatur illud de condigno, ut hactenus diximus de actu charitatis respective ad præmium essentiale.

uartum argu- entum. 66. Arguitur ultimo: quia in nulla suppositione potest concedi, quod Deus bona opera irremunerata relinquat, cum in omni suppositione sit justus in præmiando: sed si aliquis actus charitatis non mereretur de condigno gloriam, et augmentum charitatis, Deus prædictum actum irremuneratum relinqueret: ergo in omni suppositione fateri oportet, quod actus charitatis, licet remissus, mereatur gloriam, et charitatis augmentum.

lutio. Respondetur, nullum fore inconveniens, quod Deus aliquod opus bonum relinqueret per accidens sine præmio essentiali augmenti gloriæ, et charitatis, quando videlicet prædictum opus non haberet valorem æqualem augmento possibili superaddi, ut contingeret in casu nostræ assertionis. Nam cum prædictum opus ob defectum valoris non importaret jus proximum ad prædictum augmentum, nulla esset injustitia, aut indecentia, quod Deus illi operi præmium essentiale non retribueret. Sicut etiam Deus promittit de facto gratiam justificantem homini se ad illam disponenti; et tamen non ad quamlibet dispositionem sequitur gratiæ justificantis infusio, sed ad solam dispositionem sufficientem, et ultimam. Quod si homo aliquam dispositionem remotam efficiat, et ibi sistat, nullum est absurdum, quod infusio gratiæ sanctificantis suspendatur, et quod actus disponens relinquatur sine termino, ad quem saltem remote disponebat.

Posset tamen Deus, si vellet, servato etiam ordine justitiæ, retribuere in eo casu præmium æquivalenter essentiale, quatenus posset conferre tantum præmium accidentale, et tam intensum, ut in morali æstimatione adæquaret valorem ejus augmenti partialis, quod in modo indivisibili, quo charitas esset augescenda, virtualiter invenitur. Nam cum prædictum charitatis augmentum non sit infiniti valoris, potest sufficienter compensari per augmentum valde intensum præmii accidentalis. Cæterum hæc etiam compensatio esset merito de condigno accidentaria; nam supposito, quod Deus promisisset præmium essentiale meritis æqualibus, minime teneretur retribuere illud vel in se, vel in aliquo æquivalenti, nisi quando, et ubi merita adæquarent in valore morali præmium essentiale conferri possibile; quod in prædicto casu non contingeret, ut constat ex dictis.

§ VI.

Secunda sententia contraria cum suis fundamentis.

Secunda sententia opposita. Bannez. 67. Contra secundam, et quartam assertionem sentit Bannez *in relectione de augmento charitatis, et in præsenti art.* 8, *dub.* 2, ubi plura statuit circa meritum præmii essentialis, utputa prædictum meritum solum reperiri in actibus formalibus charitatis, et non crescere ex bonitate morali aliarum virtutum: quæ impugnavimus *in tract. de Merito, disp.* 4, *dub.* 5, *cum sequent.* Sed quod ad præsens attinet, affirmat actus remissiores charitate præexistente non mereri ejus augmentum distinctum ab eo, quod actibus intensioribus correspondet. Ex quo infert, quod si dentur duo homines, quorum unus per totam vitam non eliciat nisi unum actum charitatis ut decem, et alter per totam vitam repetat innumeros actus charitatis ut decem, utrique retribuetur idem præmium essentiale, nempe gloria, et charitas ut decem; cum hac sola differentia, quod licet præmium sit idem in esse entis, nihilominus variabitur in esse præmii, quatenus uni illorum hominum tribuetur ob unicum titulum, actum videlicet charitatis ut decem; alteri vero tribuetur ob plures titulos, quot videlicet fuerunt actus charitatis ut decem ab eo per totam vitam eliciti. Concedit etiam eum, qui plures actus ejusdem intensionis elicuit, habiturum majus præmium accidentale. Quam opinionem probabilem reputat, et non segniter confirmat M. Joan. a S. Thom. *in*

Mag. Joan. a S. Tho. *præs. disp.* 15, *art.* 4. Eandem etiam sententiam quantum ad principale punctum, videlicet actus remissos non mereri de condigno charitatis augmentum, defendunt etiam D. Bonavent. *in* 2, *distinct.* 14, *art.* 2, *quæst.* 3, *in corp. et ad* 3, Durand. *in* 1, *dist.* 17, *quæst.* 8, Abulensis *super cap.* 25, *Matthæi, quæst.* 721, Altisiodorensis *lib.* 3 *Summæ, tract.* 12, *quæst.* 3. Et eidem sententiæ favent D. Antoninus in vita D. Gregorii Papæ, quam habet *in* 2, *parte historiali*, D. Vincentius Ferrer. *in serm. Septuagesimæ*, explicans illa verba, *Erunt novissimi primi.* Alensis 4 *part. quæst.* 57, *membro* 5, *ad* 7, Paludanus *in* 4, *distinctione* 14 *quæst. ult.* Capreolus *ibidem, quæstione* 2, *ad argumenta Scoti, contra* 2, Conradus, et Cajetanus 1, 2, *quæst.* 114, *artic.* 8, et alii.

D. Bon. Durand. Abulen. Altisiod. D. Anto. D. Vinc Ferrer. Alensis. Paluda. Capreol. Conrad. Cajetan.

Arguitur primo ex D. Tho. 68. Solent pro hac opinione referri plura D. Thom. testimonia, in quibus eam tenere dicitur. Sed selectiora tantum subjiciemus, quæ nostræ assertioni magis repugnare videntur. Ergo *in* 1, *distinct.* 17, *quæst.* 1, *art.* 3 *ad* 2, ait: « Quilibet actus charitatis, « in quantum est informatus tali habitu, « ordinatur ad præmium substantiale, non « tamen ad augmentum præmii, sed nec « ad augmentum charitatis. » Sentit ergo, dari aliquem charitatis actum, qui non meretur de condigno charitatis augmentum. *Et in* 2, *distinct.* 27, *q.* 1, *art.* 5 *ad* 2, inquit: « Non oportet, quod quilibet actus « meritorius augmentum gratiæ mereatur; « quia non in quolibet actu meritorio in- « venitur illa conditio, per quam ex actu « consequitur augmentum habitus: sed so- « lum in illo actu, quo quis utitur gratia « accepta secundum proportionem suarum « virium, ita ut in nullo desit gratiæ Dei. » Ergo quoties actus est remissior gratia, non meretur ejus augmentum. *Et in* 4, *distinct.* 49, *quæst.* 1, *art.* 4, *quæstiunc.* 4, resolvit mansiones patriæ distingui secundum diversam charitatem viæ; et similia docet 1 *part. quæst.* 12, *art.* 6, *et super* 1, *ad Corinth. cap.* 3, *lect.* 5, et alibi sæpe. Sed charitas in via non augetur nisi per actus physice ferventiores: isti ergo, non vero actus remissi merentur augmentum gloriæ, ac subinde charitatis, cui gloria commensuratur.

D. Tho.

Confirmatio ex D. August. Confirmatur ex D. August. *lib.* 8 *trium quæstionum, quæst.* 3, ubi docet quod quanto magis anima Deo adhæserit per charitatem, tanto magis illustrabitur lumine gloriæ: sed qui elicit actum intensiorem, magis Deo adhæret per charitatem, quam ille, qui elicit plures charitatis actus remissos: ergo ille prior consequetur majorem visionem, seu præmium essentiale. Quod non contingeret, si actus remissus mereretur præmii essentialis, et charitatis augmentum.

Explicantur testimonia D. Tho. Ad testimonia D. Thom. respondetur, quod cum S. Doctor in Summa semel, et iterum expresse affirmet justum quolibet actu charitatis mereri charitatis augmentum, ut *num.* 54 vidimus, non debet ejus mens ex anterioribus scriptis incerta reddi. Et quamvis alibi oppositum docuisse videretur, deberet ejus doctrina secundum posteriorem resolutionem aut componi, aut emendari. Sed certe nihil eis locis nostræ assertioni contrarium docet, ut singulis occurrendo constabit. In primo loquitur de actu charitatis, qui est ultima dispositio ad infusionem gratiæ sanctificantis; hic enim meretur quidem præmium substantiale illi primæ gratiæ correspondens, sed non meretur augmentum præmii; quia non supponit præmium substantiale, cui augmentum adjiciat. In secundo non negat, quod quilibet charitatis actus mereatur gratiæ augmentum, sed solum intendit, quod non omnis actus meritorius prædictum augmentum statim consequatur; quia actus remissi, licet augmentum gratiæ mereantur, non sunt dispositiones physicæ ultimo sufficientes, ut illud augmentum immediate inducant. Sed alia ulterior dispositio addenda est, quam prædictum augmentum consequatur, ut fusius *dubio seq.* ex sententia S. Doctoris dicemus. Et prædictum testimonium retorquendum est in M. Bannez, qui sentit augmentum charitatis non cadere sub merito de condigno operis ejusdem intensionis cum charitate præexistente, sed solum deberi actui intensiori. Et tamen D. Thom. eo loco aperte supponit, actus æque intensos mereri augmentum charitatis, siquidem asserit tunc hominem mereri hujusmodi augmentum, quando utitur gratia accepta secundum proportionem suarum virium; et homo utitur hoc modo gratia, cum elicit actus ejusdem intensionis cum illa. In aliis testimoniis solum vult gloriam, cum confertur, commensurandam esse charitati ut dispositioni; et cum incipit deberi in ratione præmii, commensurandam esse charitati ut merenti. Per quoslibet autem actus, sive intensos, sive remissos, crescit charitas in esse merentis, quia per omnes

Bannez.

actus

actus accumulat valorem, et fundat jus ad majus præmium. Unde posito quolibet charitatis actu, debetur plus gloriæ, et gratiæ, et charitatis. Quamvis non statim retribuatur hujusmodi augmentum ob defectum dispositionis physicæ ultimo sufficientis, ut *dub. seq.* declarabimus.

Diluitur confirmatio. Ad confirmationem respondetur, tanto magis aliquem perfundi lumine gloriæ, quanto magis Deo adhæret per charitatem patriæ; et tanto majorem charitatem habiturum in patria, quanto plus meriti habuerit in via; nam eo ipso habet jus ad majus augmentum, tam charitatis, quam luminis. Fieri autem potest, ut quis adeo multiplicet actus charitatis remissos, quod adæquet, imo excedat meritum alterius, qui unicum præcise actum intensum eliciat, ut constat ex dictis *a num.* 41. Quocirca de homine actus charitatis ita multiplicante verificatur, quod magis adhæret Deo per charitatem, utique ut merentem, et quantum ad jus majoris unionis; licet habeat minorem charitatem in esse entis. Et in hoc sensu loquitur D. August. et exponendi sunt alii Patres; nam dum in hac materia loquuntur, charitatis nomine non tam significant qualitatem, aut habitum, quam exercitium amoris. Quod licet sit remissum, potest vel ob continuationem, vel ob frequentiam adæquare, et superare valorem unius actus intensioris cito transeuntis.

Secundum argumentum. 69. Arguitur secundo ratione, quia ad meritum de condigno requiritur, quod opus meritorium se adæquet valori præmii: sed actus remissus non se adæquat valori augmenti charitatis: ergo non meretur illud de condigno. Probatur minor; nam si quis v. g. habens charitatem ut novem, eliciat actum charitatis ut duo, non datur ex parte actus nisi valor ut duo, et datur ex parte augmenti valor ut decem; siquidem charitas ut novem nequit augeri, nisi ad minus crescat ut decem: constat autem valorem ut duo non adæquari valori ut decem: ergo, etc.

Confirmatio prima. Confirmatur primo: nam si justus quolibet actu meritorio remisso meretur augmentum charitatis, sequitur justum quolibet actu mereri quodlibet præmium, seu augmentum; hoc autem concedi non valet, siquidem pro diversis meritis diversa, et inæqualia præmia debentur: ergo justus non meretur quolibet actu charitatis augmentum. Probatur sequela; nam si justus habeat charitatem ut centum, et eliciat actum ut unum, meretur juxta nostram sententiam augmentum ut centum, et unum; et si habeat charitatem ut mille, meretur augmentum ut mille et unum: hæc autem præmia sunt inæqualia, et diversæ rationis: ergo si quilibet charitatis actus meretur ejus augmentum, sequitur justum quolibet actu mereri quodlibet præmium, sive augmentum.

Secunda. Confirmatur secundo: nam ex eadem doctrina sequitur, justum qui per spatium vitæ plures actus remissos elicuit, esse melioris conditionis, quam justum qui in sua conversione dilexit Deum actu intensissimo: consequens est absurdum: ergo justus per actus remissos non meretur charitatis augmentum. Sequela est manifesta; nam si in quolibet actu charitatis reperitur meritum novi augmenti, fieri poterit quod justus eliciens centum actus remissos ut unum, excedat in merito justum, qui actu intensissimo ut quinquaginta conversus est, et alios actus postea non exercuit. Falsitas autem consequentis liquet ex eo, quod Ecclesia colit specialiter Magdalenam, et alios qui actu intensissimo vel doloris, vel amoris conversi sunt, quasi perfectiores aliis, qui actus tepidos per totam vitam exercent. Et in hoc sensu exponit D. Chry- D. Chry. sostom. parabolam illam de operariis in vinea, affirmans non esse respiciendam in hac parte diuturnitatem, qua quis Deo servit, sed magis fervorem charitatis, quo servit; et propterea eos, qui una duntaxat hora laboraverunt, vel præferri, vel coæquari illis, qui laboraverunt per totum diem, ut videri potest *homil.* 65, *in Matth.*

Solutio argumenti. 70. Ad argumentum respondetur negando minorem: nam ut supra ostendimus, actus physice remissior augmento, potest aliis meritis, aut titulis conjunctus adæquari augmento in valore morali. Et ad probationem in contrarium dicendum est, quod in eo casu non debet fieri comparatio inter actum ut duo, et augmentum adæquate acceptum; sed sumendus est actus ut duo ut pretium de se inadæquatum, quod tamen conjunctum aliis actibus, aut titulis crescit in valore morali, et meretur plusquam soli actus præcedentes; atque ideo est æquale augmento superaddendo, saltem inadæquate accepto, et quoad ad aliquid sui. Quod si adhuc ex parte augmenti adæquate sumpti invenitur aliquis excessus, illum retribuet Deus non in vi præmii, sed ex

gratia, qua præmiet ultra condignum, ut supra fusius declaravimus.

Satisfit primæ confirmationi. Ad primam confirmationem negamus sequelam. Ad cujus probationem respondetur, quod cum actus remissus non mereatur augmentum solitarie sumptus, sed ut conjunctus aliis actibus, aut titulis præcedentibus, variatur in esse pretii, et meriti ob conjunctionem ad alios actus, aut titulos. Unde actus ut unum conjunctum actibus ut centum, constituit pretium, et meritum ut centum et unum, quod adæquatur totidem gradibus ex parte augmenti. Et si conjungatur actibus ut mille, constituit meritum ut mille et unum, ac subinde proportionatum, et æquale simili augmento. Unde in rigore non meretur totum augmentum adæquate sumptum secundum id, quod supponit, et id quod addit; sed meretur quod supra id, quod aliis titulis, aut meritis erat debitum, adjiciatur aliquid aliud, quidquid illud sit. Et sic non meretur quodlibet præmium, sed meretur quod supra id, quod debebatur, sive illud sit ut centum, sive ut mille, addatur aliquid. Quod absurdum non est, sed consonat rerum naturæ, cum quilibet minimus actus bonus addat aliqualem valorem supra alios titulos, vel actus præcedentes.

Diluitur secunda. Ad secundum confirmationem admittimus sequelam, saltem quantum ad posse; nulla quippe repugnantia est in eo, quod aliquis tot actus remissos exerceat, ut excedat valorem moralem, atque ideo meritum ejus, qui semel tantum aut bis actum ferventem elicuit; quamvis etiam contingere possit, quod quis ferventer adeo charitatem exerceat, ut quolibet actu excedat innumeros alios actus, quos alii eliciunt, ut par est credere de B. Virgine. Ad improbationem autem sequelæ respondetur, Ecclesiam ideo celebrare illorum sanctitatem, quia de illa certo constat. Quod vero alii per frequentem actuum repetitionem illorum sanctitatem excesserint, non sic innotescit. Per hoc autem minime determinat, an plures actus remissi queant in valore morali adæquare, aut etiam excedere unicum actum intensiorem, vel non? Et quod in hac parte nobis magis, quam Adversariis faveat, liquet ex dictis *a numero* 54. Chrysostomus autem solum intendit non valde fidendum esse in hac parte temporis diuturnitati, quia fieri potest, ut quis brevi tempore adeo ferventer Deum diligat, ut præferri debeat aliis, qui longo tempore amant, sed amore magis remisso; quod illa parabola confirmat. Sed minime negat, quod quis plurium actuum, licet non ita ferventium repetitione queat excedere meritum alterius, qui unum præcise, aut alium actum, licet ferventiorem exercet.

71. Arguitur tertio: quia in naturalibus actus remissi, licet multiplicentur, non augent habitum præexistentem, ut docet D. Thom. 1, 2, *q.* 52, *art.* 3. Ergo idem dicendum est in supernaturalibus, quod scilicet soli actus intensiores augeant charitatem, ut paritatis ratio convincere videtur. Tertium argumentum. D. Tho.

Confirmatur, quia in actibus malis sola major intensio meretur majus supplicium: ergo in bonis sola major intensio meretur majus præmium. Suadetur antecedens, quia si in malis non sola intensio, sed etiam actuum malorum repetitio conduceret ad merendum majorem pœnam, fieret Antichristum puniendum fore acerbiori supplicio, quam supremum dæmonem; ille enim exercebit quamplurimos actus malos, hic vero unicum tantum elicuit: Consequens autem est falsum, et contra D. Thom. 3. *p. q.* 8, *art.* 7 *et* 8. Ergo in actibus malis sola major intensio meretur majus supplicium. Confirmatur.

Ad argumentum respondetur concesso antecedenti negando consequentiam. Et differentiæ ratio constat ex supra dictis *num.* 44, quod actus naturales non augent habitum meritorie, sed solum dispositive, aut efficienter physice; et quia actus remissiores augmento non disponunt ultimo ad illud, nec illud physice continent, propterea actus naturales remissi non causant habitus præexistentis augmentum, sed requiritur actus perfectior juxta latitudinem augmenti superaddendi. Actus autem supernaturales non concurrunt ad augmentum habitus effective physice, ut diximus *dub. præced.*; nec concurrunt præcise dispositive, sed concurrunt etiam meritorie, quatenus suo valore reddunt augmentum debitum in esse præmii. Cumque moralis valor crescat ex actuum laudabilium multitudine, fieri potest, ut actus remissus, qui insufficiens est, ut ad augmentum ultimo disponat, sufficiat ad illud promerendum saltem inadæquate, ut supra exposuimus. An autem hoc naturalium exemplo recte convincatur, charitatem physice, et exercite solum augeri, cum adsunt actus ejusdem physicæ intensionis Diluitur argumentum.

intensionis cum augmento superaddendo, ex dicendis dubio sequenti constabit.

atisfit confir-ationi. Ad confirmationem negatur antecedens, et ad probationem negamus sequelam ; quia licet fieri possit, ut plures actus mali remissi mereantur majus supplicium, quam unicus actus malus magis intensus ; nihilominus fieri etiam potest, quod unicus actus malus ob insignem sui intensionem, et alias causas mereatur majorem pœnam, quam plures actus non ita intensi. Et hoc posterius accidit in illa comparatione, quæ objicitur ; nam cum Diabolus in excellentia conatus superet Antichristum, et plenissime malum elegerit, mirum non est, quod unico actu excesserit Antichristi malitiam, et gravius supplicium meruerit, ob 41. juxta illud Job 41 : *Ipse*, nempe dæmon, *est rex super omnes filios superbiæ*. Et quod de facto ita contingat, liquet ex communi Scripturæ, et sacrorum Doctorum phrasi ; non enim dicunt Diabolum esse membrum Antichristi, sed hunc esse membrum Diaboli. Per quod significatur eminentia malitiæ diabolicæ supra malitiam Antichristi. Potestque hæc responsio magis confirmari, et explicari exemplo B. Virginis, cujus unus, vel minimus actus superavit omnia merita Angelorum, et hominum, non solum divisive, sed etiam collective considerata.

uartum argu-entum. 72. Arguitur quarto ; quia sola major intensio physica actus meritorii auget meritum de condigno in ordine ad præmium essentiale : ergo soli actus physice intensiores habitu præexistente merentur de condigno augmentum illius. Consequentia patet. Et antecedens probatur ; nam si aliquid præter physicam intensionem mereretur de condigno præmium essentiale, maxime continuatio actus, ut satis constat ex iis quæ *n.* 45 diximus. Quod autem continuatio non mereatur de condigno augmentum, sic ostenditur ; nam si continuatio augeret meritum de condigno, sequeretur quod actus durans v. g. per unam horam, mereretur præmium infinitum : sed hoc est falsum, et omnino absurdum, ut ex se liquet : ergo, etc. Probatur sequela : tum quia si continuatio augeat meritum, crescet istud in omnibus, et singulis partibus, et momentis horæ. Sed in una hora datur infinita multitudo partium, et momentorum, siquidem duratio est de genere quantitatis, quæ est divisibilis in infinitum : ergo actus meritorius durans per unam horam crescet infinite in valore, et merebitur præmium infinitum. Tum etiam quia si continuatio auget meritum, tunc eadem erit proportio meriti continuati per unam horam, ad meritum durans præcise per unicum instans, quæ est illius horæ ad prædictum instans : sed hora excedit infinite instans, cum addat infinita instantia, et partes : ergo meritum continuatum per unam horam, excedit infinite meritum durans per unicum instans ; atque ideo importabit infinitum valorem, et in ordine ad præmium infinitum.

Confirmatur primo, quia si continuatio augeret meritum, et non in infinitum, sequeretur quod actus interruptus intra unam horam posset adæquari valori actus continuati intra eamdem horam, supposita æquali intensione utriusque : hoc autem est contra id, quod loco citato diximus : ergo signum est, continuationem non augere meritum. Sequela ostenditur ; nam si actus v. g. ut duo, continuatus per unam horam importat valorem ut decem, fieri poterit, quod actus ut duo toties intra eandem horam interrumpatur, et repetatur, v. g. millies, ut importet eundem omnino, et majorem valorem. Confirmatio prima.

Confirmatur secundo : nam demus duos homines elicere actum ejusdem intensionis, v. g. ut duo, cum proposito continuandi illum per unam horam, et quod unus eorum statim moriatur, alter perseveret in eliciendo actum per illam horam. In hoc casu non merebitur unus majus, aut distinctum præmium essentiale quam alius ; siquidem habuerunt eandem voluntatem efficacem, et uni defuit sola exequutio, et opportunitas temporis : ergo signum est, quod supposita in aliis æqualitate, continuatio non auget meritum præmii essentialis. Secunda.

73. Ad argumentum negatur antecedens. Et ad probationem, admissa majori, negamus minorem. Cujus probationes adeo efficaces censuit M. Bannez, ut dixerit evidenter concludere. Sed quod inefficaces sint, et intentum non evincant, constabit retorquendo illas in Adversarium. *Primo*, quia ipse concedit continuationem, sicut et alias circumstantias, augere meritum in ordine ad præmium accidentale ; et tamen non inde fit, quod actus durans per unam horam mereatur præmium accidentale infinitum : ergo licet continuatio augeat meritum in ordine ad præmium essentiale, Occurritur argumento Bannez.

non sequitur quod actus charitatis continuatus per unam horam meretur præmium essentiale infinitum. *Secundo*, et urgentius ; nam cum ipse dicat intensionem mereri præmium essentiale, et actus queat successive, et continuo intendi per unam horam, fieret hujusmodi actum habere valorem simpliciter infinitum, et mereri præmium infinitum, quod tamen ipse non concedet : ergo nec ejus argumentum concludit. *Tertio*, quidquid sit de merito in ordine ad præmium essentiale, negari nequit quod per continuationem crescat bonitas moralis, et æstimabilitas operis, ut in quolibet obsequio videre licet ; et tamen non propterea crescit infinite : ergo idem quod prius. *Quarto*, quia actus malus crescit in deformitate per continuationem, et ideo juxta communem Theologorum sententiam duratio saltem notabilis est circumstantia aggravans, cui major pœna debetur, et quæ expiari debet majori satisfactione, ut patet ex communi Confessariorum praxi qui majorem satisfactionem injungunt pro odio Dei continuato per unam horam, quam pro odio Dei ejusdem intensionis durante præcise per unum instans ; et nihilominus odium Dei durans per unam horam non importat infinitam deformitatem, nec attenta præcise continuatione, meretur pœnam simpliciter infinitam : ergo idem proportionabiliter dicendum est de actu bono, et meritorio continuato per unam horam. Unde Bannez, et omnes debent argumentum illud diluere.

74. Ad primam ergo antecedentis probationem respondetur, valorem actus meritorii continuati per unam horam augeri juxta majorem multitudinem partium aliquotarum temporis, quibus coexistit ; et quia istæ non sunt infinitæ, propterea actus continuatus non inde consequitur valorem simpliciter infinitum ; sed non crescit prædictus valor juxta numerum partium proportionalium, et momentorum cum eis percurrentium, quæ infinita sunt. Et ratio differentiæ est, quoniam solæ partes aliquotæ addunt, et extendunt durationem ; unde sicut ex harum additione crescit duratio, ita ex correspondentia actus ad illas augetur meritum. Partes autem proportionales non necessario addunt, sed potius communicant, et claudantur sub una parte, et multiplicantur versus minimum : quocirca sicut infinitæ partes proportionales queunt sub una parte aliquota, et satis brevi contineri ; ita valor finitus valet correspondere infinitis partibus proportionalibus sub una parte aliquota, seu determinata contentis. Quemadmodum ergo infinitæ partes proportionales unius horæ non constituunt nisi unam horam, quæ est finitum quid in linea durationis : ita omnis valor desumptus ex correspondentia ad infinitas partes proportionales contentas sub una hora, est simpliciter finitus, et in ordine ad præmium finitum.

Et hinc patet ad secundam probationem ; nam admissa illa proportionali correspondentia, hora non excedit primum instans per infinitas partes aliquotas, sed solum secundum partes proportionales, communicantes, et contentas sub duratione limitata, et determinata. Unde cum meritum augeatur secundum correspondentiam ad partes non proportionales, sed aliquotas, ut proxime dicebamus, sequitur quod actus continuatus per unam horum non augeatur infinite, sed habeat valorem certum, et limitatum. Quæ doctrina confirmari potest omnibus exemplis supra adductis. Recolantur quæ diximus *tract.* 11, *disp.* 4, *a n.* 39, ubi huic argumento, et aliis replicis magis ex professo occurrimus.

Ad primam confirmationem negamus sequelam ; nam actus interruptus nequit repeti in omnibus, et singulis instantibus continuantibus partes proportionales ; sed solum in instantibus certis, et finitis continuantibus partes aliquotas. Cumque in his omnibus duret etiam actus per unam horam perseverans, nequit ex hac parte excedi per actum interruptum ejusdem intensionis : et ex alia parte illum excedit ratione difficultatis, quæ in perseverando invenitur. Ad probationem autem sequelæ respondetur juxta proxime dicta, non esse admittendam suppositionem, in qua actus interruptus repetatur per plura instantia certa unius horæ, quam sint illa, in quibus actus continuo durans perseverat ; impossibile quippe est, quod actus continuatus per unam horam non duret in omnibus, et singulis instantibus ejusdem horæ, in quibus alius cessat, et denuo incipit. Unde fieri non valet, quod si cætera sunt paria, actus per horam durans sit minoris valoris, quam intra eandem horam interruptus, et incipiens. Prima confirmatio eluditur.

Diximus, *si cætera sunt paria*, quia non negamus, quod actus interruptus et ejusdem

dem intensionis queat et ex aliis circumstantiis suscipere valorem, quo actum per horam continuatum excedat.

Dissolvitur secunda. Ad secundam negamus antecedens loquendo de actu interno meritorio, et continuato ; quia ipsa continuatio exercita addit novam difficultatem supra seipsam ut præcise intentam ; sicut difficilior est perseverantia, quam propositum perseverandi : qua ratione cum ad perseverandi propositum sufficiat gratia omnibus justis communis, tamen ad ipsum perseverare requiritur specialius auxilium. Illa autem difficultas nequit non afferre specialem aliquam æstimabilitatem, et addere aliquid valoris. Unde ad insertam antecedenti probationem dicendum est, duos illos homines fuisse æquales in proposito continuandi illum actum, habuisseque in hoc æquale meritum ; sed illum qui actu continuavit, vicisse specialem difficultatem, atque ideo auxisse valorem. Quod autem alteri defuerit opportunitas temporis, solum probat non demeruisse in suspensione actus, quem inchoaverat ; sed non probat, quod meruerit sicut alter, qui exercite continuavit. Sicut etiam solet quis privari vita, qua si frueretur, bona opera multiplicaret, et adæquaret sibi meritum illorum, qui ob diuturnitatem vitæ plus laborant, et merentur.

Diximus, *loquendo de actu interno, et meritorio*, ut excluderemus opera pure extrinseca, in quibus ratio bonitatis moralis, et meriti in ea fundati non reperitur intrinsece, sed ad summum denominative; nam in his operibus diversitas permanendi, stante æqualitate in dispositione actuali interiori, sicut non variat bonitatem moralem, ita nec variat, nec auget, nec diminuit valorem. Et ideo ubi adest idem propositum, non augetur meritum ob solam continuationem operis externi.

Alia argumenta omissive. 75. Alia argumenta multiplicat Bannez, ut probet in promerendo majus præmium essentiale, solum debere attendi majorem fervorem, sive intensionem charitatis; non vero aliam bonitatem moralem desumptam vel ex objecto aliarum virtutum, vel ex aliis circumstantiis, et difficultatibus. Sicut enim censet, quod meritum de condigno præmii essentialis solum reperitur in actu charitatis; ita, et satis consequenter docet, augmentum prædicti præmii dumtaxat reperiri in fervore, sive intensione operis charitatis. Sed prædicta argumenta fuse diluimus *in tractat.* 16, *de Merito, disp.* 4, *dub.* 5, *cum. seq.* ubi plura invenies, quibus præsentem resolutionem confirmes.

§ VII.

Duo præcedentis doctrinæ consectaria.

Primum corollarium. 76. Ex dictis in hoc dubio, et præsertim *a num.* 46, infertur primo, unum justum perfectum Deo magis placere, et magis ipsum glorificare, quam plures justi tepidi, et imperfecti. Quoniam ita comparatur unus justus perfectus ad plures imperfectos, et tepidos, sicut unus actus charitatis intensus ad plures actus charitatis remissos : sed unus actus charitatis perfectus est melior tam physice, quam moraliter pluribus actibus charitatis remissis, ut loco citato explicuimus, et propterea majoris valoris, ac meriti est actus charitatis intensus ut centum, quam centum actus charitatis remissi ut unum : ergo pariter unus justus perfectus magis Deo placet, et ipsum glorificat, quam plures justi tepidi, et imperfecti. Probatur.

Confirmatur, et explicatur primo, quia homo constituitur per gratiam objectum congruum divinæ dilectionis ; et ideo eadem est proportio justi ad justum in terminando dilectionem Dei, et gratiæ ad gratiam : sed una gratia magnæ intensionis est melior physice, et moraliter, quam plures aliquæ gratiæ remissæ : ergo justus perfectus est Deo objectum gratius, quam plures alii justi tepidi, et imperfecti.

Declaratur, et confirmatur ulterius ; nam cum amor Dei erga creaturas non sit affectivus, sed effectivus; eo magis diligere creaturam dicitur, plusque in ea complacere, quo majus bonum ipsi communicat : sed una gratia perfecta, et valde intensa est majus bonum, quam plures gratiæ remissæ; pluris quippe habetur una gratia intensa ut centum, quam quinquaginta gratiæ remissæ ut duo; idemque dicendum est de charitate, ut loco citato ostendimus : ergo Deus magis diligit justum perfectum, qui habet gratiam ut centum, quam plures justos tepidos, et imperfectos, habentes quinquaginta gratias remissas ut duo. Cumque Deus magis id diligat, magisque in eo complaceat, quod magis ipsum glorificat manifestando illius perfectionem, ex eisdem probationibus conficitur, unum justum perfectum magis glo-

rificare Deum, quam plures justos tepidos, et imperfectos.

Eadem veritas suadetur ex sacra Scriptura.

77. Et licet doctrina hujus consectarii sit nobis certa, et ut censemus, communis; quia tamen radix est aliarum illationum, quas nonnulli minus gratas habent, oportet illam magis fulcire, et authoritate, atque exemplis illustrare. Probatur ergo ex illo

Cant. 6.

Cant. 6 : *Sexaginta sunt reginæ, octoginta concubinæ, et adolescentularum non est numerus. Una est columba mea, perfecta mea : una est matri suæ, electa genitrici suæ. Viderunt eam filiæ, et beatissimam prædicaverunt, etc.* Ubi una sponsa tot illis nominibus, columbæ, perfectæ, unicæ, beatissimæ, etc. insignita, præfertur quampluribus animabus, quæ dicuntur reginæ, concubinæ, et adolescentulæ, et præ cunctis diligitur, et laudatur; quia licet istæ justæ sint, non tamen ita perfectæ sicut illa. Ut enim communis Patrum expositio interpretatur apud Gislerium, Sotomayor, Martinum Delrio, et alios, *reginæ* significant animas proficientes per amorem, *concubinæ* animas proficientes per timorem, et *adolescentulæ* animas incipientes. Omnibus autem præponitur illa, quæ diversis nominibus significatur, *sponsa*, quia videlicet eximium perfectionis gradum obtinuit. Fieri ergo potest, ut unus justus perfectus magis Deo placeat, ab eo ametur, ipsumque glorificet, quam plures justi tepidi, et imperfecti.

Gisler. Sotomayor. Martin. Delrio.

Nec refert dicere, eo loco sponsæ nomine significari Ecclesiam, aut Deiparam. Quoniam hoc concesso, optime fieri potest, quod etiam anima sancta, perfecta, et Deo gratissima significetur. Communis quippe Patrum, et Interpretum sententia est, sponsam in eo libro pro his tribus supponere, et cuncta quæ ibi dicuntur, singulis juxta diversos sensus aptari. Specialiter autem in loco relato, per columbam, et electam significari animam sanctam, et valde perfectam, sentiunt D. Ambros. Theodoret. Justus Urgelit. et alii apud Gislerium *in append. exposit. n.* 8.

Addimus locum semper esse pro nobis, quæcumque ibi dicatur sponsa; nam sicut illa una omnibus præfertur, ita reginæ quæ sunt sexaginta, præponuntur innumeris adolescentulis. Per reginas autem significari animas perfectas, et per adolescentulas significari animas imperfectas, licet in gratia sint, docent communiter Patres apud Gislerium, Origenes, Nyssenus, Theodoret. Rupert. Psellus, Justus, Apponius, et alii.

Gisler. Origen. Nyssen. Theod. Rupert. Psellus. Justus. Apponi.

Si autem sexaginta animæ perfectæ præferuntur innumeris animabus justis quidem, sed imperfectis; pariter quælibet illarum plures istarum antecellit, quod intendimus.

Expenduntur alia Scripturæ testimonia.

Potestque id confirmari ex aliis Scripturæ locis : nam 2 *Reg. cap.* 2. Anna mater Samuelis cecinit : *Donec sterilis peperit plurimos.* Et tamen tunc solum pepererat Samuelem. *Quod si historiam,* inquit Euthymius in Catena apud Cordubam ad eum locum, *dicas unius tantum filii meminisse, illud responderi potest, quod Samuelem dignum pro multis esse intelligat.* Addit Mendoza eadem verba explicans lib. 3 probl. 3 : *Quia unius sanctitas innumeram aliorum multitudinem non solum exæquabat, sed etiam superabat.*

2. Reg. 2. Euthym. apud Cord.

Mendoz.

Deinde 3 *Reg.* 18, M. P. N. Elias dixit : *Ego remansi propheta Domini solus.* Et tamen ex eodem capite constat, remansisse centum alios Prophetas, quos Abdias timens Deum in speluncis absconderat. Sed nodum solvit D. Chrysostom. hom. 40 ad popul. Antioch. *Elias,* inquit, *unus erat; sed totus mundus non erat dignus, quod rependeretur ei. Et mundus quidem innumera millia sunt, sed non sunt millia, cum nec ad unius mensuram perveniant.*

3 Reg. 18.

D. Chry.

Præterea 2 *Reg.* 16, Hebræi Davidis incolumitatem multorum millium saluti præferentes, ipsum retrahebant a bello his verbis : *Tu unus pro decem millibus computaris.* Quod licet illi referrent ad Regis dignitatem : *Nos,* inquit idem Mendoza 1, cap. 4, num, 5, *majori jure dicere possemus, propter viri sanctitatem.* Et favet huic expositioni D. Chrysost. *hom.* 8, *in Acta,* ubi ait : *Educite in bellum centum myriades, et unum Sanctum; scimus quia plura operetur. Exiit Jesus Nave in bellum, et solus omnia operatus est strenue.* Et tamen inter Hebræos alii erant justi præter Davidem, et Jesum Nave. Fieri ergo potest, ut unus justus ob insignem perfectionem præferatur aliis pluribus justis non ita perfectis; et consequenter quod magis Deo placeat, ipsumque glorificet.

2 Reg. 18.

Mendoz.

D. Chry.

Eadem veritas explicatur exemplis.

78. Quod si ad exempla jam recurramus, universalissimum est, in quolibet rerum ordine id, quod est perfectius, præferri multorum imperfectorum cumulo. Profecto in rebus naturalibus pluris æstimatur unus lapis pretiosus selectus, quam acervus communium, ut explicuimus *num.* 46. Generosissimus etiam equus pluris habetur, quam plures alii non generosi, et carius vænit.

vænit. Et si ad artes transeamus, quis sapientissimum artificem non præferat multis aliis inferioris notæ artificibus? Quis non dicat unum Apellem antecellere plurimos pictores imperfectos? Idem cernimus in politicis; unus quippe civis valde prudens, et Reipublicæ proficuus pluris habetur, quam multi alii non ita utiles, ejusque amissio magis deplorari solet, quam si pereant centum de media plebe. Id ipsum apparet in militaribus; etenim præclarus aliquis Dux pluribus militibus, et tyronibus præfertur, et præ multis, si pereat, deplo-
. Chry. ratur. Et ut inquit D. Chrysost. homil. 40, jam cit : « Melius est esse decem peritos, et « generosos milites, quam decem inexper- « torum millia. Melius est duos esse peritos « nautas, quam innumeram multitudinem « inexpertorum. Unus erat Moyses, et om- « nibus plura potuit. Unus erat Jesus Nave, « sed unus sexcentis millibus plus potuit. « Ne satagamus hoc, ut multi dumtaxat « fiant, sed ante hoc, ut probabiles, etc. »

Sed age, veniamus ad aliud exemplum, et confirmationem, quæ rem præsentem proximus explicent, et fulciant. Equidem in Scholastica Republica sapientia unius Doctoris Angelici D. Thomæ pluris fit, quam scientiæ plurimorum Theologorum simul sumptæ, eorum etiam, qui communiter docti censentur. Majusque damnum orbis subiret amittendo unam Summam Theologicam Divi Thomæ, quam si amitteret sexcentos Theologorum communium libros : libentissimeque quingentos istorum, ne dicamus quinque millia, donaret Respublica Litteraria, ut unum illum posset ad se revocare. Et hinc considerationem elevare possumus ad ordinem gratiæ. Nam profecto sanctitatem, et gratiam Divi Thomæ non minorem credimus ejus scientia; nec bene audiet, qui minus sanctum, quam sapientem fuisse dixerit; minusve ut sanctum excessisse justos communes, quam ut sapientem mediocriter doctos. Si ergo unam ejus scientiam multorum Theologorum scientiis præponimus; cur non præferemus ejus gratiam gratiis multorum inferioris perfectionis? Neque enim ratio reddi valet, ut non sit æqualis, vel major excessus gratiæ ad gratiam, qui, et qualis est scientiæ ad scientiam. Quod si res ita se habet, liquido infertur, unum justum perfectum magis Deo placere, ipsumque glorificare, quam plures justos, tepidos tamen, et imperfectos.

79. Et hæc sufficiebant pro veritate nostri consectarii fulcienda. Sed placet adjicere judicium viri docti, et pii Jacobi de Paz *lib.* 4, *de vita spirituali, part.* 2, *cap.* 13, ubi doctrinam nostram tradit his verbis : « Perfecto vir sanctus, atque perfectus « imago Dei est, et ab ipso Deo quasi in- « credibili cura, diligentiaque depicta, quæ « mirum in modum alias Dei communes « imagines, idest communes justos, magni- « tudine pretii, et præstantia decoris exce- « dit. Hæc ergo imago sanctitatis divinæ, « qua anima reformatur, et decoratur, ne- « cesse est majorem honorem, et gloriam, « quam alios communes justos apud omnes « importet. Nam sicut pictor majorem sibi « gloriam parat ex una pulcherrima effigie, « quam summa industria elaboravit, quam « ex multis imaginibus imperfectis, quas « veluti ludendo, et somniando depinxit : « ita universorum Creator Deus cumulatio- « rem laudem, et gloriam ex uno Francis- « co, aut Dominico, quam ex multis justis « tepidis, et imperfectis decerpit. In istis « enim imago Dei in vera virtute consti- « tuta, et ab ipso Deo delineata, licet non « effictoris culpa, obscura est, et mille im- « perfectionum lituris fœdata; quare pa- « rum sapientiam artificis prædicat. At in « viro perfecto imago, aut similitudo Dei « est valde pulchra, atque perfecta, et tanto « splendore circumdata, ut aspicientes in « maximam admirationem rapiat, et ad « eximias laudes artifici referendas alliciat. « Omnes qui in hanc imaginem oculos « mentis intendunt, stupentes fatentur de « illa, quod de Sole in Eccles. 43, scriptum « est : Vah admirabile opus Excelsi, etc. » Fulcitur amplius. Jacob. de Paz.

80. Secundo ex dictis infertur, conversionem unius peccatoris ad magnam perfectionem magis Deo placere, ipsumque magis glorificare, quam conversiones plurium peccatorum ad justitiam tepidam, et imperfectam. Hoc corollarium evidenter, ut existimamus, infertur ex præcedenti. Tum quia conversio est motus, seu transitus ad justitiam, ac proinde speciem, et perfectionem ab ea mutuatur : sed una gratia intensa, ac perfecta præfertur pluribus gratiis imperfectis, et remissis; qua de causa unus justus perfectus magis Deo placet, ipsumque glorificat, quam plures justi tepidi, et imperfecti, ut supra ostendimus : ergo conversio unius peccatoris ad insignem perfectionem magis Deo placet, ipsumque glorificat, quam conversiones plurium pec- Corollarium secundum. Ostenditur.

catorum ad justitiam tepidam, et imperfectam. Tum etiam, quia conversio peccatoris ad justitiam fit dispositive per ejus actus; unde ad recipiendam insignem gratiam requiruntur actus valde perfecti, et intensi; ad recipiendum vero gratiam remissam sufficiunt actus imperfecti, et remissi; sic enim pro gratia ut centum requiritur actus charitatis ut centum, pro gratia vero ut duo sufficit actus ut duo : constat autem actum charitatis ut centum esse meliorem physice, et moraliter viginti, aut triginta actibus charitatis ut duo, et majus præmium apud Deum mereri, ut supra declaravimus *num.* 46. Ergo conversio unius peccatoris ad magnam sanctitatem magis Deo placet, ipsumque glorificat, quam conversiones plurium peccatorum ad justitiam tepidam, et imperfectam. Tum denique, quia cuncta exempla, quæ *num.* 78 expendimus, et probant quod facta comparatione inter res ejusdem ordinis, et speciei, potest una valde perfecta plures alias exæquare, imo superare, doctrinam hujus consectarii etiam evincunt, ut facile consideranti constabit. Quibus exemplis addimus, dubitari non posse, quod conversio Magdalenæ, et Sauli ad insignem illam, quam obtinuerunt justitiam, plus Deo placuerit, et ipsum magis glorificaverit, quam plures ordinarias peccatorum conversiones ad justitiam communem, et imperfectam.

Idem assertum probatur ex Scriptura. Luc. 15.

81. Sed placet in hujus veritatis confirmationem, atque illustrationem expendere illud Luc. 15 : *Dico vobis, quod ita gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia.* In cujus loci legitima intelligentia laborant non parum Interpretes, quia cum gaudium Sanctorum in cœlo circa hominum salutem, et spiritualem profectum sit majus, vel minus secundum objectorum merita, diversitatem, et excessum; cur non plus gaudent super nonaginta novem justis, quam super unius peccatoris conversione? Imo dicuntur plus gaudere de ista, quam de illis; quia id denotat particula comparativa, *quam*, ut ob-

Theophi. Cajetan.

servant Theophil. Cajetan. et alii. Et licet non pauci in ea sint sententia, ut dicant gaudium de peccatoris conversione præferri gaudio de tot justorum sanctitate, non quidem absolute, et simpliciter, sed solum secundum quid, quatenus in illo adest specialis ratio gaudendi, eo quod mortuus fuerat, et revixit; perierat, et inventus est; quæ ratio non occurrit in justis innocentibus, quamvis absolute cum ob innocentiam, tum ob multitudinem sint motivum majoris gaudii. Nihilominus D. Gregor. Magnus *homil.* 34, *super Evang.* D. Thom. *in Catena*, Glossa, Rabanus, Hugo Card. Carthus. Jansenius, et alii *super cit. cap. Lucæ*, censent gaudium de conversione unius illius peccatoris dici absolute majus, quam gaudium de nonaginta novem aliis justis; quoniam propter ferventissimum Dei amorem, quem peccator in sua conversione concepit, pervenit ad tantam gratiam, et insignem adeo perfectionis gradum, ut pluris a Deo absolute æstimetur, quam tot alii, qui licet justi, erant tamen tepidi, et imperfecti, atque inferioris sanctitatis.

D. Greg. Magn. D. Tho. Gloss. Ralan. Hugo Card. Carthus. Jansen.

Qualiter vero id contingat, ita explicat Divus Gregorius, quem Glossa, et alii imitantur : « Considerandum, inquit, nobis « est, cur Dominus plus de conversis pecca- « toribus, quam de stantibus justis gaudium « in cœlo esse fatetur? Unde hoc? Nisi quia « plerumque hi, qui nullis se oppressos « peccatorum motibus sciunt, stant quidem « in via justitiæ, nulla illicita perpetrant; « sed tamen ad cœlestem patriam anxie « non anhelant, tantoque sibi in rebus lici- « tis usum præbent, quanto se perpetrasse « nulla illicita meminerunt. Et plerumque « pigri remanent ad exercenda bona præ- « cipua, quia valde sibi securi sunt, quod « nulla commiserint mala graviora. At « contra nonnunquam hi qui, se aliqua il- « licita egisse meminerunt, ex ipso suo do- « lore compuncti inardescunt in amorem « Dei, seseque in magnis virtutibus exer- « cent, cuncta difficilia sancti certaminis « appetunt, omnia mundi derelinquunt, « honores fugiunt, acceptis contumeliis læ- « tantur, flagrant desiderio, ad cœlestem « patriam anhelant; et quia se errasse a « Deo considerant, damna præcedentia « lucris sequentibus recompensant, etc. » Deinde suddit : « Majus ergo de peccatore « converso, quam de stante justo gaudium « fit in cœlo, quia et dux in prælio plus « eum militem diligit, qui post fugam re- « versus hostem fortiter premuit, quam il- « lum, qui nunquam terga præbuit, et « nunquam aliquid fortiter gessit. » En ergo rationem, cur unus pœnitens ex evangelica sententia, adhibita Patrum interpretatione, præfertur nonaginta novem innocentibus, quia videlicet his pigris, tepidis, et imperfectis remanentibus, ille ad ferventissimum

D. Greg. Magn. Gloss.

Dei

Dei amorem, et eximium sanctitatis gradum conversus est, ob quæ pluris apud Deum æstimatur, quam tot illi tepidi, et imperfecti. Quæ doctrina a fortiori tenet facta comparatione unius conversionis ad perfectam sanctitatem cum pluribus conversionibus ad justitiam imperfectam, et remissam.

Effugium. 82. Nec refert si dicas primo, D. Greg. in verbis relatis non præferre unum justum perfectum pluribus aliis justis minoris perfectionis; sed vel plures perfectos pluribus imperfectis, vel unum uni. Hoc autem nihil probat, ut asseramus conversionem unam ad perfectam sanctitatem antecellere plures conversiones ad justitiam remissam, et imperfectam.

Præcluditur. Hoc, inquam, non refert; quia D. Gregor. prædictam doctrinam tradit in expositione textus evangelici, ubi unus pœnitens nonaginta novem justis præfertur; et intendit explicare veritatem hujus comparationis. Unde licet expresse non repetat numerum propositum in Evangelio, sed quasi indefinite loquatur; nihilominus ne prædictam comparationem evertat, minime intelligendus est restrinxisse suam expositionem ad æqualem pœnitentium, et innocentium numerum; sed resolutionem extendit ad omnem eventum, in quo pœnitens transit ad excellentem sanctitatis gradum; innocentes vero, sives plures, sive pauci sunt, remanent tepidi et imperfecti. Aliter enim diminute exponeret textum Evangelii, cujus difficultas sita est in declarando, quare gaudium de uno pœnitente sit majus gaudio de nonaginta novem justis; et cur unus tot justis præferatur? Unde

Hugo Card. Hugo Cardinalis eidem D. Gregorii interpretationi insistens non reliquit numerum indefinitum, sed retinuit numerum Evangelicæ comparationis; sic enim loquitur: « Nota quod secundum aliam glossam »(desumptam videlicet ex Gregorio) « per nona-
« ginta novem justos intelliguntur justi
« simpliciter, de quibus est gaudium An-
« gelis Dei, sed majus de peccatore conver-
« so : sunt enim multi justi in innocentia
« permanentes, pauca tamen bona facien-
« tes; et quia videntur esse in tuto, quia
« non faciunt mala, pigri sunt ad bona.
« Est etiam peccator, qui ad pœnitentiam
« convertitur, et ideo conteritur, et tanto
« fervore charitatis accenditur, ut majus
« sit gaudium de eo, quam de multis hu-
« jusmodi justis. Et conversus ad pœniten-
« tiam plura facit bona, quam tales multi:
« sicut si multi in prælio sunt, qui nec fu-
« giunt, nec fortiter dimicant : unus est
« qui fugit, sed post fugam strenue agit;
« iste magis diligendus est a duce exercitus,
« quam illi omnes. »

Aliud effugium. 83. Nec iterum refert, si respondeas secundo, tam in textu Evangelii, quam in expositione Patrum fieri comparationem unius peccatoris conversi ad plures innocentes, in qua merito asseritur adesse majus gaudium de conversione peccatoris, quia innocentes carent bono eximio pœnitentiæ, quo peccator conversus exornatur, et Angelos Dei lætificat. Unde prædictus textus, adjuncta etiam Patrum expositione, nequit deservire confirmationi nostri consectarii, in quo conversionem unius conversioni plurium comparamus, et utrobique eadem pœnitentiæ circumstantia reperitur.

Confutatur. Hoc, inquam, nihil refert, sed facile evertitur; nam quod in prædicta comparatione unus pœnitens præferatur pluribus innocentibus, non potest fundari in eo, quod a peccato ad justitiam transierit; sed in eo, quod per excellentiores actus se disposuerit, et abundantiorem gratiam fuerit consequutus. Et ratio est manifesta, quoniam ut tradit Divus Thomas 2, 2, *quæstione* 106, *articulo* 6, cui subscribunt communiter Theologi, absolute, et simpliciter loquendo, ac cæteris paribus, majus donum est, ac subinde majori æstimatione dignum innocentia, quam pœnitentia. Unde pluris habenda est gratia ut decem numquam interrupta, nec culpam supponens, quam eadem gratia reparata per pœnitentiam. Et profecto nemo dicet, minori æstimatione dignum Joannem Baptistam, quod ejus gratiam nullum peccatum grave personale præcesserit, quam si post plura ad eandem gratiam resurgeret. Quisve affirmabit, Beatam Virginem minus haberi apud Deum, quia perpetuo innocens extitit, quam si aliquo peccato infecta fuisset, ex quo elevaretur ad gratiam? Quod igitur unus pœnitens multis innocentibus præferatur, ut in Evangelio profertur, nequaquam provenit ob recessum a termino *a quo*, sive ex eo, quod ille peccata exuerit, quæ isti non habuerunt; sed propter excessum in termino *ad quem*, quia videlicet ita ferventer Deum amavit, ut intensiorem gratiam præ omnibus illis fuerit assequutus. Si enim supponeretur, pœnitentem imperfecte, seu remisse se gerere, innocentes vero perfectos

existere, nec omnibus illis, nec eorum alicui adæquaretur; sed excederetur ab omnibus, et singulis, ut discursus propositus satis evincit, et recte expendit Dionys. Carthus. *articulo* 38, ubi exponens relatam sententiam: *Gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justis, etc.* adjecit : « Si « istud generaliter de quocumque pœnitente, et de quibuscumque justis, sive « innocentibus intelligatur, non est absolute sumendum ut sonat, quasi simpliciter Angeli sancti plus glorientur de « quolibet pœnitente, quam de quibuscumque nonaginta novem justis. Non enim « plus gaudent de peccatore, qui post pœnitentiam non pertingit ad magnam « perfectionem, quam de gloriosissima « Virgine Maria, de beatis Apostolis, ac « aliis Sanctis gavisi sunt, quando adhuc « erant in terra, vel quam modo de ipsis « lætentur, etc. » Et inferius addit : « Absolute loquendo, si comparemus statum « ad statum, constat quod status innocentiæ « præferendus sit statui pœnitentiæ, eo « quod majus Dei donum existat innocentia, quam pœnitentia. Si vero comparemus personam unius status ad personam « alterius, habent se sicut excedens ad excessum, ita quod quidam de statu uno « præferantur quibusdam de statu altero, « secundum quod sunt in majori, aut minori charitate, et gratia. Hinc absolute « loquendo de multis justis, ac innocentibus, tanquam de simpliciter melioribus, « majus est gaudium Christo, supernisque « civibus, quam de peccatoribus pœnitentibus quibuscumque. » Hæc Dionysius, in quibus liquido affirmat, rationem majoris, vel minoriis gaudii in evangelica comparatione non esse transitum ab hoc, vel ab illo statu; sed majorem, aut minorem excessum in gratia, et charitate. Desumpsitque prædictus Author eam doctrinam ex D. Gregor. *homil. citata*, ubi post verba superius adducta inquit : « Sed inter « hæc sciendum est, quia sunt plerique « justi, in quorum vita tantum est gaudium, ut eis quælibet peccatorum pœnitentia præponi nullatenus possit. Nam « multi nullorum sibi malorum sunt conscii, et tamen in tanti ardoris afflictione « se exercent, ac si a peccatis omnibus « coangustentur. » Et statim infert : « Hinc « ergo colligendum est, quantum Deo gaudium faciat, quando humiliter plangit « justus, si facit in cœlo gaudium, quando « hoc, quod male gessit, per pœnitentiam « damnat injustus. »

Dionys. Carthus.

D. Greg.

84. Ex quibus omnibus ita confirmatur doctrina corollarii nostri; quoniam etsi innocentia, cæteris paribus, sit melior quam pœnitentia; nihilominus unus pœnitens fervidus, et perfectus præfertur multis innocentibus imperfectis, et tepidis : ergo unus pœnitens fervidus, et perfectus magis Deo placet, ipsumque glorificat, quam multi pœnitentes tepidi, et imperfecti : ergo conversio unici peccatoris ad sanctitatem perfectam magis Deo placet, illumque glorificat, quam conversiones plurium peccatorum ad justitiam imperfectam, et tepidam. Antecedens constat ex textu Evangelii, adjuncta Patrum expositione, ut supra expendimus. Prima vero consequentia recte infertur ex antecedenti, cum ob paritatem, tum a fortiori; si enim unus peccator pœnitens pluribus justis innocentibus præfertur, magis debet præponi pluribus peccatoribus pœnitentibus qui gratiam illorum innocentium non excedant. Secunda vero consequentia (quæ est consectarium nostrum), patet ex prima; quia eadem est proportio conversionis ad conversiones, et pœnitentis ad pœnitentes : ergo si fieri potest, quod unus pœnitens magis Deo placeat, ipsumque glorificet, quam plures pœnitentes; pariter fieri valebit, quod conversio unius peccatoris sit Deo gratior, et gloriosior, quam conversiones plurium peccatorum, quando videlicet ille disponitur, et transit ad gratiam valde intensam, isti vero disponuntur, et transeunt ad gratiam remissam, et imperfectam.

Roboratur eadem veritas.

§ VIII.

Aliud antecedentis doctrinæ corollarium.

85. Tertio infertur, magis Deo placere, magisque Deum glorificare concionatorem, et magistrum spiritualem, qui unum aliquem peccatorem convertit perducendo ipsum ad statum perfectionis, quam qui plures convertit, quos tepidos, et imperfectos relinquit. Hoc consectarium (cujus doctrinam statuit N. Nicolaus a Jesu Maria Polonus in apologia perfectionis vitæ spiritualis, *proposit.* 3 *et* 39), videtur liquido inferri ex præcedenti. Quoniam conversio activa, ut sic loquamur, et se tenens ex parte concionatoris, et spiritualis magistri, proportionari

Tertium corollarium.

N. Nicol. a Jesu Maria.

Probatur.

proportionari debet conversioni passivæ se tenenti ex parte hominis, qui a peccato transit ad gratiam : sed conversio unius peccatoris ad gratiam intensam, et perfectam, magis Deo placet, ipsumque glorificat, quam conversiones plurium peccatorum ad gratiam imperfectam, et remissam, ut *numero* 80 statuimus, et supra declaravimus : ergo magis Deo placet, ipsumque glorificat concionator, et magister spiritualis convertens unum peccatorem, illumque perducens ad intensam, et perfectam justitiam, quam qui convertit plures peccatores, quos tepidos, et imperfectos in via justitiæ relinquit.

Ad hæc, objectum, et terminus prædicationis est justitia illorum, ad quorum conversionem prædicatio dirigitur : sed unica justitia, sive gratia intensa, et perfecta est melior, et Deo gloriosior, quam plures gratiæ imperfectæ, et remissæ ; et propterea magis placet Deo unus justus perfectus, quam plures justi imperfecti, ut a *num.* 76 ostendimus : ergo cum actio, et motus habeant perfectionem, atque excessum ex objecto, seu termino ; sequitur quod prædicatio unum convertens ad perfectam justitiam sit melior, et Deo gratior, atque gloriosior, quam prædicatio plures convertens a peccato, sed eos imperfectos, ac tepidos relinquens.

peritur egiti- us con- ectarii ensus.

86. Cæterum ad legitimam hujus corollarii intelligentiam oportet aliqua observare, ex quibus ejus veritas magis constabit, et quid discursus proxime factus evincat, apparebit. Notandum est ergo, concionatorem qui aliquem peccatorem convertit, et conversum perficit, minime id efficere ut causam physicam, sive principalem, sive instrumentalem, vel gratiæ, vel augmenti ipsius ; imo neque actuum, quibus pœnitens ad justitiam se disponit. Nam causa principalis efficiens, vel augens gratiam, nulla alia esse potest, quam Deus, ut docet D. Thom. 1, 2, *quæst.* 112, *artic.* 1, et ex professo ostendimus *tract.* 14, *disputat.* 8, *dub.* 1. Et ipse tantum Deus potest in aliena voluntate, et intellectu, et in anima rationali immediate aliquid efficere, sive illud sit actus, sive habitus, sive quævis alia perfectio, ut cum eodem S. Doctore ostendimus *in tract. de Angelis, disput.* 14, *dub.* 2. Causa vero instrumentalis physice producens, vel augens gratiam solum sunt Sacramenta novæ legis, et humanitas Christi Domini ; illa ut instrumenta separata, hæc autem ut instrumentum divinitati conjunctum. Unde prædicator, et magister spiritualis solum concurrit moraliter, et ministerialiter ad peccatoris justificationem, et sanctitatis augmentum, quatenus exemplo vitæ, et efficacia doctrinæ excitat audientium animos, monetque ut peccata detestentur, sectentur virtutes, et divina mandata, aut etiam consilia custodiant. Atque ideo concionatoris actio eo erit perfectior, et Dei magis glorificativa, quo quantum est de se, et efficacia atque perfectione principii, ad majora movet, et præstantiores actus inducit ; quod est objectum proprium talis actionis.

Tho.

Diximus, *quantum est de se ;* quia sicut ad gravitatem peccati ejus, qui scandalizat, non refert an ille, cui scandalum præbetur, incidat de facto in peccatum, vel non; sed tota scandalizantis malitia regulatur ex occasione ruinæ, quam ex vi proprii peccati aliis præbet : ita ad perfectionem operationis, qua quis aliis prædicat, non refert an doctrina ejus de facto suscipiatur, et conversionem aliorum, atque profectum operetur ; sed utrum prædicator in ordine ad hoc faciat quod in se est. Unde tota ejus perfectio pensari debet ex fervore, præstantia, et perfectione actuum, quibus auditores aggreditur, ut optime vidit D. Bernard. *lib.* 4 *de considerat. ad Eugen. cap.* 2, ubi Pontifici de Romanorum salute, et correctione diffidenti hæc scribit : « Noli « diffidere, curam exegeris, non curatio- « nem. Denique audisti, curam illius « habe : et non, cura, vel sana illum. « Unde dixit quidam : non est in medico « semper relevetur ut æger. Ita quæso, fac « tu quod tuum est ; nam Deus quod suum « est, satis absque tua solicitudine, et an- « xietate curabit. Planta, riga, fer curam, « et tuas explevisti partes. Sane incremen- « tum, ubi voluerit, dabit Deus, non tu : « ubi forte noluerit, tibi deperibit nihil. » Quocirca prædicationis perfectio attendi debet ex propriis ipsis, nempe excellentia, atque efficacia : quidquid sit de aliorum fructu, et profectu in re subsequentibus.

Nota.

D. Bern.

Ubi obiter elucet notabilis differentia inter prædicationem fervidam, perfectam, atque excitantem ad insignem perfectionem ; et prædicationem imperfectam, ac tepidam, quæ solum excitat ad statum vulgarem gratiæ remissæ. Nam prima eo ipso, quod trahat unum aliquem ad statum perfectionis, est potens trahere alios multos ad

eundem statum ; nam si movet quem alloquitur, moveret quantum est de se, plurimos, si adessent. Secunda vero ex eo, quod plures moveat ad gratiam remissam, et statum vulgaris justitiæ, non habet ut eosdem, vel alios moveat ad sanctitatem perfectam, nisi ex parte ipsius prædicationis nova virtus, et efficacia superaddatur. Unde in hac posteriori defectum perfectionis arguit illius extensionis defectus ; illi vero priori nihil nocet defectus extensionis ad multos. Quod discrimen ex infra dicendis magis apparebit.

Nota 2. Diximus etiam, *quantum est ex efficacia, et perfectione principii;* quia ut concionator, et spiritualis magister labore aliis impenso placeat Deo, ipsumque glorificet, oportet quod ejus actio sit in se bona, et quod ipse sit Deo gratus, et acceptus. Ut enim Salva-
Luc. 9. tor ait Luc. 9 : *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, ænimæ vero suæ detrimentum patiatur?* Et Apostol. 1, *ad*
1. Cor. 13. *Corinth.* 13, inquit : *Si linguis hominum loquar, et Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens.* Unde ad hoc ut animarum cura sit alicujus valoris, et meriti apud Deum, oportet quod sit in seipsa operatio virtuosa, nullaque proinde circumstantia vitiata ; et insuper quod procedat ex radice charitatis, alioquin pro nihilo reputabitur apud Deum, licet inter homines magnos excitet rumores, et concursus. Ex quo fit, prædicatorem qui propriam salutem non curat, nec peccata saltem mortalia cavet, etiamsi innumeros convertat, nihil apud Deum mereri, neque ipsum glorificare ; quippe impiorum opera non probat Altissimus, nec placet actio, ubi persona displicet, et gratia non exornatur. Quod si illo vociferante, aliqui convertantur, vel ad perfectionem moventur, totus hic fructus adæquate tribuendus est soli Deo, et verbo gratiæ ipsius, qui per concionatorem loquitur sicut per asinam Balaam : minime autem prædicto Prædicatori, qui præcise tunc se habet tanquam æs sonans, aut cymbalum tinniens, ut supra vidimus ex Apostolo.

Alia observatio. 87. Præterea observandum est, quod licet prædicationi, de qua loquimur, possit perfectio ex pluribus capitibus provenire, ut ex objecto, ex fine operantis, ex duratione, intensione, et aliis circumstantiis, quæ solent humanos actus afficere ; nihilominus ad investigandum excessum unius prædicationis supra aliam (ejus videlicet, quæ unum peccatorem convertit ad insignem perfectionem, supra illam, quæ plures convertit ad justitiam tepidam, et imperfectam), tantum, aut saltem potissime attendere oportet objecta utriusque prædicationis, illaque simpliciter censenda est perfectior, Deo gratior, et magis glorificativa, quæ habet objectum perfectius, Deo gratius, et magis glorificativum illius. Tum quia generale est, ubi comparatio fit absolute inter diversos actus quantum ad gradum perfectionis, loqui de perfectione unicuique convenienti secundum se, et ex specie sua, quæ sumitur ex solo objecto, ut tradit D. Thom. 1, 2, *quæstione* 18, *artic.* D. Tho. 2. Unde cum inquiritur, verbi gratia, quis istorum actuum sit perfectior, *humiliare se*, vel *obedire?* sensus quæstionis est, quis eorum sit specifice, et ex parte objecti perfectior, quidquid sit de aliis circumstantiis, quæ possunt ita variari, et augeri, ut actum ex specie sua minus perfectum reddant perfectiorem actu ex specie sua magis perfecto, ut in simili late diximus *tractat.* 13, *disputatione* 9, *dub.* 3. Tum etiam, quia sermo comparativus respicit extrema secundum aliquid in unoquoque firmum, et stabile ; de re enim, quæ mutatur, crescit, aut decrescit, in quantum hujusmodi, non potest certo diffiniri, an sit major, vel minor ; modo quippe erit unum, et modo aliud ; sola autem bonitas ex objecto est firma, et immobilis : nam quæ sumitur ex fine operantis, et ex circumstantiis, sæpissime variatur, eodem actu secundum speciem permanente. Tum denique, quia nisi hoc modo discurramus, locus præcluditur huic quæstioni, et similibus ; nam cum potissima operationis perfectio desumatur ex ultimo fine supernaturali, et ex fervore charitatis ; interroganti quis sit perfectior actus ? sine controversia quilibet responderet, illum esse perfectiorem, qui fit ex majori Dei dilectione. Sicut indubitatum est actum, quo B. Virgo vel festucam ex terra levaret, excedere in perfectione, et merito actum alterius justi ex objecto perfectissimum. Ut ergo pro his comparationibus detur quæstioni locus, oportet attendere ad perfectionem operationum specificam, sive ex objecto; illaque simpliciter perfectior censenda est, quæ terminatur ad objectum simpliciter perfectius.

Expenditur assertionis motivum.

88. His suppositis, facile apparet veritas nostri consectarii, quoniam illa prædicatio est

est perfectior, et Deo magis accepta, quæ habet objectum excellentius, et Deo magis gratum : sed prædicatio convertens unum peccatorem ad magnam sanctitatem, habet objectum excellentius, et Deo magis gratum, quam quæ plures convertit, eos imperfectos, et tepidos relinquens : ergo illa est perfectior, et Deo magis accepta ; ac subinde Prædicator qui unum aliquem peccatorem convertit, et ad magnam perfectionem perducit, magis glorificat Deum, quam ille, qui plures convertit, eos tepidos, atque imperfectos relinquens. Hæc secunda consequentia patet ex prima, quæ recte ex præmissis infertur. Major autem constat ex immediate prænotatis. Minor etiam liquet; nam objectum prædicationis sunt actus, quibus auditores, et pœnitentes ad justitiam disponuntur, ut prænotavimus *n.* 86. Actus autem quibus peccator ad insignem perfectionem disponitur, debent esse actus ferventissimi, et excellentissimi charitatis, et contritionis ; et actus, quibus homo statuat, et conetur observare non solum præcepta, sed etiam consilia : nemo quippe sine hujusmodi actibus consequitur egregium sanctitatis gradum. Sed ut peccator disponatur ad justitiam tepidam, et imperfectam, sufficiunt actus imperfecti fidei informis, spei informis, et attritionis conjuncti sacramento. Constat autem unicum actum perfectissimum charitatis esse præstantius objectum, et majoris valoris, atque æstimabilitatis, quam plures actus ex immediate relatis. Ergo prædicatio peccatorem convertens, et trahens ad insignem sanctitatis perfectionem, habet objectum excellentius, et Deo magis gratum, quam prædicatio convertens plures peccatores ad justitiam tepidam, et remissam.

Evasio. 89. Respondebis primo, objectum utriusque prædicationis non esse dumtaxat actus pœnitentium, sed includere etiam gratiam, ad quam per prædictos actus disponuntur : gratia autem plures justificans majus bonum est, quam gratia unius, licet ista gratiam uniuscujusque illorum seorsim sumptorum excedat.

Præcluditur. Sed hoc facile evertitur. Primo, nam etiam concesso, quod objectum prædicationis complectetur gratiam eorum, qui convertuntur, nihilominus ratio proxime facta adhuc persisteret in suo robore. Quoniam unica gratia intensa, et valde perfecta melius quid est, et Deo magis placet, quam plures gratiæ imperfectæ, et remissæ ; pluris quippe habetur unica gratia ut centum, quam centum gratiæ ut unum, ut *a num.* 76 ostendimus. Ergo ex hac etiam parte infertur, prædicationem convertentem unicum peccatorem ad excellentem sanctitatem habere objectum simpliciter perfectius, ac subinde esse simpliciter perfectiorem, et Deo magis gratam, quam prædicationem plures convertentem ad justitiam imperfectam, et remissam.

Refellitur secundo, et melius, quia actus prædicationis nihil aliud est, quam exhortatio, admonitio, et consilium, quibus auditores excitantur ad bonum, et a malo retrahuntur : unde illud tantum est prædicationis objectum, quod cadit sub exhortatione, et consilio. Sub his autem non cadunt, nisi actus illius, cui exhortatio fit, et consilium præbetur; ut enim docet D. Thom. D. Tho
1, 2, *quæst.* 14, *art.* 3, consilium solum versatur circa ea, quæ per nos libere aguntur; frustra quippe alicui consulitur id, quod sub ejus potestate non est. Gratia autem non est aliquid agendum ab hominibus, quibus prædicatio fit, cum solus Deus eam infundat. Neque aliquid aliud in hoc negotio subest eorum potestati saltem immediate, nisi actus quibus ad recipiendam gratiam se præparant. Hi ergo, non autem gratia, habent esse per se prædicationis objectum. Quod si evangelici oratores excellentiam gratiæ auditoribus commendant, sicut etiam extollunt divinam bonitatem, misericordiam, justitiam, etc. tamen totum hoc eo ordinant, ut excitent auditorum animos ad eliciendum actus, quos diximus, ex quibus proinde regulanda est eminentia prædicationis.

90. Respondebis secundo, objectum præ- Alia evadicationis ejus, qui plures convertit ad gra- sio.
tiam imperfectam, et remissam, non esse duntaxat actus imperfectos, et informes, quos re ipsa eliciunt conversi; licet enim nemo eorum eliceretur, adhuc tamen prædicatio non privaretur omni objecto, nec careret omni perfectione, ut ex D. Bernardo D. Bern.
num. 86 vidimus. Sed ad objectum prædictæ prædicationis pertinent etiam illi actus, quos prædicator elici ab audientibus intendit. Et quis non intendat elici plures perfectissimos, et formatos? Unde hi etiam spectant ad objectum prædicationis convertentis plures ad justitiam imperfectam, et remissam; et consequenter ex hac parte nequit determinari excesssus inter utramque prædicationem.

Confuta tur. Cæterum hoc effugium facile præcluditur; nam etiam prædicator, qui unicum tantum ad perfectam sanctitatem convertit, vellet plurimos, et innumeros trahere ad eandem perfectionem; et tamen in casu præsentis difficultatis hæc intentio non consideratur. Quippe si attenderetur, eo ipso convertens unum ad sanctitatem perfectam, haberet per quod evidenter excederet convertentem plures ad justitiam remissam. Ergo neque in isto debet similis intentio considerari. Sed in utroque attendi debet præstantia effectuum, quos prædicatio ex vi sua nata est inducere, sive sequantur de facto, sive impediantur aliquo obice. Quod exemplo magis manifestum fiet. Sit v. g. prædicator, qui licet a mortalibus caveat, de progressu tamen virtutis parum curet, corporis commoditatibus indulgeat, rerum temporalium abundantiam aucupetur, hominum, præsertim divitum, ac potentium familiaritati se ingerat, et denique, quantum lex divina citra culpam gravem patitur, per sensibilia diffluat. Deinde auditores præcise admoneat, ut etsi capitalibus adstringantur, de divina misericordia non desperent, sed suo tempore ad confessionem accedant, dolentes quoniam gratiam amiserunt, quoniam gehennam meruerunt, quoniam sunt puniendi in æternum, nisi resipiscant. Profecto hujus prædicatio ex vi sua non est apta majorem effectum in animis audientium parere, quam actus supra relatos; quia neque prædicationis verba, nec vitæ prædicantis tepiditas altius aliquid persuadent. Unde quæcumque alia hujus concionatoris intentio, vel desiderium majoris profectus in auditoribus, est quasi non esset in ordine ad commendationem ipsius prædicationis; quia est omnino inefficax ad prædictum effectum præstandum. Econtra vero sit alius prædicator Apostolicæ vitæ studiosus, ferventi charitate flagrans, pœnitentiæ, ac paupertatis amator, atque abstinentiæ, virginitatis, humilitatis, cæterarumque virtutum apprime sectator, qui perfectioni vitæ doctrinam conjungens, verbo, et exemplo moneat auditores, ut terrena cuncta despicientes æternum, et divinum bonum ardenter diligant, et sola præceptorum observatione non contenti evangelica consilia pro viribus custodiant, atque ad perfectionis apicem diligenter aspirent. Proculdubio hujus prædicatio habet ex vi sua parere in auditorum mentibus perfectissimos actus, egregiaque virtutum opera, quibus insignis sanctitas, et perfectionis status acquiritur; quippe et verborum energia, et prædicatoris vita, unde illa efficaciam trahunt, totum id expostulant.

Urgetur impugnatio.

91. Et juxta hunc legitimum sensum et asserimus, et ratio superius facta convincit, prædicationem convertentem unum aliquem ad insignem perfectionem habere præstantius objectum, ac subinde esse simpliciter meliorem, et Deo magis gratam, quam prædicationem plures quidem peccatores convertentem, sed eos tepidos, et imperfectos relinquentem? Loquimur enim, ut decet, in sensu formali, et proprio; et considerando id, quod unaquæque illarum prædicationum nata est inducere. Unde neque doctrinam restringimus ad effectum, quem re ipsa auditores consequuntur, juxta ea quæ supra *num.* 86 ex D. Bernardo observavimus. Nec extendi permittimus ad omne id, quod prædicator alias inefficaciter intendit; sed ad omne, et solum illud, quod prædicatio ev vi sua (ad quam etiam pertinet efficacia ex prædicatoris vita, ex exemplo desumpta) nata est efficere. Et in hoc sensu elucet vis rationis nostræ, effugiumque illi adhibitum evanescit; nam prædicatio, quæ propter verborum efficaciam, et vitæ exemplum sufficiens est unum aliquem ad perfectionis statum perducere, ex vi sua habet movere ad plurimos actus formatos, eosque perfectissimos, sine quibus nemo statum illum assequitur, ut constat ex supra dictis. Quæ autem ob vitæ imperfectionem, et verborum tepiditatem, etiamsi multos convertat, eos tamen duntaxat monet, et movet ad gratiam imperfectam (quatenus solum monet, et movet homines ut fugiant mortalia, et se disponant ad recipiendum sacramenta), solummodo ex vi sua habet excitare ad actus informes, imperfectos, et remissos; ii quippe sufficiunt ad similem effectum consequendum. Præstantius igitur objectum habet prima illa prædicatio, quam hæc secunda; et consequenter illa est perfectior, et Deo gratior, quam ista. Atque ideo prædicator, qui unum aliquem convertit ad insignem sanctitatem, magis Deo placet, magisque ipsum glorificat, quam prædicator plures convertens, sed eos tepidos, atque imperfectos relinquens, ut *num.* 85 statuimus.

Nostræ assertionis veritas, et fundamenti efficacia.

D. Bern.

92. Quod exemplis etiam demonstrari potest; nam in primis ut a suprema causa ad alias descendamus, Deus magis explicat suam

Exemplis eadem veritas illustratur.

suam perfectionem efficiendo unam gratiam valde intensam, quam efficiendo plures gratias remissas ; sicut ex parte ipsarum gratiarum melius quid est una gratia ut centum, quam centum gratiæ ut unum ; nemoque negabit in una sanctitate B. Virginis magis splendescere Dei perfectionem, magisque Deum glorificari, quam in sanctitatibus plurium justorum : ergo pariter prædicator convertens unum aliquem ad insignem perfectionem, magis Deo placet, ipsumque glorificat, quam qui plures convertit ad justitiam imperfectam, et remissam. Patet consequentia : tum quia ita proportionabiliter se habet causa moralis, cujusmodi est prædicator, ad prædictos effectus, sicut se habet causa physica, nempe Deus. Tum etiam, quia ita se habet excessus causæ ad causam, sicut excessus effectus ad effectum : ergo si unus homo conversus ad insignem sanctitatem magis Deo placet, ipsumque glorificat, quam plures homines conversi ad justitiam tepidam, et imperfectam, pariter prædicator convertens unum ad insignem sanctitatem magis Deo placet, ipsumque glorificat, quam qui plures convertit ad justitiam imperfectam, et remissam, ut *num.* 34 argumentabamur.

In causis etiam artificialibus idem apparet ; nam majorem gloriam sibi comparat, plusque meretur pictor, qui unicam imaginam perfectissimam pingit, quam qui pingit plures vulgares, et imperfectas : sicut ex parte ipsarum imaginum illa pluris æstimatur, quam istæ. Idemque videmus in aliis artificibus, et artefactis, ut consideranti constabit, et experientia liquet.

Et ut ad scientias, et doctrinas transeamus, plus laudis meretur, qui unicum librum excellentis doctrinæ scribit, quam scribens plures indoctos, insipidos, et nullius, vel exigui fructus. Nec enim minus laudari deberet D. Thomas, si vel unicam Theologiæ Summam scripsisset, quam gregarii Scriptores, qui plura, et grandia volumina edunt. Magister quoque, qui unicum discipulum sapientissimum sua instructione facit, magis laudari debet, quam qui plurimos docet, sed eos rudes, et in primo scientiæ limine relinquit. In quo comparationis genere multum eminet D. Ambrosius, qui D. Augustinum, Ecclesiæ lumen, convertit et docuit, ut recte tradit Franciscus Mendoza *lib.* 3 *Virid. probl.* 3, ubi inquit : « Licet ad perfectam Doctoris « laurcam plurium instructio, et conversio requireretur, adhuc conversio D. « Augustini sufficeret ad D. Ambrosium « Doctoris laurea coronandum. » Idque probat in hunc modum : « Illa D. Augustini « conversio multis aliis conversionibus « æquipolleret. Nam in sacris Litteris unus « vir nimium execellens, et facile princeps « multis aliis non solum confertur, sed « etiam antefertur. Unde Ecclesiasticus « cap. 16 : Melior est, inquit, unus timens « Deum, quam decem filii impii : ab uno « sensato inhabitatur patria, et tribus im- « piorum deseretur. Quibus verbis aliqui « addunt : et unus justus pro toto mundo. » Deinde post alia subdit : « Quare cum D. « Ambrosius unum Deo genuerit Augusti- « num, innumeros sine dubio filios per « Evangelium genuisse credendus est. Nam « unus Augustinus et doctrina, et sanctita- « te innumeris aliis antecelluit ; et major « ex illo tantum, quam ex innumeris aliis « utilitas in Ecclesiam redundavit. Et con- « firmatur, quia quemadmodum David « unum superans Philisthæum omnes cen- « setur Philistinorum acies superasse ; et « Judith unum ingulans Holofernem jugu- « lasse censetur omnes Assyriorum legio- « nes : et Christus Dominus unum Archi- « dæmonem, ut appellat D. Chrysostomus, « profligans censetur profligasse omnes « dæmonum catervas, et Christianorum « pedibus profligandas subjecisse : ita pla- « ne D. Ambrosius unum superans Augus- « tinum omnes omnino Manichæorum, « cæterorumque hæreticorum exercitus su- « peravit. Unde ex hac unica victoria di- « gnus fuit, qui celeberrima Doctoris lau- « rea coronatus triumpharet. » Hæc prædictus Author, quibus et doctrinæ nostri consectarii satis aperte subscribit, et nova suggerit argumenta, ut existimemus prædicatorem, qui unicum hominem ad insignem sanctitatem convertit, non minus mereri lauream Doctoris, et Apostolici concionatoris adoream, quam qui plures aut Indos, aut barbaros, aut peccatores convertit ad justitiam imperfectam, et remissam.

rancis. endoz.

§ IX.

Proponitur ultimum corrollarium ejusdem doctrinæ.

93. Quarto infertur ex supra dictis, melius quid facere, et magis Deum glorificare prædicatorem, sive magistrum spiritualem, Quartum consectarium.

qui doctrina sua, vitæque exemplo unum justum imperfectum ad magnam perfectionem perducit, quam qui plures a peccato convertit, tepidos, et imperfectos relinquens. Probatur primo ex dictis § præcedenti ; nam prædicatio, quæ verborum efficacia, vitæque exemplo perducit aliquem ad statum excellentis sanctitatis, idem objectum habet, sive extrahat illum a statu peccati, sive a statu gratiæ remissæ ; utrobique enim habet pro objecto actus intensissimos excellentium virtutum, eosque gratia informatos, sive quibus neque peccator, neque justus tepidus transit ad perfectionis statum : ergo utrobique sortitur eandem perfectionem. Atqui in priori casu talis prædicatio est præstantior, et Deo magis accepta, ejusque magis glorificativa, quam prædicatio plures peccatores convertens, sed eos imperfectos relinquens, ut § *præced.* late ostendimus : ergo idem dicendum est in posteriori casu. Suadetur.

Confirmatur ; nam vitæ exemplum, ac verbi efficacia, quæ movent justum imperfectum, ut teporem exuat, et perfectionem acquirat, etiam movent illum ut abhorreat peccata, et illa commisisse vehementer doleat : hujusmodi autem dolor, quantum est de se, destruit quodcumque peccatum mortale, et de facto, si illud inveniret, destrueret : ergo prædicatio, quæ justum imperfectum movet, et trahit ad insignem perfectionem, habet quantum est de se, efficaciam extrahendi illum a peccato, et perducendi ad perfectionis statum ; et consequenter sive de facto extrahat a peccato, sive non, sortitur eandem perfectionem, et virtutem, quibus excedat prædicationem, quæ plures peccatores convertit, sed eos imperfectos relinquit.

Effugium. 94. Respondebis, existentem in peccato difficilius converti ad justitiam, quam existens in gratia trahatur ad perfectionem ; nam ipsum peccatum justitiæ obsistit, retrahitque a conversione : quod impedimentum non habet locum in gratia remissa comparative ad perfectam. *Præsertim* quia difficultas ad aliquam formam eo magis crescit, quo major est indispositio ad talem formam, propter elongationem subjecti ab ejus participatione ; peccatum autem mortale est maxima indispositio ad gratiam, ejusque augmentum, utpote subjectum ab ipsis maxime elongans ; atque ideo difficilius est peccatorem converti, quam justum tepidum transire ad perfectionem. *Accedit* etiam, quod in ordine naturæ longe difficilius est mortuum revocare ad vitam, quam vivo, licet valde infirmo, restituere sanitatem : ergo in ordine supernaturali difficilius erit mortuum per peccatum ad vitam gratiæ convertere, quam existentem in gratia, licet imperfecta, et infirma, ad statum perfectionis perducere. Cum ergo illud opus sit excellentius, magis meritorium, magisque Deo acceptum, quod est difficilius, sequitur melius quid facere, et Deum magis glorificare prædicatorem, qui plures peccatores ad justitiam, etsi remissam convertit, quam qui justum tepidum perducit ad perfectionem.

95. Sed hoc effugium, quod præcipuo motivo contrariæ partis innititur, dupliciter præcluditur. Primo, quia dato, et non concesso, quod transitus peccatoris ad justitiam esset difficilior, quam transitus justi imperfecti ad perfectionem, minime adhuc inferretur plus mereri, et Deum magis glorificare prædicatorem convertentem peccatorem ad justitiam, quam prædicatorem promoventem, et perducentem justum tepidum ad perfectionem. Et ratio est, quoniam excessus operis meritorii, et Deo grati non regulatur juxta difficultatem, sed secundum excellentiam objecti : atqui objectum prædicationis moventis justum tepidum ad perfectionem est simpliciter excellentius, quam objectum prædicationis convertentis peccatorem ad justitiam tepidam, et remissam : ergo illa est melior, et Deo gratior, quam ista. Consequentia patet : minor etam constat ex supra dictis ; nam objectum prioris prædicationis sunt actus perfectissimi excellentium virtutum ; objectum vero posterioris sunt actus remissi, atque inferiorum virtutum, ut § *præced.* fuse explicuimus. Major autem est communis, et vera sententia desumpta ex D. Thom. tum aliis lociis, tum specialiter *in hac* 2, 2, *quæst.* 27, *art.* 8 *ad* 2, ubi ait : « Plus facit « ad rationem meriti, et virtutis bonum, « quam difficile. Unde non oportet, quod « omne difficile sit magis meritorium ; sed « quod sic est difficilius, ut etiam sit me- « lius. » Ex quo principio resolverat *art.* 7 *præced.* dilectionem amicorum esse meliorem, et magis meritoriam, quam inimicorum dilectionem ; nam licet difficilius sit diligere inimicum, quam diligere amicum ; nihilominus dilectio amicorum attingit objectum melius, et magis conjunctum. Cui resolutioni subscribunt communiter Thomistæ. Confutatur. D. Tho.

Capreol. Paludan. Cajet. Bannez. Aragon. Arauxo. Magist. Richard. Almain. Altisiod. Lorca. Suar. Valent.

Thomistæ, Capreol. *in* 3, *dist.* 27, *quæst. unic. art.* 1, *concl.* 8, Paludan. *quæst.* 2, Cajet. *quæst. cit. art.* 7, ubi Bannez *dub.* 2, Aragon. *concl.* 1 *et* 2, et Arauxo *concl.* 1, Et ex aliis Magister *in* 3, *distinct.* 30, ubi Richard. *art.* 1, *quæst.* 3, Almainus *quæst. unica*, Altisiodor. *tract.* 5, *cap.* 2, *quæst. ult.* Lorca *art.* 7, *cit. disputat.* 31, *num.* 10, Suarez *disp.* 2, *de charitate*, *sect.* 3, *num.* 6, Valentia *disput.* 3, *quæst.* 5, *punct.* 3, et alii plures.

Quæ doctrina certior adhuc est in aliis comparationibus; nam difficilius est diligere ex charitate proximum, quam Deum: et nihilominus dilectio Dei est simpliciter melior, et magis meritoria, quam dilectio proximi. Similiter difficilius est diligere extraneos, et peccatores, quam diligere parentes, et Sanctos; et tamen melius, et magis meritorium est diligere istos, quam illos. Et generalis horum ratio est, quam D. Thom. assignat; nam ad rationem virtutis, et meriti plus facit bonum, quam difficile: Deus autem, amici, parentes, et Sancti sunt meliora objecta, et digniora dilectione, quam proximus, inimici, extranei, et peccatores. Quod motivum etiam militat in nostro casu, quoniam prædicatio perducens justum tepidum ad perfectionem, habet objectum simpliciter perfectius quam prædicatio convertens peccatores ad imperfectam justitiam, ut loco citato explicuimus.

Alia ejusdem responsionis impugnatio.

96. Secundo refellitur eadem responsio evertendo directe, quod in sui patrocinium assumit; quoniam difficilius est justum tepidum, et imperfectum perduci ad perfectionem, sive egregiam sanctitatem, quam peccatorem converti ad justitiam, tepidam tamen et remissam: ergo ex ipsamet responsione (si verum assumit), infertur melius quid facere, et magis Deum glorificare prædicatorem, qui unum justum existentem in statu justitiæ remissæ perducit ad perfectionem, quam prædicatorem convertentem plures peccatores ad justitiam tepidam, et imperfectam. Antecedens patet ex ipsa experientia, qua deprehendimus paucissimos ex his, qui cum justi sint, manent tepidi, et pigri, ad perfectionis statum aliquando pertingere; plurimos autem peccatores quotannis, et quotidie per sacramentum pœnitentiæ reconciliari. Quod non ita contingeret, nisi illud prius esset longe difficilius, quam hoc posterius.

Probant deinde idem antecedens ex illo Apocal. 3: *Utinam frigidus, aut calidus esses: sed quia tepidus es, incipiam te emovere ex ore meo.* Quo loco plures Interpretes per *tepidum* intelligunt justum remissum; per *frigidum* vero peccatorem. Diciturque ille execrabilior Deo, quam iste, non simpliciter, sed secundum quid, quatenus est in illo difficilior dispositio circa transitum ad meliorem frugem, quam in peccatore circa gratiam. Et ita exponit prædictum locum D. Thom. his verbis: « Utinam frigidus « esses existens adhuc in peccatis, aut cali« dus fervens calore charitatis. Hoc ideo « dicit, quia homo frigidus, scilicet non« dum conversus, ex consideratione pecca« torum disponitur ad timorem, et pœni« tentiam. Homo autem tepidus, scilicet « qui conversus est, et post conversionem « tepide agit, ex conversione habet confi« dentiam meritorum; et ideo non corri« git desidiam, et ita manet, et durat vacuus, « et dignus evomi a Deo, etc. » Subdit autem inferius: « Sed objicitur, quia esse « frigidum est malum: quomodo ergo dici« tur, Utinam, etc. Respondeo: In frigido « homine, qui vel fidem plenam non ha« bet, vel si habet, quasi nihil boni agit, « duo sunt, scilicet ipsa frigiditas mentis, « et materia dispositionis; quia licet sit « frigidus, tamen cum non sentit aliud in « se, unde confidat, et ulterius videt mala « sua, ex hoc potest facilius disponi ad bo« num. Tepidus autem, qui aliqua bona « agit, et se conversum videt, confidit, et « ex confidentia difficilius seipsum corrigit. « Loquitur ergo de frigido non quantum « ad culpam, sive frigiditatem, sed quantum « ad dispositionis majorem facilitatem. » Cui expositioni suffragantur D. Hieronym. D. Anselm. D. Bernard. Haymon, et Lyranus relati ab Alcazar super prædictum locum Apocalypsis.

Apoc. 3. D. Tho. D. Tho. Nota. D. Hier. D. Ansel. D. Bern. Haymo. Lyra. Alcazar.

97. Clarissime autem, et ad intensionem nostram tradit eandem doctrinam Joannes Cassianus *collat.* 3, *cap.* 19, ubi ex sententia Abbatis Danielis distinguit tres animæ status, nempe *carnalem*, qui est peccatorum, et in vitiis commorantium; *animalem*, illorum nimirum, qui a sæculi vanitate, et peccatorum tenebris ad gratiam conversi, nihil de profectu spirituali curant; et *spiritualem*, illorum videlicet, qui perfectionis statum adepti sunt, vel ad illum inardescunt. Docetque carnales esse illos, quos Apocalypsis *frigidos* appellat; animales vero, quos vocat *tepidos*. Et red-

Cassian.

dens rationem, quare hujusmodi, nimirum tepidi, quodammodo deteriores censentur, quam frigidi, sic ait : « Quia facilius ad « salutarem conversionem, ac perfectio- « nis fastigium carnalis quis, id est sæcu- « laris, vel gentilis accedit, quam is qui « professus monachum, nec tamen viam « profectionis arripiens, ab illo semel spi- « ritualis fervoris igne discessit. Ille nam- « que corporalibus saltem vitiis humilia- « tus, atque immundum se sentiens cogi- « tatione carnali, ad fontem veræ purifica- « tionis, ac perfectionis culmen quandoque « compunctus accurrit ; et horescens illum, « in quo est, infidelitatis gelidissimum sta- « tum, spiritus ardore succensus ad perfec- « tionem facilius evolabit. Nam qui semel, « ut diximus, tepido exorsus initio, mo- « nachi cœpit abuti vocabulo, nec tamen « humilitate, ac fervore, quo debuit, iter « hujus professionis arripuit, infectus se- « mel hac miserabili lue, et in ea quodam- « modo resolutus, nec ex se ulterius per- « fecta sapere, nec alterius poterit monitis « erudiri, etc. » Et deinde subdit inferius : « Quid diutius immoramur in his, quæ « nobis experimento satis comperta sunt, « et probata ? Frequenter enim vidimus « de frigidis, atque carnalibus, id est de « sæcularibus, ac paganis, ad spiritualem « pervenisse fervorem ; de tepidis vero, « atque animalibus omnino non vidimus. »

Nota.

Confirmatio prima. D. Bern.

98. Confirmatur primo ex D. Bernardo *epist.* 96 *ad Richardum Fontanensem Abbatem, et socios ejus*, ubi hæc habet : « Quan- « ta audivimus, et cognovimus ea, et fra- « tres nostri uterque Gaufridus annuntia- « verunt nobis, quemadmodum recaluistis « noviter igne Dei, convaluistis de infir- « mitate, refloruistis in novitate sancta. « Digitus Dei est iste subtiliter operans, « suaviter renovans, salubriter mutans, « non quidem de malis bonos, sed de bonis « faciens meliores. Quis dabit mihi, ut « transeam, et videam visionem hanc « magnam ? Nec enim minus mira, mi- « nusve jucunda ista promotio est, quam « illa mutatio, nisi quod multo facilius « reperias multos sæculares converti ad « bonum, quam unum quempiam de reli- « giosis transire ad melius. Rarissima avis « in terris est, qui de gradu, quem forte « in religione semel attigerit, vel parum « ascendat. Vestrum proinde, dilectissimi, « tam insigne, quam salubre factum uni- « versam merito lætificat civitatem Dei, « quippe quo rarius, eo et charius, etc. » Quibus perspicue tradit S. Doctor, faciliorem esse multorum conversionem a malo in bonum, hoc est a peccato ad gratiam, quam unius transitum a bono ad melius, sive a gratia remissa ad intensam, et perfectam ; huncque posteriorem transitum, sicut est multo rarior, ita et Deo esse longe chariorem.

Confirmatio secunda. D. Tho.

Confirmatur secundo ex D. Thom. 2, 2, *quæst.* 189, *art.* 1 *ad* 1, ubi reddens rationem, cur Christus Dominus non solum innocentibus, sed etiam peccatoribus evangelica concilia sequenda proposuerit, et quare adolescens, cujus fit mentio *Matth.* 19, non fuerit illa sequutus, bene autem Matthæus publicanus, et peccator, sic ait : « Ut ergo Dominus ostenderet perfectio- « nem consiliorum utilem esse et innocen- « tibus, et peccatoribus, non solum vocavit « adolescentem innocentem, sed etiam « Matthæum peccatorem. Sed tamen Mat « thæus sequutus est vocantem, non au- « tem adolescens ; quia facilius convertun- « tur ad religionem (in qua observantur « evangelica consilia, quibus ad perfectio- « nem perducimur) peccatores, quam illi, « qui de sua innocentia præsumunt, qui- « bus dicit Dominus Matth. 21 : Publicani, « et meretrices præcedunt vos in regno « Dei. » Nomine autem *præsumptionis* non intelligit eam, quæ sit peccatum mortale, sed veniale duntaxat, consistens in tepida quadam securitatis confidentia, juxta ea quæ supra ex eodem S. Doctore, et ex Cassiano vidimus ; nam loquitur de juvene, quem dicit *innocentem*, atque adeo justum, tametsi imperfectum, et tepidum. Sentit ergo majorem in his esse difficultatem, ut ad perfectionem transeant, quam in peccatoribus, ut convertantur.

Matth. 19.

Fundamentum assertionis remtegratur.

99. Ex quibus omnibus instauratur ratio superius facta ; nam prædicatio perducens unum ad perfectionem, habet objectum melius, et difficilius, quam prædicatio plures peccatores convertens ad justitiam tepidam, et imperfectam : ergo illa est opus melius, et Deo gratius, quam ista ; et consequenter prædicator perducens unum aliquem ad perfectionem, melius quid facit, et magis Deum glorificat, quam prædicator convertens plures ad justitiam imperfectam, et remissam. Utraque consequentia patet ex antecedenti. Et prima hujus pars constat ex dictis *a num.* 23, nam objectum prædicationis perducentis unum ad perfectionem,

tionem, sunt actus perfectissimi excellentium virtutum : objectum vero prædicationis convertentis plures ad justitiam tepidam, et remissam, sunt actus virtutum tepidi, et imperfecti. Secunda autem ejusdem antecedentis pars liquet ex dictis *a n.* 96, nam experientia, et Patrum auctoritas probat, transitum justi ab imperfecta justitia ad sanctitatem perfectam esse difficiliorem, quam transitum peccatoris ab injustitia ad justitam tepidam, et remissam.

Observatio. 100. Et ut illa, quæ effugium hactenus impugnatum pro se afferebant, evidentius elidantur, animadvertendum est, peccatum mortale indisponens ad gratiam, posse comparari vel ad Deum, cujus est ipsam gratiam infundere; vel ad hominem, cui incumbit elicere actus, quibus ad illam se præparet. Primo quidem modo est maxima indispositio, quia est summum demeritum reddens subjectum prorsus indignum beneficio gratiæ. Et hoc pacto, videlicet per modum demeriti, reddit gratiæ collationem maxime difficilem. Sed quia Deus illam infundens non attendit demerita peccantis, sed operatur ex liberali misericordia, prædicta difficultas, quod ad præsens attinet, pro nulla censetur; quippe auferenda non est prædicatoris exhortatione, vel pœnitentis actibus, sed misericordia divina gratis largiente gratiam, et condonante offensam. Secundo autem modo non est maxima indispositio, sive impedimentum ad gratiam ; sed minor, quam sit status temporis in homine justo ad perfectionem. Licet enim peccatum mortale sit satis magna indispositio, non tamen adeo difficiles reddit actus, quibus peccator ad gratiam se præparet. Quinimo ipsa peccati turpitudo aliquo modo confert, ut homo ad vocem prædicatoris facilius animadvertat suæ fœditatis dedecus, suæque damnationis periculum; ipsaque peccatorum cognitio non sinit illum quiete agere, sed pungit, ut pœniteat ad minus propter gehennæ metum; qui dolor, licet imperfectus, simul cum sacramento sufficit, ut consequatur gratiam saltem imperfectam, et remissam. Econtra vero justum imperfectum non est quod adeo stimulet, ut teporem abjiciat, et perfectionem sectetur; quia extra peccati mortalis statum, et reatum se agnoscens, et in via salutis constitutum credens, parum, vel nihil de suo profectu curans, in suæ tepiditatis, et imperfectionis statu quasi securus immoratur, et degit; et propterea difficilius exerit egregios illos virtutum actus, quibus posset promoveri ad perfectionem, ut Patres supra relati palam affirmant. Et hæc difficultas spectat dumtaxat ad præsentem considerationem, quoniam prædicator non dirigit suum sermonem ad movendum Deum, ut hominibus gratiam, aut perfectionem conferat, hoc enim est munus orationis; sed ad movendum auditores, ut actus eliciant, quibus ad gratiam, vel perfectionem se præparent. In hocque legitimo comparationis sensu difficilius est prædicatorem perduce justum tepidum ad perfectionem, quam peccatorem convertere ad justitiam.

Motiva responsionis convelluntur. Per quod patet ad id, quod illa responsio primo loco afferebat. Patet etiam ad ejus additamenta; solum enim probant, quod in revocatione peccatoris ad vitam gratiæ sit major difficultas, quam in promotione ad egregiam sanctitatem, facta comparatione ad Deum, propter demeritum peccati mortalis, quod sola infinita misericordia Dei superari potest; non autem in ordine ad actus, quos peccator, ut se præparet ad gratiam recipiendam, debet elicere. Maxime cum ad id sufficiant actus imperfecti, et informes, qui non prærequirunt vitam gratiæ, ad quos eliciendos sufficiunt auxilia gratiæ cum statu peccati mortalis compossibilia.

Addimus esse latum discrimen inter exemplum ibi allatum, et rem præsentem; nam mortuus in ordine naturali, cum omni activitate careat, nullam potest adhibere dispositionem, aut conatum ad recipiendam vitam, sicut adhibere potest infirmus ad sanitatem; et ideo restitutio illius est difficilior, cum sit totaliter ab extrinseco. Mortuus autem spiritualiter per peccatum non privatur omni virtute activa, sed potest intellectu, et voluntate adjutis per fidem, spem, et auxilia supernaturalia, elicere supernaturales operationes, quibus se præparet ad vitam gratiæ. Unde quantum ad hoc magis assimilatur infirmo corporali, quam mortuo; atque ejus conversio quantum ad difficultatem eliciendi actus præparantes (quæ per se pertinet ad præsentem comparationem, ut sæpius diximus), potius comparanda est sanitatis recuperationi, quam restitutioni vitæ.

Secundum nostræ assertionis fundamentum 101. Secunda ratio veritatem nostri consectarii evincens potest ita formari; quoniam majoris æstimationis est apud Deum gratia intensa unius justi perfecti, quam

gratiæ remissæ plurium justorum imperfectorum : ergo magis Deum glorificat, qui unum illum a gratia remissa ad eximiam perfectionem provehit, quam qui eos omnes ad gratiam remissam convertit. Antecedens constat ex dictis *toto* § 7, et breviter suadetur, quia Deus unumquemque æstimat secundum quantitatem gratiæ, quam ipsi tribuit ; ipsa enim est proprius effectus, et quasi mensura divinæ dilectionis, et æstimationis : ergo justum sanctissimum, in quo sint centum gradus gratiæ, pluris æstimabit, quam triginta, vel quadraginta imperfectos, in quorum singulis sint duo tantum gradus gratiæ. Consequentia vero probatur, quia Deus ex nostris operibus glorificatur juxta eorum bonitatem, et perfectionem : unde quo opus fuerit excellentius, eo operans Deum magis glorificabit. Præsertim quia actus, quos diximus esse objectum prædicationis, disponunt ad gratiam, et ejus augmentum, cum quibus proinde ipsa gratia commensurari debet. Nam licet Deus illam liberalissime communicet, unicuique tamen tribuit juxta propriam dispositionem, ut docet Concilium Trident. *sess.* 6, *cap.* 7, et constat ex dictis *a num.* 20, et locis ibidem relatis. Unde quantum ad præsens in idem coincidit, quod præstantia prædicationis mensuretur per ipsam gratiam, et quod mensuretur per prædictos actus.

Conc. Trid.

Effugium.

102. Respondebis primo negando consequentiam, in qua deducenda videtur fallacia committi. Quia in casu antecedentis Deus æstimat justum perfectum ratione totius gratiæ, quam habet, et non ratione solius augmenti. At in casu consequentis Prædicator non concurrit nisi ad augmentum, quia supponimus invenisse illum justum constitutum in gratia. Unde oportet in his casibus aliter discurrere.

Confutatur.

Sed hoc nihil refert. Tum quia prædicatio perducens justum ad statum perfectionis, ex vi sua movet ad actus perfectissimos, qui quantum est de se, sufficiunt ad remissionem culpæ, et primam gratiæ infusionem : unde quod gratia supponatur infusa, est per accidens, et nihil æstimabilitatis diminuit in prædicta prædicatione, ut supra *num.* 90 magis explicuimus. Tum quia si ratio facta expendatur, convincit Deum ratione solius augmenti gratiæ, ad quod prædicator in nostro casu concurrit, æstimare unum justum habentum centum gradus gratiæ, supra triginta, aut quadraginta imperfectos, in quorum quolibet sint duo tantum gradus. Quoniam prædictus justus non adæquat omnes illos, nec aliquem eorum excedit ratione essentiæ gratiæ præcise sumptæ ; quandoquidem in singulis eorum invenitur hæc essentia, et aliquid amplius. Ergo excessus justi perfectissimi supra omnes, et singulos imperfectos provenit ratione augmenti. Cumque ad tale augmentum prædicator concurrat in nostro casu ; sequitur ut juxta prædictum excessum mensuranda sit ejus excellentia supra prædicatorem, qui plures convertit ad justitiam imperfectam, et remissam.

Quod magis declarat sequens consideratio : sit casus, in quo unus prædicator convertit quadraginta ad gratiam tepidam, puta ut duo : ex quibus alter prædicator (remanentibus triginta et novem in sua tepiditate), perducat unum ad gratiam ut centum. Tunc justus hic ut centum ratione essentiæ gratiæ, et illius modicæ intensionis, quam per primam prædicationem acquisivit, solum æstimatur a Deo sicut unus de reliquis ; quippe prout sic neminem eorum excedit : igitur quod insuper æstimetur a Deo tantundem, quantum æstimantur omnes alii, et adhuc amplius, est ratione augmenti, quod assequitur prædicatione illa, per quodque ascendit a gratia ut duo ad gratiam ut centum. Si ergo ratione augmenti unus justus perfectissimus superat quadraginta remissos, prædicator qui doctrinæ efficacia, et vitæ exemplo ad hujusmodi augmentum illum perducit, majus quid facit, magisque gloriosum, quam alter qui quadraginta ad gratiam remissam convertit.

Alia evasio.

103. Respondebis secundo negando iterum consequentiam, quia præstantia actionis non debet pensari ex solo termino *ad quem*, sed etiam ex termino *a quo*, et ex modo, quo terminus fit. Solet enim effectus imperfectus, qualis est materia prima, postulare actionem perfectissimam, nempe creationem ; cum tamen forma substantialis, quæ est longe pefectior, possit fieri per generationem, quæ est actio non ita perfecta. Et ratio est, quia materia prima, cum sit primum subjectum, fit ex nihilo, circa quod non potest operari actio, nisi infinita : forma vero fit ex præsupposito subjecto, ad quod attingendum sufficit actio limitata. Ita ergo in nostro casu, prima gratia quantumcunque remissa postulat perfectissimam actionem, quia debet fieri cum destructione

tructione peccati : augmentum vero quantumcunque magnum, non habet istum terminum *a quo*, cum inveniat peccatum destructum, atque ideo non postulat tam perfectam actionem.

Præcluditur. Verum hæc etiam responsio facile refellitur, quoniam præstantia cujuslibet actionis simpliciter regulatur ex fine, et termino *ad quem*, ex termino autem *a quo* solum secundum quid. Unde facta comparatione inter duas actiones, quarum una excedat ratione termini *ad quem*, et excedatur ratione termini *a quo*, alia vero e contra se habeat ; illa erit absolute, et simpliciter perfectior, licet ista sit perfectior secun-
D. Tho. dum quid. Hac ratione D. Thom. 1, 2, *q.* 113, *art.* 9, docet, et probat justificationem impii excedere simpliciter creationem universi, quia habet nobiliorem terminum *ad quem*, nempe gratiam ; quamvis creatio ex parte termini *a quo*, et ex parte modi faciendi, nempe ex nihilo, excedat justificationem impii, quæ fit ex præsupposito subjecto, ut latius explicuimus *tr.* 15, *disp.* 4,
D. Tho. *dub.* 3, *concl.* 2. Docet etiam ex D. Thom. ibidem, glorificationem absolute loquendo esse opus majus, quam sit justificatio impii, eo quod terminatur ad communicandam gloriam, quæ est maximum bonum : licet justificatio, quia fit ex peccato, et confertur indigno, sit majus opus respective, et secundum quid, ut declaravimus *loco citato*, *conclus.* 3. Sic ergo, quod conversio peccatoris ad gratiam remissam, et prædicatio ad illam hortans habeant pro termino *a quo* peccatum ; profectus vero justi, et prædicatio ad illum movens habeant pro termino *a quo* gratiam remissam, minime obstat, quo minus hæc simpliciter excedant in perfectione : quandoquidem terminus *ad quem*, maximum scilicet incrementum gratiæ, est aliquid perfectius, ut supra ostendimus. Exemplum autem de creatione materiæ, et eductione formæ nihil convincit, ut infra *n.* 109 constabit.

Adde, excessum illum, quem concedimus conversioni ad primam gratiam ratione termini *a quo*, et destructionis peccati, solum esse respectu actionis Dei infundentis ipsam gratiam ; sed non conducit, ut similem excessum tribuamus prædicationi, per quam talis conversio fit. Quia prædicatio non respicit gratiam quatenus fit ex peccato, sed quatenus consequitur ad actus, quibus peccator ad recipiendum illam se disponit. Cumque hujusmodi actus non sufficiant per se ad expellendum peccatum, consequens est, ut non respiciant illud tanquam terminum *a quo* necessario destruendum per adventum termini *ad quem*. Aliunde vero prædicti actus sunt simpliciter imperfectiores his, ad quos movet prædicatio perducens justum a statu tepiditatis ad statum perfectionis, ut supra *n.* 90 explicuimus. Unde prædicatio hujusmodi est simpliciter, et attentis omnibus opus majus, et Deo gratius, quam prædicatio plures quidem peccatores convertens, sed eos tepidos, et imperfectos relinquens.

Tertium nostræ resolutionis motivum. 104. Tertia ratio, quæ ad confirmandam doctrinam nostri consectarii potest formari, est hujusmodi : nam inter causas physicas, aut etiam morales, quas Deus ordinavit ad producendum, vel augendum gratiam (cujusmodi juxta diversas sententias, sunt sacramenta) illæ quæ supponunt primam gratiam, et perficiunt eam, uti se habent Eucharistia, Confirmatio, et Ordo, sunt simpliciter perfectiores, quam Baptismus, et Pœnitentia, quæ ordinantur ad producendam primam gratiam, et ad expellendum peccatum : ergo inter causas moraliter influentes (quo pacto se habent prædicationes) illa quæ supponendo gratiam in statu remisso concurrit ad illam perficiendam, est absolute perfectior, quam illa, quæ concurrit præcise ad primo acquirendam quandam gratiam remissam ; et consequenter prædicator promovens justum tepidum ad statum perfectionis, majus quid facit, et magis Deum glorificat, quam qui plures convertit, eos tepidos, et imperfectos relinquens. Ista secunda consequentia constat ex prima, et hæc patet ex antecedenti ob paritatem rationis. Antecedens autem quantum ad sacramentum Eucharistiæ est omnino certum, et satis aperte colligitur ex his, quæ tradit Concil. Trident. Concil. Trid.
sess. 7, *can.* 3, *et sess.* 13, *c.* 3. De quo videri potest Bellarm. *lib.* 2, *de Sacramentis*, Bellarm.
cap. 28. Quod vero attinet ad ordinem, et confirmationem, est manifesta doctrina D. Thom. 3 *part. q.* 65, *art.* 3, ubi postquam D. Tho.
dixit, quod simpliciter loquendo, *Sacramentum Eucharistiæ est potissimum inter alia Sacramenta*, idque pluribus rationibus ostendit, hæc subjunxit : « Aliorum autem « sacramentorum comparatio ad invicem « potest esse multiplex. Nam in via neces« sitatis Baptismus est potissimum sacra« mentum : in via autem perfectionis sa« cramentum Ordinis. Medio autem modo

« se habet sacramentum Confirmationis. » Et de aliis sacramentis, subdit : « Sacra- « mentum vero Pœnitentiæ, et Extremæ « Unctionis sunt inferioris gradus a præ- « dictis sacramentis, quia sicut dictum est, « ordinantur ad vitam christianam, non « per se, sed quasi per accidens in reme- « dium supervenientis defectus. Inter quæ « tamen Extrema Unctio comparatur ad « Pœnitentiam, sicut Confirmatio ad Bap- « tismum; ita scilicet, quod Pœnitentia est « majoris necessitatis, sed Extrema Unctio « est majoris perfectionis. » Cui doctrinæ subscribunt Thomistæ *art. cit.* ut videri potest apud Martinez de Prado *ad illam quæst. dub.* 3, § 2.

Martinez de Prado.

Roboratur.

105. Confirmatur, et declaratur amplius, quia ita proportionabiliter comparantur inter se Baptismus, et Confirmatio, sicut inter se comparantur prædicatio convertens peccatorem, et prædicatio justum perficiens et ad sanctitatem promovens ; Baptismus enim confert primam gratiam, Confirmatio vero illam auget, et perficit : sed Confirmatio gratiam supponens, augens, et perficiens, est sacramentum nobilius, quam Baptismus primam gratiam efficiens : ergo prædicatio justum perficiens, et ad sanctitatem promovens est melior, et majoris æstimationis apud Deum, quam prædicatio convertens peccatorem ad gratiam ; et consequenter si prædicator justum ad insignem sanctitatem perducat, majus quid faciet, magisque glorificabit Deum, quam alter prædicator, qui plures peccatores convertit, sed eos tepidos, et imperfectos relinquit. Cætera constant, et minorem, in qua poterat esse difficultas, expresse docet D. Thom. tum *loco citato*, tum etiam expressius 3 *p. quæst.* 72, *art.* 11, ubi explicato, quare Sacramento Confirmationis nobilior minister, nempe Episcopus, quam Baptismo deputatur, hanc rationem assignat, quod licet sacramentum Baptismi sit efficacius ad remotionem mali, eo quod est spiritualis regeneratio, et mutatio de peccato ad gratiam, Confirmatio tamen est efficacior ad proficiendum in bono quia est quoddam spirituale augmentum de esse imperfecto ad esse perfectum, et idcirco nobiliori ministro committitur. Ita *in corp. articuli.*

D. Tho.

D. Tho. Et *in resp. ad.* 2, inquit : « Dicendum quod « sacramentum Baptismi est efficacius, « quam hoc sacramentum quantum ad re- « motionem mali, eo quod est spiritualis « generatio, quæ est mutatio de non esse « in esse. Hoc autem sacramentum est ef- « ficacius ad proficiendum in bono, quia est « quoddam spirituale augmentum de esse « imperfecto ad esse perfectum, et ideo « hoc sacramentum digniori ministro « committitur. » Et *in resp. ad* 3, addit : « Dicendum quod sicut Rabanus dicit in « lib. de institutione Clericorum, signatur « babtizatus chrismate in summitate capi- « tis per Sacerdotem, per Pontificem vero « in fronte, ut in priori unctione significe- « tur super ipsum Spiritus sancti descen- « sio ad habitationem Deo consecran- « dam, in secunda quoque, ut ejusdem « Spiritus sancti septiformis gratia cum « omni plenitudine sanctitatis, et scientiæ, « et virtutis venire in hominem declare- « tur. Non ergo propter digniorem partem, « sed propter potiorem effectum hæc unc- « tio Episcopis reservatur. » Quæ rationes vel nullius momenti sunt, vel probant majus, et melius quid esse perficere justum perducendo illum ad eximiam sanctitatem, quam peccatores convertere relinquendo eos tepidos, et remissos in justitia. In quo amplius confirmando non immoramur, quia nostram resolutionem illi, cui convincendo non sufficiunt præmissa, persuadere diffidimus.

§ X.

Occurritur objectionibus adversus doctrinam hactenus traditam.

Primum argumentum.

106. Sed contra nostras assertiones plura audimus opponi, et primo : repugnant in primis naturæ, quia in compositi naturalis constitutione, quod per formam perficitur, et consummatur, tamen productio materiæ et præstantior est, et præstantiorem et potentiorem requirit causam. Quod notissimum est etiam tyronibus Philosophiæ candidatis : cujus illa est unica ratio, quia licet materia in se imperfectissima sit, et expectet perfici per formam ; tamen quia ex nullo præsupposito, sed ex pure nihilo fit, non potest fieri, nisi ab omnipotenti causa, quam minime requirunt perfectissimæ formæ substantiales materiales.

Diluitur.

107. Respondetur hanc objectionem vel continere intolerabilem errorem, vel nullam esse contra corollaria nostra. Nam vel discrimen constituit inter materiam, et formam penes hoc, quod productio formæ materialis nullum requirit influxum causæ omnipotentis

omnipotentis, quem tamen productio materiæ necessario postulat. Et hunc sensum sonant verba illa : *quam* (videlicet causam omnipotentem) *minime requirunt perfectissimæ formæ substantiales materiales.* Sed est intolerabilis Manichæorum, et aliorum hæreticorum error, cujus meminit D. Thom. 1 *part. quæst.* 65, *artic.* 1, et aliis locis ibi in margine citatis. Vel discrimen stat in hoc, quod licet tam formæ, quam materia ad sui productionem requirant influxum primæ causæ omnipotentis ; nihilominus productio formæ una cum hoc influxu causæ primæ admittit concursum causæ creatæ, quam non admittit materia ; quia illa potest fieri per eductionem ex præsupposito subjecto, materia vero solum per creationem ex nihilo, et creatura solum potest agere ex subjecto præsupposito. Et in hoc sensu, qui dumtaxat potest ab Adversario intendi, objectio est prorsus inefficax. Nam ex eo, quod forma admittat concursum utriusque causæ, primæ videlicet, et secundæ ; materia vero unius tantum, scilicet primæ, quo pacto inferri potest productionem materiæ esse præstantiorem, et exigere nobiliorem causam ? Præsertim cum materia non terminet per se actionem, sed fiat ad productionem compositi, et formæ, sub qua, et per quam participat existentiam, ut docent communiter Thomistæ. Et rursum, dato quod materia, et forma fierent per distinctas, et partiales Dei actiones ; et dato etiam, quod productio materiæ esset perfectior, quam productio formæ, quid inde, ut colligatur productionem gratiæ esse nobiliorem, quam augmenti ejusdem productio ? Nam ratio, quam Adversarius assumit, ut judicet productionem materiæ præcellere, innititur in eo, quod est creatio extrahens materiam ex nihilo. Ea vero in præsenti locum non habet, quia gratia non fit ex nihilo, sed ex subjecto præsupposito, sicut et ejus augmentum : unde actio gratiam producens ex vi modi attingendi terminum, non habet in quo excedat actionem, per quam eadem gratia perficitur. Aliunde vero habet in quo excedatur, ut supra ostendimus, et præcipue *num.* 93 *et* 101.

108. Addimus objectum directum, et immediatum prædicationis non esse gratiam, nec augmentum ipsius ; sed actus quibus auditores se disponunt ad suscipiendam gratiam, et ejus augmentum, ut supra *num.* 86 declaravimus. Actus autem disponentes ad augmentum gratiæ sunt simpliciter perfectiores, quam actus qui sufficiunt ad primam gratiæ infusionem, ut constat ex ibidem dictis, et *numero* 90, cum sequentibus. Unde prædicatio promovens justum tepidum ad perfectionem habet excellentius objectum, quam prædicatio convertens peccatorem ad justitiam ; et aliunde non est inferior in modo attingendi terminum, siquidem neutra illum physice producit, sed utraque concurrit ad eum moraliter, scilicet consiliando, et exhortando. Atque ideo oportet, quod prædicatio justum perficiens sit absolute perfectior. Præsertim cum eo ipso habeat, quantum est de se, vim ad causandam eodem influxu primam gratiam, si non supponeretur producta, ut supra *numero* 101 explicuimus. Actio autem creata formam substantialem educens caret virtute ad producendam materiam, quocirca ex vi hujus productionis materiæ cedit.

Secundum argumentum.

109. Objicitur secundo : repugnant item propositiones illæ arti, quando magnorum artificum manus circa primam delineationem imaginis, vel statuæ versatur, quæ a magnis artificibus delineatæ traduntur ministris, a quibus perficiantur. In quo fundatur illud vulgo tritum : *Facile est inventis addere.*

Dissolvitur.

Respondetur eum, qui ita objicit D. Thom. 3 *part. quæst.* 72, *art.* 11, ubi inquit : D. Tho. « Dicendum quod in quolibet opere ultima « consummatio supremæ arti, aut virtuti « reservatur : sicut præparatio materiæ « pertinet ad inferiores artifices, superior « autem dat formam. » Ubi satis aperte tradit, quod in artificibus perfectio, et consummatio operis, puta imaginis, aut statuæ, ad supremum spectat artificem, ad cujus tamen inchoationem inferiores sufficiunt. Ex quo principio colligit, sacramento Confirmationis, quod ordinatur ad augendam, et perficiendam gratiam, deputari nobiliorem ministrum, quam sacramento Baptismi, quod ordinatur ad primam gratiæ productionem, ut fusius *num.* 105 vidimus ex S. Doctore. Unde objectio in suum Authorem retorquenda est.

Sed respondetur secundo, quod in artificialibus non solum integrum artefactum, sed unaquæque ejus pars admittit gradus perfectionis, et imperfectionis, potestque fieri perfecte, vel imperfecte. Unde et ipsa prima delineamenta ad imaginem efformandam extendi possunt utroque modo,

vel perfecto, vel imperfecto. Et quidem si perfecte, omnino requirunt operam insignis artificis, non propter id, quod ibi est inchoationis, et initii ; sed propter illud, quod est eximiæ perfectionis. Si autem imperfecte extendenda sunt, sufficit ad illa artifex imperfectus. Et sic de reliquis partibus artefacti, usquedum totum construatur. Ex quo manifeste infertur, quod universaliter loquendo, ad exequendum opus perfectum, sive illud sit totum, sive pars, requiritur causa perfecta ; ad exequendum vero imperfectum sufficit imperfecta. Quando vero perfectus artifex imaginem a se delineatam tradit tyroni continuandam, nequaquam id soli ejus industriæ committit, sed ipse artifex præstat quoque suum influxum instruendo, et dirigendo tyronem, insuperque manum ultimam sibi reservat, alias imago haud perfecta evadit. Quod satis declarat majus quid esse operis consummationem, quam initium. Nec tritum illud proloquium habet locum in præsenti, cum juxta Patrum sententiam, quos *a numero* 96 dedimus, difficilius sit justum a statu tepiditatis perduci ad perfectionem, quam impium moveri a peccato ad justitiam imperfectam, et remissam.

Tertium argumentum.

110. Objicitur tertio : « Rursus repugnant « gratiæ ; in ordine namque gratiæ diffi- « cillimum opus est, et infinitam virtutem « requirens, quod quis a peccato lethali « eruatur. Ad hoc enim necessaria fuit « Dei incarnatio, cum nulla creatura pos- « set nos a peccato liberare, quæ sane « posset sibi acquirere augmentum gra- « tiæ. »

Dirimitur.

Respondetur hanc objectionem petere principium, et esse extra rem. Nam cum dicitur, difficillimum opus esse, quod quis a peccato lethali eruatur, aut intelligitur respectu Dei, cujus est gratiam peccati expulsivam infundere ; aut respectu ipsius peccatoris, ad quem nihil aliud spectat, quam se ad talem gratiam præparare ? Si *primum* (præterquam quod falso asseritur, Deo quippe, supposita voluntate condonandi offensam, difficilius non est infundere primam gratiam, quam infusam augere) proculdubio est extra rem. Quia ut diximus *numero* 100, prædicatio non dirigitur ad movendum Deum, ut gratiam infundat, vel augeat ; sed ad movendum audientem, ut ad illam se disponat. Atque ideo prædicationis perfectio, vel difficultas non est regulanda penes difficultatem, quam Deus superat destruendo peccatum, et gratiam infundendo, vel augendo ; sed penes illam, quam homo vincit se disponendo. Si *secundum*, petit principium, quia supponit probandum, nimirum difficilius esse homini disponere se ad primam gratiam remissam, quam ad eximium gratiæ incrementum. Oppositum autem satis constat ex dictis *a numero* 100.

Quod additur de necessitate Incarnationis, nullius momenti est, quia si loquamur de facto, tam prima gratia, quam ejus augmentum conferuntur nobis virtute meritorum Christi Domini, per quem habemus omnem gratiam, sive justificationis, sive meriti. Unde hoc modo loquendo, ad utrumque fuit necessaria Incarnatio. Si vero loquamur de possibili, ad neutrum fuit simpliciter necessaria, sed potuit Deus ex sola sua misericordia largiri peccatoribus primam gratiam, et condonare offensam sine ulla satisfactione ; sicut potest independenter a merito alicujus conferre justificatis auxilia ad merendum, et augescendam gratiam.

Quartum argumentum.

111. Objicitur quarto : insuper repugnat Scripturæ, quæ præcellentiores viros deputat hominibus convertendis a peccatis ; perficiendos autem in fide, sive in gratia, ministris illorum tradit. Sic *ad Titum cap.* 1, ait Paulus : *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas, et constituas per civitates presbyteros.* Hæc enim erat Apostolorum consuetudo, ut ipsi gentium, populorumve conversioni intendentes peragrarent provincias, constituentes Presbyteros, et Episcopos, qui vacarent conversis, ut eos perficerent. Una enim erat Apostolico cordi præcipua cura, nimirum conversio mundi, cui ut vacarent, non immorabantur in singulis perficiendis, sed hos tradebant ministris.

Eliditur.

Respondetur, quod ut hæc objectio esset ad rem, et concluderet, probandum erat ab objiciente, vel quod Apostoli ex vi suæ prædicationis non convertebant homines, nisi ad gratiam remissam ; vel quod a se conversos perficiendos tradebant prædicatoribus imperfectis. Quorum utrumque est valde falsum, et absurdum. Nam prædicatio illa Apostolorum, utpote ferventissima, et Apostolicæ vitæ exemplo conjuncta, ducebat efficacissime homines, quantum est de se, ad eximium sanctitatis gradum, in illumque de facto innumeros perduxit, ut est per se notum. Quod autem alii ex auditoribus

toribus imperfecti remanserint, ipsorum culpa in causa fuit, non defectus aliquis Apostolicæ prædicationis. Et rursus pro hujusmodi, qui imperfecti manebant, perficiendis constituebant Apostoli in sua absentia prædicatores perfectissimos, et sanctissimos, ut Dionysium, Timotheum, Titum, Clementem, et alios ipsorum Apostolorum imitatores egregios. Quinimo quos semel conversos præsentes Apostoli perficere non poterant, per litteras instruebant, summopere curantes eos ad statum perfectionis perducere, ut constat ex epistolis Petri, Pauli, Joannis, et aliorum, quarum doctrina potissimum deservit ad promovendum in Ecclesia, suadendamque fidelibus jam conversis Evangelicam perfectionem. Non ergo Apostolico cordi hæc una, vel principalis cura fuit, ut homines præcise utcumque converterent, imo potius ut ad sanctitatem traherent, et in statu egregiæ perfectionis constituerent.

Quintum argumentum. Origen.

112. Opponuntur insuper quædam Patrum testimonia; sed quam ad rem, Lector judicet. Primum est Origenis lib. 2, contra Celsum: « Moyses siquidem, qui ex gente « Abrahæ essent, et ejus semine oriundi, « et ex successione circuncisionem servarent, et Abrahæ gentium essent æmulatores effecti, ubi volentes, et promptiores « accepit, ex Ægypto eduxit, divinis impositis, quibus crediderant, legibus. At « Jesus longe majus aliquid ausus superinduxit pristinæ vitæ consuetudine captis, « patriisque moribus, et suis legibus assuetis Evangelicam vitam. » Quibus verbis, inquit objiciens, Domini Jesu virtutem, et potentiam supra Moysem elevat, quod Moyses leges dedit populis jam fidelibus; Jesus autem totam religionem plantavit a fundamentis in illis, qui penitus prophani erant. Expende illud (prosequitur) *At Jesus longe majus aliquid ausus superinduxit, etc.* Sapientissime namque putat, longe majus esse vitam Evangelicam superinducere iis, qui contrariis, et inveteratis moribus erant assueti, quam perfectionem legis indere jam fidelibus, et ad virtutem propensis.

Diluitur.

Respondetur mirum esse, quod Adversarius opponat nobis hoc testimonium, cum illud nostram sententiam satis evidenter confirmet. In eo quippe Origenes Christum Dominum exaltat supra Moysem, quatenus hic filios Israel successores, et æmulatores Abrahæ solum duxit ad observantiam legis scriptæ, quæ ut constat, erat lex imperfecta; Christus autem superinduxit legem Evangelicam, quæ est perfectissima. Juxta quam doctrinam is qui ad perfectum ducit, est sine contradictione præferendus aliis, qui convertunt ad gratiam imperfectam. Quod affirmamus, dum dicimus prædicatorem, qui aliquem sive a statu peccati, sive a statu gratiæ imperfectæ perducit ad egregiam sanctitatem, majus quid facere, et magis Deum glorificare, quam prædicator alius plures peccatores ad gratiam remissam, et imperfectam convertens. In quo igitur Origenis testimonium nobis repugnat, aut non omnino conformatur? Quove pacto favet Adversario qui prædicatorem extrahentem hominem a peccato in gratiam præfert ei, qui illum a statu imperfecto ad culmen sanctitatis perducit? Nisi (quod minime credimus) ille sentiat Christum sua doctrina traxisse duntaxat homines a peccato ad statum imperfectum, Moysem vero suis præceptis a gratia imperfecta ad perfectionem duxisse. Hac quippe via, et non alia, ex vi prædicti testimonii exaltare poterit, et cum Christo conferre suum illum prædicatorem convertentem a peccato, relinquentemque conversos tepidos, et remissos; nostrum vero perducentem ad perfectionem postponere, et Moysi assimilare.

113. Vel interrogemus eum, quisnam homines ad statum perfectiorem evexit, Christusne superinducendo Mosaicæ legi legem Evangelicam; an Moyses legem illam primo tradendo? Si Moysem dicat, audient Judæi, et gaudebunt; sed Christiani omnes blasphemiam judicabunt. Si fateatur Christum, quonam pacto assimilabit ipsi prædicatorem, qui ex vi suæ prædicationis non ducit homines ultra statum gratiæ remissæ? Moysi vero assimilat illum, qui evehit ad præstantissimam gratiam, et inducit ad statum perfectionis? Sinistre autem commentatur verba Origenis, quasi sonent Christum superinduxisse vitam Evangelicam Gentilibus, infidelibus, et prophanis; Moysem vero dedisse legem Judæis fidelibus, et justis. Hæc enim interpretatio commentitia est, et exulat ab Origene, quia mentionem non facit infidelium, et prophanorum, sed utrobique loquitur in ordine ad Judæos, quibus servantibus ex traditione Abrahæ circumcisionem Moyses dedit cæremonias, et præcepta legis; servantibus vero jam ex præscripto Moysis legem, et cæremonias, Christus legem Evan-

gelicam superinduxit. Quam intelligentiam facillime quis deprehendet consulendo textum, ubi post verba adducta (quæ in editione, quam habemus, satis diversa sunt) Origen. immediate subdit : « Et quemadmodum « ut Moyses crederetur a Senatu, populo- « que Judæorum, signis opus erat, et pro- « digiis, quæ in Scripturis habentur ; ita « quid mirum, si Jesu fuit eis opus ad pa- « trandam fidem apud populum assuetum « talia postulare, etc. » Ex quo fit, ut neque omnes, quibus Moyses legem dedit, fuerint justi, et ad virtutem propensi, sed plures peccatores : neque omnes, quibus Christus superinduxit vitam Evangelicam, fuerint infideles, et peccatores ; sed non pauci justi, et ad virtutem propensi. Et quoniam tota argumenti structura huic discrimini innitebatur, necesse est quod eo ruente, et sublato, corruat. Et eodem modo respondetur ad aliud testimonium Ruperti, quod vel nullo modo (ut verosimilius est) rem præsentem attingit, vel habet eundem sensum.

Sextum argumentum. D. Amb. 114. Opponitur præterea D. Ambrosius *lib. de Paradiso, cap.* 10, ubi *expendens* (inquit objiciens) quod Deus dixerit, non esse bonum hominem esse solum, cum viderit societatis damna jam imminentia, sic includit : « Quia ex viro solo non poterat « humani esse generis propagatio, pronun- « tiavit Dominus non esse bonum solum « hominem. Maluit enim Deus plures esse, « quos salvos facere posset, et quibus do- « naret peccatum, quam unum solum « Adam, qui liber esset a culpa. »

Enervatur. Respondetur, quod ut iste locus esset ad rem, opus erat, quod Adamus ante lapsum fuisset perfectior et seipso post ruinam, et aliis omnibus ab eo processuris, quorum causa peccatum ejus dicitur permissum. Cum enim doctrina nostra unum justum perfectum pluribus justis imperfectis præferat, si vel unus ille perfectus non fuerit, vel isti omnes non fuerint imperfecti, nequaquam adest casus præsentis quæstionis. At D. Ambrosius comparat Adamum ante lapsum cum omnibus hominibus, qui mediante ipsius matrimonio cum Eva, et præviso peccato originali prædestinati sunt. Cum ergo horum plures, ut Apostoli, Magnus Elias, Joannes Baptista, Sanctissimus Joseph, et præ cunctis Virgo Deipara sanctitatem Adami ante lapsum superaverint, imo et ipse Adamus sanctior fuerit post ruinam ; non mirum si Deus tam uberem sanctitatem futuram prætulerit Adami innocentiæ, et quod hujusmodi occasione ruinam a prima gratia permiserit. Non quidem ob hoc solum, ut condonaret offensam, erueretque homines a peccato post qualemcunque gratiam ; sed potissimum ut ad ingentem cumulum gratiæ intensioris, quam in Adamo præcesserat, plurimos elevaret.

Septimum argumentum. Gregor. Nazianz. 115. Deinde opponitur testimonium D. Gregorii Nazianz. *orat.* 33, ubi de suo populo quondam parvo, tunc vero magno ita loquitur : « Talis quondam hic grex erat, « talisque rursus nunc, tamque succulen- « tus, lateque se porrigens, ac si nondum « perfectionem assequutus, ad eam tamen « quotidianis incrementis progrediens, at- « que etiam, ut auguror, progressurus. « Multo enim mirabilius est, quod ex tan- « tillo ad tantam magnitudinem pervene- « rit, quam ut ex eo statu, quo nunc est, « ad summum splendoris, gloriæque gra- « dum provehatur. » Quo testimonio convinci existimat arguens, « plus esse unum « a peccato ad gratiam trahere, quam « unum a gratia ad majorem gratiam de- « ducere. »

Solvitur Respondetur, quod ut testimonium istud externa saltem specie contrariæ sententiæ faveret, oportebat Nazianzenum, dum populum suum exiguum, et tantillum appellavit, loqui de illo existente in peccato mortali ; et dum dicit pervenisse ad magnitudinem, perventurumque ad summum gradum splendoris, loqui de perfectione sanctitatis, et gratiæ, alias locus erit omnino extra rem. Sed hunc sensum alienum prorsus esse a mente S. Doctoris, liquet ex toto ejus contextu. Dicit enim, populum illum exiguum, et parvum, quantum oculorum sensu judicari poterat, fuisse magnum, et pinguem apud eum, qui abscondita intuetur, nempe apud Deum ; atque ideo non loquitur de illo prout in peccato existente. Parvitas ergo illa intelligitur quantum ad numerum personarum, quia in principio propter persequutionem Juliani dispersi fuerant fideles, et pauci Catholici permanserant. Postmodum vero ejusdem Nazianzeni cura, et solicitudine crevit Catholicorum numerus, sed non adhuc pervenerat ad ultimum multitudinis gradum. Nam superarant aliqui pauci hæretici, et infideles, qui tamen adhibito studio poterant ad gremium Catholicorum reduci. Unde populus ille ad summum splendoris, et gloriæ gradum valebat ascendere, ut videlicet ex omni

parte

parte Catholicus, et undequaque fidelis existeret. Hic est legitimus Nazianzeni sensus, ut legenti constabit ; ex quo tamen nihil contra nostram resolutionem potest vel apparenter opponi.

avum gu- ntum. 116. Tandem opponitur contradictio sententiæ nostræ. Implicatio enim est, inquit ille, quod ubi plures convertuntur, omnes tepidi, et imperfecti maneant, et quod in plurium conversione non exurgant ordinarie plures virtutum segetes, et gratiæ, quam in unius disciplina. Nec qui pluribus convertendis dat operam, id intendit, ut illi imperfecti maneant ; sed magis ut conversi sancti sint, sicut Pater cœlestis perfectus est. Quod autem tepidi, et imperfecti maneant, id præter intentionem est prædicantis, nec ejus dedecorat facinus. Sicut ubi quis dat operam perficiendæ rei uni soli, potest fieri, ut illa non prorsus perficiatur ; non tamen id derogat magistri conamini. Et quidem facilius contingere potest, quod respectu perficiendæ unius animæ, oleum, et opera perdatur, quam respectu plurium convertentium se ad gratiam.

irui- ur. Respondetur hunc discursum procedere ex non intelligentia præsentis quæstionis, ac propositionis a nobis assertæ ; et dilui ex dictis *num.* 90. Non enim consideramus, quid prædicator intendat, aut non ; sed attendimus ad effectum quem, quantum est de se, infert et vitæ exemplo, et qualitate perfectæ doctrinæ, ac verborum efficacia. Quo pacto prædicatio unum inducens ad egregiam sanctitatem, plurimos alios, quantum est de se, ad eundem gradum perduceret : prædicatio autem, quæ plurimos ad justitiam remissam convertit, solum est apta alios convertere ad similem vitæ modum, tepidum videlicet, et imperfectum, ut satis constat ex dictis loco citato, et magis constabit ex infra dicendis.

§ XI.

Quæstionis incidentis decisio.

bium scu- en- um. 117. Cum tam sæpe dixerimus, melius esse unum aliquem ad perfectionem sanctitatis perducere, quam plures convertere ad justitiam tepidam, et remissam ; statim animum pulsat desiderium sciendi, in quo consistat perfectio ? Parum quippe referret præmissa resolutio, si objectum quod attingit, omnino lateret. In eo autem describendo latissimam possemus texere disputationem ob divitem materiæ venam ; sed brevius procedemus : tum quia necessaria queunt ita perstringi, et tradi : tum quia hæc consideratio magis pertinet ad tractatum de Religione. Convenit ergo inter omnes, perfectionem vitæ Christianæ consistere essentialiter in charitate, ut tradit, et probat D. Thom, infra *q.* 184, *art.* 1, his verbis : « Unumquodque dicitur esse per- « fectum, in quantum attingit proprium fi- « nem, qui est ultima rei perfectio. Chari- « tas autem est, quæ unit nos Deo, qui est « ultimus finis humanæ mentis, quia qui « manet in charitate, in Deo manet, et « Deus in eo, ut dicitur 1 Joan. 4. Et ideo « secundum charitatem specialiter atten- « ditur perfectio vitæ Christianæ. » Ubi bene observat Cajetanus, « quod pluries in « eo articulo replicatur ly specialiter, di- « cendo in charitate specialiter consistere « perfectionem, seu vitam christianam. Et « secundum veritatem deberet dici subs- « tantialiter, quoniam hoc manifeste in- « tendit author, et propterea corrigendi « videntur codices. Apparet autem hoc ex « responsione ad 2, ubi manifeste distin- « guitur natura contra accidentia. Natura « autem, essentia, et substantia idem sunt « in proposito. Apparet quoque ex artic. 3, « ubi clare distinguitur perfectio essentia- « liter contra accidentaliter ; et expresse « subditur, quod essentialiter consistit in « charitate. »

D. Tho. Perfectio consistit in charitate.

118. Qualiter autem charitas in hac vita habeat perfectionem, explicat S. Doctor *loco citato, art. seq.* ubi ait : « Perfectio « vitæ Christianæ in charitate consistit. « Importat autem perfectio quandam uni- « versitatem, quia ut dicitur in 3 Physic. « perfectum est, cui nihil deest. Potest « ergo triplex perfectio considerari. Una « quidem absoluta, quæ attenditur non so- « lum secundum totalitatem ex parte dili- « gentis, sed etiam ex parte diligibilis, « prout scilicet Deus tantum diligitur, « quantum diligibilis est. Et talis perfectio « non est possibilis alicui creaturæ, sed « competit soli Deo, in quo bonum inte- « graliter, et essentialiter invenitur. Alia « autem est perfectio, quæ attenditur se- « cundum totalitatem absolutam ex parte « diligentis, prout scilicet affectus secun- « dum totum suum posse semper actualiter « tendit in Deum. Et talis perfectio non est « possibilis in via, sed erit in patria. Ter- « tia autem est perfectio, quæ neque atten-

Et qua ratione. D. Tho.

« ditur secundum totalitatem ex parte di-
« ligibilis, neque secundum totalitatem ex
« parte diligentis, quantum ad hoc, quod
« semper actu feratur in Deum, sed quan-
« tum ad hoc, quod excludantur ea, quæ
« repugnant motui dilectionis in Deum,
« sicut August. dicit in lib. 83 quæst. quod
« venenum charitatis est cupiditas ; perfec-
« tio nulla cupiditas. Et talis perfectio
« potest in hac vita haberi, et hoc dupliciter. Uno modo, in quantum ab affectu
« hominis excluditur omne illud, quod
« contrariatur charitati, sicut est peccatum
« mortale ; et sine tali perfectione charitas
« esse non potest, unde est de necessitate
« salutis. Alio modo in quantum ab affectu
« hominis excluditur non solum illud,
« quod est charitati contrarium, sed etiam
« omne illud, quod impedit, ne affectus
« mentis totaliter dirigatur ad Deum, sine
« qua perfectione charitas esse potest, puta
« in incipientibus, et proficientibus. »
Quibus distinctionibus, et diversis perfectionis modis optime conciliantur diversa Scripturæ loca, nam in aliquibus videtur negari perfectio in hac vita, ut ad Philip. 3 : *Non quod jam acceperim, aut perfectus sim.* Et 1, ad Corinth. 13 : *Cum venerit quod perfectum.* Sed ista loquuntur de perfectione charitatis secundum totalitatem absolutam ex parte diligentis. Alia vero significant omnes justos esse perfectos, ut 1 Joan. 2 : *Qui servat verbum ejus, in hoc charitas Dei perfecta est.* Et hæc agunt de perfectione charitatis quantum ad exclusionem eorum, quæ charitati contrariantur. Alia denique exhortantur ad perfectionem tanquam ad singularem quorundam justorum gradum, ut Matth. 19 : *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes, etc.* Et in istis sermo fit de charitatis perfectione quantum ad exclusionem non solum peccati gravis, sed etiam eorum, quæ divertunt, ne mens in Deum feratur, et illi adhæreat pro modo, et conditione hujus vitæ. Et licet hæ duæ posteriores perfectiones, si cum priori conferantur, sint tales secundum quid, et valeant imperfectiones vocari ; absolute tamen sunt perfectiones, quia quælibet in suo ordine totalitatem, et complementum importat pro qualitate vitæ præsentis.

1 Cor. 13.

1 Joan.

Matth. 19.

Consilia pertinent ad perfectionem.

119. Cum ergo inquirimus, in quo consistat perfectio ? Loquimur de perfectione sanctitatis nobis possibili pro statu præsentis vitæ, prout importat eximium, et peculiarem justitiæ gradum non omnibus justis communem, sed illis tantum, qui excludunt non solum charitati contraria, verum ea etiam, quæ licet contraria non sint, ejus tamen fervorem impediunt, quatenus mentem divertunt, ne Deo per amorem cohæreat. Pro qua totali hujusmodi impedimentorum remotione, et perfecta ad Deum inhæsione deservit divinorum consiliorum observatio, ut recte tradit D. Thom. *quæst. cit. artic.* 3, ubi postquam statuit perfectionem substantialem vitæ Christianæ (sine qua scilicet nec vita gratiæ, nec charitas conservari valet) consistere in observantia præceptorum, et præcipue illorum, quæ imperant dilectionem Dei propter seipsum, et dilectionem proximi propter Deum, subjunxit : « Secundario autem, et instrumen-
« taliter perfectio consistit in consiliis :
« quæ omnia, sicut et præcepta, ordinantur
« ad charitatem, sed aliter, et aliter. Nam
« præcepta alia a præceptis charitatis or-
« dinantur ad removendum ea, quæ sunt
« charitati contraria, cum quibus scilicet
« charitas esse non potest : consilia autem
« ordinantur ad removendum impedi-
« menta actus charitatis, quæ tamen cha-
« ritati non contrariantur : sicut est matri-
« monium, occupatio negotiorum sæcula-
« rium, et alia hujusmodi. Unde August.
« dicit in Enchirid. Quæcumque mandat
« Deus, ex quibus unum est : Non mœcha-
« beris ; et quæcumque non jubentur, sed
« speciali consilio monentur, ex quibus
« unum est : Bonum est homini mulierem
« non tangere, tunc recte fiunt, cum refe-
« runtur ad diligendum Deum, et proxi-
« mum propter Deum, et in hoc sæculo, et
« in futuro. Et inde est, quod in collationi-
« bus Patrum dicit Abbas Moyses : Jejunia,
« vigiliæ, meditatio Scripturarum, nudi-
« tas, ac privatio omnium facultatum, non
« perfectio, sed instrumenta perfectionis
« sunt ; quia non in ipsis consistit disci-
« plinæ illius finis, sed per illa pervenitur
« ad finem. » Et supra præmisit, *quod ad perfectionem charitatis istis gradibus ascendere nitimur.* Qualiter autem hæc consiliorum observatio importet peculiarem perfectionis gradum, addatque singulare augmentum supra specificam, et essentialem charitatis perfectionem omnibus justis communem, egregie declarat S. Doctor ibidem *in resp. ad* 3, his verbis : « Dicendum,
« quod sicut homo habet quandam perfec-
« tionem suæ naturæ statim cum nascitur,
« quæ pertinet ad rationem speciei ; est autem

D. Tho.

D. Tho.

« autem alia perfectio, ad quam per aug-
« mentum adducitur. Ita etiam est quædam
« perfectio charitatis pertinens ad ipsam
« speciem charitatis, ut scilicet Deus super
« omnia diligatur, et nihil contra eum
« ametur. Est autem alia perfectio chari-
« tatis etiam in hac vita, ad quam aliquis
« per aliquod spirituale augmentum per-
« venit, utputa cum homo etiam a rebus
« licitis abstinet, ut liberius divinis obse-
« quiis vacet. » Quod fit observando consilia. Unde sequitur perfectionem sanctitatis non præcise essentialem, sed majorem etiam, et in hac vita possibilem, complecti non tantum præceptorum, sed insuper consiliorum observantiam, et absque illa non dari.

Nota. Tho. 120. Circa quod observandum est ex eodem S. Doctore *quæst. cit. art.* 4, quod *aliquem esse perfectum*, non coincidit cum hoc, quod est *aliquem esse in statu perfectionis*. Sicut etiam, *aliquem non esse in statu perfectionis*, minime coincidit cum hoc, quod est *aliquem non esse perfectum*, et e converso. Nam fieri valet, quod existens in statu perfectionis non sit perfectus, et quod non existens in statu perfectionis, perfectus sit, Tho. ut ibidem probat D. Thom. in argumento *Sed contra*. Status enim ex generali ratione importat immobilitatem, et firmitatem quandam in aliqua conditione personali, Tho. ut ostendit idem D. Thom. *q.* 183, *art.* 1. Et sunt personæ aliquæ, quæ vel ex voto, vel ex officio ad perfectionem obligantur, quæ proinde dicuntur esse in statu perfectionis, ut de Religiosis, et Episcopis probat Tho. D. Thom. *art.* 5, et 6, *q.* 184. Econtra vero fieri valet, ut licet quis perfectioni, sive consiliorum obligationi vacet, ad id tamen nec ex voto, nec ex officio obligetur, et consequenter non sit in statu perfectionis, ut patet in laicis. Contingit autem, inquit Tho. S. Doctor art. 4, cit. « quod aliqui se obli-
« gant ad id, quod non servant, et aliqui
« implent id, ad quod se non obligaverunt,
« ut patet *Matth.* 21, de duobus filiis, quo-
« rum unus patri dicenti, Operare in vi-
« nea, respondit, Nolo, et postea abiit:
« alter autem respondens ait, Eo, et non
« ivit. Et ideo nihil prohibet aliquos esse
« perfectos, qui non sunt in statu perfec-
« tionis; et aliquos esse in statu perfec-
« tionis, qui tamen non sunt perfecti. »

atus estio- is. 121. Ex iis satis constat, quid nomine *perfectionis* significatur, observantia videlicet præceptorum, et consiliorum; abstrahendo tamen ab statu sive obligatione illam prosequendi. Verum enimvero cum perfectio habeat latitudinem, possitque esse major, aut minor secundum inæqualem modum adhibendi media ad illam deservientia; adhuc dubitari potest, quid significetur nomine insignis perfectionis, sive egregiæ sanctitatis, qualem eam diximus, ad quam viri Apostolici solent auditores excitare? Cui quæsito aliqui respondent, prædictam perfectionem, supposito Dei amore, consistere in dilectione proximi, quæ explicatur per animarum zelum, prædicationem, doctrinam, conversionem peccatorum, et alia hujusmodi. Et ex hac radice colligunt inæqualem Religionum perfectionem, ut illa dicatur perfectior, quæ animarum zelo, et peccatorum conversioni, atque fidelium instructioni plus incumbit. Ita post alios Joannes Eusebius Nieremb. *in doctrinis Ascetic. lib.* 1, *doct.* 5, per plura capita, ut constat ex eorum titulis. Nam sic se habet 38 : « Cæteras virtu-
« tes vincit zelus animarum. 39. Zelus
« animarum juxta sanctos Patres superat
« aliarum virtutum actus, abstinentias,
« asperitates, et pœnitentias. 40. Studium
« juvandi proximum superat omnes virtu-
« tes morales, et præstantissima virtutis
« religionis opera. 41. Studium, et labor
« juvandi salutem proximorum excedit
« contemplationem. 45. Studium conver-
« tendi animas non solum cæterarum vir-
« tutum opera, sed alia charitatis opera
« etiam spiritualia excedit. 46. Nihil Deo
« gratius animarum zelo. 48. Summus
« gradus religiosæ vitæ est in animarum
« salute occupari docendo, et prædicando,
« quod perfectius est, quam vita mere con-
« templativa, etc. » Quæ excerpta dicit ex doctissimo Patre Suarez *in* 3 *parte*.

Qualiter aliqui explicent perfectionem. Joan. Euseb. Nieremberg. Suar.

122. Cæterum hæc dimetiendi perfectionem regula, licet verum ex parte contineat, nihilominus prout præsenti materiæ applicatur, est diminuta, deceptoria, et insufficiens. Continet quidem verum ex parte, quia animarum zelus magnum indicium est sanctitatis, et perfectionem communiter comitari solet, ut late probat prædictus Author. Sed quod ea regula habeat alios defectus a nobis descriptos, facile ostenditur.

Prædicta regula non approbatur.

Nam in primis etsi procurare aliorum salutem sit opus valde bonum, attamen melius est incumbere soli propriæ perfectioni, quam aliorum saluti, quando quis

Detegitur ejus insufficientia.

aliorum bonum procurando subiret detrimentum majoris perfectionis propriæ. Et ideo melius est, quod quis totaliter, et perfecte suæ saluti intendat, quam quod aliorum salutem procuret cum aliquo detrimento propriæ perfectionis, ut expresse
D. Tho. resolvit D. Thom. *quodlibet.* 3, *quæst.* 7, *articulo* 17 *ad* 6, his verbis : « Etsi procu-
« rare salutem aliorum sit majus, quam
« intendere sibi soli, loquendo in genere ;
« tamen non quocumque modo intendere
« saluti aliorum præfertur ei, quod est
« quocumque modo intendere suæ saluti.
« Si enim aliquis totaliter, et perfecte in-
« tendit suæ saluti, multo majus est, quam
« si aliquis multa particularia opera agat
« ad aliorum salutem, si saluti propriæ,
« etsi sufficienter, non tamen perfecte in-
« tendat. » Juxta quam doctrinam idem
D. Tho D. Thom. *in hac* 2, 2, *quæst.* 182, *artic.* 2 *ad* 1, resolvit : « Labor exterior (qui utplu-
« rimum occurrit in animarum salute pro-
« curanda) toleratus propter Christum, est
« quoddam signum charitatis. Sed multo
« expressius ejus signum est, quod aliquis,
« prætermissis omnibus, quæ ad hanc vi-
« tam pertinent, soli divinæ contempla-
« tioni vacare delectetur. » Et in resp. ad
3, inquit : « Quanto homo animam suam,
« vel alterius propinquius Deo conjungit,
« tanto sacrificium est Deo magis acceptum.
« Unde magis acceptum est Deo, quod ali-
« quis Deo animam suam, et aliorum ap-
« plicet contemplationi, quam actioni. Per
« hoc ergo, quod dicitur, quod nullum sa-
« crificium est Deo magis acceptum, quam
« zelus animarum, non præfertur meri-
« tum vitæ activæ merito vitæ contempla-
« tivæ ; sed ostenditur magis esse merito-
« rium, si quis offerat Deo animam suam,
« et aliorum, quam quæcumque alia exte-
« riora dona. »

Aperitur amplius defectus.

123. Præterea licet zelus animarum sit majus bonum, quam abstinentia, nuditas, pœnitentia, et omnes asperitates corporales, si solitarie, et secundum se considerentur ; nihilominus zelus animarum conjunctus pœnitentiæ, jejunio, et asperitatibus corporalibus est opus melius, et majus, quam zelus animarum sine pœnitentia, et asperitatibus corporalibus : unde insufficienter explicatur major perfectio per zelum animarum præcisive sumptum. Quod explicari valet exemplo desumpto ex D.
D. Tho. Thom. *in hac* 2, 2, *quæst.* 27, *art.* 8, ubi inquirit : *Utrum sit magis meritorium diligere proximum, quam diligere Deum ?* Ubi sermonem facit de dilectione actuali, sive de actu amoris : tum quia meritum non consistit in habitu, sed in actibus : tum quia si quæstio referretur ad habitum, non haberet locum, quippe eodem habitu charitatis diligimus Deum, et proximum. Ad eam ergo quæstionem sic respondet S. Doc- D. Tho.
tor : « Dicendum quod comparatio ista po-
« test intelligi dupliciter. Uno modo ut
« seorsim consideretur utraque dilectio ;
« et tunc non est dubium, quin dilectio Dei
« est magis meritoria. Debetur enim ei
« merces propter se ipsam, quia ultima
« merces est frui Deo, in quem tendit di-
« vinæ dilectionis motus. Unde et diligenti
« Deum merces promittitur, Joan. 14 : Si
« quis diligit me, diligetur a Patre meo,
« et manifestabo ei meipsum. Alio modo
« potest attendi ipsa comparatio, ut dilec-
« tio Dei accipiatur secundum quod solus
« diligitur ; dilectio autem proximi acci-
« piatur, secundum quod proximus diligi-
« tur propter Deum. Et sic dilectio proximi
« includit dilectionem Dei, sed dilectio
« Dei non includit dilectionem proximi.
« Unde erit comparatio dilectionis Dei per-
« fectæ, quæ extendit se etiam ad proxi-
« mum, ad dilectionem Dei insufficientem,
« et imperfectam ; quia hoc mandatum
« habemus a Deo, ut qui diligit Deum, di-
« ligat et fratrem suum. Et in hoc sensu
« dilectio proximi præeminet. » Sic ergo quamvis animarum zelus conjunctus jejunio, vigiliis, et aliis asperitatibus corporalibus sit majus bonum, quam ipsæ tantum asperitates ; tamen animarum zelus, qui prædictis non associatur, non est ita perfectus, utpote cui deest non levis perfectio, quæ ex illis resultat. Unde perfectionis excellentia nequit consistere in animarum zelo nude sumpto, cum prædictus zelus sit longe excellentior, ubi pœnitentiæ, et asperitatum corporalium consortium habet. Imo excellentius videtur pœnitentiam, et mortificationem exercere cum aliqua extensione ad animarum zelum pro uniuscujusque captu, et obligatione, quam prædicto zelo multum incumbere sine mortificatione, et pœnitentia personalibus. Sicut melius est diligere proximum cum extensione ad Deum, quam diligere Deum sine extensione ad proximum.

Ostenditur ulterius eadem insufficientia.

124. Deinde prædicatio, et animarum zelus non constituit formaliter perfectionem, nec illam instrumentaliter inducit, sicut

sicut vigiliæ, jejunia, nuditas, et alia, quæ tanquam media perfectionem præcedunt,
. Tho. ut *num.* 119 vidimus ex D. Thom., sed se habet tanquam effectus perfectionis, qui illam hoc pacto præsupponit, et manifestat. Unde sicut ad hoc, quod revera existat perfectio, debent media ad illam acquirendam supponi, ita ut zelus sit opus, et effectus perfectionis, debet post prædicta succedere. Alioquin zelus ille nec perfectus existit in seipso, nec ex perfectione subjecti oritur; atque ideo ineptus censetur, ut per illum major, aut minor perfectio operantis dignoscatur. Imo vero talis zelus non tam commendationem quam reprehensionem habet
. Bern. apud Patres. Ex quibus D. Bernard. *serm.* 18, *super Cantica*, inquit : « Quamobrem « si sapis, concham te exhibebis, non cana- « lem Hic siquidem pene simul et recipit, « et effundit. Illa vero, donec impleatur, « expectat : et sic quod superabundat, sine « suo damno communicat, sciens maledic- « tum, qui partem suam facit deteriorem. « Et ne meum consilium contemptibile du- « cas, audi sapientiorem me. Stultus, ait « Salomon, profert totum spiritum suum « simul, sapiens reservat in posterum. Ve- « rum canales multos hodie habemus in « Ecclesia, conchas vero perpaucas. Tantæ « charitatis sunt, per quos nobis fuenta « cœlestia emanant, ut ante effundere, « quam infundi velint; loqui, quam audire « paratiores, et prompti docere quæ non « didicerunt, et aliis præesse gestientes, « qui se ipsos regere nesciunt. Ego nullum « ad salutem pietatis gradum ille antepo- « nendum existimo, quam quem sapiens « posuit, dicens : Miserere animæ tuæ pla- « cens Deo. Quod si non habeo, nisi pa- « rumper olei, quo ungar, putas tibi debeo « dare, et remanere inanis? Servo illud « mihi, et omnino, nisi ad Prophetæ jus- « sionem non profero. Si institerint rogi- « tantes aliqui ex his, qui forte existimant « de me supra id, quod vident in me, aut « audiunt ex me, respondebitur eis : Ne « forte non sufficiat nobis, et vobis : ite po- « tius ad vendentes, et emite vobis. Sed « charitas, *inquit*, non quærit quæ sua « sunt. Et tu scis quamobrem? Non quærit « quæ sua sunt, profecto quia non desunt. « Quisnam quærat quod habet? Charitas « quæ sua sunt, idest propriæ saluti neces- « saria, nunquam non habet. Sed non so- « lum habet, sed etiam abundat. Vult « abundare sibi, ut possit et omnibus. Ser- « vat sibi quantum sufficiat, ut nulli defi- « ciat. Alioqui si plena non est, perfecta « non est. Cæterum tu frater, cui firma « satis propria salus nondum est, cui cha- « ritas adhuc aut nulla est, aut adeo tenera, « quatenus omni statui cedat, omni credat « spiritui, omni circumferatur vento doc- « trinæ; imo cui charitas tanta est, ut ul- « tra mandatum quidem diligas proximum « tuum plusquam te ipsum, et rursum tan- « tilla, ut contra mandatum fervore liques- « cat, pavore deficiat, perturbetur tristitia, « avaritia contrahatur, protrahatur ambi- « tione, suspicionibus inquietetur, convi- « tiis exagitetur, curis evisceretur, hono- « ribus tumeat. Tu, inquam, ita in propriis « temeipsum sentiens, quanam dementia, « quæso, aliena curare aut ambis, aut ac- « quiescis? Sed enim audi, quid consultat « cauta, vigilque charitas. Non quod aliis « sit remissio, vobis autem tribulatio, sed « ex æqualitate. Dicit enim David : Sicut « adipe, et pinguedine repleatur anima « mea, et labiis exultationis laudabit os « meum. Infundi nimirum prius volens, et « sic effundere. Nec solum infundi prius, « sed et impleri, quatenus de plenitudine « eructaret, non oscitaret de inanitate. « Caute quidem, ne quod aliis remissio, « sibi esset tribulatio. Et nihilominus caste « imitans eum, de cujus plenitudine omnes « accepimus. Disce et tu, non nisi de pleno « effundere, nec Deor largior esse velis. « Concha imitetur fontem. Non manat ille « in rivum, nec in lacum extenditur, donec « suis satietur aquis. Non pudeat concham « non esse suo fonte profusiorem, etc. »

Ultimum motivum, ut prædicta regula deseratur.

125. Denique prædictus modus describendi perfectionem ideo pro qualitate præsentis materiæ nobis non arridet, quia modo consideramus perfectionem ut terminum, et objectum, ad quæ auditores prædicatorum exhortationibus inducuntur; est enim præsens difficultas præcedentium appendix. Porro concionatores Apostolici, id est qui Christum Dominum, Apostolorum, atque Sanctorum exemplar in suis exhortationibus imitantur, debent ad perfectionem inducere prædicando pœnitentiam. Nam de Christo dicitur Matth. *Cœpit Jesus prædicare, et dicere : Pœnitentiam agite.* De Apostolis Act. 2 : *Compuncti sunt corde* (audientes scilicet eorum prædicationem) *et dixerunt ad Petrum, et ad reliquos Apostolos : Quid faciemus, viri fratres? Petrus vero ad illos : Pœnitentiam* (inquit) *agite, etc.* De S.

Matth. 4.

Act. 2.

Matth. 3. Joan. Baptista, Matth. 3 : *In diebus illis venit Joannes Baptista prædicans in deserto Judææ, et dicens : Pœnitentiam agite.* Ergo perfectio, ut est terminus, et objectum prædicationis Apostolicæ, importat non solum animarum zelum, et infidelium, atque peccatorum conversionem, sed magna ex parte pœnitentiam, sive carnis maceratio-nem, et asperitates, quibus sub spiritu continetur. Et ratio est, nam qui recte, et apostolice auditores ad perfectionem inducit, debet proponere perfectionem ut practice consequibilem ; parum quippe referret perfectionem commendare, ubi non designarentur media, atque instrumenta opportuna ad ea consequendam ; imo perfectio, quæ sine illis, atque independenter ab illis proponeretur, esset perfectio phantastica, et velut idea Platonis. Quæ autem sint media, et instrumenta consequendi perfectio-
D. Tho. nem, declarat D. Thom. infra, *quæst.* 184, *art.* 3, ubi ait : « Secundario, et instrumen-« taliter perfectio consistit in consiliis, « quæ omnia, sicut et præcepta, ordinan-« tur ad charitatem. » Et postquam exposuit præcepta ordinari ad hunc finem removendo charitati contraria, consilia vero removendo impedimenta actus charitatis, adjecit : « Et inde est, quod in collationi-« bus Patrum dicit Abbas Moyses : Jejunia, « vigiliæ, meditatio Scripturarum, nuditas, « ac privatio omnium facultatem, non per-« fectio, sed perfectionis instrumenta sunt ; « quia non in illis consistit disciplinæ il-« lius finis, sed per illa pervenitur ad « finem. » Et supra præmisit, *quod ad perfectionem charitatis istis gradibus ascendere nitimur.* Ergo perfectio, quæ est finis, et objectum prædicationis Apostolicæ, non debet proponi ut consequibilis independenter ab asperitatibus, et purificationibus corporalibus ; sed quatenus complectitur vigilias, paupertatem, jejunia, et pœnitentiam; alioquin inepte proponitur finis sine mediis, et terminus absque via.

Quid requiratur ad perfectionem eorum, qui aliis perfecta prædicant.

126. Ex quo fit, quod perfectio etiam ex parte prædicatoris considerata, et prout in illo existens, importet non solum animarum zelum, sed etiam pœnitentiam, et corporales asperitates. Quoniam prædicator nullo aptiori medio utitur ad movendum auditores, quam sui exemplo. Unde Apost.
1 Cor. 4. 1, *ad Corinth.* 4, inquit : « Imitatores mei « estote, sicut et ego Christi. » Et D.
D. Bern. Bernard. *serm. de S. Benedicto*, ait : « Sermo vivus, et efficax exemplum operis « est, plurimum faciens suadibile, quod « monstratur factibile. » Sed prædicatores Apostolici hortantur auditores ad pœnitentiam, ut proxime vidimus. Ergo ad eorundem prædicatorum perfectionem pertinet exercere in seipsis pœnitentiam, et corporis mortificationem ; atque ideo diminute describitur eorum perfectio per animarum zelum ; sed debent zelo adjungi pœnitentia, vigiliæ, et aliæ mortificationes corporales. Sic Christus Dominus perfectorum prædicatorum prototypus, jejunavit ante prædicationem, ut optime expendit D. Thom. 3 D. Tho. *part. quæst.* 41, *art.* 3 *ad* 1, his verbis : « Nullus debet assumere prædicationis offi-« cium, nisi prius fuerit purgatus, et vir-« tute perfectus, sicut et de Christo dicitur « Actor. 1, quod cœpit Jesus facere, et do-« cere. Et ideo Christus statim post Baptis-« mum auctoritatem vitæ assumpsit, ut « doceret post carnem edomitam oportere « alios ad prædicationis officium transire. » Sic Joannes Baptista Verbi vox, et prædicator eximius, ut posset hominibus prædicare, *Pœnitentiam agite*, maximam in se vitæ austeritatem ostendit. *Habebat*, inquit Matth. cap. 3, *vestimentum de pilis came-* Matth. 3. *lorum, et zonam pelliceam circa lumbos suos : esca autem ejus erat locustæ, et mel sylvestre.* Sic D. Paulus gentium Prædicator, et Doctor castigabat corpus suum, ut inquit 1, ad Corinth. 9 : *Castigo corpus* 1. ad Cor. 9. *meum, et in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Quem locum explicans D. Thom. ait : *Tangit austeritatem vitæ, et implet facto, quod docet verbo, ne se damnet ore proprio.* Sic et alii prædicatores Apostolici in lucrando Deo animas se gesserunt, quorum plures ut interim omittamus, de S. Vincentio Fer-S. Vin. Ferr. rerio inquit, et laudat Ecclesia in ejus festo lect. 5 : « In hoc autem Apostolico munere « hic vitæ ejus tenor perpetuus fuit. Quo-« tidie missam summo mane cum cantu « celebravit, quotidie ad populum concio-« nem habuit, inviolabile semper jejunium, « nisi urgens adesset necessitas, servavit, « sancta et recta consilia nulli denegavit, « carnes nunquam comedit, nec vestem li-« neam induit, etc. » Et ratio est, quam supra tetigimus, oportere scilicet, ut prædicatio sit opus perfectionis, et auditores ad pœnitentiam inducat, quod isti in prædicatore videant quæ prædicat. Qualiter enim eos ad saccum, cilicium, jejunia, vigilias, aliasque asperitates excitabit, qui vel eis-

dem

dem scientibus, et videntibus, lino, et mollibus induitur; carnibus prandet, et cœnat; commodo strato dormit, somnoque non interrupto; communia tantum Ecclesiæ jejunia observat, sed refectione larga, quæ famis opprimat vexationem ; ac denique nullam fere carnis macerationem patitur, aut exercet? « An non summa confusio, » in-
. Hier. quit D. Hieronym. Mich. 2, « et ignominia « est Jesum crucifixum, magistrum, pau- « perem, atque esurientem fartis prædicare « corporibus, jejuniorumque doctrinam « rubentes buccas, tumentiaque ora pro- « ferre? Si in Apostolorum loco sumus, « non solum sermonem eorum imitemur, « sed conversationem quoque, et abstinen- « tiam amplectamur. » Merito quidem;
. Hier. nam idem S. Doctor inquit epist. 2, ad Nepotianum : « Delicatus magister est, qui « pleno ventre de jejuniis disputat. Accu- « sare avaritiam et latro potest. Sacerdotis « Christo os, mens, manusque concor- « dent. »

ompen- osa, et soluta dubii oposita ecisio. 127. Relicto ergo prædicto dicendi modo, ut diminuto, et insufficienti ad rem præsentem explicandam, censemus excessum majoris perfectionis consistere in majori accessu imitationis ad vitam Christi Domini, et suorum Apostolorum. Quæ resolutio satis compendiosa est, intellectu facilis, et anfractibus illius dicendi modo hactenus impugnati minime subjecta; potestque efficaciter suaderi. Nam, ut vulgo dicitur, primum in unoquoque genere est mensura cæterorum, quatenus penes majorem, aut minorem accessum ad illud perfectissimum major, aut minor aliorum perfectio dignoscitur, ac deprehenditur; summa autem, et excellentissima perfectio fuit in Christo Domino, et post Christum in ejus Apostolis, quos ipse aliorum exemplar, atque magistros constituit : unde Paulus aiebat 1, ad Corinth. 4 : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi.* Ergo major excessus perfectionis optime regulatur, et statuitur penes majorem accessum imitationis ad vitam Christi Domini, et suorum Apostolorum. Et quidem quod ad Christum pertinet, ille de seipso dicit Joan. 14 : *Ego sum via, veritas, et vita.* Quia ut recte expendit D. Basilius de constit. mon. cap. 5 : « Servator noster « omnibus, quicumque pietatem colere « vellent, virtutis exemplar, ac pictura ve- « luti proba, expressam effigiem quandam « in se proposuit, unde cuncti lineamentis « illius inspectis, simile pro se quisque in « vitam suam exemplum transferret. »

uade- tur.

1 ad Cor. 4.

an. 14 Basil.

Quod fusius explicat D. Bonavent. *de infor-* D. Bona.
mat. novit. part. 1, *cap.* 32, ubi : « In om- « nibus, *inquit*, virtutibus, et bonis mo- « ribus præpone semper clarissimum spe- « culum, et totius sanctitatis perfectissimum « exemplar, scilicet ritum, et mores filii « Dei Domini nostri Jesu Christi, qui ad « hoc nobis de cœlo missus est, ut aperiret « nobis viam virtutum, et legem disciplinæ « suo exemplo daret nobis, et erudiret nos « per semetipsum; ut sicut ad imaginem « ejus naturaliter creati sumus, ita ad mo- « rum ejus similitudinem per imitationem « virtutis pro nostra possibilitate refor- « memur, qui ejus imaginem in nobis fœ- « davimus per peccatum. Quanto enim « quisque se ei in virtutis imitatione hic « conformare studuerit, tanto ei in prima « gloria, et claritate appropinquabit, et si- « milior erit. » Et postquam id, discurrendo per plurimas virtutes, ostendit, statim subdit : « Hæc sit sapientia tua, et me- « ditatio, et studium semper aliquid de ipso « cogitare, unde vel provoceris ad imitan- « dum eum, vel afficiaris ad eum amandum. « Talia meditando, et ruminando, tempus « utiliter expendis, dum occuparis in bonis « studiis circa ipsum Dominum Jesum « Christum; et mores tuos emendas ad « formam vitæ ipsius, et conversationis, « semper ad eum respiciens, qualiter in his « se habuit, vel se habere potuit secundum « existimationem tuam. Quia qui in omnibus « semper est optimus, optimo, et perfectis- « simo modo se gerebat.

Quod autem ad Apostolos spectat, facile etiam constat tum ex proxime dictis, tum ex Paulo *ad Ephes. cap.* 1, ubi asserit, *di-* Ad Eph. 1.
vitias gratiæ Dei superabundasse in Apostolis. Quod sic exponit D. Thom. *lect.* 3 : D. Tho.
« Dico quod secundum divitias gratiæ ejus « omnes fideles communiter, tam eos, quam « nos habemus redemptionem, et remissio- « nem peccatorum per sanguinem Christi. « Quæ quidem gratia superabundavit in « nobis, id est abundantius fuit, quam « in aliis. Ex quo apparet temeritas illo- « rum (ut non dicam error) qui aliquos « Sanctos præsumunt comparare Apostolis « in gratia, et gloria. Manifeste enim patet « ex verbis istis, quod Apostoli habent gra- « tiam majorem, quam aliqui alii Sancti « post Christum, et Virginem Matrem. » Et post pauca : « Apostolos, » inquit, « sicut « ad singularem dignitatem vocavit, ita et

« singularis gratiæ privilegio dotavit. Propter quod dicit Apost. ad Rom. 8 : Nos ipsi primitias spiritus habentes. Gloss. tempore prius, et cæteris abundantius. Temerarium est ergo aliquem Sanctum Apostolis comparare, etc. » Ex juxta hunc excessum Apostolorum in gratia, et sanctitate super alios fuit etiam eminentia perfectionis, tam in virtutibus, quam in modo vivendi, ut merito penes majorem accessum ad eorum imitationem possit excessus perfectionis in aliis regulari, atque stabiliri.

128. Porro prolixum nimis esset per cuncta virtutum insignia divagari in Christo Domino, ejusque Apostolis. Unde considerationem trahemus ad unam tantum, vel alteram virtutem, et ad eas præcipue, quæ magis repugnant carni, et sanguini ; istarum quippe exercitium, sicut amorem sui extinguit, ita fovet amorem charitatis erga Deum, in quo principaliter consistit perfectio vitæ Christianæ, juxta illud D. August. lib. 83, qq. quæst. 63 : *Venenum charitatis est cupiditas, perfectio nulla cupiditas*. Et quidem ipsos excelluisse in animarum zelo, facile constat apud omnes; unde dubium non est, quod prædictus zelus pertineat, et quidem in gradu excellenti, ad perfectionem. Sed magis dubitari posset de aliarum virtutum exercitiis, ob minorem earum apud aliquos recordationem, aut praxim, de quibus proinde dicere oportet.

Aug.

Magna Christi D. paupertas. N. Uval. D. Tho.

Et quidem Christum Dominum pauperrimam vitam duxisse, optime probat N. Waldensis *lib.* 4 *Doctrin. Fidei*, ubi contra hæreticos defendit Christum actualiter, personaliter, et vocaliter mendicasse. Sed audiamus D. Thom. *opusc.* 19, *cap.* 7, ubi plura congerit in hunc modum : « In persona Christi dicitur *Ps.* 33 : Ego autem « mendicus sum, et pauper. Gloss. Hoc « dicit Christus de se ex forma servi. « Mendicus est, qui ab alio petit; et pauper, qui sibi non sufficit. Item in alio « *Ps.* 69 : Ego vero egenus, et pauper sum. « Glossa : Sum egenus, idest, petens : et « pauper sum, id est, insufficiens mihi ; « quia et mundanas copias, et intus, ubi « est dives, semper ambit, desiderat, accipit. Item in alio *Ps.* 108 : Persequutus « est hominem inopem, et mendicum. « Glossa: Scilicet Christum. Et alia Glossa: « Pauperes insequi sola sævitia est : alii « pro divitiis, et honoribus interdum hujusmodi patiuntur. Istæ duæ ultimæ « Glossæ ostendunt manifeste, quod de « mendicitate rerum temporalium præ- « dicta verba intelligere oportet. Item 2 « *ad Corinth.* 8. Scitis gratiam Domini « nostri Jesu Christi, quoniam propter « nos egenus factus est. Glossa, in mundo. « Et quod in hoc Christus sit imitandus, « patet per Glossam, quæ ibidem dicit : « Nemo se contemnat, pauper in cella, dives « in conscientia, securior dormit in terra, « quam cum auro dives in purpura. Non « ergo expavescas cum tua mendicitate ad « eum accedere, qui indutus est nostra « paupertate. Item quod Dominus victum « petierit, expresse habetur *Luc.* 19, ubi « Dominus ad Zachæum : Zachæe festinans « descende, quia hodie in domo tua oportet « me manere. Glossa: Non invitatus invitat, « quia etsi nondum audierat vocem invi- « tantis, audierat tamen affectum. *Item Mar- « ci* 11 : Circumspectis omnibus, cum ves- « pere esset, etc. Glossa : Circumspectis « omnibus, si quis eum hospitio susciperet. « Tantæ enim paupertatis fuit, et ita nul- « lis adulatus, ut in urbe tanta nullum « hospitium inveniret. Ex quo patet quod « Christus ita pauper erat, quod hospitium « conducere non posset, sed ab aliis hos- « pitium petebat, et expectabat. »

Vita Christi D. fuit plena incommoditatibus, et asperitatibus.

129. Præterea Christum Dominum plures incommoditates, et asperitates corporales elegisse, et passum fuisse tam in cibo, quam in vestitu, facile constat. Tum quia pauperrimus fuit, juxta proxime dicta : pauperes autem plura hujusmodi patiuntur. Tum magis in speciali ; nam quod ad vestes attinet, *non est credibile*, inquit D. Thom. opusc. 19, cap. 8, « quod Dominus Jesus « Christus pretiosis vestibus indueretur, « qui Joannem commendabilem ostendit, « quod non erat mollibus indutus. Alioquin « Pharisæi, qui exteriorem sanctitatem « ostendebant, sicut de eo dicebant, quod « erat vorator, et potator vini, et publica- « norum amator ; ita et de eo dixissent, « quod esset mollibus indutus. » Imo vero hujusmodi vestes Christi Domini non solum non fuisse pretiosas (ut satis evidenter probat D. Thom.), sed viles etiam fuisse, docet Euthym. Joan. 19, et Matth. 27. *Vestimenta*, inquit, *Christi viliora fuerunt, quam latronum, qui cum ipso crucifixi erant.* Cui consentit Theophil. *in cap.* 15 *Marci :* et Isidorus Pelusiota *lib.* 1, *epist.* 74, *ad Cratonem*, notat Christi vestem fuisse communem,

D. Tho.

Euthym.

Theoph. Isid. Pelus.

munem, qua utebantur pauperes Galilæo-
Nierem. rum. Addit Nieremberg. lib. 1, doctr. as-
cetic. cap. 94 : « Nec est mihi omnino ab-
« surdum in reliquo spatio temporis, quo
« rationem vitæ communis ostentavit
« Christus, occultis aliquibus corporis ma-
« cerationibus se afflixisse. Bredembachius,
« et Valentia scribunt, Christum Domi-
« num aspero cilicio fuisse usum. Cajeta-
« nus probabile existimat habuisse Salva-
« torem asperam subuculam, ad exemplum
« Pastorum, et Prædicatorum. Lyranus,
« qui citat S. Chrysostomum, dicit incon-
« sutilem illam tunicam asperam fuisse,
« qualis est saccus, aut cilicium reticulato
« opere. Singularior est existimatio Agellii
« asserentis cilicium, sive saccum imposi-
« tum esse Christo Domino ad lumbos,
« dum crucifigeretur. » Insuper Christum
Dominum usum non fuisse mutatoriis ves-
N. Wal. tibus, sentiunt multi, et tradit N. Walden-
sis *lib.* 3, *Doctr. antiq. fidei, cap.* 27. Tan-
dem Christum non habuisse calceamenta,
sed vel solum usum fuisse sandaliis, sive
soleis, vel nudis pedibus incessisse, late
D. Bona. probat D. Bonavent. *opusc. de sandaliis*
Apostol. tom. 7, nam Christus fecit quod
Act. 1. docuit, juxta illud Actor. 1 : *Cœpit facere,*
et docere. Docuit autem Apostolos, ut sine
Matth. 10. calceamentis ambularent, Matthæi 10 : *No-*
Marc. 6. *lite possidere calceamenta.* Marc. 6 : *Calceatos*
sandaliis misit eos : ergo Christus non est
usus calceis. Quod fusius prosequitur S. Doc-
tor, et exponens quandam authoritatem
Marc 1. in contrarium (nempe verba Joannis, Marci
D. Bona. 1 : *Non sum dignus solvere corrigiam calcea-*
mentorum ejus), in hunc modum concludit :
« Nisi quispiam verba proposita volens ex-
« ponere dicat, quod Christus eo tempore,
« quo Joannes Baptista sententias protulit
« antedictas, nondum publice prædicabat,
« nondum regulam ediderat, nondum in
« deserto exemplum dans pœnitentiæ jeju-
« naverat. Quod utique est. Et ideo, vult dice-
« re, quod calceamentis tunc temporis utéba-
« tur. Quod utique videtur a glossis omni-
« bus, et Sanctorum expositionibus alienum.
« Sive autem hoc fuerit, sive non, ex præ-
« dictis manifeste concluditur, quod post
« institutionem Apostolicæ regulæ Chris-
« tus, ejusque discipuli sine calceamentis
« ad litteram incesserunt. Nam secundum
« Hieronymum Christus non habuit, quod
« non habendum docuit, qui primo cœpit
« facere, et docere. Idcirco periculosum
« est valde, imo ridiculosum asserere aliter
« Christum, aliter Apostolos vixisse, et
« Christum regulam non servasse, et Apos-
« tolos aliud quam Christum habuisse per-
« fectionis exemplum, cum discipulum
« esse perfectum, si sit sicut magister suus ;
« et servum non esse domino suo majorem,
« Evangelica veritas contestetur : et ut
« simus imitatores Apostoli, sicut et ipse
« Christi, nos Paulus Apostolus exhortetur.
« Tu igitur, qui Evangelii Doctor es, et
« sectator, si hujus Evangelicæ perfectionis
« apicem non attingis usu, attingas saltem
« affectu pio, affatu veridico, et Catholico
« intellectu, et noli Evangelii candidissi-
« mam margaritam tortis expositionibus
« conculcare, noli contra Evangelicorum
« pedum nuditatem pelles mortuas defen-
« sare. etc. » Videantur Abulensis *in Exod.* Abulen.
cap. 20, *quæst.* 29, et *in cap.* 3 *Matth.*
quæst. 68, Jansenius *in Concord. cap.* 55, Jansen.
et Toletus *Joan.* 1. *annot.* 65. Tolet.

130. Ad hæc : Christum Dominum aliis Major explicatio incommoditatum Christi D.
etiam afflictionibus, et asperitatibus in victu, vigiliis, lecto sanctissimum corpus suum subjecisse, haud obscure constat. Nam in primis in nativitate sua passus est magnas incommoditates nuditatis, et frigoris, ita ut vagiret infans inter arcta conditus præsepia. Durissimæ etiam legi Circumcisionis se subdidit, in qua interveniebant vehemens dolor, et sanguinis effusio, carnisque tormentum. Plura insuper incommoda fuit expertus, tam fugiendo ad Ægyptum, quam redeundo ad patriam, sicut in aliis exulibus, ac peregrinis contingit. Ultra has vero afflictiones observavit jejunia, quæ Judæi in veteri lege observabant : quia, ut dicitur Matthæi 5 : *Non* Matth. 5.
venerat solvere legem, sed adimplere. Præterea jejunavit quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, ut dicitur Matth. 4. Et Matth. 4.
deinde alia observasse jejunia, licet non adeo prolixa, tradit Abulensis *super citat.* Abulen.
capite Math. quæst. 14. Quod autem sæpius vigilaverit, docent communiter Patres ad illud Lucæ 6 : *Exiit in montem orare, et* Luc. 6.
erat pernoctans in oratione Dei. Qualis vero fuerit ejus lectus, ipse Dominus significat Lucæ 9 : *Vulpes foveas habent, et volucres* Luc. 9.
cœli nidos : Filius autem hominis non habet
ubi caput reclinet. Ex quibus liquet ipsum plura incommoda, et corporis amori contraria elegisse. Idque magis constabit ex dicendis circa modum vivendi Apostolorum ; nam certum est Christum in omnibus, quæ ad vitam pertinent, non fuisse

ipsis delicatiorem, sed in cunctis potius præluxisse. Verum antequam hinc discedamus, oportet videre, qualiter Christus Dominus vixerit ante ultimos tres vitæ annos, quos prædicationi, et sui manifestationi dicavit. Quod fuse tradit D. Bonavent. *in vita Christi, cap.* 15, expendendo maximam ipsius humilitatem, paupertatem, et abstinentiam, et post alia concludit : « Intuere ergo eum bene humilia obsequia « per domum facientem. Conspice etiam, « qualiter ipsi tres (Jesus videlicet, Maria, « et Joseph) simul comedunt ad unam mensulam per singulos dies, non lautas, sed « pauperes, et sobrias cœnas sumentes. Et « qualiter post aliqualem recreationem, ad « orationem se convertunt in cubilibus « suis ; non enim erat eis domus ampla, « sed parva. Intuere Dominum Jesum super humum in sero post orationem se « componere per singulas noctes tam longissimi temporis, sic humiliter, sic viliter, ut quicumque alius pauperculus de « populo. Sic etiam perseveranter quolibet « sero in hoc statu deberes eum aspicere. « O Deus abscondite ! quare sic affligebatis « corpus istud innocentissimum ? Unius « quippe noctis peregrinatio sufficere debebat ad totius mundi redemptionem. « Amor ad hoc compellebat immensus : « vehementer zelabatis pro ove perdita « vestris humeris ad cœlestia pascua reportanda. Vos Rex regum, et Deus æterne, « qui omnium penuriam sublevatis, omnia subministratis omnibus abundanter, « prout exigit cujusque conditio. Vobis tamen paupertatem, vilitatem, et asperitatem vigilando, dormiendo, abstinendo, « et aliis vestris omnibus actibus per tam « longa temporis spatia reservastis. Ubi « ergo sunt quærentes otia corporis, quærentes curiosa ornamenta, et varia? Non « didicimus in schola hujus magistri, qui « talia volumus. Sed nunquid sapientiores « eo sumus? Ipse nos docuit verbo, et exemplo humilitatem, paupertatem, et afflictionem corporis, et laborem. Sequamur « ergo summum magistrum, qui nec fallere « vult, nec falli potest.

D. Bona.

Quanta incommoda sustinuit Christus D. suæ prædicationis, et passionis tempore.

131. Et hæc quidem incommoda passus est Christus Dominus vel eo tempore, in quo insipientium oculis videbatur otiosam degere vitam. Sed qualia sustinuit, ubi cœpit prædicare ? Quot itinera, quot sudores, quas vigilias, et persequutiones ? Et ubi venit passionis tempus (quam alioquin præsentem habuit totius vitæ decursu) quam inexplicabiles dolores ? Prolixum nimis esset hæc expendere, sed neque debent prorsus omitti ; et ideo illa complectimur referendo verba D. Thom. 3 *p. quæst.* 46, *art.* 6, ubi : « in Christo, *inquit*, patiente fuit verus dolor, et sensibilis, qui causatur ex corporali nocivo ; et dolor interior, qui causatur ex apprehensione alicujus nocumenti, « qui tristitia dicitur. Uterque autem dolor « in Christo fuit maximus inter dolores « præsentis vitæ. Quod quidem contingit « propter quatuor. Primo quidem propter « causas doloris ; nam doloris sensibilis « causa fuit læsio corporalis, quæ acerbitatem habuit, tum propter generalitatem « passionis, de qua dictum est : tum etiam « ex genere passionis, quia mors crucifixorum in cruce est acerbissima, quia con« figuntur in locis nervosis, et maxime « sensibilibus, scilibet in manibus, et pedibus ; et ipsum pondus corporis pendentis « continue auget dolorem. Et cum hoc « etiam est doloris diuturnitas, quia non « statim moriuntur, sicut hi qui gladio interficiuntur. Doloris autem interioris « causa fuit, primo quidem omnia peccata « humani generis, pro quibus satisfaciebat « patiendo : unde ea quasi sibi adscribit « dicens in Ps. 11 : Verba delictorum meorum : secundo specialiter casus Judæorum, et aliorum in ejus morte delinquentium, et præcipue discipulorum qui scandalum passi sunt in Christi passione : « tertio etiam amissio vitæ corporalis, quæ « naturaliter est horribilis humanæ naturæ. Secundo potest magnitudo doloris « ejus considerari ex perceptibilitate patientis et secundum animam, et secundum « corpus. Nam et secundum corpus erat optime complexionatus, cum corpus ejus « fuerit formatum miraculose operatione « Spiritus sancti, sicut et alia, quæ per mi« racula facta sunt, fuerunt aliis potiora « (ut Chrysost. dicit de vino, in quod Chris« tus aquam convertit in nuptiis), et ideo « in eo maxime viguit sensus tactus, ex cu« jus perceptione sequitur dolor. Anima « etiam secundum vires interiores efficacissime apprehendit omnes causas tristi« tiæ. Tertio magnitudo doloris Christi « patientis potest considerari ex doloris, et « tristitiæ puritate. Nam in aliis patienti« bus mitigatur tristitia interior, et etiam « dolor exterior ex aliqua consideratione « rationis per quandam derivationem, seu redundantiam

D. Tho.

« redundantiam a superioribus viribus ad « inferiores : quod in Christo patiente non « fuit, quia unicuique virium permisit agere « quod est sibi proprium, sicut Damasc. di- « cit. Quarto potest considerari magnitudo « doloris Christi patientis ex hoc, quod pas- « sio illa, et dolor a Christo fuerunt as- « sumpta voluntarie propter finem libera- « tionis hominum a peccato. Et ideo tan- « tam quantitatem doloris assumpsit, quæ « esset proportionata magnitudini fructus, « qui inde sequebatur. Ex his igitur omni- « bus causis simul consideratis manifeste « apparet, quod dolor Christi fuerit maxi- « mus. »

Labores, et incommoditates Apostolorum.

132. Hæc de afflictionibus, incommoditatibus, et asperitatibus Christi Domini prænotasse sufficiat. Modo convertamus oculos ad Apostolos, quos ipse constituit Prædicatores mundi, et Prædicatorum, atque incumbentium animarum zelo exemplar, in quibus proinde velut in optimo speculo reverberatio tanti magisterii resplendet. Et in primis quod Apostoli strictam paupertatem professi fuerint, constat ex illo Matth. 19 : *Ecce nos reliquimus omnia.* Et cap. 10 : *Nolite possidere neque aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, neque peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam.* Unde obligabantur mendicare, ut optime colligit D. Thom. *opusc.* 19, *cap.* 17, ubi ait : « Hoc probatur exemplo Apostolorum, « qui jussi sunt a Domino necessaria ad « victum in via non ferre, ut patet Matth. « 10 et Marci 6. Constat autem, quod ipsi « imperiose non poterant accipere. Ergo « satis evidens est, quod necessaria vic- « tus humiliter petebant, quod est mendi- « care. » Et idem S. Doctor *opusc.* 17, *cap.* 15, relatis Scripturæ testimoniis inquit : « Manifestum est secundum expositiones « præmissas, Apostolis interdictum fuisse, « ne agros, vel vineas, vel alia hujusmodi « bona immobilia possiderent. » Tandem idem Sanctus Doctor *opusc.* 19, *cap.* 6, paupertatem commendans ait : « Primordium « perfectionis in Christo, et Apostolis fuit. « Sed ipsi non leguntur sua relinquentes « aliquas possessiones habuisse in com- « muni ; imo potius legitur, quod nec etiam « domos habebant ad manendum. Ergo « perfectio paupertatis non requirit aliquas « possessiones communes. » Quinimo plus infert *opusc.* 17, *cap.* 16 : *Unde* inquit, *si qua sit Congregatio, in qua omnes ad majorem perfectionem tendant, expedit eis communes possessiones non habere.* Quod colligit ex Christi Domini exemplo, ut constat *ex cap. præced.* ubi ait : *Summa paupertatis perfectio est, ut ad exemplum Christi aliqui homines possessionibus careant.* Unde magis constat, Apostolos mendicasse, ut ex professo probat N. Waldensis *lib.* 4 *Doctr. Fid. art.* 1, *cap.* 6, et asserit Theophilactus *Luc.* 9, ad illa verba : *Nihil tuleritis in via : Sic*, ait, *mendicos mittit, quod neque panem ipsos portare vult, neque aliquid aliud, quibus indigent multi.*

Matth. 9. et 10. Paupertas

D. Tho.

Matth. 10 Marc. 6.

D. Tho.

D. Tho.

N. Wal. Theoph.

Vestimenta Apostolorum.

133. Ex hac autem maxima Apostolorum paupertate facile quis conjectabit, quod afflictiones, incommoditates, atque asperitates corporales sustinuerint. Sed oportet id magis distincte, licet breviter, observare, ut animarum zelatores probe sciant modum perfectiorem trahendi alios. Et quidem quod ad vestes pertinet, constat Apostolos non habuisse duplicatas, seu mutatorias ; sic enim plane intelliguntur verba Christi Domini Matth. 10 : « Nolite possidere aurum, « neque argentum, neque pecuniam in zo- « nis vestris ; non peram in via, neque « duas tunicas. » Marci 6 : « Et ne indue- « rentur duabus tunicis. » Luc. 9 : « Neque « duas tunicas habeatis. » Unde sæpius patiebantur frigoris molestiam ex nuditate, ut significat Apost. 1, ad Corinth. 4 : « Us- « que in hanc horam et esurimus, et siti- « mus, et nudi sumus. » Et 2, ad Corinth. 11 : *In frigore et nuditate*, Et ideo D. Chrysost. de laudibus Pauli agens, affirmat : « Eum necessarium sæpe non habuisse « cibum, nec quo circumdaretur, indumen- « tum. » Porro Apostolorum vestimenta fuisse satis vilia, et aspera, docet idem D. Chrysost. *hom.* 56 *ad populum Antioch.* ubi tractans de ciliciis et saccis Monachorum sui temporis, asserit ipsos talibus vestimentis uti ad imitationem Apostolorum. « Vestis autem, *inquit*, eis fortitudine di- « gna. Non enim caudatis utentes vestibus, « juxta enervatos, et molles, induuntur ; « sed juxta beatos illos Angelos, Eliam, « Elisæum, Joannem, secundum Aposto- « los : cum vestimenta sint ipsis parata, « his quidem ex caprarum pilis, his au- « tem ex pilis camelorum. Sunt autem et « quibus solæ sufficiunt pelles, et hæ jam- « dudum confectæ. »

Matth. 10. Marc. 6. Luc. 9.

1 ad Cor. 4.

2 ad Cor. 11. D. Chrys.

An calceis usi fuerint.

Quod autem Apostoli usi non fuerint calceis, aperte constat ex Matth. 10 : « Neque « calceamenta. » Marc. 6 : « Et præcepit

Matth. 10. Marc. 6.

« eis, ne quid tollerent in via, nisi virgam « tantum ; non peram, non panem, neque « in zona æs, sed calceatos sandaliis. » Et
D. Tho. Matth. 10. ita expresse affirmat D. Thom. *Matthæi* 10, ubi id probat : « Primo quidem, ut apud « omnes pauperes reputarentur, secundum « illud Apost. 1, ad Corinth. Non multum « potentes elegit Deus. Ideo voluit, quod « abjecti essent. Pauperes enim in parti- « bus Orientis vadunt discalceati, utuntur « tamen quibusdam, quæ sandalia dican- « tur, et fiunt de paleis. Et ideo volebat, ut « irent sicut pauperes illius patriæ. » Addit aliam rationem : « Ideo præcepit eos ire « discalceatos, ut firmaret eos, ut magis « robusti essent ad sustinendum, secundum « quod etiam Plato docuit, quod homines « non multum cooperirent pedes, nec ca- « put. » Hoc fusius prosequitur D. Bona-
D. Bona. vent *opusc. supra cit. de sandaliis Apostol.* ubi inter alia inquit : « Ridiculosum igitur « est valde, quod litteratus hoc neget, quod « clamant lapides » (antiquissimæ videli- cet Apostolorum imagines) et testantur. « Et inferius : Ex prædictis, *inquit*, testimo- « niis clarius innotescit, quid de Domini nos- « tri Jesu Christi, et suorum Apostolorum, « atque discipulorum calceamentis, juxta « veritatem Evangelicam, et Sanctorum « expositiones docendum sit, pariter et ser- « vandum. Sed his omnibus testificationibus « firmissimis atque claris, sancti Evange- « lii sanctiones sunt incomparabiliter cla- « riores. » Et relatis testimoniis supra ad- ductis, addit : « Quod autem hæc Domini « verba, et mandata non tantum spiritua- « liter, sed etiam ad litteram fuerint ob- « servata, patet ex authoritatibus prædic- « tis. Patet etiam ex picturis, et cælaturis « laicorum. Patet etiam ex ipsis sandaliis « Apostolorum, et Christi discipulorum, « quæ usque in hodiernum diem in pleris- « que locis ad hujus veritatis adstipulatio- « tionem, et devotionem fidelium reser- « vantur. » Et conformiter ad hanc sen-
Suar. tentiam addit Suarez (licet ipsi non plane snbscribat, sentiens Christum usum fuisse calceis) *tom.* 2, *in* 3 *part. disp.* 28, *sect.* 3, in fine : « Unde fertur Romæ servari quod- « dam Petri sandalium : et aliud B. An- « dreæ fertur esse in civitate Ovetensi. Et « ita de Apostolis opinantur Abulensis « Matth. 1, q. 60 et 83, et Dionys. Carthus. « ibidem. Et eundem fuisse usum prisco- « rum Christianorum colligi potest ex Ter- « tull. de pallio, cap. 5, et clarius ex Cle- « ment. Alexand. lib. 2 Pædagogi, c. 11. » Ex quibus magis liquet, quam vilia, et con- temptibilia fuerint Apostolorum vesti- menta ; nam indecens est, et prorsus incon- sequens eum, qui nudis incedit pedibus, aut pauperrimis utitur sandaliis, fulgere divitum vestibus, vel de illarum ornatu curare.

Alimenta Apostolorum. Matth. 12. Abulen.

134. Sed videamus, quam vili, aspero, et ingrato carni alimento usi fuerint Apostoli. Idque non obscure colligitur ex illo Matth. 12 : « Discipuli autem ejus esurientes cœ- « perunt vellere spicas, et manducare. » Ubi Abulensis *quæst.* 3, inquit : « Quæretur, « quare discipuli spicas vellebant. Dicen- « dum, quod factum est ex necessitate fa- « mis ; non dicitur hic quod esuriebant : « nullos autem discipuli cibos habere po- « terant, ideo spicas vellebant ; magna « enim fames erat, quæ æd hoc urgebat « eos. Sic dicit Chrysostomus : Tu autem « admirare discipulos, qui ita erant op- « pressi, et nullam corporalem habebant « curam, sed contemnebant carnalem men- « sam, et fame oppugnabantur ; nec tamen « desistebant a Christo. Nisi enim eos co- « geret vehementer esuries, nequaquam « hoc fecissent. Quod autem spicas velle- « rent, et comederent, signum erat, quod « non erant assueti ad ciborum delicias, « quia grave esset eis tunc grana come- « dere ; sed erat vita eorum aliqualiter in « cibis parca, et ideo quocumque cibo con- « solabantur. Sic dicit Hieronymus : Quod « autem spicas segetum manibus confri- « cant, et in eisdem consolantur, vitæ aus- « terioris indicium est, non præparatas « opulas, sed simplicem cibum quæren- « tium. » Hoc ipsum colligitur ex aliis Evangelistarum locis ; nam quoties refe- runt Apostolos parasse mensas, toties si- gnificant victum fuisse humilem, et fruga- lissimum, ut puta panem, et pisces, ut const-
Matth. 14. 15. Luc. 9. Joan. 21. at *Matth.* 14 *et Luc.* 9, *et Joan.* 21. Et hæc quidem cum Apostoli adhuc erant imper- fecti. Sed post adventum Spiritus sancti, ubi prædicationi, et gentium conversioni incumbere cœperunt, eandem, aut majo- rem alimentorum tenuitatem continua- runt. Nam de illorum principe Petro refert
D. Greg. Nazian. Æges. apud Euseb. D. Greg. Nazianz. in orat. de amore paup. *ipsum lupinis minuto asse veneuntibus fa- mem pellere consuevisse.* De Jacobo minori affirmat Ægesippus apud Eusebium lib. 2, cap. 22, *ipsum nec carnes in cibum, nec vinum in potum unquam adhibere solitum fuisse.*

Clem. Alex. *fuisse*. De Matthæo asserit Clemens Alexand. lib. 2 Pædag, cap. 1 : *Matthæus Apostolus seminibus, baccis, et oleribus absque carnibus utebatur*. Et similia de aliis Apostolis occurrunt apud graves Authores. Porro Apostolos Jejunia. S. Chrys. frequentissime jejunasse, tradunt sacri Doctores. S. Chrysost. *hom.* 71, *de sancto Quadrag. jejunio*, affirmat, *quod Apostoli* Rupert. *ferme semper jejunabant*. Rupertus *lib.* 4, *de divinis offic. c.* 9, tradit, *in perpetuo luctu, et jejunio ipsos vixisse*. Et Apost. 1 1. ad Cor. 4 *ad Corinth.* 4, de seipso testatur, *usque in hanc horam et esurimus, et sitimus*, id est, D. Tho. 2. ad Cor. 11. *continuo*, ut ibidem explicat D. Thomas. Et 2 *ad Cor.* 11, inter alia quæ sustinuerat, recenset multa jejunia : In *jejuniis*, inquit, D. Tho. *multis*. Et exponit D. Thom. *scilicet voluntarie assumptis, et propter exemplum bonum, et propter macerationem carnis*. Et hoc Apostolorum exemplum imitabantur primi illi Euseb. D. Hier. Christiani, de quibus Eusebius *lib.* 2, *cap.* 17, et D. Hieronym. *lib. adversus hæreses*, referunt, quod ad vesperam tantum sumere cibum, atque a carne, et vino abstinere solebant.

Alii Apostolorum labores. 135. Quanta autem aspera, et incommoda in prædicatione Evangelii sustinuerint Apostoli; quot peregrinationes, ludibria, et persequutiones; quam diris martyrii cruciatibus vitam finierint, nemo est qui sufficienter dicat. Sed præter hos labores, qui illis occasione prædicationis parabantur, ipsi plurimas incommoditates, atque asperitates, quas censebant muneri Apostolico pernecessarias (prædicabant enim pœnitentiam, et Jesum Christum crucifixum) eligebant et addebant. Quod facile constat tum ex proxime dictis. Tum ex Paulo excellentissimo Gentium Doctore; 1 ad Cor. 2. nam. 1 *ad Cor.* 9, inquit : « Castigo corpus « meum, et in servitutem redigo, ne forte « cum aliis prædicaverim, ipse reprobus « efficiar. » Quæ verba optime expendit Joan. Cassian. Joan. Cassianus *lib.* 5, *de Instit. renunt. cap.* 17, his verbis : « Vis audire verum « athletam Christi legitimo agonis jure cer- « tantem? Ego igitur, *inquit*, sic curro, non « quasi in incertum : sic pugno, non quasi « aerem verberans, sed castigo corpus « meum, et servituti subjicio, ne aliis præ- « dicans ipse reprobus efficiar. Vides ut in « seipso, idest in carne sua colluctationem « summam velut in base quadam firmis- « sima statuerit, et proventum pugnæ in « sola castigatione carnis, et in subjectione « collocarit. » Sed nervosius adhuc D. Hieronym. mentem Apostoli explicat *epist.* 14, D. Hier. *ad Celantiam*, ubi : « Vas, *inquit*, electionis « Paulus, dum castigat corpus suum, et in « servitutem redigit, ne aliis prædicans « ipse reprobus inveniatur, non ob solam « (ut quidam imperiti putant) hoc facit cas- « titatem. Non enim huic tantummodo, sed « omnibus omnino virtutibus abstinentia « opitulatur; neque magna, aut tota Apostoli « gloria est non fornicari; sed hoc agit ut « castigatione corporis erudiatur animus, « quantoque nil ex voluptatibus concupis- « cit, tanto magis de virtutibus possit cogi- « tare; ne perfectionis magister imperfec- « tum aliquid in se ostendat, ne Christi « imitator extra præceptum quidquam, aut « voluntatem Christi faciat; neve minus « exemplo, quam verbo doceat : cumque « aliis prædicaverit, ipse reprobetur, au- « diatque cum Pharisæis : Dicunt enim, et « non faciunt. » Et conformiter ad senten- tiam D. Hieron. inquit D. Ambros. lib. 18, D. Amb. epist. 72 : « Ergo qui non castigant corpus « suum, et volunt prædicare aliis, ipsi re- « probi habentur. » Nec erat levis castigatio illa, quæ lividum corpus Pauli reddebat, ut significat S. Paulinus *epist.* 3, ubi ait : S. Paul. « Videtur mihi ille non parcere corpori, « qui carnem jejuniis domat, sicut Aposto- « lus dicit : Lividum facio corpus meum, et « in servitutem redigo. » Sed magis in speciali repræsentat idem Apostolus sui corporis afflictiones, et asperitates 2 *ad Corinth.* 11, ubi relatis externis persequu- 2 ad Cor. 11. tionibus, et periculis, addit : « In labore, « et ærumna, in vigiliis multis, in fame, « in siti, in frigore, et nuditate. » Quæ D. Tho. verba sic illustrat D. Thom. ibid. lect. 6 : « Hic consequenter enumerat mala volun- « tarie assumpta, quæ sustinentur in do- « mibus. Et enumerat tria mala opposita « tribus bonis, quæ sunt necessaria ad vi- « tam domesticam. Primum bonum est « requies somni. Secundum est sustentatio « cibi. Tertium est fomentum vestis. Re- « quiei ergo somni opponit laborem, et vi- « gilias. Quantum ad laborem inquit, in « labore, scilicet manuum. Act. 20. Ad ea « quæ mihi opus erant, etc. Et ideo dicit « supra 6. In laboribus, quia ut dictum est « supra, manu sua victum quærebat. Et 2 « Thessal. 3 : Nocte, et die laborantes. etc. « Quantum ad laboris defectum dicit : « Ærumma quæ est defectus, et languor « consequens ex labore, vel morbo natu- « rali. Quantum vero ad vigilias dicit. In

« vigiliis multis. Vel in vacando prædica-
« tionibus de nocte, vel operi manuali.
« Sustentationi vero cibi opponit duplicem
« subtractionem cibi : unam quæ est ex ne-
« cessitate. Unde dicit : In fame, et siti ; quia
« scilicet ad litteram deficiebat sibi ali-
« quando cibus, et potus, 1 ad Cor. 4 : Us-
« que in hanc horam et esurimus, et siti-
« mus. Aliam, quæ est ex voluntate : unde
« dicit : In jejuniis multis, scilicet voluntа-
« rie assumptis, et propter exemplum bo-
« num, et propter macerationem carnis. 1
« ad Cor. 9 : Castigo corpus meum, etc. Fo-
« mento vero vestis opponit duo. Unum ex
« parte naturæ : unde dicit : In frigore.
« Aliud ex parte inopiæ : unde dicit : Et nu-
« ditate, scilicet ostensus sum minister
« Christi. » Et quæ Paulus de seipso in propria persona dicit, applicanda sunt aliis Apostolis ; omnes quippe ab eodem magistro edocti, et eandem fidem, ac doctrinam prædicantes, simillimum observarunt vitæ tenorem.

Quam utilis sit præmissa doctrina.

136. Hæc vero, licet prolixius fortasse expensa, putamus fore non ingrata pio, et catholico lectori. Nam ex illis plura satis utilia cognoscet. *Primo*, qualis fuerit modus vitæ Christi Domini, et suorum Apostolorum, nempe pluribus associatus incommoditatibus, afflictionibus, et asperitatibus corporalibus. *Secundo*, quam eidem sit contraria vita hæreticorum hujus, et præcedentis sæculi, qui carnis commoditatibus, et voluptatibus large indulgent, et consulunt ; ad quorum proinde errores (qui magna ex parte sunt appendices Alcorani), refutandos non ita prosunt ingenii, et sapientiæ vires in prædicante ; sed magis oppositus vivendi modus, pœnitens videlicet, austerus, et conformis Jesu crucifixo. *Tertio*, recognoscet eos, qui vitam Christi, atque Apostolorum depingentes frequentissime inculcant eorum zelum in animarum conversione, nihilque, aut fere nihil de eorum paupertate, nuditate, vigiliis, jejuniis, incommodis, et macerationibus corporalibus recordantur, dimidiatam, atque ideo imperfectam eorum imaginem exhibuisse. Nam modus vivendi Christi, atque Apostolorum ea omnia complexus est, ut manifeste constat ex locis Scripturæ, et sanctorum Patrum hactenus expensis. In quo defectu reprehensibiliores eo sunt, quo subticentes, vel non ita explicantes modum vivendi Christi, et Apostolorum, nempe cum tot afflictionibus, incommoditatibus, et asperitatibus corporalibus, cadere e manibus permittunt fortiora arma ad debellandum hæreticos, qui corpori consulentes jejunia, et quæcumque aspera spernunt, et Ecclesiæ præceptis refragantur. *Quarto*, recognoscet, quod quando de perfectione vitæ christianæ agitur (quod est præsentis considerationis scopus) omittendæ non sunt pœnitentia, et asperitates corporales ; sed excellenti loco constituendæ. Quoniam excessus in prædicta perfectione optime declaratur per majorem accessum imitationis ad vitam Christi Domini, et suorum Apostolorum, ut constat ex dictis *num.* 127 et christianorum nemo negabit : sed Christus Dominus, ejusque Apostoli plures incommoditates, et asperitates corporales elegerunt, et sustinuerunt, ut patet ex dictis *a n.* 128. Ergo prædicta pertinent ad majorem perfectionem vitæ christianæ, et consequenter animarum zelus neque illam supponit, neque eam constituit solitarie, et quasi speculative sumptus, sed prout illis associatur. Idque præsertim verificatur in eo, qui aliis prædicat ; nam si hoc munus recte exequitur, debet prædicare pœnitentiam, et mortificationem corporis : tum quia id prædicabant Christus, et Apostoli, ut vidimus *n.* 125, tum quia proponere debet vitam Christi, et Apostolorum imitandam, quæ plures complexa est corporales afflictiones, ut constat ex dictis *n.* 128. Ergo cum ab exemplo prædicatoris sermo vires accipiat, debet se in pœnitentia, et asperitatibus corporalibus exercere. *Ne*, ut loquitur D. Hieron. relatus n. 135, *minus exemplo, quam verbo doceat, cumque aliis prædicaverit, ipse reprobetur, audiatque cum Pharisæis : Dicunt enim, et non faciunt.* Nam, ut inquit idem S. Doctor relatus n. 126 : *Delicatus magister est, qui pleno ventre de jejuniis disputat. Accusare avaritiam et latro potest. Sacerdotis Christi os, mens manusque concordent.* Et ex iis satis patet ad quæstionem præpositam *num.* 121. D. Hier.

Ad perfectionem multum confert solitudo, et contemplatio.

137. Addendum est tamen, ad perfectionem prædicantis, cum in seipsa acceptam, tum respective ad audientes consideratam, plurimum referre, quod prædicans contemplationi vacet, et curis sæcularium, præsertim familiaritati principum, et divitum se multum non ingerat, sed eas pro viribus declinet. Quod (ut disceptationi præcludatur locus), non aliunde probandum est, quam exemplo Christi Domini, et Apostolorum, qui optime docuerunt modum servandum

vandum in procuranda animarum salute, ut majori perfectioni deserviat. Nam Christus Dominus triginta annos antequam prædicare cœpisset, silentio, et contemplationi dicavit. Deinde baptizatus a Joanne in desertum per quadraginta dies recessit. Et ubi prædicare cœpit, sæpius in deserta secedebat, montes petebat, et in oratione Dei pernoctabat. Quod recte ponderat D. Greg. *lib.* 6 *Moral. c.* 17, his verbis : « Humani « generis Redemptor per diem miracula « in urbibus exhibet, et ad orationis studium in nocte pernoctat, ut perfectis videlicet Prædicatoribus innuat, quatenus « nec activam vitam amore speculationis « funditus deserant, nec contemplationis « gaudia penitus operationis nimietate « contemnant; sed quieti contemplantes « sorbeant, quod occupati erga proximos « loquentes refundant. » Juxta quam doctrinam tradit D. Thom. 3 *part. q.* 40, *art.* 1 *ad* 2 quod « vita activa, secundum « quam aliquis prædicando, et dicendo « contemplata aliis tradit, est perfectior, « quam vita quæ solum contemplatur; quia « talis vita præsupponit abundantiam con- « templationis, et ideo Christus talem vi- « tam elegit. »

Proba-tur doc-trina, et exemplo Christi Domini. D. Greg. Magn.

D. Tho.

Quod vero familiarem se exhibuerit pauperibus, et humilibus, secus vero regibus, et magnatibus, satis liquet ex Scriptura. Nam de seipso in Synagoga legit ex Isaia, ut refertur Luc. 4 : *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me.* Quare cum humilibus, et pauperibus conversatus est, atque abjectos, et pauperes elegit discipulos sui Evangelii prædicatores, juxta illud Matth. 11 : *Pauperes evangelizantur.* Econtra vero potentibus parum familiarem se præbuit, nec eorum admodum grata habuit palatia. Unde invitatus a regulo, ut descenderet in domum suam, ire noluit, ut refertur *Joan.* 4. Et coram Herode rege nec miracula fecit, nec sermonem protulit. Et de Joanne loquens *Matth.* 11 dixit : *Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt.* Luc. 7 : *Ecce qui in veste pretiosa sunt, et in deliciis, in domibus regum sunt.* Aperte significans, non expedire immorari in regum domibus illos, qui non utuntur vestibus pretiosis, et deliciis. Ipse vero, ejusque apostoli nec vestibus pretiosis, nec deliciis utebantur, ut constat ex dictis *a n.* 128. Unde satis alienos se, et suos ostendit a regum, magnatumque familiaritate, atque in eorum palatiis habitatione. Quam vero spreverit negotia secularia, nolueritque illis se ingerere, constat *Luc.* 12, ubi petenti : *Magister dic fratri meo, ut dividat mecum hæreditatem,* respondit : *Homo quis me constituit judicem, aut divisorem super vos?* Unde Theophil. *in Cat. D. Thom.* inquit : *Dominus docens nos quod non oportet ad terrena flecti, repellit vocantem eum ad hæreditatis divisionem.* Et subdit V. Beda in eadem Catena : *Occasione hujus stulti petitoris adversus avaritiæ pestem discipulos præceptis pariter, et exemplis munire satagit. Unde subditur : Dixitque ad illos : Videte, et cavete ab omni avaritia.* Et D. Ambros. ibidem : *Bene ergo,* inquit, *terrena declinat, qui propter divina descenderat : neque judex dignatur esse litium, et arbiter facultatum, vivorum habens, mortuorumque judicium, arbitriumque meritorum.* Ut videant, qui zelo animarum incumbunt, quantum intersit secularium testamentis, litibus, prætensionibus, ac negotiis se non ingerere; sed hæc, ut fieri potest, rejicere.

Luc. 4.

Matth. 11.

Joan. 4.

Matth. 11. Luc. 7.

Luc. 12.

Theoph.

Caten. D. Tho. V. Beda.

D. Amb.

138. Hæc Christi Domini exempla sequuti Apostoli, ut secure, ac fructuose incumberent animarum zelo, et perfectioni ad eum requisitæ. Nam, ut Divus Thomas 3 *part. quæstione* 40, *articulo* 2 *ad* 3, ait : « Hoc convenit vitæ, secundum quam ali- « quis contemplata aliis tradit, quam Chris- « tus dicitur assumpsisse, ut prius contem- « plationi vacet, et postea ad publicum « actionis descendat. » Unde Apostoli ante prædicationem *omnes erant perseverantes unanimiter in oratione,* ut dicitur *Actor* 1. Et *cap.* 6 dixerunt : « Non est æquum nos « derelinquere verbum Dei, et ministrare « mensis. Considerate ergo fratres, viros ex « vobis boni testimonii septem, plenos Spi- « ritu sancto, et sapientia, quos constitua- « mus super hoc opus. Nos vero orationi, « et ministerio verbi instantes erimus. » Probe quippe intelligebant, prædicationis efficaciam ex orationis assiduitate descendere, et oportere docentem prius contemplari, quam dicere, juxta illud Divi Bernardi epistol. 201 : *Nunc manent tria, verbum, exemplum, oratio : major autem oratio, ea namque operi, et voci gratiam, et efficaciam promeretur.* Et Divus Augustinus lib. 4 de doctrina, c. 115 inquit : « Agat noster « iste eloquens, cum et justa, et sancta, et « bona dicit »(neque enim alia debet dicere): « agat quantum potest, cum ista dicit, ut « intelligenter, ut libenter, ut obedienter

Idem firmatur exemplo Apostolorum. D. Tho.

Actor. 1. et 6.

D. Bern.

D. Aug.

« audiatur; et se posse, si potuerit, et quan-
« tum potuerit, pietate magis orationum
« quam oratorum facultate, non dubitet,
« ut orando pro se, ac pro illis, quos est
« alloquuturus, sit orator antequam dictor.
D. Greg. Magn. « Nisi enim » (ait Divus Gregorius lib. 30 Moral. cap. 2) « ad contemplandum Deum
« solicita semper mente recurrerent, Præ-
« dicatores scilicet, et Doctores, nimium
« interna charitas etiam exteriora prædi-
« cationis verba siccaret; sed dum videre
« Deum indesinenter sitiunt, quasi decur-
« sura foris flumina intus semper oriun-
« tur, quatenus illic amando sumant, unde
« ad nos prædicando defluant. »

Quantum vero Apostoli abhorruerint sæcularia negotia, constat tum a fortiori ex loco proxime relato : *Non est æquum*, inquiunt, *nos ministrare mensis.* Quia licet illud ministerium esset sanctum, eorum tamen contemplationem, et prædicationem
D. Basi. impediebat. Unde Divus Basilius *in* 20 ex fusis : *Caveat*, inquit, *Martha, ne turbetur erga plurima, memor sororis meliorem partem esse. Sic illa juvari ab hac velit, ut ei*
D. Amb. *non noceat.* Et Divus Ambrosius *in Psalm.* 118, *octon.* 11, relata sententia Salvatoris : *Martha, Martha solicita es, etc.* affirmat : *Ita verbum cognoscere majus opus esse, quam ministrare, divinæ authoritate sententiæ de-*
2 ad Tim. 2. *finitur.* Tum etiam ex Apostolo 2 *ad Timoth.* 2, ubi discipulum in munere prædicandi instruens ait : *Labora sicut bonus miles Christi Jesu. Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat, cui se pro-*
Lorin. Act. 6. *bavit.* Textus Græcus apud Lorinum *Actor.* 6, habet *Negotiationibus vitæ, victusque.* Et
D. Tho totum locum recte declarat Divus Thomas ibi, *lect.* 1, in hunc modum : « Tripliciter
« est aliquis miles Christi. Primo, in quan-
« tum pugnat contra peccata. Secundo, pu-
« gnando contra errores. Tertio, contra
« tyrannos. Et non debet quiescere miles,
« quia dicitur a militia sustinenda. Sed
« sciendum est, quod alius est finis militiæ
« spiritualis, et alius militiæ corporalis;
« quia finis militiæ corporalis est, ut obti-
« neat victoriam contra hostes patriæ; et
« ideo miles debet abstinere ab his, qui
« abstrahunt a pugna, puta a negotiis, et
« deliciis : 1 ad Cor. 9 : Qui in agone con-
« tendit, ab omnibus se abstinet. Sed mili-
« tiæ spiritualis finis est, ut victoriam ha-
« beat ab hominibus, qui sunt contra Deum;
« et ideo oportet, quod abstineat ab omni-
« bus, quæ distrahunt a Deo. Hæc autem
« sunt negotia sæcularia, quia solicitudo
« hujus sæculi suffocat verbum. Et ideo di-
« cit : Nemo militans Deo implicat se ne-
« gotiis sæcularibus. » Et inferius addit :
« Causa autem, quare non debeat se impli-
« care, est ut ei placeat, cui se probavit. 1
« Joan. 2 : Si quis diligit mundum, non
« est charitas Patris in eo. Qui enim est
« miles Christi, devovit se ad militandum
« Deo; et ideo debet conari, ut ei placeat,
« cui se devovit. » Unde S. Cyprian. *epistol.* 66, eisdem Apostoli verbis utens infert :
« Quod cum de omnibus dictum sit, Nemo
« militans Deo obligat se molestiis sæcula-
« ribus; quanto magis molestiis. et laqueis
« secularibus obligari non debent, qui di-
« vinis rebus, et spiritualibus occupati, ab
« Ecclesia recedere, et ad terrenos, et sæ-
« culares vocari actus non possunt. » Ex quibus liquet, Apostolos, eorumque imitatores in procuranda animarum salute multum refugisse sæcularia negotia, cujusmodi sunt testamenta, lites, prætensiones, et aliæ curæ sæcularium.

§ XII.

Quæ doctrinæ hucusque traditæ possunt opponi, diluuntur.

Motiva contraria nostræ doctrinæ. 140. Contra ea, quæ § *præced.* diximus, possunt aliqua opponi, quibus oportet occurrere. Et in primis adversus id, quod pro jejuniis, aliisque asperitatibus corporalibus adduximus, objicitur primo : Nam
1 ad Tim. 4. Apostolus 1, *ad Tim.* 4, inquit : *Exercitatio corporalis ad modicum utilis est; pietas autem ad omnia utilis est.* Ubi nomine corpo-
Primum argumentum. ralis exercitationis intelligi jejunium, cilicia, et alias corporales afflictiones, sentiunt
D. Anse. D. Tho. D. Brun. D. Anselmus, D. Thomas, D Bruno, et alii. Ergo asperitates corporales parum conducunt ad perfectionem : econtra vero animarum zelus (qui *pietatis* nomine significatur), confert plurimum, debetque proinde illis longe præferri.

Confirmatio. 141. Confirmatur ex sanctis Patribus, qui ita sensisse videntur; nam in primis
Vit. PP. Roswe. in vitis Patrum, *lib.* 8, apud Rosweydum, *cap.* 63, B. Paphnutio Abbati, qui vitam eremiticam in summa vitæ asperitate sectabatur, revelatum est, ipsum non excessisse perfectionem cujusdam tibicinis, qui prius latrociniis, et scortationibus vacaverat, sed postea aliqua opera pietatis fecerat, vim, cum posset, non inferendo mulieribus,

bus, sed potius eas ab aliorum injuria liberando. Quod minime posset verificari, si asperitates corporales ita conferrent ad perfectionem, sicut nos ponderavimus.

Bern. Deinde D. Bernard. in Apologia ad Guillelmum Abbatem, reprehendit quosdam monachos, qui jejuniis, et hujusmodi corporis afflictionibus multum addicti detrahebant aliis, quod non sic jejunarent, sed vescerentur carnibus, et melioribus uterentur vestimentis. Quod non faceret, si pœnitentia corporalis ita, ut diximus, ad perfectionem conduceret. Verba S. Doctoris sunt : « Attendite in regulam Dei, cui utique non « dissonat institutio S. Benedicti. Regnum « Dei intra vos est. Luc. 17, hoc est, non « exterius in vestimentis, aut alimentis « corporis, sed in virtutibus interioris ho- « minis Unde Apostol. ad Roman. 14 : « Regnum Dei non est esca, aut potus ; sed « justitia, et pax, et gaudium in Spiritu « sancto. De corporalibus itaque observan- « tiis fratribus calumniam struitis, et quæ « majora sunt, Regulæ spiritualia insti- « tuta relinquitis. Magna abusio. Tunicati, « et elati abhorremus vestes pelliceas. Tan- « quam non melior sit pellibus involuta « humilitas, quam tunicata superbia. Re- « pleti deinde ventrem faba, mentem su- « perbia, cibis damnamus saginatos, quasi « non melius sit exiguo sagimine ad usum « vesci, quam ventoso legumine usque ad « ructum exsaturari, etc. » Tandem de

Bon. S. Francisco refert D. Bonavent. in ejus vita, *cap.* 6, quod sæpe dicebat Fratribus : De omni « eo, quod peccator potest, nemo sibi debet « iniquo applausu blandiri : peccator jeju- « nare potest, orare, plangere, carnemque « propriam macerare : hoc solum non po- « test, Domino scilicet suo esse fidelis. » Quæ omnia satis probant parum utilitatis inesse asperitatibus corporalibus, et non ita necessarias esse, ut animarum zelus constituat, vel supponat perfectionem.

urri- argu- ento. 142. Ad argumentum respondetur, nemi- nem Catholicorum posse illo Apostoli testimonio uti, ut parvifaciat pœnitentiam, et asperitates corporales, quibus corpus castigatur, et sub rationis regulis continetur. Nam Scriptura divina illos approbat, et commendat, ut supra vidimus; atque ut interim alia omittamus, Ecclesia publice canit : *Qui corporali jejunio vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris, et præmia.* Et oppositus, vel minus favens jejuniis, aliisque corporalibus macerationibus sentiendi modus est proprius hæreticorum : « nam « Waldenses, sive pauperes de Lugduno « (inquit Prateolus lib. 14, tit. 15,) ciborum Pratcol. « delectum damnant, et in jejunio nullum « esse meritum prædicant, in sui erroris « confirmationem illud D. Pauli male ab « eis intellectum detorquentes : corporalis « exercitatio ad modicum utilis est. » Et Philip. Melanchthon in Apologia pro Confessione Augustana, hujusmodi afflictiones, Philip. Melan. et mortificationes, apud Religiosos præsertim usitatas, appellat *hypocritas simulationes, et traditiones Pharisaicas, atque Mahumeticas.* Magdeburgenses etiam Centuriatores *in c.* 10 *Centur.* 4, multum detrahunt Magdeburgenses Centuriatores. modo asperrimo vivendi Sanctorum veterum Eremitarum, atque ita abhorrent corporis macerationem, ut dicant : *Sed quis non hæc hominum monstra execretur, ut inimicos humanæ societatis, et contra totam secundam tabulam delinquentes?* Unde curandum est Scriptoribus Catholicis, ne illo Apostoli, vel alio Scripturæ testimonio utentes, minus faveant pœnitentiæ, et corporalibus macerationibus, aut hæreticorum ea spernentium causam aliquo modo suscipiant. Præsertim vero curandum est, doctrinam catholicam firmare vitæ exemplo, sive pœnitentiæ, et mortificationis praxi : quod medium potentius est, quam doctrina, ad debellandum hæreses præsentis sæculi, ex amore carnis utplurimum procedentes, ut jam diximus *n.* 136.

143. Ad testimonium ergo Apostoli di- Explicatur locus Apostoli. cendum est dupliciter a Patribus exponi. Primo ita, quod per exercitationem corporalem significetur pœnitentia, sive vitæ asperitas consistens in vigiliis, jejuniis, ciliciis, et hujusmodi : et ita interpretantur Patres, quos allegat Nieremberg. Sed ex illo nihil concluditur contra ea, quæ superius tradidimus. Libenter enim concedimus, quod in genere melior sit pietas, quam pœnitentia, si utraque secundum se consideretur. Sed affirmamus, quod melior sit pietas cum pœnitentia, vel pœnitentia cum pietate, quam pietas sola, sive, ut objectio intendit, zelus animarum pœnitentiæ non associatus. Immo vero affirmamus imperfectum esse zelum, qui pœnitentiam vel non supponit, vel non parit, et comitem habet, ut spiritui corpus deserviat. Sicut in genere loquendo, et res secundum se considerando, melior est amor Dei, quam amor proximi; et tamen amor Dei, et proximi simul est melior, quam solius Dei amor ;

quinimo hic imperfectus est, si ad proximum non se extendit, ut supra *n.* 123 vidimus ex D. Thom. Unde cum Apostolus dicit exercitationem corporalem ad modicum utilem esse, loquitur respective, et per comparationem ad virtutem specie meliorem; sed non negat, quod absolute habeat plures utilitates, cum ipse dixerit : *Castigo corpus meum, in servitutem redigo, ne cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar*, ut magis expendimus *num.* 135. Et quidem ut alios jejunii, pœnitentiæ, et asperitatis corporalis fructus, atque effectus nunc omittamus, utilissima sunt hæc, ut Religiosi observent votum castitatis, quæ raro, aut vix sine illis illibata custoditur. Unde D. Thom. infra, *quæst.* 147, *artic.* 1, inquit : « Assumitur jejunium principaliter ad tria. « Primo quidem ad concupiscentias carnis « reprimendas. Unde Apostol. dicit in au- « thoritate inducta : In jejuniis, in casti- « tate; quia per jejunia castitas conserva- « tur. Ut enim Hieronym. dicit : Sine Ce- « rere, et Baccho friget Venus; id est, per « abstinentiam cibi, et potus tepescit luxu- « ria. » Et *quæstione* 186, *articulo* 7, *ad* 2, ait : « Dicendum, quod omnes aliæ Religio- « num observantiæ ordinantur ad prædicta « tria principalia vota.» Et post pauca subdit : « Alia vero, quibus corpus maceratur, « sicut vigiliæ, jejunia, et si qua sunt hu- « jusmodi, directe ordinantur ad votum « continentiæ observandum.» Et *opusc.* 18, *cap.* 9, ait : « Oportet continentiam assu- « mentibus carnem propriam, abstractis « delitiis, vigiliis, jejuniis, et hujusmodi « exercitiis castigare. » Eodem modo loquuntur alii sacri Doctores. D. Hieronym. *epistol.* 10, *ad Furiam*, inquit : « Ardentes « diaboli sagittæ jejuniorum, et vigiliarum « rigore restinguendæ sunt. Quid necesse « est nos jactare pudicitiam, quæ sine co- « mitibus, et appendicibus suis continen- « tia, et parcitate, fidem sui facere non « potest? » D. Gregor. *in* 1 *Reg. lib.* 5, *cap.* 14, ait : « Abstinentia ciborum contra « hoc vitium fortissima est. Si enim ignis « libido est, subtrahis igni materiam, cum « cibos subtrahis. » Unde liquet, quam statui religioso castitatem profitenti sit annexa, et intima pœnitentiæ, aliarumque asperitatum corporalium exercitatio.

Nota pro Religiosis. D. Tho. D. Tho. D. Hier. D. Greg.

Laudes jejunii, et pœnitentiæ ex D. Hier.

Verum fusius, et luculentius rem prosequitur D. Hieronym. *in lib. adversus Jovinianum* (cujus plures discipulos gignunt cuncta sæcula,) ex quo aliqua transcribere placet : « Quamobrem, ait, et ego tibi di- « cam : Si vis perfectus esse, bonum est « vinum non bibere, et carnem non man- « ducare. Si vis perfectus esse, melius est « saginare animam, quam corpus. Si au- « tem parvulus es, et coquorum te jura « delectant, nemo eripit faucibus tuis es- « culentas dapes. Manduca, et bibe, et si « tibi placet, cum Israel lude consurgens, « et canito : Manducemus, et bibamus, cras « enim moriemur. Manducet, et bibat, qui « post cibos expectat interitum, qui cum « Epicuro dicit : Post mortem nihil est, et « mors ipsa nihil est. Nos Paulo credimus « intonanti : Esca ventri, et venter escis; « Deus autem et hunc, et illam destruet. « Verum fac esum carnium cunctis natio- « nibus esse communem, et passim licere « quod passim gignitur. Quid ad nos, quo- « rum conversatio in cœlis est, qui super « Pythagoram, et Empedoclem, et omnes « sapientiæ sectatores non ei debemur « cui nascimur, sed cui renascimur : qui « repugnantem carnem, et ad libidinum « incentiva rapientem inedia subjugamus. « Esus carnium, et potus vini, ventrisque « saturitas seminarium libidinis est. Unde « et Comicus : Sine Cerere, inquit, et Li- « bero friget Venus. » Et infra addit : « Sapientiæ quoque operam dare non pos- « sumus, si mensæ abundantiam cogite- « mus, quæ labore nimio, et cura indiget. « Cito expletur naturæ necessitas : frigus, « et fames simplici vestitu, et cibo expelli « potest. Unde et Apostolus : Habentes, in- « quit, victum, et vestitum, his contenti « sumus. Deliciæ, et epularum varietates « fomenta avaritiæ sunt. Grandis exultatio « animæ est, cum parvo contentus fueris, « mundum habere sub pedibus, et omnem « ejus potentiam : epulas, et libidines, « propter quæ divitiæ comparantur, vili- « bus mutare cibis, et crassiore tunica « compensare.» Et inferius expendit plura Philosophorum exempla, qui ab esu carnis abstinuerunt, et proposito modo vivendi Diogenis, concludit : « Unius tantum Phi- « sophi exemplum posui, ut formosuli « nostri, et torosuli, et vix summis pedi- « bus adumbrantes vestigia, quorum verba « in pugnis sunt, et syllogismi in calcibus: « qui paupertatem Apostolorum, et crucis « duritiam aut nesciunt, aut contemnunt, « imitentur saltem Gentilium parcitatem.» Et hæc adduximus, ut admissa etiam priori illa expositione testimonii Apostoli, magis appareat,

appareat, quam inepte referatur tanquam contrarium resolutioni, qua statuimus jejunium, et alias corporales asperitates multum conferre ad majorem perfectionem.

Alia jusdem loci interpretatio. Bellarm.

144. Sed respondetur secundo cum Bellarmino *lib.* 2, *de bonis operibus in particulari, cap* 12, ubi contra hæreticos agens inquit : « Altera expositio verior, et plane « ad mentem Apostoli, est Chrysostomi, « Theodereti, Œcumenii, et aliorum, qui « per corporalem exercitationem non intel- « ligunt jejunium, sed studium corporis « confirmandi, et corroborandi : quod fa- « ciunt athletæ, gladiatores, milites, et cæ- « teri, qui viribus corporalibus egent. « Sumit enim Apostolus similitudinem ab « athletis, cum ait : Exerce te ipsum ad « pietatem. Nam id significat vox græca, « Gimnaze. Et sensus hujus loci hic est : « Exerce te more boni athletæ ad cursum, « vel certamen pietatis. Hoc enim vere uti- « lissimum est, tum in hac vita, tum in « futura. Nam qui vires exercent ad cur- « sum, vel corporale certamen, parum « inde lucrantur in hac vita, et in alia pror- « sus nihil. Similis locus est 1 ad Corinth. 9 : « Qui in agone contendit, ab omnibus se « abstinet ; et illi quidem, ut corruptibi- « lem coronam accipiant, nos autem incor- « ruptam. Porro S. Joan. Chrysost. non « solum docet Apostolum non loqui hoc « loco de jejunio, sed etiam refellit eos, qui « contra sentiunt. Neque enim credibile est, « Apostolum vocaturum fuisse jejunium cor- « poralem exercitationem, cum jejunium « ad corpus extenuandum, non ad confir- « mandum referatur, et cum sit vere spiri- « tualis, et cœlestis exercitatio. Deinde « quomodo diceret idem Apostolus jeju- « nium ad modicum valere, cum ipse idem « jejunium tam frequenter et verbo, et « exemplo discipulos hortaretur? Denique « nunquam Apostolus jejunio pietatem op- « poneret, quæ habet promissionem vitæ, « quæ nunc est, et futuræ ; cum id maxime « conveniat jejunio, ut in hac vita sanita- « tem efficiat, et conservet, ut patet ex cap. 1. « Daniel. et in alia mercedem accipiat a « Patre cœlesti, juxta promissionem Do- « mini Matth. 6. Itaque recte S. Leo serm. 1 « de jejunio Pentecost. Sequitur, inquit, « solenne jejunium, quod animis, corpori- « busque curandis salubriter institutum de- « vota nobis est observantia celebrandum. » Juxta quam expositionem non habet præ- dictum testimonium, in quo vel apparenter nostræ doctrinæ repugnet.

Satisfit confirmationi.

145. Ad confirmationem respondetur testimonia, quæ in illa referuntur, nihil evincere. Nam ad summum probant, jejunia, vigilias, cæterasque asperitates corporales non esse excellentissima virtutum opera, sed alia dari specifice, et objective perfectiora ; minime vero, quod hæc ipsa, quæ secundum speciem excellunt, non importent plus aliquid perfectionis, si pœnitentiæ et corporalibus asperitatibus associantur ; vel quod hujusmodi asperitates ad cæterarum virtutum existentiam, robur, et augmentum et consequenter ad perfectionem multum non conferant. Quod magis constabit occurrendo singulis testimoniis. Ad illud quod dicitur de B. Paphnutio, et tibicine, respondetur Angelum Paphnutio loquentem non constituisse inter ipsum, et tibicinem æqualitatem mathematicam, sed moralem, et proportionalem, et secundum quid ; solumque significasse Paphnutium non excessisse perfectionem tibicinis quantum ad exercitium alicujus virtutis. In quo sensu Ecclesia cuilibet sancto confessori applicat illud : *Non est inventus similis illi, qui conservaret legem Excelsi.* Et quod hic fuerit legitimus illius revelationis sensus, constat dupliciter. *Primo*, quia ipse tibicen, qui adeo perfectus describitur, conatus est sequi, et imitari Paphnutium. Nam postquam S. Abbas ei loquutus fuit : *Si, o frater, non parva a divinitate tui habetur ratio, ne tuam animam temere neglexeris ;* statim subjungitur : *Is autem statim projectis, quas habuit in manibus tibiis, et lyræ musicæ harmonia in spiritualem traducta melodiam, virum sequutus est in desertum.* Nempe Spiritu sancto ei suggerente perfectiorem esse Paphnutii vitam tot mortificationibus, atque asperitatibus afflictam. *Secundo*, quia postquam Paphnutius tibicinem ita traxit, et similiter protocomitem, et mercatorem, subditur : « Assistens An- « gelus dixit ei : Huc deinceps accede, o « Beate, in æterna Dei tabernacula ; vene- « runt enim Prophetæ te in suos choros « accepturi. Hoc autem non tibi prius reve- « lavi, ne si fuisses elatus, de tuis detra- « heretur meritis. Cum ergo uno solo die « supervixisset, et per revelationem ad eum « venissent quidam Presbyteri, omnibus « illis narratis, tradidit animam. Aperte au- « tem videntes Presbyteri eum assumi in « choris Justorum, et Angelorum, Deum

Abb. Paphn.

« laudabant. » Unde liquet Angelum prius non manifestasse Paphnutio eminentiam suorum meritorum, sed ea comparatione usum fuisse, ne ullam elationis occasionem haberet; sed minime voluisse negare, quod absolute excederet tibicinis justitiam, et merita. Addimus non multum deferendum esse Palladio hæc scribenti, ut constat ex his, quæ tradit D. Hieron. *in epistol. ad Ctesiphontem*, et S. Epiphanius *in epist. ad Joannem Hierosolymitanum*.

Pallad. D. Hier. S. Epiph.

Verba Divi Bernardi explicantur. D. Bern.

146. Ad secundum desumptum ex D. Bernardo respondetur, mentem S. Doctoris non esse, pœnitentiam, et asperitates corporales deprimere, et parvifacere, sed commendare humilitatem, ne sui Cistercienses asperrimæ vitæ addicti modo vivendi aliorum Monachorum leviori, aut non ita rigido aliqualiter detraherent, atque ideo subirent elationis periculum, amitterentque pœnitentiæ, ac asperitatum merita. Ex quo nec apparenter infertur, quod mortificatio carnis plurimum non conferat ad spiritualem perfectionem; sed colligitur, quod sit conjungenda aliis virtutibus, et præsertim humilitati. Et quod D. Bernardus ita sentiat, constat manifeste tum ex eadem Apologia, ubi ait : « Nec « hoc dico, quod hæc exteriora negligenda « sint, aut qui se in illis non exercuerit, « mox ideo spiritualis efficiatur; cum po- « tius spiritualia (quamquam meliora) nisi « per ista aut vix, aut nullatenus vel ac- « quirantur, vel obtineantur, sicut scrip- « tum est : non prius quod spirituale, sed « quod animale, deinde quod spirituale : « sicut nec Jacob nisi prius cognita Lia, « desideratos Rachelis amplexus meruit « obtinere. Unde rursus in Psalmo : « Sumite psalmum, et date tympanum. « Quod est dicere : Sumite spiritualia, sed « prius date corporalia. » Tum etiam ex eo, quod ipse asperitates corporales frequentissime in suis operibus laudat, et quod pluris est, suæ vitæ exemplo commendavit; nam ut plura omittamus, hæc de illo scribit Guillelmus Abbas in ejus vita, lib. 1, cap. 8 : « Videres hominem « imbecillem, et languidum conari, et ag- « gredi quæcumque vellet, minus conside- « rare quid posset, solicitum pro omnibus, « circa seipsum negligentem, omnibus in « omnibus aliis obedientissimum, sed de « seipso vix aliquando, seu charitati, seu « potestati obedientem. Semper enim « priora sua nulla reputans, majora mo- « liebatur ad non parcendum corpori, ad « studiis spiritualibus robur addendum, « corpus suum variis infirmitatibus per se « attenuatum jejuniis insuper, et vigiliis « sine intermissione atterendo. Orabat « stans die, noctuque, donec genua ejus in- « firmata a jejunio, et pedes ejus labore « inflati corpus sustinere non possent. « Multo tempore, et quandiu occultum esse « potuit, cilicio ad carnem usus est. Ubi « vero sciri advenit, continuo illud abji- « ciens, ad communia se convertit. Cibus « ejus cum pane lac, vel aqua decoctionis « leguminum, vel pultes, quales infantibus « fieri solent. Cætera vel ejus infirmitas « non recipiebat, vel parcimoniæ studio « ipse recusabat. Vino si quando utebatur, « raro, et nimis modico; cum magis « aquam et infirmitati suæ, et appetitui « competere testaretur. Sic autem affectus, « et confectus, a communi fratrum labore, « seu diurno, seu nocturno vix se aliquando « patiebatur esse excusatum, seu ab occu- « pationibus, et laboribus ministerii sui, « etc. » Tum denique ex eo, quod S. Pater cernens suos Monachos pœnitentia, et asperitatibus corporalibus afflictos, noluit eos consolari pœnitentiam removendo, aut diminuendo, sed potius ad eam perferendam hortando, ut constat ex præfatione ad Psalm. *Qui habitat*, ubi inquit : « Consi- « dero labores vestros, fratres, non sine « magno miserationis affectu. Quæro con- « solationem, quam exhibere possim, et « corporalis occurrit. Sed ea non prodest « quicquam, magis et obesse plurimum « potest. Siquidem modica sementis de- « tractio non modicum messis est detri- « mentum; et si pœnitentia vestra mi- « nuatur miseratione crudeli, paulatim « gemmis corona vestra privatur. Quid « tamen agimus? Ubi Prophetæ farinula? « Siquidem mors in illa est; et mortifica- « mini tota die in jejuniis multis, in labo- « ribus frequenter, in vigiliis supra mo- « dum, præter ea quæ intrinsecus sunt, « contritio cordium, et multitudo tenta- « tionum. Mortificamini, sed propter eum « qui mortificatus est pro vobis. Quod si « abundat tribulatio vestra pro eo, abun- « dabit consolatio vestra per eum, ut in eo « delectetur anima, quæ in his renuit con- « solari. Apud ipsum namque ipsa quoque « tribulatio magna quædam consolatio po- « terit inveniri. Nonne enim certum est « supra vires humanas, ultra naturam, contra

D. Bern. insignis pœnitentiæ laudator.

Guillel. Abbas.

« contra consuetudinem esse, quæ sustine-
« tis etc. » Ex quibus omnibus patet, quid D. Bernardus de asperitatibus, et mortificationibus corporalibus senserit, et quam inique referatur contra illas.

æ re-
runtur
ex D.
ancis-
expli-
antur.

147. Ad tertium desumptum ex D. Bonavent. in vita S. Francisci, respondetur sicut ad testimonium Divi Bernardi, commendasse videlicet S. Patriarcham humilitatem, cæterasque virtutes, voluisseque a suis elationis periculum ex magnis asperitatibus occasionaliter imminens illa sententia amovere; sed minime sprevisse pœnitentiam, quam ipse verbo, atque exemplo docuit necessariam ad perfectionem. Fuit enim vir sanctissimus mortificationi, et asperitatibus corporalibus valde addictus, ut constat ex eodem D. Bonavent. in ejus vita, *cap.* 6, ubi ait : « Cum igitur « cerneret vir Dei Franciscus suo exemplo « ad crucem Christi bajulandam ferventi « spiritu plurimos animari, animabatur « et ipse tanquam bonus dux exercitus « Christi ad palmam victoriæ per culmen « invictæ parvenire virtutis. Attendens « enim illud Apostoli verbum : Qui autem « sunt Christi, carnem suam crucifixerunt « cum vitiis, et concupiscentiis, ut crucis « armaturam suo ferret in corpore, tanta « disciplinæ rigiditate sensuales appetitus « arcebat, ut vix necessaria sumeret sustentationi naturæ. Difficile namque dicebat necessitati corporis satisfacere, et « pravitati sensuum non parere. Propter « quod cocta cibaria sanitatis tempore vix « admittebat, et raro : admissa vero aut « conficiebat cinere, aut condimenti sapo-« rem admixtione aquæ utplurimum red-« debat insipidum. De potu quid dicam, « cum et de aqua frigida, dum sitis æstua-« ret ardore, vix ad sufficientiam biberet ? « Modos adinveniebat abstinentiæ potiores, « et quotidie exercitatione crescebat, licet-« que jam perfectionis culmen attingeret, « tanquam incipiens semper aliquid inno-« vabat, afflictionibus carnis puniendo « libidinem. Egrediens tamen foras prop-« ter verbum Evangelii conformabat se « suscipientibus ipsum in qualitate cibo-« rum ; cum tamen ad interiora regressus « districte servaret rigidam abstinentiæ « parcitatem. Sicque seipsum austerum « sibi, humanum proximis, subjectum « Evangelio Christi per omnia reddens, « non solum abstinendo, verum etiam « manducando præbebat ædificationis exem-

Bon.

« plum. Nuda humus ut frequentius lectus « erat lassato corpusculo, et sæpius sedens, « ligno, vel lapide ad caput posito, dormie-« bat : unica paupere contentus tunicula, « in nuditate Domino serviebat, et frigore. » Hæc, et alia plura de asperitatibus corporalibus Seraphici Patris scribit S. Bonavent. Et Bellarm. *tom.* 2, *lib.* 2 *de Monachis*, *cap.* 6, § *Tertio dicit*, addit : « Sed « quod S. Franciscus nudis pedibus ambu-« laret, una sola tunica, eaque cilicina, et « asperrima uteretur, humi cubaret, totas « noctes vigilaret, fere semper jejunaret, « pane solo, et aqua utplurimum susten-« taretur, quis nisi insanus ad corporis « utilitatem referet ? » Unde verba, quæ in confirmatione referuntur, non eo direxit S. Pater ut pœnitentiam parvifaceret, vel suos Religiosos ad illam redderet minus affectos, cum ipse in se, et in suis fuerit mortificationis corporalis studiosissimus ; sed ut doceret, necessarium esse aliarum virtutum, et præsertim humilitatis consortium, ut procul faceret cujusvis gloriolæ, aut elationis periculum.

D. Bon. Bellarm.

Et bene observandum est, quod sicut in testimoniis, quæ in confirmatione referuntur, significatur operibus pœnitentiæ, et asperitatum corporalium non esse inseparabiliter annexam sanctitatem, posseque prædicta fieri cum spiritu superbiæ, et elationis, ita ut ad justitiæ profectum, et gloriæ meritum non conducant ; idque intendit latens objectionis, aut objicientium spiculum. Sic dicendum est, quod operibus docendi, scribendi, prædicandi, alloquendi proximos, visitandi infirmos, conficiendi testamenta, peregrinandi ad extrema terræ, et aliis hujusmodi non annectitur inseparabiliter vera sanctitas ; sed cuncta illa fieri queunt ex vilibus motivis superbiæ, vel avaritiæ, ita ut nullum mereantur præmium gratiæ, vel gloriæ, juxta illud Christi Domini Matth. 7: « Multi « dicent mihi in illa die : Domine, nonne « in nomine tuo prophetavimus, et in no-« mine tuo dæmonia ejecimus, et in no-« mine tuo virtutes multas fecimus ? Et « tunc confitebor illis. Quia nunquam novi « vos. Discedite a me, qui operamini ini-« quitatem. » Et rursum Matth. 23 : « Su-« per cathedram Moysi sederunt Scribæ, « et Pharisæi. Omnia ergo quæcumque « dixerint vobis, servate, et facite ; secun-« dum opera vero eorum nolite facere. « Dicunt enim, et non faciunt : alligant

Totum argumentum retorquetur in adversarios.

Matth. 7.

Matth. 23.

« autem onera gravia, et importabilia, et « imponunt in humeros hominum ; digito « autem suo nolunt ea movere. Omnia « vero opera sua faciunt, ut videantur ab « hominibus. Dilatant enim philacteria « sua, et magnificant fimbrias. Amant au- « tem primos recubitus in cœnis, et pri- « mas cathedras in synagogis, et saluta- « tiones in foro, et vocari ab omnibus « Rabbi. » Quocirca omnibus curandum est, ut virtuti, quam præcipue exercent, adjungant aliarum chorum, et in nullo deficiant ; sicut enim asperitas corporalis pœnitentiæ parum, aut nihil proderit absque humilitate interiori : ita externus animarum zelus non multum profectum subjecto afferet, si non associetur humilitati, temporalium rerum contemptui, pœnitentiæ necessariæ, cæterisque virtutibus.

Secundum argumentum.

148. Secundo contra illa, quæ *a num.* 129 diximus de asperitatibus corporalibus Christi Domini, ut inde probaremus pœnitentiam multum conducere ad perfectionem, objicitur : nam Christus Dominus tenuit vitam cum aliis communem : sed cum hoc non cohæret, quod usus fuerit mortificationibus, et asperitatibus, quales descripsimus : ergo nec illis usus est, nec ipsæ multum conferunt ad perfectionem. Consequentia patet ; nam cum Christus Dominus fuerit exemplum nostræ perfectionis, non est credibile, quod omiserit ea, quæ ad perfectionem valde conducunt. Minor etiam videtur evidens : nam longe differunt inter se vita aspera, sive austera, et vita communis. Majorem autem expresse docet D. Thom. 3 *part. quæst.* 40, *art.* 2, ubi ait : « Dicendum, « quod sicut dictum est, congruum erat « Incarnationis fini, ut Christus non ageret « solitariam vitam, sed cum hominibus « conversaretur. Qui autem cum aliquibus « conversatur, convenientissimum est, ut « se eis in conversatione conformet, secun- « dum illud Apostoli 1 ad Cor. 9 : Omnibus « omnia factus sum. » Et ideo convenientissimum fuit, ut Christus in cibo, et potu communiter se, sicut alii, haberet. Et esse communem Doctorum sententiam, tradit Nieremberg. *lib. cit. distinct.* 10, *cap.* 92, pro illa referens Irenæum, August. Chrysostomum, Hieronymum, Ambros. Theophilactum, Euthym. Albertum, Cajetanum, Jansenium, Suarium, Tannerum, et alios.

D. Tho.

Nierem. Irenæus. August. Chrysos. Hieron. Ambros. Theophi. Euthym. Albert. Cajet. Jansen. Suar. Tanner.

Confirmatio prima.

Confirmatur primo : quia Scribæ, et Pharisæi exprobarunt Christo, quod non jejunaret, et a vino non abstineret ; id autem non facerent, si Christus jejunasset, et in cibo, et potu se ita gessisset, sicut *a num.* 129 descripsimus, quemadmodum jejunia, et asperitates non exprobrarunt in Joanne Baptista : ergo signum manifestum est, quod Christus non duxerit vitam asperam, et pœnitentem, qualem superius depinximus. Major constat ex verbis Christi Domini Matth. 11 : *Venit enim Joannes neque manducans, neque bibens, et dicunt : Dæmonium habet. Venit Filius hominis manducans, et bibens, et dicunt : Ecce homo vorax, et potator vini, publicanorum amicus, etc.*

Matth. 11.

Confirmatur secundo : quia Christus habuit loculos Judæ commissos, in quibus recondebantur pecuniæ ipsi oblatæ, ut constat *Joan.* 12. Ergo signum est, quod non duxerit vitam adeo pauperem, sicut supra ponderavimus, et quod ad perfectionem non ita conferat temporalium indigentia.

Confirmatio secunda

Joan. 12

Et urgetur, quia Apostoli, et Christi discipuli post ejus resurrectionem retinebant, et conservabant pretia prædiorum, distribuendo illa prout unusquisque indigebat : ergo carere rebus temporalibus, præsertim in communi, vel nihil, vel parum conducit ad perfectionem.

Urgetur

149. Ad argumentum respondetur negando minorem, quia optime cohæret, quod Christus Dominus duxerit vitam communem, ut Divus Thomas affirmat ; et quod nihilominus plures mortificationes, afflictiones, atque asperitates corporales sustinuerit, ut supra diximus, et testimoniis Scripturæ, et Sanctorum evidenter probavimus : unde nihil concludit objectio. Pro quo nota, quod cum Divus Thomas resolvit, Christum Dominum duxisse vitam communem, considerat vitam communem per contrapositionem ad vitam solitariam, et omnino austeram, hominibusque non familiarem, quam Joannes Baptista agebat in deserto, ut constat *ex fine corp. et resp. ad* 1 *et* 2. Bene autem componitur, quod Christus Dominus vitam Joannis non duxerit, saltem quando peccatoribus loquebatur, eosque convertebat, et quod non fuerit usus pellibus pro vestimento, nec locustis, et melle sylvestri ad cibum ; et quod nihilominus plurimas afflictiones, et asperitates corporales voluntarie sustinuerit. Quod minime negat Divus Thomas, sed potius manifeste affirmat. Nam pauperrimum fuisse asserit verbis relatis *n.* 128 et *in loco citato ex* 3 *part. art. seq. ad* 2, ait : « Dicendum quod

Diluitur argumentum

D. Tho

Vita D. quo sensu dicatur communis.

D. Tho

« quod communi vita uti, quantum ad vic-
« tum, et vestitum, potest aliquis non so-
« lum divitias possidendo, sed etiam a mu-
« lieribus, et divitibus necessaria acci-
« piendo. Quod etiam circa Christum
« factum est. » Unde liquet quod ex sen-
tentia S. Doctoris, vita communis, quam
Christo attribuit, non fuerit vita communis
divitum, aut delicatorum, sed vita commu-
nis pauperum ex eleemosynis viventium,
quos certum est plura incommoda pati,
ut ipse Dominus de seipso significavit
Luc. 9. Luc. 9 : *Filius hominis non habet ubi caput reclinet*. Et præterea ut doceret congruen-
tem communem vivendi modum, quem
observare oportet procurantes aliorum sa-
lutem, jejunavit, et in desertum secessit, ut
D. Tho. recte ponderat Divus Thomas 3 *part. quæs-
tione* 41, *artic.* 3 *ad* 1, ubi ait : « Nullus
« debet assumere prædicationis officium,
« nisi prius fuerit purgatus, et virtute per-
« fectus : sicut et de Christo dicitur Actor.
« 1, quod cœpit Jesus facere, et docere. Et
« ideo Christus statim post Baptismum
« austeritatem vitæ assumpsit, ut doceret
« post carnem edomitam oportere alios ad
D. Tho. « prædicationis officium transire. » Et in
articulo, qui nobis objicitur, *in resp. ad* 3,
ait : « Dicendum quod sicut Chrysost. dicit
« super Matth. ut discas, quam magnum
« bonum est jejunium, et quale scutum est
« adversus diabolum, et quoniam post
« Baptismum non lasciviæ, sed jejunio in-
« tendere oportet, et ipse jejunavit, non eo
« indigens, sed nos instruens. » Et in fine
responsionis concludit : « Nec tamen in-
« congruum fuit, ut Christus post jejunium,
« et desertum ad communem vitam redi-
« ret ; hoc enim convenit vitæ, secundum
« quam aliquis contemplata aliis tradit,
« quam Christus dicitur assumpsisse, ut
« primo contemplationi vacet, et postea ad
« publicum actionis descendat, aliis con-
« vivendo. Unde et Beda dicit super Mar-
« cum : Jejunavit Christus, ne præceptum
« declinares : manducavit cum peccatori-
« bus, ut gratiam cernens agnosceres po-
« testatem. » Recolantur cuncta, quæ su-
pra *a num.* 128, diximus de asperitatibus,
sive afflictionibus corporalibus Christi Do-
mini in lecto, victu, vestitu, vigiliis, aliis-
que hujusmodi : ex quibus palam constabit,
vitam communem, sive familiarem, qua
in procuranda hominum salute juxta finem
Incarnationis usus est Dominus, fuisse si-
mul asperam, et sui sacratissimi corporis
afflictivam. Modo addimus, in nullo cano- Nota.
nico libro legi, quod Christus comederit
carnes, nisi tantum agnum paschalem :
quod ad cæremoniam, et illius legis religio-
nem pertinebat, ut recte observavit Petrus Petrus Duran.
Duran. *in lib. peregrinat. filii Dei, cap.* 2,
§ 22. Et quidem vitam communem (qualis
ad aliorum conversionem requiritur, quam-
que Christus Dominus in se expressit),
posse optime componi cum abstinentia a
carnibus, jejuniis, vigiliis, pedum nudi-
tate, aliisque asperitatibus corporalibus,
facile ostenditur. Tum exemplo Apostolo-
rum, qui juxta institutum Christi Domini
duxerunt vitam communem conversioni
animarum necessariam; et tamen ea omnia
præstiterunt, ut fuse ostendimus *a num.*
232. Tum exemplo omnium fere sacrarum
religionum, quæ zelo animarum per suos
alumnos incumbunt : referunt enim vitam
communem, quantum ad proximorum sa-
lutem oportet ; et tamen plura sustinent
aspera, et carni contraria, ut abstinentiam
a carnibus, jejunia, vigilias, chorum, et
alia hujusmodi. Quæ satis declarant, Chris-
tum Dominum potuisse ducere, et de facto
duxisse vitam communem, ut Divus Tho- D. Tho.
mas eo loco affirmat : et simul potuisse du-
cere, atque de facto duxisse vitam pluribus
incommoditatibus, sive asperitatibus cor-
poralibus afflictam, ut ipse S. Doctor, et alii
Patres tradunt locis superius relatis, et
magis constabit ex immediate dicendis.

150. Ad confirmationem primam res- Occurri-
pondetur cum D. Hieronym. *in lib. adver-* tur pri-
sius Jovinianum, ubi hæc habet : « Illud mæ con-
« autem, quod proponere Adversarius au- firmatio-
« sus est, Dominum voratorem, et potato- ni.
« rem vini a Pharisæis appellatum, et quia Hieron.
« ad epulas ierit nuptiarum, et convivia
« non despexerit peccatorum, existimo
« quod nobiscum faciat. Iste est Dominus
« (ut arbitraris) vorator, qui quadraginta
« diebus Christianorum jejunium sancti-
« ficavit : qui beatos appellat esurientes, et
« sitientes : qui escam habere se dicit, non
« quam discipuli suspicabantur, sed quæ
« in perpetuum non periret : qui de die
« crastina cogitare prohibet : qui cum esu-
« rire, et sitisse dicatur, et ivisse frequenter
« ad prandia, excepto mysterio, quod in
« typum suæ passionis expressit, et pro-
« bandi corporis veritate, nec gulæ scri-
« bitur servisse, nec ventri. Qui divitem
« purpuratum propter epulas narrat in
« tartaro ; et Lazarum pauperem ob ine-

« diam dicit esse in sinu Abrahæ. Qui « quando jejunamus, ungi caput, et lavari « faciem præcipit, quod non gloria homi- « num, sed Domini jejunamus. Qui come- « dit quidem post resurrectionem partem « piscis assi, et favum, non propter esu- « riem, et gutturis suavitatem, sed ut ve- « ritatem sui corporis comprobaret. Nam « quotiescumque mortuum suscitavit, jus- « sit ei dari manducare, ne resurrectio « phantasma putaretur. Et Lazarum post « resurrectionem ob hanc causam scribi- « tur cum Domino inisse convivium. Nec « hoc dicimus, quod negemus pisces, et cæ- « tera (si voluntatis fuerit) in cibo esse su- « menda. Sed quomodo nuptiis virginita- « tem, ita saturitati, et carnibus jejunia « spiritumque præferimus. » Hæc S. Doc- tor. Ex quibus constat objectionem esse Pharisiacam, Dominumque in conviviis (quæ ut peccatores converteret, non recu- sabat), maximam observasse temperan- tiam, et parsimoniam; minimeque deviasse ab illis commendationibus, quibus jeju- nia, et pœnitentiam laudaverat, et quæ pertinent ad vitam asperam, sive ad car- nis macerationem.

Satisfit secun- dæ D. Tho.

Ad secundam confirmationem respondetur negando consequentiam, cujus vim diluit D. Thom. *opusc.* 19, *cap.* 6, his verbis : « Dicendum quod quamvis non sit præcep- « tum, quod nihil pecuniæ ad usus neces- « sarios reservetur, est tamen consilium : « nec Dominus loculos habuit, quasi alias « ei non potuisset provideri ; sed ut infir- « morum gerens personam, ut sibi licitum « crederent, quod a Christo observatum « viderent. Unde Joan. 12, super illud : « Et loculos habens, dicit Glossa : Cui mi- « nistrant Angeli, loculos habet in sumptus « pauperum, condescendens infirmis. Et « super illud Psalm. 103 : Producens fœ- « num jumentis, dicit Glossa : Dominus « loculos habuit in usus eorum, qui cum « ipso erant, et suos, personam infirmo- « rum magis suscipiens, ut ibi : tristis est « anima mea. Habuit et religiosas mulie- « res in comitatu, quæ ministrabant ei de « substantia sua. Prævidit enim multos « infirmos futuros, et ista quæsituros : et « tamen loculos, quos habebat, ex possessio- « nibus non impleverat, sed ex his, quæ ei « a devotis fidelibus administrabantur. » Ex quibus liquet, loculos non fuisse contra maximam Christi paupertatem : tum quia erant in usus pauperum : tum quia non erant ex redditibus, sed ex eleemosynis : tum quia illis usus est Dominus per quandam condescensionem, ut consolaretur infirmos, ostendens id non esse illicitum, ut magis infra declarabimus. Eandem doctrinam tradit D. Bonavent. *in opusc. de paup. Christi*, ubi relatis authoritatibus, quas D. Thom. expendit, concludit : « Ex « his Glossis manifeste apparet, quod mo- « dus habendi loculos in Domino in nullo « minuit paupertatem. Sic enim Dominus « condescendit infirmitati, et necessitati, « ut tamen salva esset forma paupertatis, « et exemplum, quod præcipue monstrare « venerat hominibus. Juxta quod dicit « Apostolus : Factus est pro nobis egenus, « ut illius inopia divites essemus, pau- « pertatem videlicet altissimam voluntarie « imitando. » Fusius id prosequitur S. Doctor *in apologia pauper.* ubi post plura inquit : « Non igitur loculi Christi ad fomen- « tum cupiditatis trahendi sunt. Sicut in « Salvatore nostro crucifixo nihil fuit, « quod sæculares glorias, aut delicias sa- « peret : sic nihil egit, nihil docuit, per « quod mundi divitias appetendas esse « monstraret ; quin potius ut nos ad perfec- « tæ paupertatis amorem accenderet, in « hujus mundi campum hostem impugna- « turus ingrediens, de pauperrima matre « pauperrimus prodiit. Sed et hostiam Deo « Patri ut Pontifex offerens, nudus in cru- « ce pependit. Necnon ut veritas ejus tan- « quam perfectissimæ rectitudinis medium « nequaquam discordaret ab extremis, tota « ipsius vita caminus paupertatis fuit. Hu- « jus igitur invictissimi ducis nuditate « tanquam armatura circumdati, et in eo « sperantes, qui ait : Confidite, ego vici « mundum, in ipsius pauperis crucifixi no- « mine hostiles excipiamus insultus. »

D. Bona.

Nota. D. Bona.

Augmentum difficultatis infringitur.

151. Augmentum vero difficultatis confirmationi insertum non premit ; quia certum est, Apostolos pauperrimos fuisse : id quippe prædicatores fidei decebat, ut securius, ac melius susciperetur eorum doctrina, ut agens de insigni Christi paupertate optime tradit D. Thom. 3 *part. quæst.* 40, *art.* 3, his verbis : « Dicendum quod Chris- « tum decuit in hoc mundo pauperem vi- « tam ducere. Primo quidem, quia hoc « erat congruum prædicationis officio, « propter quod ipse de se dicit Marc 1 : Ea- « mus in proximos vicos, et civitates, ut « ibi prædicem ; ad hoc enim veni. Oportet « autem prædicatores verbi Dei, ut omnino

D. Tho.

vacent

uper- tas in ncio- atori- s com- enda- tur.

« vacent prædicationi, omnino a sæcula-
« rium rerum cura esse absolutos ; quod
« facere non possunt, qui divitias possi-
« dent Unde et ipse Dominus Apostolos ad
« prædicandum mittens, dicit eis Matth.
« 10 : Nolite possidere aurum, neque ar-
« gentum. Et ipsi Apostoli dicunt Actor. 6 :
« Non est æquum nos relinquere verbum
« Dei, et ministrare mensis. » Deinde pro-
posita secunda ratione, prosequitur : « Ter-
« tio ne si divitias haberet, cupiditati ejus
« prædicatio adscriberetur. Unde Hiero-
« nym. dicit super Matth. Quod si disci-
« puli ejus divitias habuissent, viderentur
« non causa salutis hominum, sed causa
« lucri prædicare. Et eadem ratio est de
« Christo. Quarto ut tanto major virtus di-
« vinitatis ejus ostenderetur, quanto per
« paupertatem videbatur abjectior. Unde
« dicitur in quodam sermone Ephesini
« Concilii : Omnia paupera, et vilia eligit ;
« omnia mediocria, et plurimis obscura,
« ut divinitas cognosceretur orbem trans-
« formasse terrarum : propterea paupercu-
« lam elegit matrem, pauperiorem patriam,
« egens fuit pecuniis, et hoc tibi exponit
« præsepe. » Unde cum Apostoli perfectis-
sime imitati fuerint Christum Dominum,
et munus prædicationis optime excercue-
rint, strictissimam paupertatem professi
sunt contemnendo possessiones, et mundi
Tho divitias. Et ita S. Doctor *opusc.* 19, *cap.* 6,
inquit : « Primordium perfectionis in
« Christo, et Apostolis fuit. Sed ipsi non
« leguntur sua relinquentes aliquas posses-
« siones habuisse in communi, imo potius
« legitur, quod neque etiam domos habe-
« bant ad manendum. Ergo perfectio pau-
« pertatis non requirit aliquas possessio-
Tho. « nes communes. » Et *opusc.* 17, *cap.* 15,
ait : « Quis autem dicat, nisi hæreticus,
« primam instructionem discipulorum a
« Christo perfectioni Evangelicæ derogare?
« Mentiuntur ergo in doctrina fidei dicen-
« tes minoris perfectionis esse eos, qui
« communibus possessionibus carent. » Et
Bona. D. Bonavent. *in Apolog. paup.* refert ex
useb. Eusebio *lib.* 1 *Ecclesiast. hist. cap.* 13,
quod « cum post Christi ascensionem Aba-
« garus Rex sanatus esset a Thaddæo Apos-
« tolo, et præciperet eidem dari aurum, et
« argentum, ille non accepit dicens : Si
« nostra reliquimus, quomodo accipiemus
« aliena. » Quem divitiarum contemptum,
et generosam paupertatem imitari decet
Prædicatores, qui longissimas terras pene-

trant, ne si aurum, et argentum transmit-
tant, *videantur*, ut inquit D. Thomas, *non* Nota.
causa salutis hominum, sed causa lucri præ-
dicare. Quod autem Apostoli quandoque D. Tho.
pecunias receperint, quas fideles venditis
possessionibus ante eorum pedes ponebant,
minime præjudicat excellenti eorum pau-
pertati ; quia eas recipiebant, non ut apud
se retinerent, tanquam domini ; sed ut
illas in usum communem fidelium, et præ-
sertim pauperum, tanquam omnium mi-
nistri erogarent. Atque ab ista, et aliis
temporalibus curis, quamprimum potue-
runt, se expedientes dixerunt Actor. 6: Actor. 6.
« Non est æquum nos derelinquere verbum
« Dei, et ministrare mensis. Considerate
« ergo fratres viros ex vobis boni testimo-
« nii septem, plenos Spiritu sancto, et
« sapientia, quos constituamus super hoc
« opus. Nos vero orationi, et ministerio
« verbi instantes erimus. »

Nec tamen universaliter negamus, quod
aliquibus conveniat habere possessiones in
communi, quia ut D. Thom. *opusc.* 17, *cap.* D. Tho.
16, docet : « Expedit possessiones commu-
« nes possideri propter eos, qui non sunt
« summæ perfectionis capaces, qualis in
« primis credentibus fuit, qui tamen im-
« perfectiores omnino negligendi non erant:
« sicut etiam Dominus, cui Angeli minis-
« trabant, loculos habuit propter necessita-
« tem aliorum ; quia scilicet ejus Ecclesia
« loculos erat habitura, sicut Augustinus
« dicit super Joannem. Unde si qua sit con-
« gregatio, in qua omnes ad majorem per-
« fectionem tendant, expedit eis communes
« possessiones non habere. »

152. Ut autem ea quæ in argumento, et Notabilis doctrina D. Bona. qua adversi conatus etidun- tur.
confirmationibus dicuntur de vita commu-
ni, de minori austeritate, de paucioribus
jejuniis, et de loculis Christi Domini, peni-
tus elidantur, et evidentius appareat inde
minime inferri, quod asperitas vitæ in
victu, et vestimentis, et magna paupertas
plurimum non faciant ad nostram perfec-
tionem, habenda præ oculis est doctrina,
quam tradit D. Bonavent. *in apolog. paupe-* D. Bona.
rum, resp. 1, ubi ait : « Refulgent a Christo
« tanquam a totius nostræ salutis exem-
« plari, et originali principio actus multi-
« formes. Nam quidam actus in ipso respi-
« ciunt sublimitatem potentiæ, quidam sa-
« pientiæ lucem, quidem severitatem ju-
« dicii, quidam officii dignitatem, quidam
« condescensionem miseriæ, quidam in-
« formationem vitæ perfectæ, ut pauper-

« tatem servare, virginitatem custodire,
« Deo, et hominibus seipsum subjicere,
« noctes in oratione pervigiles ducere, pro
« crucifixoribus exorare, et morti se sum-
« ma charitate etiam pro inimicis offerre.
« Cum igitur sex sint hujusmodi actuum
« varietates, in his ultimis duntaxat ipsum
« imitari est perfectum. Nam in illis quæ
« sunt excellentiæ singularis, est impium,
« et Luciferianum, nisi fuerit alicui privi-
« legii singularis dono concessum. In his
« autem, quæ sunt severitatis, et dignita-
« tis, est præsidentium, et Prælatorum. In
« his quæ condescensionis, est infirmorum,
« in quantum loquimur ad actum extrin-
« secum. Nequaquam igitur, ut dogmati-
« zat, summa Christianæ perfectionis con-
« sistit in universali imitatione actuum
« Christi, sed tantum illorum, qui vitæ
« perfectæ imitationem respiciunt. » Et ne
quis putaret, aliquos fuisse in Christo Do-
mino actus imperfectos, observat idem S.
D. Bona. Doctor. *cap.* 1, *respons.* 1, quod « cum
« loquimur de Christi operibus, potest fieri
« sermo vel de ejus opere interiori, vel ex-
« teriori. Interius dicimus opus operans :
« exterius opus operatum. Omne autem
« opus Christi operans, sive interius, est
« perfectissimum, quia ex perfectissima
« charitate processit : et hoc est opus, et
« actus perfectissimæ voluntatis, et virtu-
« tis. Opus vero ejus exterius in se consi-
« deratum aliquando fuit perfectum de
« genere actus, utputa morti se offerre, vel
« animam pro ovibus ponere : aliquando
« imperfectum, ut a facie persequentium
« fugere, et seipsum abscondere, et pro
« amotione calicis exorare. Verumtamen
« hoc opus relatum ad Christi charitatem,
« et rationem, et causam, quare hoc facie-
« bat, et ad personam suam, efficitur per-
« fectissimum. » Quam doctrinam confir-
D. Aug. mat authoritate D. August. et D. Bernardi,
D. Bern. et deinde prosequitur : « Ipsa condescensio
D. Bona. « Christi, qui membris suis condescendebat
« infirmis, et imperfectis, ex sublimitate
« procedebat perfectissimæ charitatis. Si-
« cut enim humanam assumendo naturam,
« in nostris quidem factus est humilis, sed
« in propriis permansit excelsus : sic et
« summæ charitatis dignatione ad actus
« quosdam nostræ imbecillitati, et imper-
« fectioni conformes deprimitur, et a sum-
« mæ perfectionis rectitudine non curva-
« tur. Ac per hoc verum est, quod Christi
« perfecta sunt omnia opera ad ipsum re-
« lata. Utrum etiam es', quod Christus
« etiam fecit aliqua opera, infirmorum in
« se suscipiendo personam, et ad nostra
« condescendendo infirma, et imperfecta.
« Verum nihilominus, quod eorum oppo-
« sita laudabiliter possunt fieri : et lauda-
« bilius est facere illa pro loco, et tem-
« pore, quam omittere. Verum etiam, quod
« nunquam ex hoc discipulus est super ma-
« gistrum, quia nullus tanta charitate as-
« cendit ad illa fortia, quanta Christus con-
« descendit ad ista infirma, et ideo magister
« est semper supra discipulum. »

Ejusdem doctrinæ applicatio. D. Bona

Quam doctrinam applicat, eaque pro qualitate rei præsentis utitur idem S. Doctor *in eadem apolog. resp.* 2, *cap.* 3, in hunc modum : « Omnibus constat, quod tam je-
« junare, quam comedere fieri potest non
« solum perfecte, et imperfecte, verum etiam
« bene, et male, et sancte, et impie, secun-
« dum rationem diversorum finium, et cir-
« cunstantiarum. In hoc tamen est diffe-
« rentia inter jejunia servare, et jejunia
« solvere, quod primum de se est difficile,
« et arduum, ac de se efficax ad repressio-
« nem carnalis libidinis, et exercitationem
« spiritualis virtutis ; et ideo de ratione sui
« generis est bonum, et ad perfectionem
« ordinatum. Secundum autem, scilicet je-
« junia solvere, facile est, et carni suave,
« et ad quod inclinatur naturalis infirmi-
« tas; et ideo imperfectum de se, quamvis
« et perfecte fieri possit, ratione circums-
« tantiæ superadditæ, utpote cum a viro
« perfecto sit ratione debilitatis propriæ,
« vel condescensionis fraternæ. Fatemur
« igitur una cum illo, contra quem scribit,
« quod loquendo de natura hujusmodi ac-
« tuum, perfectius est jejunia servare,
« quam solvere; et quod Christus omnis
« virtutis exemplar et pro tempore jejuna-
« vit, et pro tempore jejunia solvit, ut in
« primo austeritatis vitæ præberet exem-
« plum, et in secundo humanæ infirmitati
« præstaret solatium. Propter quod et pri-
« mum fuit rigoris, secundum condescen-
« sionis ; utrumque tamen perfectum in
« Christo, quia ex perfectissima charitate
« processit. Nam condescensio, ut ex præ-
« determinatis est evidens, nullam imper-
« fectionem ponit in condescendente, sed in
« eis solum, quibus condescenditur, vel in
« ipso genere actus. Hoc si voluisset calum-
« niator advertere, varios in quos incidit,
« falsorum dogmatum declinasset errores.»
Hactenus Seraphicus Doctor.

Et

Vires objectionis eliguntur.

153. Et juxta hanc doctrinam, quando in objectione, et confirmationibus opponitur, Christum Dominum duxisse vitam communem in victu, et potu, et vestimentis, non multum jejunasse, habuisse loculos, et alia hujusmodi, ut hinc colligatur pœnitentiam, et asperitates corporales non multum interesse ad nostram perfectionem (præterquam quod hæc magna ex parte deficiunt, et falsa sunt, ut ex supra dictis constat), respondendum erit, actus quibus Christus Dominus hæc fecit, fuisse opera condescensionis, non vero informationis vitæ perfectæ. Voluit enim ipse per illos actus præstare solatium humanæ infirmitati, ostendendo prædicta licere, ne homines desperarent, quorum plures nolunt conari ad magis egregia virtutum opera. Sed simul ipse Dominus exercuit plurima opera, quæ non sunt condescensionis, sed informationis vitæ perfectæ, non solum prædicando, sed etiam jejunando, utendo vilibus vestimentis, non utendo calceis, cuncta sæcularia contemnendo, parcendo inimicis, sustinendoque quamplurima adversa, aspera, et dolorosa, tam in vita, quam in morte. Ad perfectionem autem nostram non pertinet imitari Christum Dominum in actibus condescensionis, quia hujusmodi actus etsi relati ad personam Christi sint excellentissimi, utpote facti ex perfectissima charitate; nihilominus, ut D. Bonavent. inquit, important imperfectionem in his, quibus condescenditur, et in ipso genere actus. Unde non solum licet omittere prædictos actus, v. g. non jejunandi, aut habendi loculos; sed etiam laudabilius est, et magis perfectum exercere actus contrarios jejunando, et relinquendo omnia temporalia, aliaque exercendo hujusmodi. Perfectio ergo nostra desumenda est per imitationem, et conformitatem ad illos Christi Domini actus, qui pertinent ad informationem vitæ perfectæ, et quibus, ut loquitur D. Bonavent. austeritatis vitæ præbuit exemplum, cujusmodi fuerunt non solum prædicare, et procurare animarum salutem, sed etiam contemplari, solitudinem petere, jejunare, abstinere a carnibus, uti vilibus indumentis, carere propria domo, et aliis rebus temporalibus, aliaque plurima incommoda, et aspera pati, ut supra expendimus *a num.* 128. Unde merito inferimus, et statuimus hæc omnia pertinere ad perfectionem vitæ christianæ, et religiosæ, multumque conferre ad ejus augmentum; et consequenter prædictam perfectionem non recte, nec satis explicari per zelum animarum solitarie acceptum, et a pœnitentia divisum; sed oportere quod hujusmodi zelus asperitatibus corporalibus associetur, atque ideo melius, et perfectius esse incumbere mortificationi, sive pœnitentiæ, et animarum saluti, quam soli animarum zelo insistere, non exequendo opera pœnitentiæ.

D. Bona.

D. Bona.

Roboratur præcedens doctrina auctoritate D. Tho.

154. Nec hæc doctrina (quæ in operibus Christi Domini distinguit actus condescensionis, quos imitari non obligamur, sed possumus laudabiliter, ac laudabilius omittere; et actus informationis vitæ perfectæ, quos imitari pertinet ad nostram perfectionem) est solius D. Bonaventuræ, sed etiam D. Thomæ, ex quo potest amplius roborari. Nam *opusc.* 19, *cap.* 6, inquit: « Quamvis « non sit præceptum, quod nihil pecuniæ « ad usus necessarios reservetur; est tamen « consilium. Nec Dominus loculos habuit, « quasi alias ei non potuisset provideri; « sed ut infirmorum gerens personam, ut « sibi licitum crederent, quod a Christo ob« servatum viderent. *Unde Joan.* 12, super « illud: Et loculos habens, dicit Glossa: « Cui ministrant Angeli, loculos habet in « sumptus pauperum, condescendens infir« mis. Et super illud *Psalm.* 103: Produ« cens fœnum jumentis, dicit Glossa: Do« minus loculos habuit in usum eorum, qui « cum ipso erant, et suos, personam infir« morum magis suscipiens, ut ibi, Tristis « est anima mea. *Et ibidem in resp. ad* 14, « ait: Dominus pecuniam reservari fecit « ad necessarios usus, ut infirmis condes« cenderet. Et ideo non est reputandum pro « superstitione, si aliqui perfecti viri pecu« niam reservare nolunt: sicut etiam ut « infirmis condescenderet, cum publicanis « comedebat, et vinum bibens, et aliis ci« bariis communiter utens. » Quod maxime pertinere videtur ad rationem vitæ communis, ut fuse ponderat Nieremberg. *ubi supra.* Sed tamen D. Thom. illud reponit inter opera condescensionis, non inter actus informationis vitæ perfectæ. Desumpsit autem uterque S. Doctor hanc doctrinam ex antiquioribus Doctoribus, Ambrosio, Augustino, Chrysostomo, Gregorio, et Hugone de S. Victore, quorum testimonia refert D. Bonavent. *loco citato, in resp.* 1, *cap.* 1. Ex quibus D. Chrysostom. ait: « Videte quanta « est Christi in condescensione diligentia, « sicut cum comedebat, et bibebat, cum vi-

Nierem. D. Tho.

D. Amb. D. Aug. D. Chry. D. Greg. Hugo de S. Vict. D. Ban. D. Chry.

« deatur ex adverso Joannes faciens : et « hæc Judæorum gratia salutis facit, magis « autem orbis terrarum universi. » Additque D. Bonavent. « Quid his clarius dici « potest? In quibus dicit Christum condes- « cendisse in cibo, et potu Judæis, qui uti- « que infirmi erant, non tam carne, quam « mente ; nam et infirmitatem carnis ipse « Joannes habebat. » Unde licet concederetur Christum comedisse carnes, quod tamen nisi de cœna mystica agni paschalis non constat, minime adhuc inferretur, ad perfectionem nostram spectare carnes comedere, et in hoc Christum imitari ; quia illarum esus in Christo fuit actus condescensionis, quem laudabiliter, et laudabilius omittere possumus jejunando. et a carnibus abstinendo.

Tertium argumentum.

155. Tertio contra ea, quæ de mortificatione corporali in vestimentis, et nuditate pedum diximus, quatenus confert ad perfectionem, potest opponi ex Baeza *tom.* 1, *in Evang. lib.* 2, *cap.* 7, § 11, ubi hæc habet : « Miror in Ignatii pœnitentia id, quod « omnes mirari cuperem, quod is gladius, « qui tam immaniter versatus fuit a primo « conversionis die, tandem cum ad Societa- « tem instituendam accedit, occultatur, et « quasi cooperitur, ut plures metat in aream « Christi. Qui cilicio opertus, et sacco, qui « nudis plantis, et capite nudo incedit a « principio, Societatem fundaturus laneo « pallio tegitur, calceos sumit, caput ope- « rit. » Deinde subdit : « Si Ignatius collec- « turus Societatem gladium exacutum re- « linqueret, saccum, cilicium, famem os- « tentaret, quoties hypocrisis notam incur- « reret? Quoties spueretur ? Quam paucos « socios asciscerel ? Verum sapientior ipse « gladius acutus, non hypocritum impe- « rium portans, pallio, et calceis obtegit « gladii duritiam. Et stans replevit omnia « morte : ejus exemplo innumeri primoge- « niti, adolescentes nobiles, divites, ma- « gnæ expectationis homines pristinam fas- « tidientes vitam, immoriuntur Christo. » Ergo vestimentorum asperitas, et pedum nuditas nihil, aut fere nihil ad perfectionem conducunt. Patet consequentia : tum quia si conducerent, eis utens non diceretur portare *hypocritum imperium*, sed potius medium utile ad perfectionem. Tum etiam, quia illa, quæ perfectioni deserviunt, non contemnuntur apud Catholicos, sed potius ad imitationem, atque virtutis amorem excitant : saccus vero, cilicium, et famis indicia contemptum pariunt ; eis quippe utens, inquit Baeza, *quoties spueretur ? quam paucos socios asciscerel ?* Et oppositus tenor trahit ad Christum innumeros adolescentes, primogenitos nobiles, divites, et magnæ expectationis.

Baeza.

Confirmatio.

Confirmatur, quia ita abest, ut asperitas vestimentorum, et pedum nuditas conferant ad perfectionem, quod magis illam impedire videntur. Quod sic ostenditur : nam proprium perfectorum est alios ad perfectionem trahere, et ad Christi mores convertere : ad id autem expedit horrorem, et rigorem non præferre in vestimentis ; sed potius illorum usui accommodari, quos convertere, et ad Christum trahere desideramus : ergo vestimentorum asperitas, et pedum nuditas non tam inferunt, quam impediunt perfectionem. Minor, in qua poterat essse difficultas, probatur ex Velasquez *tom.* 1, *in epist. ad Philip. cap.* 2, *vers.* 11, *annot.* 9, *morali, num.* 15, ubi refert hæc verba D. Hieronymi : « Vestibus lineis « utuntur Ægyptii Sacerdotes, non solum « intrinsecus, sed et extrinsecus. Porro re- « ligio divina alterum habitum habet in « ministerio, alterum in usu, vitaque com- « muni. » Subdit tunc Velasquez : « Divi- « nam inde religionem pensitans Hierony- « mus, quod pro aliorum utilitate lineam, « et subtilem, sicubi opus est, vestem de- « ponat, et communem cum populo assu- « mat. Sed et hac omnino de causa nullus « Jesuitis certus habitus, nullum indumenti « genus, sed juxta decentem ejus, in qua « degunt, regionis Sacerdotum usum, ac « modum signate præscriptum. Quod sane « ita mordicus retinuit semper Societas, ut « ipsimet ethnicorum habitui sese confor- « mare, et dum inter Japonios, et Sinas de- « git, eandem, qua illorum Sacerdotes, et « litterati viri utuntur, togam assumere non « dubitet : adeo suam frontem populo con- « venire studet, atque alias vestes interio- « ris, atque exterioris conversationis assu- « mere, et commutare. »

Velasq. D. Hier. Velasq. Velasq.

Observanda pro argumenti solutione.

156. Priusquam hæc diluamus, certo statuendum est, usum cujusvis sacræ Religionis circa vestimenta esse absolute bonum, et omni reprehensione indignum, cum sit ab Ecclesia approbatus. Unde nulla Religio, sive isto, sive illo modo circa suorum indumenta disponat, potest, aut debet reprehendi.

Deinde supponendum etiam est, antiquissimum esse institutum, ut qui profiten-

tur

tur mundi contemptum, et pœnitentiam, singulari, et notabili habitu induantur, ut contra hæreticos disputans tradit eisdem verbis Bellarminus *tom.* 2, *lib.* 2, *de Monachis, cap.* 40, idque probat ex Dionys. Athanas. Tertull. Basil. Ambros. Hieron. August. Gregor. et aliis Patribus, adjunctis etiam Conciliis. « Jam quod attinet (addit « idem Bellarminus), ad rationem habitus « monastici (et eadem est de habitu religioso) « ea redditur ab iisdem Patribus. Nam cur « vestem mutet monachus futurus, ratio- « nem dicit esse Dionysius cap. 6 Eccles. « Hierarch. ut significetur vitæ mutatio. « Cur certo, et proprio utantur Religiosi « vestium genere, rationes duas reddit Ba- « silius, quæst. 22, ex diffuse explicatis. « Prima ratio est ad designandam propriam « professionem. Si enim convenit, ut aliter « vestiantur Senatores, aliter nobiles, ali- « ter rustici : et si Paulus 1, ad Corinth. « 11, jubet virum aperto capite orare, ad « significandam potestatem; mulierem vero « velato, ad significandam subjectionem : « cur non conveniet Religioso certam ves- « tem deferre, ad significandum statum « suum? Secunda ratio est, ut Religiosi « saltem inviti cogantur recte vivere. Si « enim non haberent certum habitum, non « internoscerentur ab aliis. At nunc statim « ab omnibus cognoscuntur, et observantur; « et si quid agant contra suam professio- « nem, ab omnibus notantur, et reprehen- « duntur. » Et bene advertit Suarez *tom.* 4, *de Relig. tract.* 8, *lib.* 1, *cap.* 5, id non oriri ex peculiari regula, sed pertinere quodammodo ad jus commune status religiosi; quia habitus religiosus datur non tantum ad humanum usum, sed tanquam signum, et tessera propriæ professionis : eo autem ipso, quod aliquis assumit aliquod munus, vel statum cum perpetua obligatione sustinendi illud, consequenter obligatur ad non deponendum proprium signum publice institutum, et datum ad significandam talem professionem. Unde Religiosi professi temere dimittentes suæ Religionis habitum, peccant graviter, et incidunt in excommunicationem, ut statuitur *in cap. Ut periculosi, ne Clerici, vel Monachi, in* 6, et tradunt communiter Doctores, tum ibi, tum *in cap. Deus qui, et cap. Clerici, de vita, et honest. cleric.*

Utuntur autem diversæ Religiones diversis habitibus, ut expressius significetur earum diversa professio. Et quidem aliquæ utuntur indumentis valde asperis, et calceos dimittunt, ut non solum exprimant suam pœnitentem professionem, sed etiam mortificationem sustineant, et iis asperitatibus corpus castigent, et redigant in servitutem, ut ex Patribus tradit Bellarminus *ubi supra*, his verbis : « Cur autem veste « horrida, ut sacco, aut certe simplici, et « vili utantur, causam reddunt Hieronym. « et Cassian. locis citatis : tum ad agendam « pœnitentiam, tum ad mundi contemptum « demonstrandum. Nam saccos, et asperas « vestes habitum esse pœnitentium, Scrip- « tura testatur, cum inducit Achab pœni- « tentem sacco indutum, 3 Regum, cap. « 21, et Heliam veste pilosa tectum, 4 Re- « gum, 1, et Ninivitas sacco vestitos, Jonæ « 3, et Joannem pilis camelorum utentem, « Matth. 3, et denique multos alios circum- « euntes in melotis, et in pellibus capri- « nis, ad Hebr. 11. » Unde non bene audiet apud Catholicos, qui hæc pœnitentiæ, humilitatis, et contemptus mundi signa ausus fuerit reprehendere, irridere, aut parvifacere. Applausus vero consequuntur apud hæreticos, quibus familiare est humilia, et aspera Religiosorum indumenta spernere. Ex quibus Lutherus *in articulis damnatis, artic. ult.* pronuntiavit, *præstare omnes saccos mendicitatis delere.* Melanchton *in apolog. pro Confess. Augustana*, vocavit hæc *observationes fatuas, et hypocriticas simulationes.* Magdeburgenses *cent.* 4, *cap.* 6, dixerunt esse *res superstitiosas, et non conformes Scripturæ, nec usui prioris Ecclesiæ.* Et de Wiclepho illorum præcursore Waldensis *lib. Doctrin. fidei antiq. cap.* 27, refert : « Wicleph in tractatu diabolico de « diabolo, et membris ejus, cap. 2, versus « finem, sic diabolizat in ista materia : Nos « credimus, quod Christus concessit suo « ordini libertatem in signis sensibilibus, « et habitibus; sic tamen, quod virtutes « serventur in anima. » Unde inferebat usum sacrarum Religionum esse Christi institutioni contrarium. Addit Waldensis : « Ecce ut offendit istum in materia signo- « rum, quod constanter scilicet retinent « similem vestituram, quamvis aliquando « mutatam; et ideo extraneat iste doctor « varietatis, et filius inconstantiæ Religio- « sos perfectos ab ordine Christi, quia ipsos « vestes suas variare non aspicit. Hic plane « incidit in hæresim Lampetianorum, qui « ideo vocantur hæretici, quia Religiosis « dixerunt licere vagari, et in quamcunque

Aspera aliquarum Religionum vestimenta defendentur, et laudantur.

Bellarm.

Nota.

Luther. Melanchthon. Magdeburgenses. Wicleph.

Waldensis.

Waldensis.

« vellent, migrare figuram, id est formam « habitus, secundum Damascenum lib. suo « de hæresibus, cap. de Lampetianis. » Impugnat deinde aliis pluribus impietatem Wiclephi, et tandem concludit : « Princi- « pium hujus observationis, quantum reor, « sumere debemus ex his sanctis viris, a « quibus sub scripta lege religio peculiaris « ortum habebat, scilicet Helia, et postero « ejus Joanne Baptista. Quorum uterque, « teste Scriptura, veste usus est notabiliter « segregata a veste vulgari; et hoc continuo, « sine omni variatione. De quorum primo « notatur quantum ad ejus habitum, 4 « Reg. 1, Ochozia rege quærente, cujus fi- « guræ, et habitus esset vir, qui occurrit « servis suis : Vir, inquiunt, pilosus est, et « zona pellicea accinctus renibus. Et ait « rex : Helias Thesbites est. Quem inter tot « millia populorum non judicasset esse « Heliam, saltem ex habitu, nisi solitus « fuisset habitu tali semper incedere, et « longe diverso ab habitu populari. Quod « sequaces ejus fecerunt servantes pro ha- « bitu, secundum quod eos ex habitu taliter « separato vocabat Apostolus dicens : Cir- « cuierunt in melotis, in pellibus caprinis, « ad Hebr. 11. Melotam autem describens « Glossa dicit, quod est vestis hispida ex « pilis contexta vel camelorum, vel capra- « rum, vel taxorum, quali usus est Helias, « et alii. Unde Chrysost. super hunc locum « ad Hebr. homil. 38 : Hic, inquit, agitur « de Helia, et suis. Et ritus iste vestiendi « duravit usque ad tempora Joannis Bap- « tistæ, de quo asseruit Evangelium, quod « sine omni variatione eundem vestiendi « ritum servabat, Marc. 1. Erat, inquit, « Joannes vestitus pilis camelorum, et zona « pellicea circa lumbos ejus. » Legatur etiam D. Thom. infra, *quæst.* 187, *art.* 6, D. Tho. ubi resolvit, quod competit Religiosis vilitas vestium, quia Religio est status pœnitentiæ, et contemptus mundanæ gloriæ. Et D. Tho. *in respons. ad* 3, addit : « Maxime autem « videntur hoc non ex ambitione facere Re- « ligiosi, qui habitum vilem deferunt, « quasi signum suæ professionis, qua con- « temptum mundi profitentur. » Et *in arg. Sed contra*, refert Decret. 21, q. 4 : « Si « inventi fuerint deridentes eis, qui vili- « bus, et religiosis vestibus amicti sunt, « corrigantur. Priscis enim temporibus « omnis sacratus vir cum mediocri, aut « vili veste conversabatur. » Videatur etiam D. Tho. idem S. Doctor *opusc.* 19, *cap.* 8, ubi vilitatem religiosarum vestium fusius defendit.

157. His suppositis, ad objectionem respondetur negando assumptum, sive antecedens, quod proponitur ex Baeza. Nam S. P. Ignatius prudentissime quidem sibi, et suis elegit illa vestimenta, et calceos, quibus utuntur, quin inde ullam reprehensionem mereantur. Sed ad id motus non est aliqua ex rationibus, quas Author ille proponit. Non quidem ad *non incurrendam notam hypocrisis, et ne spueretur;* quia licet uteretur alio habitu strictiori, et magis pœnitenti, et licet calceos abjiceret; nullam tamen hypocrisis apud Catholicos notam incurreret, sed potius mereretur laudem. Sicut Capucini, et alii Religiosi discalceati, et reformati a nullo Catholico vocantur hypocritæ, quamvis magnam austeritatem præseferant tam in saccis, quam in pedum nuditate; sed magis laudantur, et venerationi cunctorum sunt. Et Ecclesia sancta id approbat, et commendat, ut patet in festo S. Petri de Alcantara, *lect.* 4, ibi : « Quod vitæ genus « asperrimum ibi fœliciter cœptum per di- « versas Hispaniæ provincias usque ad In- « dias mirifice propagatum fuit. » Et *lect.* 6, dicitur : « Quem eodem momento in « cœlum ferri B. Theresia procul distans « vidit. Cui postea apparens dixit : O felix « pœnitentia, quæ tandem mihi promeruit « gloriam ! » Quod autem hæretici, et qui eos imitantur, hæc spernant, et spuant, nihili faciendum est a Sanctis, qui sciunt istas austeritates, et asperitates ab illis vocari *superstitiones, observationes fatuas, hypocriticas simulationes, etc.*, ut *num. præced.* vidimus. Quinimo hujusmodi vituperia inter coronas recensent, juxta illud Act. 5 : *Ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.* Nec ipse S. P. Ignatius hæc vitavit, aut vitare voluit, de quo Ecclesia in ejus festo, *lect.* 5, ait : *Cum nihil interim omitteret de studio alienæ salutis, mirum est quas ubique locorum ærumnas, ac ludibria devoraverit, etc.* Unde non recte dicitur, ipsum sibi, et suis eligisse calceos, et non saccum, *ne spueretur, et incurreret notam hypocrisis.*

Satisfit objectioni. Baeza.

Ecclesiæ approbatio.

Act. 5.

S. Igna.

Nec melior est secunda causa, quæ additur, quia scilicet *valde paucos socios asciscceret.* Incredibile enim est, quod austeriorem habitum, et nuditatem pedum eligens pauciores habuisset imitatores. Imo vero qui magnam pœnitentiam in prædicante attendunt, solent inde magis moveri ad

imitationem

imitationem ipsius, ad emendationem vitæ, et ad simile institutum capessendum. Fuit equidem Joannes Baptista excellentissimus
c. 1. prædicator, de quo Marc. 1 : *Fuit Joannes in deserto baptizans, et prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* Et infra : *Et erat Joannes vestitus pilis cameli, et zona pellicea circa lumbos ejus, et locustas, et mel sylvestre edebat.* Qualis vero effectus ad exemplum tantæ austeritatis, et pœnitentiæ in prædicante? *Ut egrediebatur ad eum*, inquit Evangelista, *omnis Judæa regio, et Jerosolymitæ universi, et baptizabantur ab ipso in Jordanis flumine, confitentes peccata sua.* Tot, ac tam publicas conversiones operabatur pœnitentis prædicatoris exemplum.
Fran. Et Seraphicus P. Franciscus, qui adeo pluribus asperitatibus internis, et externis
Bon. utebatur, quales ex D. Bonavent. et Bellar-
larm. mino *num.* 147, vidimus innumeros tam in vita, quam post mortem socios, atque imitatores acquisivit, ut est per se manifes-
Norb. tum. Et de S. Norberto inquit Ecclesia in ejus festo, lect. 4 : « Abdicatis ecclesiasticis « proventibus satis amplis, et patrimonio « in pauperes erogato, semel in die sub « vesperam solo cibo Quadragesimali utens, « nudisque pedibus, et lacera veste sub bru- « mali rigore incedens, miræ austeritatis « vitam est aggressus. Potens igitur opere, « et sermone innumeros hæreticos ad fi- « dem, peccatores ad pœnitentiam, dissi- « dentes ad pacem, et concordiam revoca-
Vinc. « vit. » Et S. Vincentius Ferrerius (quem
rre. Ecclesia in ejus festo, *lect.* 5, dicit rigidissimum tenorem in Apostolico prædicandi munere tenuisse, inviolabile semper jejunium servasse, carnes nunquam comedisse, nec vestem lineam induisse), ingentem multitudinem Judæorum, et Saracenorum ad fidem Christi convertit, et multa millia Christianorum a peccatis ad pœnitentiam, et virtutem revocavit, ut eadem Ecclesia affirmat *lect.* 4. Denique ut prolixitatem in re adeo clara vitemus, sacræ Religiones, quæ rigidius institutum tam in alimentis, quam in vestimentis observant, non pauciores edunt conversionum fructus, tam in Europa, quam apud Indos, et alias orbis nationes, ut ex professo describit Gravina in voce Turturis, 1 *part. cap.* 6, *et* 2 *part.*
a pro
cio-
ori-
us. *per totam.* Generalis autem horum ratio est, quam assignavimus *numero* 125, nempe ad Apostolicos viros pertinere prædicare potissimum pœnitentiam : ut autem fructuose illam prædicent, oportet quod suo exemplo illam approbent, manifestando in propria persona ejusdem praxim, et efficaciam. Quod ergo S. P. Ignatius illo modo circa S.P.Ign. suorum vestimenta, et calceos disposuerit, minime potest revocari ad motiva, quæ Baeza designavit ; sed revocandum est ad alias rationes prudentiales, nullaque reprehensione dignas. Quarum una videtur satis conveniens, quam assignat Nieremberg. Nierem. *lib.* 1 *doctr. ascet. dist.* 10, *cap.* 92, his verbis : « Cæterum et alia ratione conve- « nit Societati Jesu honestus, quamvis pau- « per, vestitus ; non tamen omnino vilis, « quemadmodum utuntur aliæ sanctissimæ « Religiones austeritatem externam pro- « fessæ ; nam est Religio non Monachorum, « sed Clericorum, quibus ob dignitatem sui « Ordinis honestus decet, etc. »

158. Ad confirmationem negamus ante- Diluitur confir-matio. cedens, et ad probationem neganda est minor, cujus falsitas evidenter constat ex tam immediate, quam supra dictis. Id vero quod ad eam suadendam adducitur, nullius momenti est. Nam in primis testimonium D. Hieronymi non est ad rem, solum enim dicit Ægyptiorum Sacerdotes uti lino intrinsecus, et extrinsecus : religionem vero Christianam ad id suos Sacerdotes non obligare, sed aliis vestimentis uti ad ministerium sacrificii, et aliis ad exercitia vitæ communis. Ex quo nihil infertur quod nostræ doctrinæ præjudicet : imo vero videtur inferri, quod si lino utimur ad sacrificia, alia veste utamur ad ministeria communia ; quod tamen nec Hieronymus affirmat. Ad id quod additur, concedimus non esse illicitum, quod Religiosi ex justa aliqua causa habitum proprium deponant, utputa cum opus est peregrinari apud infideles, ne scandalizentur, et fructus conversionum impediatur. Quod omnibus Religiosis concedit Innocentius III, *in cap. Deus qui, de vita,* Inn. III *et honest. clerc.* Concedimus etiam, quod An religiosis liceat mutare habitum. Patres Societatis non habeant habitum proprium, sed utantur communi accommodato regioni, in qua degunt, ut decernitur *in part.* 6 *Constit. cap.* 2, § 15, ex quo principio infert Thomas Sanchez *lib.* 6 Thomas Sanchez. *Summæ, cap.* 8, *num.* 70, eos, licet habitum dimittant, non incurrere excommunicationem latam contra Religiosos temere dimittentes habitum. Concedimus tandem posse prædictos Religiosos apud Sinas, et Japonios se induere juxta communem, et popularem morem illarum gentium, ut fructuosius conversioni illarum studeant ; licet

experentia compertum sit, usum proprii habitus, licet austeri et pœnitentis, non semper obesse, ut constat in Religiosis Discalceatis S. Francisci, et aliis ; imo non semel prodesse plurimum, quia oportet prædicare gentibus pœnitentiam; et Jesum Christum crucifixum, ut vidimus *tract.* 17, *disputat.* 7, *dub. unico*, § 7. Sed quod nec concedimus, nec ullo pacto credimus, est Patres Societatis apud Sinas, et Japonios induere togam Sacerdotum Idolorum illarum gentium,quidquid sit de litteratorum, et Mandarinorum vestibus. Quia ex una parte ad finem occultandi veram fidem, quando,et ubi oportet, sufficit uti vestimentis vulgaribus institutis in usum communem tegendi corpus, non vero in signum protestativum falsæ Religionis.Et Innocent. III, *in cap. relato*, id Religiosis concedit, ut in terris infidelium possint assumere communem, et honestum habitum. Ex alia vero parte vestes Sacerdotum Idolorum sunt propriæ, et peculiares religionis falsæ, et designant superstitiosum cultum ; atque ideo illis uti est ab intrinseco illicitum, cum virtualiter importet recessum a fide Christi, et professionem falsæ religionis ; sicut alia, quæ retulimus loco citato, et de prædictis Sacerdotum ethnicorum vestibus ostendimus ex professo *in eodem dub.* § 5, *per totum.* Unde honori sacræ Societatis consulentes, fidem in hac parte non adhibemus Velasquio, qui forte illa ex aliquo falso rumore scripsit, vel aliarum vestium usum hyperbolice extendit ad insignem charitatem exaggerandam.

Inn. III.

Velasq.

DUBIUM IV.

Quando charitatis augmentum, quod actibus ejus remissis correspondet, physice consideratur.

Redeamus jam ad punctum, a quo occasione præcedentium consectariorum sese vocantium digredi cœpimus, et videamus quo tempore conferatur augmentum illud præmii essentialis, quod præcedenti dubio statuimus deberi, et rependendum fore actibus charitatis remissis.Et quidem quod augmentum gloriæ prædictis actibus debitum non conferatur statim, nec in hac præsenti vita, liquet omnino, cum gloria, ejusque incrementum pertineant ad futurum beatitudinis statum, quo præsens hic viatorum processus evacuatur. Sed quia charitas (et eadem est ratio de gratia), solet in hac vita augeri, ut contingit cum justus in actus habitu ferventiores prorumpit ; merito inquirimus quando conferatur illud augmentum, quod correspondere, et deberi diximus actibus remissis, sive latitudinem habitus non superantibus. Daturne ubi primum ipsi eliciuntur, vel confertur alio hujus vitæ tempore, aut denique reservatur dandum post mortem ? Et consulto in dubii titulo addimus ly *physice;* nam si certa sunt, quæ *dub. præced.* præmisimus, certum etiam est, charitatem statim augeri moraliter. Cum enim actus quilibet, etsi remissus, mereatur aliquod gloriæ augmentum, nequit non charitas ut eliciens, et importans talem actum crescere moraliter, sive in jure consequendi majorem gloriam. Unde quæstio revocatur ad augmentum physicum charitatis in seipsa per additionem novi gradus, aut modi, quo intrinsece, et in ratione qualitatis fiat major, et magis perficiat subjectum, Quam difficultatem ob plures dicendi modos, qui in ea superanda occurrunt, per partes decidemus.

§ I.

Proponitur prima conclusio.

185. Dicendum est primo, charitatem non statim augeri physice per actus remissos; atque ideo habentem v. g. charitatem ut quatuor, si eliciat actum ut duo, non statim consequi illud charitatis augmentum, quod prædicto actui correspondent per modum præmii. Ita D. Thom. *locis infra referendis*, cui communiter subscribunt discipuli, Cajet. et Conrad. 1, 2, *q.* 114, *artic.* 3. Idem Cajet. *in præs. art.* 6, ubi Bannez *dub.* 2, Arauxo *dub.* 4, *concl.* 1, Joan. a S. Thom. *disp.* 15, *art.* 4, Labat *disp.* 3, *dub.* 2, *concl.* 2, Gonet *disput.* 10, *art.* 8, *concl*, 2, Ferre *quæst.* 17, § 3, *et quæst.* 18, *numero* 27, Alvarez *lib.* 7, *de auxiliis, disput.* 60, *conclus.* 1, Nuno 3 *p. quæst.* 89, *artic.* 5, Montesinos 1, 2, *quæst.* 114, *disput.* 36, § *ultim.* Idem etiam tuentur Scotus *in* 4, *distinct.* 21,*quæst.* 1, Paludan. *ibidem, distinct.* 14, *quæst.* 1, Richardus *in* 1, *dist.* 17, *art.* 2, *quæst.* 3, Valentia *in præs. disp.* 3, *quæst.* 2, *punct.* 3, et alii, præsertim Scotistæ, ut testatur Castillo *disp.* 3, *quæst.* 7, *part.* 2, *num.* 12.

Prima assertio.

Cajetan. Conrad. Bannez. Arauxo. Joan. a S. Tho. Labat. Gonet. Ferre. Alvar. Nunno. Montes. Scotus. Palud. Richard. Valent. Castillo.

Probatur

patur ex Tho. Tho. Probatur primo ex D. Thom. qui hanc sententiam evidenter docet; nam 1, 2, *quæst.* 114, art. 8 ad 3. inquit: « Dicendum quod quolibet actu meritorio meretur homo augmentum gratiæ, sicut et gratiæ consummationem, quæ est vita æterna. Sed sicut vita æterna non statim redditur, sed suo tempore: ita nec gratia statim augetur, sed suo tempore, cum scilicet aliquis sufficienter fuerit dispositus ad gratiæ augmentum. » Et *in præs. art.* 6, *in corp.* ait: « Non quolibet actu charitatis charitas actu augetur. Sed quilibet actus charitatis disponit ad charitatis augmentum, in quantum ex uno actu charitatis homo redditur promptior itetum ad agendum secundum charitatem; et habilitate crescente, homo prorumpit in actum ferventiorem dilectionis, quo conatur ad charitatis profectum; et tunc charitas augetur in actu. » Et *in respons. ad* 1, addit: « Dicendum, quod quilibet actus charitatis meretur vitam æternam, non quidem statim exhibendam, sed suo tempore. Similiter etiam quilibet actus charitatis meretur charitatis augmentum; non tamen statim augetur, sed quando aliquis conatur ad hujusmodi augmentum. » Idem docet *in resp. ad* 2. Et *in* 1, *dist.* 17, *quæst.* 2, *art.* 3, *in corp.* ait: « Quando actus charitatis procedit ex tota virtute habentis, et quantum ad virtutem naturæ, et quantum ad virtutem habitus infusi, tunc unus actus disponit, et meretur augmentum charitatis, ut statim fiat. Quando autem non secundum totam virtutem procedit actus ille, tunc est ut dispositio remota, et poterit tunc per plures actus pervenire ad augmentum charitatis; non tamen de necessitate, quia homo quamtumcumque sit dispositus, potest non agere. »

o- n- la- x- ur. 186. In his testimoniis adeo aperte tradit D. Th. charitatem non statim suscipere illud incrementum, quod cuilibet ejus actui remisso debetur, ut aditum non relinquat illis subterfugiis, quibus aliqui utuntur, ne palam S. Doctorem deserere videantur.

el. rr. Quod enim Zumel *ad locum cit. ex* 1, 2, Herrera *in MS. ad hunc art. dub.* 4, et alii dicunt D. Thom. in testimoniis relatis solum intendere quod charitatis augmentum non fiat dispositive connaturaliter per actus remissos; sed non negare, quod reipsa statim physice exerceatur dependenter a prædictis actibus sicut a merito: id, inquam, evidenter refellitur eisdem testimoniis. Quoniam S. Doctor ita negat actum remissum esse dispositionem sufficientem ad augescendam charitatem, ut propterea affirmet hujusmodi augmentum in alio tempore exercendum fore, cum videlicet aderit perfectior conatus, et dispositio. Quod falsum esset, si posito actu remisso, statim retribueretur illud charitatis augmentum, quod tali actui debetur; tunc quippe non oporteret expectare aliud tempus, aut dispositionem ad suscipiendum illud augmentum, quod jam collatum supponitur. Aliæ autem interpretationes, quas quidam adhibent, sunt adeo alienæ, ut illis tantum utantur, qui aperte a D. Thom. recedunt; et ideo supervacaneum est in eis refellendis immorari. D. Tho.

187. Probatur secundo ratione D. Thom. quoniam augmentum gratiæ, et charitatis fit dependenter a nostris actibus tanquam a dispositione physica: sed actus remissior habitu charitatis non est dispositio physica sufficiens ad hujusmodi augmentum: ergo posito actu charitatis remisso, non statim augetur habitus charitatis. Consequentia patet, quia effectus non ponitur saltem connaturaliter, nisi positis causis, a quibus dependet; atque ideo si augmentum charitatis dependet a nostris actibus tanquam a dispositione physica, et actus remissus non est dispositio sufficiens, sequitur quod charitas non augeatur ad positionem cujuslibet actus remissi, sed expectare debeat perfectiorem dispositionem. Major autem constat ex dictis *dub.* 2, ubi illam statuimus. Minor denique ostenditur; nam ille solus actus disponit ultimo, et sufficienter ad augmentum habitus, qui tantam habet intensionem, seu latitudinem gradualem in esse actus, et dispositionis, quantam habet habitus in esse habitus, et formæ: sed inter actum habitu remissiorem, et hujus augmentum non invenitur hæc adæquatio; si enim quis habeat v. g. charitatem ut undecim, et eliciat actum ut duo, nequit ejus charitas augeri, nisi crescat saltem usque ad perfectionem ut duodecim, quæ actum illum physice excedit in decem gradibus: ergo actus habitu charitatis remissior non est dispositio physica sufficiens ad charitatis augmentum. Expenditur assertionis motivum.

188. Respondebis commensurationem observandam inter actum disponentem ad augmentum charitatis, et hoc augmentum, regulari debere non penes gradus quasi Evasio.

materiales physicæ intensionis in actus, sed magis penes gradus valoris, quos habet. Nam cum augmentum comparetur ad actum sicut præmium ad meritum, attendi debet ex parte actus id, per quod constituitur in esse meritorii, nempe valor moralis. Quilibet autem charitatis actus, quantumvis sit physice remissus, ut conjunctus aliis actibus meritoriis, aut aliis titulis præcedentibus, importat valorem sufficientem ad novum aliquod augmentum, ut explicuimus *dub. præced. num.* 59. Unde quilibet actus charitatis est dispositio sufficiens ut charitas aliquod augmentum suscipiat.

Præcluditur. Sed contra est, quoniam augmentum charitatis et habet rationem præmii correspondentis actui ut merito, et habet rationem formæ physicæ correspondentis actui, ut dispositioni physicæ : ergo sicut qua parte est præmium, non debet excedere gradus valoris in actu repertos, ita qua parte habet rationem formæ physicæ, non debet excedere physicam latitudinem intensionis inventæ in actu; atqui actus physice remissior, licet adæquet in valore morali augmentum superaddendum ; nihilominus non adæquat physicam latitudinem prædicti augmenti, alioquin non diceretur physice remissior, ut ex terminis patet : ergo actus charitatis remissus, licet mereatur charitatis augmentum, non tamen disponit physice sufficienter ad prædictum augmentum, et consequenter charitas non augetur statim, ac ponitur quilibet ejus actus remissus.

Major impugnatio. Confirmatur, quia actus charitatis non amittit circa charitatis augmentum eam causalitatem, quam habet circa charitatis infusionem, cum augmentum debeat proportionari, saltem physice loquendo, primæ productioni, et dependere proportionabiliter ab eisdem causis : sed actus charitatis comparatur tanquam dispositio physica ad charitatem, cum primo infunditur, ut *dub.* 2, et locis ibi relatis ostendimus : ergo pariter comparatur per modum dispositionis physicæ ad eandem charitatem, cum postea augetur. Constat autem in dispositione physica ut tali attendi non debere gradus valoris, qui ad ordinem moralem pertinent ; sed latitudinem physicæ intensionis : ergo cum actus physice remissus non adæquet latitudinem charitatis ut augendæ, sequitur quod actus physice remissus non sit dispositio sufficiens, ut charitas statim augeatur ; sed oportet expectare perfectiorem dispositionem.

Et urgetur : nam in actu disponente ad gratiam, et charitatem, cum primo infunditur, etiam reperitur et valor moralis, et latitudo physica ; siquidem actus ille præter physicam entitatem importat bonitatem moralem desumptam ex objecto, et circumstantiis ; et nihilominus quia gratia, quæ infunditur, est forma physica, et physice, ac connaturaliter recipienda, ejus quantitas commensuratur non valori morali actus disponentis, sed ipsius physicæ latitudini : ergo quia gratia, quæ augetur, est forma physica, et physice, ac connaturaliter augescenda, debet quantitas augmenti, cum exercetur, commensurari latitudini actus ad ipsum disponentis. Minor probatur : nam juxta communem Theologorum sententiam, homo eum justificatur, recipit majorem, aut minorem gratiam, juxta quantitatem actus amoris, aut contritionis, quo disponitur ; et sic qui elicit contritionem intensam ut quatuor, recipit gratiam ut quatuor, et non majorem ; idque vulgo dicitur consequi, aut recipere gratiam ex opere operantis, hoc est, sine excessu supra operationem recipientis. In quo sensu Concil. Trident. *sess.* 6, *cap.* 7, docet : « Non « modo reputamur, sed vere justi nomi- « namur, et sumus, justitiam in nobis re- « cipientes, unusquisque suam secundum « mensuram, quam Spiritus sanctus parti- « tur singulis, prout vult, et secundum « propriam cujusque dispositionem, et « cooperationem. » Conc. Tri

189. Sed objicies primo : gratia collata in Sacramentis etiam est forma physica, et physice communicatur, ac recipitur ; et tamen non commensuratur latitudini dispositionis, sed hanc in aliquo, aut aliquibus gradibus excedit : ergo quod gratia, dum infunditur, et augetur, sit forma physica, et physice recipienda, non probat quod debeat commensurari actibus, quibus homo disponitur ad ejus receptionem, et augmentum ; atque ideo actus non adæquans ejus latitudinem, poterit sufficienter disponere ad ejus augmentum. Objectio.

Objicies secundo : primæ qualitates disponunt physice ad secundas qualitates, quæ ex earum commixtione, et temperamento resultant ; et nihilominus non requiritur, quod ipsis in intensione commensurentur : fieri enim potest, ut ex calore Alia objectio

ut

ut quinque resultet nigredo ut unum : ergo licet actus charitatis disponat physice ad charitatis augmentum, non debet huic commensurari in graduali intensionis latitudine.

Respondetur ad primam objectionem, quod sicut ex eo, quod attritio cum Sacramento est dispositio sufficiens ad recipiendam, et augendam gratiam, non sequitur quod extra sacramentum disponat sufficienter ad hos effectus : ita ex eo, quod in sacramentis actus charitatis remissus, v. g. ut duo, sufficiat ut gratia aliquantulum intensior, v. g. ut quatuor, infundatur, minime colligitur, quod ad id sufficienter disponat extra sacramentum ; sed potius infertur oppositum : nam si ad recipiendam gratiam extra sacramentum non sufficit attritio, quæ physice, et ex natura sua est dispositio remota, sed requiritur contritio, quæ physice, et ex natura sua est dispositio ultima, et omnino proportionata ; pariter ad augmentum gratiæ ut octo extra sacramentum non sufficiet actus intensus ut quinque, aut septem, qui latitudinem illius augmenti non adæquet ; sed opus erit actu intenso ut octo, qui illi augmento commensuratur. Ratio autem disparitatis inter modos, quibus gratia intra, et extra sacramenta infunditur, aut augetur, in eo consistit, quod gratia extra sacramentum fit, et augetur dependenter omnino ab hominis dispositione, quæ ex natura rei ad eos effectus requiritur. Et quia ex natura rei non sufficit attritio, sed requiritur contritio ; propterea posita sola attritione non infunditur gratia ; et posita contritione infunditur. Et similiter quia ex natura rei cum augmento gratiæ ut octo non commensuratur actus minor, quam octo ; idcirco posito actu minori quam octo, non augetur gratia usque ad octavum gradum, et posito actu ut octo, suscipit totidem gradus augmenti. Intra sacramentum autem non fit, nec augetur gratia omnino connaturaliter, et commensurate ad exigentiam dispositionum ; sed meritum Christi Domini infinitum per ipsa sacramenta applicatum supplet imperfectionem, et inadæquationem dispositionum ; et ideo Deus posita attritione dat gratiam, et posito actu remisso auget gratiam ; meruit enim Christus, ut naturalis ordo, et correspondentia inter dispositionem, et formam inverteretur aliquantulum in hac parte intra sacramenta. Et juxta hanc doctrinam neganda est major objectionis ; non enim in sacramentis recipitur, et augetur gratia omnino physice, id est juxta omnino connaturalem rerum exigentiam. Recolantur quæ supra diximus *dub.* 2, *num.* 27.

Ad secundam negamus majorem in sensu proprio intellectam ; quoniam primæ qualitates non comparantur ad secundas tanquam ad formam, atque ideo non habent cum proprietate rationem dispositionis respectu illarum ; munus quippe dispositionis propriæ semper exercetur in ordine ad formam. Unde non oportet, quod primæ, et secundæ qualitates commensurentur in gradibus intensionis, sed magis requiritur oppositum ; nam cum secundæ resultent ex commixtione primarum, et istæ quando concurrent, non sint æquales inter se, sed soleant se mutuo excedere ; fieri non valet, quod qualitas secunda resultans observet æqualitatem cum omnibus, sed solet unam excedere, et ab alia excedi. Gratia autem habet rationem formæ, et naturæ in ordine supernaturali, et ideo petit infundi dependenter a dispositione physica, et proprie dicta, quæ in adultis consistit in actibus, quibus se præparant ad gratiæ receptionem. Cumque nulla sit ratio, ut non debeat gratia his actibus commensurari, sed totius connaturalis rerum ordo id exposcat, attestante etiam Tridentino in illis verbis : *Et secundum propriam uniuscujusque dispositionem, et cooperationem ;* merito asserimus gratiam infundi cum commensuratione ad prædictos actus. Idemque de augmento gratiæ, et charitatis, quæ illam per dimanationem sequitur, asserendum est. Occurritur secundæ. Trident.

190. Ultimo probatur eadem assertio sequenti discursu ; nam quandiu authoritas, vel ratio non invincit oppositum, oportet ut de augmento habituum supernaturalium philosophemur sicut de augmento naturalium habituum : sed habitus naturales non augentur per actus remissos, ut resolvit D. Thom. 1, 2, *quæst.* 52, *artic.* 3, et docent communiter ejus expositores ibidem : ergo habitus supernaturales non augentur per actus remissos, et consequenter qui actum charitatis remissum elicit, non statim consequitur augmentum gratiæ, et charitatis, quod illi actui per modum præmii correspondet. Minor, et utraque consequentia constant : et major videtur certa ; nam cum ex una parte gratia perficiat naturam, recipiaturque ad modum recipientis ; et ex alia parte non debeamus Aliud ejusdem assertionis motivum. D. Tho.

lumen naturalis rationis deserere ubi per fidem non corrigitur oportet ut de augmento supernaturalium habituum discurramus cum similitudine ad augmentum habituum naturalium, quandiu authoritas, aut ratio non evincit oppositum.

Effugium. 191. Respondebis, non posse in præsenti hanc similitudinem observari, eo quod actus naturales efficiunt physice habitum sibi correspondentem, et ejus augmentum : actus autem supernaturales solum influunt effective moraliter, et per modum meriti.

Præcluditur. Sed hoc nihil est ; nam quod actus naturales, et supernaturales debeant diverso modo comparari ad habitus in genere causæ efficientis, probant et authoritas, et recta ratio, ut ostendimus *dub.* 2, et locis ibi citatis ; nulla autem authoritas, vel ratio probat quod aliter de his debeamus philosophari in genere causæ materialis dispositivæ. Nam ad hujusmodi causam non pertinet continere perfectionem effectus, nec aliud munus, quam coaptare, et determinare subjectum ad participationem formæ ; quod non minus præstant actus supernaturales, quam naturales in ordine ad habitus sibi in utroque ordine correspondentes. Unde oportet, quod in neutro ordine habitus excedat latitudinem gradualem actus disponentis ad ipsius productionem, vel augmentum.

192. Quod bifariam confirmari potest. Primo ; nam cum gratia peccatori adulto infunditur, non dependet ab ejus actibus in genere causæ efficientis physicæ, ut ex se liquet ; nec in genere causæ efficientis moralis, cum non retribuatur tanquam præmium meritis debitum, sed omnino gratis, Conc. Trid ut docet Concil. Trident. *sess.* 6, *cap.* 8. Unde solum restat, quod dependeat a prædictis actibus in genere causæ materialis dispositivæ. Et tamen hæc dependentia sufficit, ut gratia infundatur cum commensuratione ad actus, quibus peccator se disponit : quocirca posita contritione ut quatuor, datur illi gratia ut quatuor ; nemoque asseret dari gratiam intensiorem, quam sit dispositio. Ergo sola correspondentia in genere causæ dispositivæ, et præciso concursu in genere causæ efficientis, sufficit, ut sicut in naturalibus, ita etiam in supernaturalibus habitus non excedat latitudinem actus. Cumque nulla sit ratio, ut actus circa augmentum habitus supernaturalis amittant eam vim dispositivam, quam exercent in prima ejus productione, consequens est, quod eam conservent simul cum causalitate morali per modum meriti. Unde oportet, quod gratia, et charitas sicut in produci, ita etiam in augeri observent commensurationem cum actibus, mediis quibus producuntur, et augentur, sicut eam observant habitus naturales.

Secundo ; nam cum peccator fidelis elicit actum fidei, prædictus actus non comparatur ad fidei augmentum in genere causæ efficientis physicæ ; sicut enim solus Deus efficit effective physice fidem ita etiam solus Deus illam effective physice auget, ut satis constat ex dictis *dub.* 2, *numero* 16. Nec prædictus actus influit effective moraliter in tale augmentum, quia nec de condigno, nec de congruo illud meretur, juxta ea quæ diximus *in tract de Merito, disp.* 6, *num.* 5, sed præcise concurrit ad hujusmodi augmentum in genere causæ dispositivæ physice, observatque quantum ad hoc modum, quo actus naturales concurrunt ad augescendum habitus. Et hac de causa habitus fidei informis solum augetur per actus intensiores, nullumque habemus fundamentum, ut dicamus habitum fidei augeri supra latitudinem actus, aut aliter augeri, ac habitus naturales augentur. Ergo quod actus naturales concurrant effective physice ad augendum habitus, actus vero charitatis non sic concurrant ad gratiæ, et charitatis augmentum ; et quod in hoc genere, aut modo influendi differant, minime probat, quod non conveniant in influendo per modum causæ materialis dispositivæ. Quod sufficit ut sicut in naturalibus augmentum habitus non excedit latitudinem actus ad ipsum disponentis, ita etiam in supernaturalibus augmentum charitatis non fiat supra latitudinem actus, a quo tanquam a dispositione dependet.

193. Et ratio horum omnium est, quo- Ratio præcedentis doctrinæ. niam licet augmentum habituum supernaturalium non proveniat effective physice ab habente tales habitus, sed a solo Deo ; nihilominus Deus ipse in prædictis habitibus augescendis perinde procedit, ac si augerentur effective physice ab illomet qui actus elicit, ut ad hujusmodi augmentum se disponat. Ex duobus enim concurrendi modis, qui in actibus naturalibus circa augmentum suorum habituum reperiuntur, videlicet effective physice, et materialiter dispositive, Deus in augmento supernaturalium habituum defert creaturæ hunc posteriorem, nempe quod disponat ad tale augmentum ;

augmentum; et sibi reservat priorem illum, videlicet prædictum augmentum efficere. Unde sicut si creatura utroque modo concurreret, non magis efficeret, quam disponeret, ac proinde intensio habitus, cum augeretur, non excederet intensionem actuum ad illud augmentum disponentium: ita Deus se gerit in augmento supernaturalium habituum, cum ex una parte vult tale augmentum fieri dependenter a dispositione recipientis, et ex alia illud principaliter efficit; ac proinde auget habitus cum commensuratione ad actus, quibus homo ad tale augmentum se præparat. Et consequenter post actus, quibus homo ad augmentum habituum supernaturalium disponitur, non majus, aut minus augmentum sequitur, ac si per tales actus effective physice illos habitus augeret. In quo eventu augmentum habituum non fieret per actus remissos.

194. Scimus aliquos, de quorum numero est Vasquez 1, 2, *disputatio* 220, *cap.* 9, respondere ad totum hoc argumentum negando minorem; existimant enim habitus naturales augeri per quoslibet actus, sive intensos, sive remissos. Idque præcipue probant ex eo, quod per exercitium actuum etiam remissorum experimur majorem facilitatem ad eos exercendos; quod non contingeret, nisi per tale exercitium habitus intenderetur.

Sed modo non oportet confutare horum opinionem: tum quia talis disputatio aliena est a præsenti instituto: tum quia nobis sufficit supponere veriorem, et communiorem Philosophiam, quam plures ex Adversariis admittunt, et cui suffragatur naturalis ratio, quod *a proportione minoris æqualitatis non fit actio.* Si enim habitus naturalis (qui potius, quam ejus actus, debet dici causa augmenti), supponatur intensus solum ut quatuor, nequit nisi aliquid ei superaddatur, efficere modum ut quinque. Si vero ex motione potentiæ superioris aliquid ipsi adjicitur, jam fit virtualiter intensior in ratione principii, et sic prorumpit in actum intensiorem; unde nunquam contingit, quod habitus naturales augeantur per actus remissos. Quæ est doctrina Philosophi 2 *Ethicor.* ubi docet, quod actus similes producunt habitus similes. Et hinc infert, quod amicitia, dum strenue exercetur, crescit; sed quando negligitur, dissipatur. Neque Adversariis suffragatur experientia (ut falso objiciunt); nam ad evincendam intensionem habitus opus erat experiri majorem facilitatem ad actus intensiores, per quos intensio habitus explicatur. Quod non contingit post exercitium actuum remissorum; solum enim experimur facilitatem ad actus similes, nempe remissos. Estque hoc adeo verum, ut dixerit D. Thom. loco supra citato ex 1, 2: *Si vero intensio actus proportionabiliter deficiat ab intensione habitus, talis actus non disponit ad augmentum habitus, sed magis ad diminutionem ipsius.* Prolixior vero, ut diximus, hujus rei discussio ad hunc locum non pertinet. Videantur Expositores D. Thom. ad locum proxime citatum. D. Tho.

§ II.

Statuitur secunda cunclusio.

195. Dicendum est secundo, augmentum charitatis, quod in ratione præmii correspondet actibus ejus remissis, nunquam in hac vita conferri. Hæc conclusio est omnino consona doctrinæ Divi Thomæ § præcedenti propositæ, illamque communiter defendunt ejus discipuli *num.* 185 relati, paucis exceptis, quos *num.* 217 dabimus. Probatur ratione unica, sed satis efficaci, supposita doctrina § præcedenti tradita: quoniam augmentum charitatis actibus remissis debitum non confertur quoadusque adsit sufficiens dispositio ad tale augmentum: sed nunquam in hac vita ponitur dispositio sufficiens ad tale augmentum: ergo nunquam in hac vita confertur augmentum charitatis, quod habet rationem præmii debiti actibus ejus remissis. Major constat ex dictis § præcedenti; minor vero suadetur: nam si homo aliquando in hac vita disponeretur sufficienter ad augmentum charitatis, quod actibus remissis debetur, maxime cum prorumpit in actum ferventiorem, sive intensiorem habitu præexistenti: sed hic actus non est dispositio sufficiens ad augmentum, quod actibus remissis debetur: ergo, etc. Probatur minor: supponamus justum habentem, verbi gratia, charitatem ut quatuor, elicuisse duos actus remissos, verbi gratia ut duo, qui ut *dub. præced.* diximus, merentur de condigno charitatis augmentum, ad illud tamen non disponunt sufficienter, et ultimo, ut § *præcedenti* declaravimus. Eliciat deinde prædictus justus actum fervidum, et intensum ut sex. Fatemur quod in hoc casu

Alia assertio.

Fundamentum.

adest dispositio sufficiens, ut charitas augeatur usque ad sextum gradum. Cæterum hujusmodi augmentum est præmium debitum ipsi actui ut sex, qui modo elicitur; et sic retribuitur pro merito actus præsentis, non vero pro merito præcedentium actuum remissorum. Ergo actus intensus, in quem de novo prorumpit justus, non est dispositio sufficiens ad illud augmentum, quod actibus remissis correspondet, et debetur.

Aperitur rationis vis. Explicatur hoc : etenim actus intensus ut sex solum habet adæquationem cum gratia, aut charitate ut sex; atque ideo solum disponit sufficienter, et ultimo ad prædictum augmentum, non vero ad augmentum majus. Constat autem, quod hujusmodi augmentum est præmium debitum ipsi actui ut sex independenter ab actibus remissis præcedentibus. Licet enim prædicti actus non præcessissent, nihilominus posito actu ut sex, retribuerentur totidem gradus charitatis. Ergo prædictum augmentum remunerat quidem actum ut sex præsentem, non vero actus remissos prius elicitos. Et consequenter augmentum, quod actibus remissis debetur, non tribuitur justo, cum elicit actum ferventiorem.

Effugium. Arauxo. 196. Huic argumento occurrit Arauxo distinguendo in illo actu ut sex id in quo excedit habitum, nempe duos gradus; et id in quo ipsi adæquatur, videlicet gradus ut quatuor. Quo supposito ait, prædictum actum ratione excessus mereri similem excessum in habitu, ad ipsumque velut nomine proprio disponere : at secundum quatuor gradus, in quibus habitui præexistenti adæquatur, non disponere nomine proprio ad hoc ut habitui totidem gradus adjiciantur; disponere tamen in vi actuum remissorum, et ut virtus ipsis subordinata: et consequenter habitum ut quatuor in eo eventu augeri usque ad gradum decimum; recipit enim duos gradus in vi actus præsentis ut disponentis nomine proprio, et alios quatuor gradus in vi ejusdem actus, ut disponit tanquam virtus actuum præcedentium remissorum.

Refellitur primo. Cæterum hæc responsio doctrinalis non est, sed valde voluntarie, et sine fundamento procedit, potestque efficaciter refelli. Primo; nam prædictus discurrendi modus ideo eligitur, ut salvetur quod actus remissi irremunerati in hac vita non relinquantur : sed nec hoc est inconveniens, nec valet prædicto modo vitari : ergo, etc. Probatur minor quoad primam partem; nam actus intensus ut sex, qui secundum quatuor gradus dicitur disponere ad augmentum ut quatuor actibus remissis debitum, etiam habet valorem, et meritum ut quatuor, cui simile augmentum debetur; et tamen hoc augmentum non tribuitur in hac vita, sed servatur retribuendum in alia, ut prædictus Author expresse concedit : ergo non est inconveniens, quod idem contingat in augmento correspondenti actibus remissis. Ex quo etiam patet secunda minoris pars; nam si supponatur præfuisse plures actus remissos, verbi gratia quinque actus ut duo, non rependitur in præsenti casu tantum augmentum, quantum ipsis debetur, nempe ut decem, sed præcise augmentum ut quatuor : ergo id quod (etsi minus recte) censetur inconveniens, nequit illo discurrendi modo vitari.

Im gua secu 197. Refellitur secundo, et urgentius : quoniam augmentum charitatis non exercetur, nisi posita physica dispositione sufficienti ad tale augmentum, atque ideo ea commensuratio inter augmentum, et actum ad illud disponentem observanda est, quod gradus augmenti non excedat gradus actus disponentis, ut § præcedenti statuimus, et concedit prædictus Author : sed hæc commensuratio salvari nequit in eo discurrendi modo : ergo sustineri non valet. Probatur minor : nam juxta illum dicendi modum in casu supra posito intensio habitus charitatis esset ut decem, ut explicuimus, et ille Author intendit; actus autem disponens solum esset ut sex : atqui inter actum ut sex, et habitum ut decem non reperitur debita commensuratio, ut ex se liquet : ergo, etc.

Diru resp sio fun men Nec valet dici, illum actum esse formaliter ut sex, et virtualiter ut decem, ob subordinationem ad quatuor gradus actuum remissorum, qui præcesserunt; ac proinde posse disponere, licet ex diversis capitibus, ad augmentum ut decem. Non, inquam, hoc valet. Tum quia falso supponitur, actum ut sex subordinari actibus remissis præcedentibus; nihil enim plus, aut minus intrinsece habet in ordine physico, ac si tales actus non præcessissent, ut facile consideranti constabit : ergo non magis disponit physice, ac si non præcessissent illi actus. Unde merito supra diximus, istam sententiam doctrinalem non esse, sed voluntariam; confundit enim considerationem physicam, et moralem ratione dispositionis

sitionis, et meriti; et quod unius est, defert alteri. Tum etiam, quia gratis concesso, quod actus ut sex elicitus post duos actus remissos ut duo, concurreret, et disponeret per modum virtutis ipsis subordinatæ, nihilominus dici non valet, quod prædictus actus ob hanc subordinationem magis, vel ad plus disponat, quam si ipsi actus remissi essent per seipsos physice præsentes, ut ex se constare videtur : atqui etiamsi concurrerent simul duo actus ut duo, et unus actus ut sex, minime tunc daretur dispositio physica sufficiens ad augmentum ut decem : ergo actus ut duo per illam subordinationem non sortitur munus prædictæ dispositionis ad illud augmentum. Probatur minor, quia si physice loquamur de gradibus intensionis, quatuor, et sex non sunt decem, sed sunt præcise quatuor, et sex, et consequenter non disponunt ad augmentum ut decem ; sed actus ut quatuor disponit ad augmentum ut quatuor, et actus ut sex disponit ad augmentum ut sex. Quod ad hominem, et in sententia communi Thomistarum convincitur; nam si post actum ut sex, qui disponit ad augmentum ut sex, illudque obtinet, succedat actus ut quatuor, non consequitur augmentum ut decem, sed relinquit habitum cum intensione ut sex, eo quod actus ut quatuor intensionem non addit ex parte dispositionis : ergo pariter, quod actus ut quatuor præcedat, et postea sequatur actus ut sex, non facit quod adsit dispositio intensior, quam sex ; ac proinde prædictus actus ut quatuor, sive præsens, sive futurus, sive connotatus de præterito, non præstat quod actus ut sex disponat, nisi ad augmentum ut sex. Si enim præsens, aut futurus non auget dispositionem intensive formaliter, aut virtualiter, quo fundamento, dum est præteritus, dicitur illam augere?

Aliud effugium. Ferre. Junior omissa.

198. Prædecenti responsioni absimilis non est alia, quam Ferre ex quodam acutissimo Thomista refert, et cui ipse subscribit. Fatetur enim habitum charitatis non augeri, nisi posita sufficienti dispositione per actum ferventiorem, sive excedentem latitudinem habitûs præexistentis. Sed dicit ad hoc sufficere tantam multitudinem actuum remissorum, ut eorum gradus excedant latitudinem habitus; ut si habens charitatem ut sex eliciat quatuor actus ut duo, asserit ultimum actum ut conjunctum prædecedentibus, et in virtute illorum esse virtualiter ferventiorem habitu, et disponere sufficienter ad ejus augmentum usque ad octavum gradum.

Præcluditur.

Sed hic dicendi modus absurdior nobis videtur quam præcedens, et eisdem impugnationibus, aliisque manet a fortiori obnoxius. Tum quia si actus habitu intensior non potest in virtute actuum præcedentium disponere ad majus augmentum, quam sit illud, quod eidem actui correspondet; multo minus id præstare poterit actus remissus. Tum etiam, quia omnes illi quatuor actus ut duo sunt physice loquendo ejusdem rationis, atque ideo nullam physicam subordinationem habent inter se : ergo sine fundamento dicitur, quod quartus in virtute præcedentium disponit physice ad majus augmentum. Tum præterea, quia si habens gratiam, et charitatem ut duo, eliciat actum ut duo, non ponit dispositionem, nisi ad gratiam ut duo, quam jam habet, et proinde nullum recipit augmentum ratione hujus dispositionis : ergo idem dicendum est, si postea eliciat alterum actum ut duo, et sic de aliis, licet multiplicarentur infinite. Tum insuper, quia etsi quatuor actus ut duo æquivaleant in æstimatione morali actui intensiori ; nihilominus physice loquendo quatuor ut duo non sunt octo, sed sunt præcise quatuor ut duo. Sicut etiam licet plures species inferiores adæquent in æstimatione morali speciem superiorem; illam tamen non adæquant physice formaliter, aut virtualiter : licet enim plures nummi tanti habeantur quantum ad æstimationem moralem ac unus equus ; nullo tamen modo adæquant physice ejus perfectionem. Cum ergo hoc, quod est disponere physice, pertineat ad physicam operationis conditionem, sequitur actum ut duo, tam secundum se acceptum, quam ut connotat tres alios actus ut duo præcedentes, non posse proxime, sive sufficienter disponere ad idemmet augmentum, ad quod disponeret actus ut octo, si eliceretur. Tum denique, nam prædictus modus inventus est, ne actus remissi relinquantur in hac vita sine præmio augmenti sibi correspondentis ; quod inconveniens (si est), minime declinat. Si enim postquam homo juxta prædictum dicendi modum consequutus fuit augmentum ut octo, eliciat tres actus ut duo, et non plures, prædicti actus nec seorsim, nec conjuncti disponunt ultimo, ut charitas augeatur supra octo ; siquidem nullo modo adæquant eam latitudinem. Et ita non con-

sequuntur in hac vita augmentum, quod merentur.

Confutatur utraque responsio. Confirmatur impugnando simul utramque responsionem : quoniam, ut jam supra ponderavimus, præscindendo a modo influendi effective physice in habitus augmentum, quem habent actus naturales, et a modo influendi effective moraliter, quem habent habitus supernaturales, in modo concurrendi dispositive physice observanda est eadem ratio inter utrosque, nisi velimus absque fundamento procedere, cum fides non doceat oppositum. In naturalibus vero actus non disponit ad majus habitus augmentum ; quam sit intentio formalis ipsius actus. Unde actus naturalis ut duo (sive præcesserint alii actus in duo, sive non), tantum disponit ad augmentum habitus ut duo ; et actus ut quatuor (sive præcesserint alii actus remissi, sive non), præcise disponit ad augmentum habitus ut quatuor. Ergo idem dicendum est de actibus supernaturalibus, et de augmento habitus, quod ipsis correspondet. Idque præ-

Ferre. cipue asseverare debuit Ferre, qui quæst. 17, § 25 : *Falsissimam, et a bona Metaphysica extraneam* appellavit opinionem asserentium habitus acquisitos augeri, sive intendi actibus remissis, et addit : « Neque huic « doctrinæ opponitur, quod per actus re- « missos experimur majorem promptitu- « dinem ad operandum. Quia illa major « promptitudo, cum non sit ad operandum « actus intensiores, sed tantum remissos, « nequit arguere habitus præxistentis in- « tensionem, sed ad summum majorem « firmitudinem in subjecto, vel conserva- « tionem præexistentis habitus. Neque « enim a posteriori possumus colligere ha- « bitum in nobis intendi, nisi ex inclina- « tione ipsius ad actus intensos ; hanc au- « tem non experitur quis, esto se exerceat « in actibus remissis : non ergo asseverari « potest per illos physice augeri habitus. » Quæ Philosophia etiam procedit in augmento physico habituum supernaturalium, et in actibus ad illud physice disponentibus. Unde prædictus Author videtur minus consequenter procedere, cum postea *quæst.* 18, § 3, *a num.* 30, defendit modum dicendi hactenus impugnatum circa augmentum habitus supernaturalis per actus formaliter remissos. Imo cum docet actum remissum in virtute aliorum actuum præcedentium remissorum esse virtualiter intensiorem, et disponere ad habitus supernaturalis augmentum, Adversarios instruit, ut explicent qualiter habitus naturales possint per actus remissos intendi.

Objiciuntur aliqua D. Tho testimonia D. Tho

199. Nec refert si cum hoc Authore opponas nobis aliqua testimonia D. Thom. in quibus ipsi suffragari videtur. Nam in præsenti, *art.* 6, affirmat quod *per repetitionem actuum ejusdem rationis crescit habilitas in justo ad augmentum charitatis.* Quod verificari non potest, nisi posterior actus disponat non solum secundum quod formaliter habet, sed etiam in virtute alterius præcedentis.

Deinde *in resp. ad* 2, ut explicet qualiter augeatur charitas, utitur exemplo guttarum cavantium lapidem : constat autem, quod licet omnes guttæ sint ejusdem rationis ; nihilominus ultima in virtute præcedentium cavat lapidem : ergo ex mente D. Thom. licet actus sint formaliter remissi, et ejusdem rationis ; poterit tamen ultimus in virtute præcedentium disponere ultimo, et sufficienter ad argumentum charitatis.

Denique, nam hoc duplex disponendi genus, videlicet per actum formaliter intensiorem, vel per actum formaliter remissum, intensiorem tamen virtualiter ob subordinationem ad alios actus remissos præcedentes, palam docere videtur *in* 1, *disp.* 17. *q.* 2, *art.* 3, ubi ait : « Quando actus D. Tho. « charitatis procedit ex tota virtute haben- « tis, et quantum ad virtutem habitus in- « fusi, tunc unus actus disponit, et mere- « tur augmentum charitatis, ut statim fiat : « quando autem non secundum totam vir- « tutem procedit actus ille, tunc est ut dis- « positio remota, et poterit tunc per plures « actus pervenire ad augmentum charita- « tis. » Idemque asserit, et magis explicat *in resp. ad* 1, his verbis : « Non eodem « modo se habent quilibet actus charitatis, « eo quod unus potest esse magis intensus, « et etiam unus potest esse disponens in « virtute præcedentium. »

Quæ fuerit D. Thomæ sententia. D. Tho.

Hæc, inquam, testimonia non obstant. Et priusquam singulis in particulari occurramus, observandum est D. Thom. eis locis non versare difficultatem præsentem, quando videlicet conferatur augmentum charitatis, quod ejus actibus remissis debetur ; sed explicare, an charitas actibus remissis, ut ex articulorum titulis constat. Ad quam difficultatem ipse respondet, charitatem nunquam actu augeri, nisi posita dispositione sufficienti ad tale augmentum.

Ut

Ut autem explicet, quæ sit dispositio sufficiens, dividit actus in remissos, qui videlicet non adæquant latitudinem augmenti superaddendi ; et in ferventiores, qui scilicet excedunt latitudinem habitus præexistentis. Quo supposito, resolvit actus quoslibet charitatis disponere ad augmentum charitatis, aliter tamen, et aliter; nam actus remissi disponunt remote, et mediate, quatenus disponunt ad hoc, ut homo eliciat actum ferventiorem : actus vero ferventiores disponunt ultimo, et proxime, sive omnino sufficienter, quatenus afferunt latitudinem commensuratam augmento superaddendo. Unde quando ponitur actus ferventior, tunc charitas augetur in actu. Tho. Hæc est in summa doctrina Divi Thomæ in illis locis, ex qua nullo modo colligi potest, quod sentiat per repetitionem actuum remissorum, etsi nullus intensior succedat, disponi hominem sufficienter, ut charitas actu augeatur ; et multo minus, quod augmentum debitum actibus remissis conferatur ad positionem actus remissi ejusdem rationis, ut connotantis præteritos. Sed satis evidenter infertur oppositum; nam D. Thom. reponit omnes actus remissos inter dispositiones remotas ; et deinde exposcit alium ferventiorem actum, qui ultimo disponat, ut augmentum actu fiat. Observat autem in eisdem locis, quod hic actus ferventior aliquando elicitur immediate, hoc est, sine mediatione, aut præparatione actuum remissorum, qui præcesserint ; et aliquando elicitur mediate, id est, post aliquos actus remissos, et propterea dicitur disponere in virtute illorum. Non quia actus remissi aliquid habituale de linea charitatis produxerint; sed quia dum mens illos elicit, ab exterioribus divertit, et ad se colligitur : quod est genus aliquod dispositionis, sive habilitatis, ut in ferventiorem actum prorumpat. Nunquam autem charitas augetur, nisi posito actu ferventiori ; et eo posito augetur, sive actus remissi præcesserint sive non.

ritur
olius
ens
ivi
mæ.
Tho.

200. Quod autem ita doceat D. Thom. constat ex eisdem locis, qui nobis objiciuntur. Nam *in præsenti, art.* 6, sic ait : « Non « quolibet actu charitatis actu augetur : sed « quilibet actus charitatis disponit ad cha« ritatis augmentum, in quantum ex uno « actu charitatis homo redditur promp« tior » (modo proxime explicato) « ad ite« rum agendum secundum charitatem; et « habilitate crescente » (eo scilicet modo) « homo prorumpit in actum ferventiorem « dilectionis, quo conatur ad charitatis pro« fectum, et tunc charitas augetur in actu. » Minime autem exigeret S. Doctor, quod habilitas cresceret, et quod homo in actum ferventiorem prorumperet, si ad augmentum charitatis sufficeret repetitio actuum remissorum, et ejusdem rationis, ut illo Author intendit. Et in loco Sentent. ut explicet, qualiter actus disponant ad augmentum charitatis, utitur exemplo actuum, qui ad primum esse charitatis disponunt, et ait : « Quando ergo ita est, quod homo non D. Tho. « habens charitatem ex tota virtute boni« tatis naturalis sibi inditæ movetur ad « charitatem, tunc unus actus disponit cum « ultima dispositione, ut charitas sibi de« tur. Quando vero non secundum totam « virtutem, sed secundum aliquid ejus præ« paratur ad charitatem, tunc actus non « est sicut dispositio ultima, sed remota, et « per plures actus potest pervenire ad dis« positionem ultimam. Similiter dico ex « parte alia, quod quando actus charitatis « procedit ex tota virtute habentis, et quan« tum ad virtutem naturæ, et quantum ad « virtutem habitus infusi, tunc unus dispo« nit, et meretur augmentum charitatis, « ut statim fiat. Quando autem non secun« dum totam virtutem procedit actus ille, « tunc est ut dispositio remota, et poterit « tunc per plures actus pervenire ad aug« mentum charitatis. » Ubi perspicue docet, quod sicut ad infusionem charitatis, ita ad ejus augmentum dantur actus remote, et actus ultimo præparantes ; et quod charitas nec infunditur, nec augetur, nisi posito actu ultimo disponente. Constat autem, quod per solam repetitionem actus, qui remote disponit ad infusionem charitatis, non ponitur formaliter, aut virtualiter dispositio ultima ad talem infusionem requisita, sed necessario concedendum est, requiri alium actum, qui sit formaliter perfectior. Qua de causa licet homo eliceret mille actus, v. g. attritionis, nec omnes simul, nec ultimus ut subordinatus præcedentibus, esset dispositio ultima, et sufficiens ad infusionem charitatis, sed solum disponerent remote, quatenus hominem, dum recte utitur prioribus auxiliis, aliquo modo habilitarent ad eliciendam perfectiori auxilio conversionem in Deum ultimum finem, quæ est dispositio simpliciter ultima ad gratiæ, et charitatis infusionem. Ergo pariter per repetitionem actus re-

missi ut duo, qui remote disponit ad augmentum charitatis ut octo, non ponitur dispositio formaliter, aut virtualiter ultima, et sufficiens ad augmentum charitatis ; sed necessarius est alius actus formaliter perfectior, et tali augmento commensuratus. Et consequenter quatuor actus ut duo nec simul sumpti, nec ut unus aliis subordinatus, disponunt ultimo ad prædictum augmentum, sed præcise disponunt remote, quatenus aliqualiter hominem habilitant, ut prorumpat in actum formaliter ferventiorem, nempe ut octo, qui hac præcise de causa dicitur actus disponens in virtute præcedentium. Et hæc est legitima Divi
D. Tho. Thomæ sententia in locis citatis.

Occurritur testimonio. 201. Unde facile constat ad testimonia, quæ *n.* 199 objiciebantur. Ad primum respondetur, in illo articulo non reperiri ea formalia verba, quæ Ferre diverso charactere exarat. Esto autem reperirentur, solum significant actus remissos disponere, aut habilitare ad charitatis augmentum, quatenus disponunt, et habilitant modo supra explicato, ut homo prorumpat in actum ferventiorem, qui est dispositio ultima, et commensurata augmento superaddendo. Minime vero significant ipsos actus remissos, dum alius formaliter ferventior non succedit, disponere ultimo ad prædictum augmentum.

Explicatur secundum. Ad secundum respondetur, argumentum cui S. Doctor occurrit, esse hujusmodi : charitas augetur sicut virtus acquisita generatur : sed quilibet actus virtuosus operatur ad generationem virtutis : ergo quilibet actus charitatis operatur ad charitatis
D. Tho. augmentum, Quod ita diluit : « Ad secun-
« dum dicendum, quod etiam in genera-
« tione virtutis acquisitæ non quilibet actus
« complet generationem virtutis, sed quili-
« bet operatur ad eam ut disponens; et
« ultimus qui est perfectior, agens in vir-
« tute præcedentium, reducit eam in ac-
« tum, sicut etiam est in multis guttis cavan-
« tibus lapidem. » Unde liquet, falso supponi quod exemplum illud guttarum cavantium lapidem applicetur immediate actibus disponentibus ad augmentum charitatis; applicatur enim actibus generantibus virtutem acquisitam. Quocirca hoc testimonium merito debet in Adversarium
D. Tho. retorqueri, quoniam D. Th. eodem modo discurrit de augmento charitatis, ac de generatione, et augmento virtutis acquisitæ : ista autem non augetur per actus imperfectos, et remissos, sed solum per actus formaliter intensiores, ut ex prædicto Authore vidimus *n.* 198; ergo idem dicendum est de charitate. Et licet exemplum guttarum applicaretur actibus, quibus charitas augetur, solum teneret in hoc, quod sicut in excavatione lapidis non omnes guttæ ultimo disponunt, sed quædam præparant remote, et aliæ magis proxime, et ultima perficit excavationem : ita in augmento charitatis omnes actus disponunt ultimo, sed alii valde remote, et alii magis proxime; quatenus accedunt ad latitudinem augmenti adæquati, et ultimus disponit ultimo ad tale augmentum. Differentia autem inter illud exemplum, et rem præsentem consistit in hoc, quod guttæ sunt ejusdem rationis, secus vero actus disponentes ad augmentum charitatis. Et ratio hujus differentiæ est, quoniam priores guttæ concurrunt humectando, et mollificando lapidem, ad quod habent sufficientem vim, et posterior gutta potest lapidem ita dispositum suo pondere concutere, et aliquam partem ab ipso extrahere, et sic perficit excavationem; nam excavatio lapidis sic dispositi non excedit vim motivam, et impulsivam illius guttæ, ut explicant N. Complut. *in* N. Comp.
lib. de Generat. disp. 8, *quæst.* 3, *num.* 30. Cæterum actus charitatis remissi nihil in charitate ponunt, et aliunde charitatis augmentum excedit latitudinem, ac proinde vim dispositivam cujuslibet illorum : unde licet prædicti actus sæpius repetantur, non adest dispositio ad augmentum, nisi actus formaliter ferventior succedat, sicut proportionabiliter in augmento habitus acquisiti.

202. Dices : Divus Thomas in prædicto Replica. D. Tho.
argumento comparat augmentum charitatis generationi virtutis acquisitæ : sed actus remissus, si repetatur, sufficit ad virtutis acquisitæ generationem, slioquin si ad id requireretur actus intensus, semper generaretur virtus intensa, quod est absurdum : ergo ad augmentum charitatis sufficiunt actus remissi, si repetantur.

Respondetur negando majorem; nam Solutio. D. Tho.
licet argumentum, cui D. Thom. occurrit, utatur ea comparatione, ipse tamen de illa non curat, sed argumentum diluit negando, quod quilibet actus virtuosus sufficiat ad generandam virtutem acquisitam; idque satis erat ad veritatem suæ assertionis, nempe charitatem non quolibet actu augeri. Ratio autem differentiæ inter generationem

tionem virtutis, et augmentum charitatis, imo et cujuslibet alterius habitus, consistit in eo, quod licet actus et virtus acquisita sint ejusdem rationis quantum ad tendentiam specificam in objectum, et possint etiam convenire in modo intensionis, qua de causa habitus naturalis ut duo posset, quantum est ex vi hujus, generari per primum actum ut duo; nihilominus virtus importat quandam firmitatem, et immobilitatem, quæ imprimitur non per unicum actum, sed per plurium repetitionem; et ideo unus actus ut duo non generat virtutem ut duo, plures autem actus ut duo generant virtutem ut duo; quia quod non generaretur, non proveniebat ex defectu tendentiæ specificæ, aut modi intensionis in actu; sed ex defectu repetitionis, quæ firmaret potentiam, ut exponit D. Thom. 1, 2, *quæst.* 51, *art.* 3. Cæterum augmentum habitus (sive naturalis, sive acquisiti), excedit latitudinem actus remissi, et modum in eo repertum : unde non sufficit, quod idem actus remissus repetatur, sed requiritur perfectior formaliter actus, qui augmentum in modo intensionis adæquet, ut satis aperte docet D. Thom. *in hoc art.* 6.

D. Tho

Occurrit. aliis testimoniis. D. Thc.

203. Ad duo alia testimonia, quæ ultimo loco proponuntur, constat ex supra dictis *num.* 200, quod cum D. Thom. asserit, posse unum actum in virtute præcedentium disponere ad augmentum charitatis, non significat actum, qui sit formaliter ejusdem intensionis physicæ cum præcedentibus, sed actum formaliter ferventiorem, qui dicitur disponere in virtute præcedentium, quatenus eis præcedentibus, mediantibus, et habilitantibus, elicitur modo ibidem explicato.

§ III.

Ultima conclusio dubium directe resolvens.

Alia assertio.

204. Dicendum est tertio, augmentum charitatis, quod ejus actibus remissis correspondet, debet conferri, per se loquendo, in primo glorificationis instanti. Sic docent communiter omnes Authores *num.* 185 relati, paucis exceptis, ut *num.* 217 videbimus. Probatur primo ex D. Thom. qui pro collatione prædicti augmenti illam durationem non obscure designat *in præs. artic.* 6, *in resp. ad* 1, *et in* 1, 2, *quæst.* 114, *art.* 8 *ad* 3, ubi affirmat, quod sicut quilibet actus charitatis remissus meretur glo-

Probatur ex D. Tho. D. Tho.

riam, ita meretur charitatis augmentum, non quidem statim reddendum, sed suo tempore : tempus autem retribuendi quidquid meritis debetur, est primum glorificationis instans, ad quod status viæ, et omnia merita terminantur. Et *in addit. ad* 3 *p. quæst.* 93, *art.* 3, hæc habet : « Princi- « pium distinctivum mansionum, sive gra- « duum beatitudinis est duplex, scilicet « propinquum, et remotum. Propinquum « est diversa dispositio, quæ erit in beatis, « ex qua contingit diversitas perfectionis « apud eos in operatione beatitudinis. Sed « principium remotum est meritum, quo « talem beatitudinem consequuti sunt. « Primo autem modo distinguuntur man- « siones secundum charitatem patriæ, quæ « quanto in aliquo erit perfectior, tanto « eum reddet capaciorem divinæ claritatis, » (non caritatis, ut transcribunt Joannes a S. Thom. Gonet, et alii) « secundum cujus « augmentum augebitur perfectio visionis « divinæ. Secundo vero modo distinguun- « tur mansiones secundum charitatem « viæ. » Quibus verbis perspicue tradit differentiam inter dispositionem, et meritum in ordine ad distinguendos diversos gradus gloriæ, asseritque actus meritorios distinguere remote, charitatem vero patriæ distinguere proxime, quatenus disponit ad recipiendum majus lumen gloriæ (quod nomine divinæ claritatis significat), ac perinde majorem gratiam eidem lumini commensuratam. Cumque ista gratia sit præmium correspondens meritis, quæ remote gloriam distinguunt, sequitur gratiæ, et charitatis augmentum actibus remissis meritoriis debitum, et antea non redditum, retribui in patria (utique in primo instanti, cum ibi non sit variatio in præmio essentiali), dependenter ab actu ferventissimo charitatis, in quem anima tunc prorumpit, sicut a dispositione physica, et prædicto augmento commensurata.

Joan a S. Tho. Gonet.

Ratio fundamentalis.

205. Deinde probatur ratione : quoniam homini perseveranti in gratia infallibiliter confertur præmium, quod meruit de condigno : sed homo per actus charitatis remissos meruit de condigno charitatis augmentum, ut supponimus ex dictis *dub. præced.* Ergo si perseveret in gratia, consequitur infallibiliter hoc augmentum : atqui illud non consequitur, cum actus remissos elicit, ut vidimus § 1, nec in statu viæ, licet eliciat actus ferventiores, ut declaravimus § *præced.* Ergo illud consequi-

tur post hanc vitam : ergo in primo glorificationis instanti. Cætera constant præter ultimam consequentiam, quæ sic probatur : nam ideo homo in hac vita non consequitur augmentum actibus remissis debitum, quia nunquam in hac vita elicit dispositionem physicam ad tale augmentum, nempe actum charitatis, qui ad illud disponat, et novum augmentum non mereatur ; ubi enim distinctum augmentum meretur (quod semper contingit), ad illud etiam per se disponit, non vero ad augmentum debitum anterioribus actibus remissis, ut § *præced.* declaravimus. Constat autem, quod homo in primo instanti glorificationis prorumpit in actum ferventissimum charitatis, qui ex una parte novum augmentum non meretur, siquidem status merendi finitur per mortem, ut *tract.* 16, *disp.* 1, *dub.* 4, statuimus ; et ex alia parte disponit physice ad totam gratiam, quæ omnibus actibus debetur, siquidem ipsi commensuratur. Ergo homo in primo glorificationis instanti consequitur illud gratiæ, et charitatis augmentum, quod actibus remissis debetur.

Confirmatio. Confirmatur, quia admissa etiam opinione illorum Authorum, quos § *præced.* impugnavimus, adhuc necessario concedendum est, aliquos actus ferventiores disponentes ad augmentum actibus remissis debitum, non consequi in hac vita omne illud charitatis augmentum, quod ipsis debetur, ob defectum videlicet physicæ commensurationis cum toto augmento, ut ostendimus *num.* 196 et 198, et concedit Arauxo. Arauxo *loco citato*, § *Hinc colligo.* Ad hujusmodi autem augmentum. et præmium conferendum non potest designari aliud aptius tempus, quam primum instans glorificationis, cum in eo eliciatur actus charitatis valde fervidus, et qui gratiæ omnibus meritis debitæ commensuratur. Ergo sicut in eo instanti confertur augmentum illud, quod vel aliquibus actibus remissis, vel aliquibus gradibus actus ferventioris debebatur, ut relati Authores discurrunt : ita in nostra sententia totum augmentum omnibus actibus remissis debitum, et cujus nihil in hac vita collatum fuerat, retribuitur in primo glorificationis momento. Adest quippe in eo instanti ferventissimus charitatis actus, qui ex una parte non meretur distinctum augmentum, nec ad illud disponit ; et ex alia commensuratur physice cum toto augmento, quod actibus remissis debetur.

206. Objicies : actus charitatis elicitus in primo glorificationis instanti supponit totam gratiam, et gloriam, siquidem regulatur per visionem beatificam ; non enim regulari valet per fidem, quæ visione jam præsenti evacuatur : ergo nequit disponere physice ad gratiæ augmentum. Probatur consequentia ; nam dispositio physica debebet præcedere formam, ad quam disponit. Objectio.

Respondetur negando consequentiam, nulla quippe repugnantia est in eo, quod ille actus supponat totam gratiam in genere causæ efficientis, et formalis, et quod ipsam præcedat in genere causæ dispositivæ ; nam causæ mutuæ sunt causæ, et in diversis influendi generibus se præcedunt : sicut calor, qui dimanat a forma ignis, disponit materiam ad ejus receptionem ; et sicut actus contritionis procedens a gratia justificante, cum primo infunditur, ad eandem gratiam disponit, ut fuse, et ex professo explicuimus *tract.* 15, *disp.* 3, *dub.* 4, *per totum.* Diluitur.

207. Diximus in assertione, augmentum debitum actibus remissis, conferri *per se loquendo*, in primo glorificationis instanti ; quia per accidens contingere potest. quod conferatur ante illud instans. Et ratio utriusque partis est, quia justus statim post mortem assequitur per se loquendo beatitudinem ; statui quippe viæ immediate per se loquendo succedit terminus gloriæ, in quem justitia viatorum collimat. Et quia ubi anima primum assequitur gloriam, elicit actum charitatis ferventissimum, toti gratiæ, quæ meritis debetur, commensuratum, atque ideo physice disponentem ad talem gratiam : propterea duratio, in qua per se loquendo retribuitur augmentum gratiæ debitum actibus remissis, est primum glorificationis momentum. Limitatur, et explicatur conclusio.

Solet tamen per accidens contingere, quod anima in purgatorio detineatur quousque detestetur cuncta venialia, quorum maculas non exuerat ante mortem, et subeat omnem pœnam debitam peccatis gravibus, et levibus, pro quibus non satisfecerat in hac vita. Et probabilissimum nobis videtur, quod anima in Purgatorio existens eliciat actus charitatis satis fervidos, et qui sufficienter disponant ad augmentum debitum actibus remissis, quos in vita elicuerat. Nam ex una parte peccata venialia diluuntur in purgatorio per hoc, quod anima eliciat actum charitatis eisdem peccatis repugnantem

. Thc. pugnantem, ut expresse tradit D. Thom. *quæst.* 7, *de Malo, art.* 11, *in corp. et ad* 9. Ad quod oportet, quod prædictus actus sit satis perfectus, et fervens. Præsertim cum anima in eo statu non habeat ea impedimenta, quibus in hac vita a fervore charitatis retardari solet. Ex alia vero parte prædictus actus non meretur novum gratiæ augmentum, quia ut tradit S. Doct. *loc cit.* post hanc vitam non est status merendi. Cum ergo talis actus sit satis fervidus, possitque augmento debito commensurari, et aliunde non mereatur novum augmentum, ad quod intimius disponat, nihil illi deficere videtur, ut habeat præcisam rationem dispositionis physicæ sufficientis ad augmentum debitum actibus elicitis in hac vita. Et quia non ob aliam rationem suspendebatur hujusmodi augmentum, nisi ob defectum physicæ dispositionis, sequitur quod, hac in purgatorio exhibita, statim ibidem augmentum fiat. Quod ad minus verificari debet de aliqua augmenti parte; nam incredibile nobis apparet, quod animæ in purgatorio non eliciant actus charitatis ferventiores illis, quos in hac vita eliciebant, et hi actus sufficienter disponunt ad partem augmenti.

Nota. 208. Ex quibus ulterius colligimus, quod licet augmentum debitum actibus remissis, conferatur per se loquendo in primo glorificationis instanti, et per accidens in purgatorio; nihilominus frequentius, et ut in plurimum potius in purgatorio, quam in primo ingressu gloriæ tribuitur. Quoniam licet detentio animarum in purgatorio sit per accidens, nihilominus est frequentior; rarissimæ quippe sunt, quæ in morte nihil purgandum, nihil exsolvendum habeant, et gloriam immediate assequantur independenter a purgatorio. Ibidem autem magis, aut minus detentæ se disponent ad suscipiendum augmentum, ut proxime dicebamus. Nec insolens est, quod ea quæ sunt per accidens, contingant in pluribus, ut defectus morales evincunt.

§ IV.

Refertur opinio primæ assertioni contraria.

Prior sententia opposita. 209. Prima sententia nobis adversa defendit charitatem statim augeri quolibet actu remisso, ac proinde ejus augmentum actibus remissis debitum conferri, ubi primum ipsi actus eliciuntur. Sic sentiunt B. Albertus *in* 4, *dist.* 17, *art.* 10, Gabriel *ibidem, quæst.* 4, *art.* 2, *dub.* 2, et *in* 4, *dist.* 14, *quæst.* 3, *art.* 3, *dub.* 3, ubi Major *dist.* 22, *quæst.* 1, Almainus *tract.* 2, *moral. cap.* 11 *et* 12, Corduba *lib.* 1, *quæst.* 9, Suarez 3 *part. disp.* 18, *sect.* 2, *concl.* 2, et *in relect. de reviviscentia merit. disp.* 2, *sect.* 3, Vasquez 1, 2, *disp.* 220, *cap.* 5, Lorca *in præs. disp.* 16, *memb.* 2. Malderus *concl.* 4, Torres *disput.* 68, *dub.* 4. Hurtado *disput.* 2, *difficult.* 9. Castillo *disput.* 3, *quæst.* 7, *part.* 2, et alii plures. D. Alb. Gabriel. Major. Almain. Cordub. Suar. Vasq. Lorca. Malder. Torres. Hurtad. Castillo.

Probatur primo ex Concil. Trident. *sess.* 6, *cap.* 10, ubi hæc habet: « Sic ergo justificati, et amici Dei, ac domestici facti, « euntes de virtute in virtutem, renovantur, ut Apostolus inquit, de die in diem, « hoc est, mortificando membra carnis suæ, « et exhibendo ea arma justitiæ in sanctificationem per observationem mandatorum Dei, et Ecclesiæ in ipsa justitia per « Christi gratiam accepta, cooperante fide « bonis operibus, crescunt, atque magis « justificantur, sicut scriptum est: qui « justus est, justificetur adhuc. Et iterum: « Ne verearis usque ad mortem justificari, « etc. » Et conformiter ad hanc doctrinam diffinit canon 24: « Si quis dixerit justitiam « acceptam non conservari, atque etiam « augeri coram Deo per bona opera, sed « opera ipsa fructus solummodo, et signa « esse justificationis adeptæ, non autem « ipsius augendæ causam, anathema sit. » Quibus locis determinat Concilium, nostram justitiam augeri per bona opera, nulla adhibita restrictione ad sola opera intensiora, sed universa comprehendens, sive sint intensa, sive remissa. Ergo posito quolibet actu meritorio, quantumvis remisso, statim nostra justitia augetur. Primum argumentum. Conc. Trid.

Nec valet Concilium exponi de justitia actuali consistente formaliter in ipsis bonis operibus, ut quidam ausi sunt interpretari: tum quia loquitur expresse de justitia accepta per gratiam Christi; quod non ita proprie intelligitur de actibus, qui potius dicuntur per gratiam Christi fieri, quam accipi. Tum quia asserit justitiam acceptam conservari, et augeri per bona opera, tanquam per causam; quod verificari non posset, si justitia, de cujus incremento agit, consisteret formaliter in ipsis operibus. Loquitur ergo de gratia hibituali, quæ est forma justificans, et radix charitatis.

Respondetur concedendo, quod justitia habitualis, quam præstat gratia, augeatur Diluitur.

Trident. quolibet opere bono, ut Concilium diffinit. Ad quam veritatem salvandam non requiritur determinate, quod gratia augeatur statim physice suscipiendo novum modum, aut gradum physicum intensionis ; sed sufficit vel sic augeri, quando actus meritorii sunt intensiores; vel augeri moraliter propter acceptationem, et jus ad majorem gloriam, quando actus sunt remissi. Eadem enim gratia persistens sub eodem physico intensionis modo, si eliciat opus meritorium remissum, fit moraliter major in esse gratiæ ; quia reddit hominem magis acceptum ob novum titulum ad consequendum suo tempore aliquod ipsius gratiæ augmentum, et majorem gloriam. Unde indemnis salvatur veritas diffinita a Concilio ; nam homo per quæcunque bona opera crescit in justitia accepta, uno ex duobus modis relatis, nempe physice, aut saltem moraliter.

Secundum argumentum. 210. Sed contra insurgunt Adversarii, et sit secundum argumentum, quia nequit gratia augeri moraliter, quin augeatur physice : ergo si posito quolibet actu remisso augetur moraliter, debet pariter physice augeri. Probatur antecedens : tum quia gratia dicitur augeri moraliter, quatenus importat jus ad majorem gloriam : sed quod gratia præstet jus ad gloriam, est prædicatum ejus physicum, et intrinsecum : ergo idem est in gratia augeri moraliter, et augeri physice. Tum etiam, quia eo ipso, quod gratia crescat moraliter, reddit hominem magis acceptum Deo, ut terminet magis, aut majorem Dei amorem : sed gratia per suam intrinsecam entitatem habet reddere hominem Deo acceptum, illumque constituere in esse termini divini amoris : ergo cum gratia crescit moraliter, augetur etiam quoad intrinsecam entitatem.

Confirmatio prima. Confirmatur primo : nam esto jus ad gloriam differret aliquo modo ab entitate gratiæ, nihilominus consequitur prædictam entitatem ut radicem, et rationem fundandi tale jus : ergo fieri non potest, quod invariata physica entitate gratiæ, augeatur jus ad gloriam. Sicut quia intelligibilitas consequitur immaterialitatem, fieri non valet, quod aliquid sit magis intelligibile, quam immateriale. Et sicut quia albedo est ratio disgregandi visum, non potest corpus esse magis disgregativum, quam album.

Confirmatio secunda. Confirmatur secundo, quia si per actus remissos augeretur gratia moraliter in esse gratiæ, et non augeretur physice, et secundum entitatem, sequeretur quod supposito actu remisso, nunquam daretur commensuratio, et æqualitas inter gratiam sumptam moraliter; quod tamen videtur absurdum.

Occurritur argumento. 211. Ad replicam, et argumentum respondetur negando antecedens ; nam augmentum physicum gratiæ attenditur formaliter penes ejus entitatem, et gradus, aut modos intensionis; augmentum autem morale supra entitatem gratiæ addit actus meritorios. Primum illud convenit gratiæ immediate, quatenus est participatio naturæ divinæ, et seipsa constituit nos filios Dei cum exigentia physica gloriæ ut hæreditatis; posterius vero convenit immediate, idest mediis actibus, quatenus eos eliciens fundat jus morale ad gloriam ut præmium. Nulla autem est repugnantia in eo, quod invariata physica entitate gratiæ, multiplicentur actus meritorii. Et ideo fieri valet, quod gratia physice non crescat, et tamen augeatur moraliter; sive, et in idem redit, quod moraliter considerata excedat seipsam physice sumptam. Quod declarari valet tum exemplo gratiæ Christi Domini, quæ physice sumpta, et quoad gradus intensionis est finita ; et tamen considerata moraliter secundum dignitatem, quam habet a Verbo, ut sit principium infiniti meriti, et infinitæ satisfactionis, est infinita, ut frequenter docent Theologi cum D. Thom. D. Tho. 3 *p. quæst.* 7, *art.* 11. Tum exemplo actus meritorii, qui potest moraliter consideratus excedere seipsum physice acceptum, ut contingit quoties permanens sub eodem physico intensionis modo suscipit majorem valorem moralem, vel ob continuationem, vel ob aliam circumstantiam extrinsecam, ut *dub. præced. num.* 41, exposuimus. Tum denique in ipsa gratia, quæ potest esse major physice, quam moraliter, ut contingit cum augetur intra sacramentum ; nam supra id, quod nostri actus merentur, et ipsa gratia eis mediantibus fundat, confertur aliquod augmentum ex opere operato. Sic ergo vice versa fieri potest, quod sit minor physice, quam moraliter.

Satisfit singulis probationibus. Ad primam autem probationem in contrarium patet ex modo dictis ; nam duplex jus ad gloriam distinguendum est in gratia: aliud velut physicum, consequens immediate ejus naturam, et respiciens gloriam ut hæreditatem ; et istud est prorsus intrinsecum gratiæ, et indistinctum ab ejus entitate ; unde nequit gratia in hoc jure crescere, quin physice, et secundum entitatem augeatur :

augeatur : aliud vero est morale, quod fundatur immediate in actibus bonis a gratia procedentibus, et respicit gloriam ut debitam per modum præmii, et coronæ; et istud non est omnino intrinsecum gratiæ, nec ab ea prorsus indistinctum, cum concernat actus ab ea diversos ; et propterea valet gratia secundum hoc jus augeri, quin actu crescat secundum entitatem. Juxta quæ distinguendo præmissas neganda est absolute consequentia.

212. Ad secundam etiam constat; nam ut homo dicatur terminare majorem Dei dilectionem, sufficit quod Deus ipsi impertiatur auxilia ad eliciendum actus meritorios, et quod ipsum acceptet ad majorem gratiam, et gloriam ipsis actibus debitam, et suo tempore dandam, licet gratia habitualis actu non augeatur physice. Verum quidem est, quod quia gratia hoc modo solum moraliter crescit, solum denominat hominem moraliter magis acceptum Deo, et terminantem majorem Dei dilectionem moraliter consideratam; quia Dei amor non producit actu terminum potissimum, qui est entitas gratiæ, aut physicum ejus augmentum; sed solum ordinat hominem ad majus bonum, quod aliquando physice, et exercite tribuet.

Ad primam confirmationem respondetur ex proxime dictis, quod jus morale ad gloriam ut præmium non sequitur immediate ad gratiam solitarie sumptam ; sed consequitur mediate, et quatenus concernit actus meritorios. Et quia stante eadem physice gratia, possunt actus meritorii multiplicari, propterea fieri valet, quod non crescente gratia physice, augeatur jus ad gloriam ut coronam. Per quod patet ad exempla in contrarium adducta; nam intelligibilitas sequitur adæquate immaterialitatem, et vis disgregandi visum sequitur immediate naturam albedinis ; et ideo non potest aliquid esse magis intelligibile, quam immateriale; aut magis disgregativum, quam album. Oppositum autem accidit in nostro casu, ut jam explicuimus.

Ad secundam respondemus, nullum esse inconveniens, quod supposita elicientia actuum remissorum non detur in hac vita æqualitas, aut commensuratio inter gratiam sumptam physice, et consideratam moraliter; sive, et idem est, inter entitatem gratiæ, et jus meritorium ad gloriam ut præmium. Sicut inconveniens non est, quod gratia Christi sumpta physice non sit æqualis sibi ipsi ut consideratæ moraliter, sed infinite excedatur. Et sicut non est absurdum, quod supposito augmento gratiæ per sacramenta, jus meritorium non sit æquale gratiæ physice sumptæ, sed ab ea excedatur; semper enim in sacramentis plus recipimus, quam mereamur. Quæ omnia possunt magis confirmari exemplo actus vitii; nam per quemlibet actum peccaminosum fit homo moraliter pejor, et habet reatum ad majorem pœnam ; et nihilominus non per quemlibet actum malum augetur intensive physice habitus vitiosus ipsi correspondens, sed ad summum extensive.

213. Arguitur tertio : quia meritum de condigno infallibiliter consequitur præmium sibi debitum : sed actus charitatis, quantumvis remissi, merentur aliquod charitatis augmentum, ut *dub. præced.* statuimus : ergo infallibiliter consequuntur prædictum augmentum. Præsertim cum prædictum augmentum non sit incompossibile cum actibus, et statu viæ, sicut accidit in gloria. Per quod tacita responsio præcluditur. Tertium argumentum.

Respondetur concedendo, quod meritum de condigno, si perseveret, consequatur infallibiliter suum præmium. Ex hoc autem solum infertur, quod justus, si perseveret, non defraudabitur illo charitatis augmento, quod actibus remissis correspondet; minime vero, quod illud statim assequatur. Et ratio est, quoniam justus non meretur de condigno, ut illud augmentum innaturaliter fiat, sed meretur illud ut exercendum connaturaliter, et dependenter ab aliis causis, a quibus illud naturaliter dependet. Inter alias autem causas recensetur dispositio physica ultimo sufficiens ad tale augmentum, ut supra vidimus *dub.* 2. Unde justus non meretur augmentum ut conferendum sine hac dispositione, sed ut dandum quando ipsa adfuerit. Cum ergo, dum operatur remisse, hæc ultima dispositio non adsit, ut § 1 explicuimus, nequit quandiu remisse operatur, consequi illud augmentum, quod eisdem actibus remissis correspondet ut præmium. Sicut enim meretur gloriam, et tamen non meretur quod detur in statu viæ, nec quod ipse status viæ statim finiatur; sic meretur augmentum gratiæ ; sed non meretur quod detur sine dispositione physica, nec quod ipsa dispositio statim adsit, sed utrumque meretur ut suo debito tempore reddendum. Solutio.

214. Sed contra hanc responsionem objicies *primo* : nam ex ea sequitur, actus Replicæ.

remissos dicendos esse merita mortificata, quod est absurdum. Probatur sequela; nam illud opus dicitur meritum mortificatum, quod licet habeat valorem sufficientem, impeditur tamen, ne præmium assequatur, ut patet in operibus bonis, quæ per sequens peccatum inpediuntur : sed actus remissi impediuntur per defectum dispositionis physicæ, quam dicimus necessariam ad augmentum consequendum : ergo dicendi sunt merita mortificata respectu talis augmenti. *Secundo*, quia collatio præmii de condigno non impeditur, nisi per obicem peccati : sed defectus fervoris in actu meritorio non est obex peccati, ut ex se liquet : ergo per solum defectum fervoris, sive intensionis in actu nequit impediri augmentum charitatis, quod ipsi debetur tanquam merito de condigno. *Tertio*, quia actus charitatis ut sex non est minus meritorius in habente charitatem ut octo, quam in habente charitatem ut quatuor; licet enim charitas habitualis non augeat meritum, nequit tamen illud diminuere : sed actus charitatis ut sex elicitus ab habente charitatem ut quatuor, meretur ut statim charitas augeatur, et physice augmentum consequatur : ergo idem dicendum est de eodem actu charitatis ut sex elicito ab habente charitatem ut octo, quin illi obsit defectus commensurationis cum augmento superaddendo.

Diluitur prima. Ad primam objectionem negamus sequelam. Et ad probationem dicendum est, quod merita sicut habent primum esse per dependentiam a gratia, ita vivere dicuntur quandiu ipsi conjunguntur, et retinen vim, et jus perducendi hominem ad præmium. Quod conservant dum homo perseverat in gratia. Ubi autem peccatum grave succedit, eam vim amittunt; quia licet secundum se placeant Deo, nequeunt perducere hominem ad gloriam, ob indispositionem peccati; et tunc præcise dicuntur mortificari. Quia ergo actus meritorii remissi habent vim, et jus perducendi justum ad augmentum charitatis sibi correspondens, et suo tempore reddendum, nequeunt dici merita mortificata in ordine ad tale præmium. Illud tamen actu non assequuntur, quia licet in suo genere sufficiant; deficit tamen concursus alterius causæ ad tale augmentum requisitæ, nempe dispositionis physicæ, et eidem augmento commensuratæ.

Ad secundam negamus majorem ; nam collatio præmii debiti merito de condigno potest pro aliqua duratione impediri, aut potius suspendi non solum per culpam, sed etiam per defectum physicæ dispositionis ad illud recipiendum. Sicut etiam in naturalibus posset quis egregie adeo laborare pro Rege, et Republica, ut mereretur de condigno accipere in uxorem Regis filiam regni hæredem. Et tamen collatio hujus præmii sine ulla culpa, sed ob aliquod impedimentum deberet suspendi, et ad aliud tempus differri, utputa si ipse esset uxoratus ; non enim accipiet filiam Regis, nisi mortua priori uxore : aut si filia Regis non habeat ætatem requisitam ad matrimonium, et proinde expectari debeat tempus conveniens. Et idem proportionabiliter accidit in præsenti ; nam licet carentia fervoris, sive intensionis commensuratæ augmento supperaddendo non sit peccatum, est tamen defectus dispositionis physicæ requisitæ ad tale augmentum ; et ideo collatio hujus præmii differri debet ad tempus, in quo adsit hujusmodi dispositio. Solvitur secunda.

Diruitur tertia. Ad tertiam, omittendo præmissas, negamus consequentiam. Et ratio disparitatis est quod actus charitatis ut sex, elicitus ab habente charitatem ut quatuor, non solum habet valorem æqualem augmento superaddendo, nempe ut sex; sed etiam est dispositio physice sufficiens, et tali augmento omnino commensurata. Quocirca nihil illi deest, ut prædictum augmentum non solum mereatur, sed physice etiam statim assequatur. Idem vero actus ut sex elicitus ab habente charitatem ut octo, habet quidem valorem sufficientem, ut saltem conjunctus aliis juribus, aut titulis præcedentibus mereatur de condigno prædictæ charitatis augmentum, et ideo illud de facto meretur ; sed non habet gradus, aut modum intensionis requisitæ, ut sit dispositio physica ultima ad prædictum augmentum, quocirca illud actu non consequitur. Unde licet utrobique habeat eundem valorem, ac subinde eandem vim meritoriam, diversimode tamen illam exercet, quia in habente charitatem ut quatuor meretur augmentum ut statim conferendum, quia per seipsum est dispositio physica ad tale augmentum. At in habente charitatem ut octo, ob defectum debitæ dispositionis physicæ, non meretur augmentum ut statim dandum, sed ut conferendum suo tempore, nempe cum adfuerit debita dispositio. Nec

hinc

hinc debet inferri, quod habens charitatem ut octo sit pejoris conditionis, quam habens charitatem ut quatuor ; nam in valore operis æquales sunt : et quod unus recipiat statim præmium, et alter non, proveniat ex inæqualitate augmenti superaddendi, quod in habente charitatem ut octo est majus, et petit intensiorem dispositionem. In quo potius elucet melior hujus posterioris conditio.

ca. 215. Sed adhuc instabis : nam qui meretur aliquam formam, meretur etiam dispositionem physicam requisitam ad talem formam,cum forma absque tali dispositione communicari non valeat ; ergo si ille, qui habet charitatem ut octo, et elicit actum ut sex, meretur augmentum præexistentis charitatis, merebitur etiam, quod adsit actus interior, qui sufficienter ad tale augmentum disponat ; atque ideo dicere, quod ob defectum dispositionis tunc actu charitas non augeatur, est petitio principii.

io. Respondetur eum, qui meretur formam, mereri ad summum dispositionem ad talem formam ponendam tempore opportuno, non tamen ut statim ponendam, atque ideo non semper consequi statim formam. Tempus autem opportunum ad eliciendum actum intensiorem non est illud, in quo homo operatur remisse ; nam ex suppositione, quod remisse operatur, nequit operari intense in sensu composito. Cujus doctrinæ signum manifestum est ipsa experientia ; non enim deprehendimus, quod cum remisse operamur, statim operemur intense. Accedit etiam, quod si homo tunc eliceret actum intensiorem, per ipsum mereretur novum charitatis augmentum, cui intimius, et per se disponeret ; et sic talis actus non disponeret ad augmentum correspondens actui remisso, ut § 2 declaravimus. Unde oportet recurrere ad aliud opportunum tempus, in quo eliciatur actus physice sufficiens ad tale augmentum.

tum u- um. 216. Arguitur quarto : quia cuncta merita mortificata per peccatum, reviviscunt per sequentem pœnitentiam, ita quod omnia ipsi applicentur, et prosint, ut communiter docent Theologi ; et tamen actus quo pœnitens convertitur, et resurgit, non semper est æqualis eisdem meritis, sed inferioris longe intensionis : ergo pariter dicendum est, non requiri æqualitatem inter actum meritorium augmenti, et augmentum superaddendum, ut istud statim fiat.

Et confirmatur, quia per sequentem pœnitentiam restituitur homini tota gratia, quam amiserat : sed actus,quo convertitur, non semper est æqualis tantæ gratiæ. Ergo non requiritur æqualitas, aut commensuratio physica in gradibus intensionis inter gratiam et actum, qui ad ejus receptionem disponit. Minor, et consequentia patent : major autem probatur ex illo Ezech. 18 : *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, vita vivet, et non morietur, omnium iniquitatum ejus non recordabor.* Si autem pœnitens non consequeretur omnem gratiam amissam,videretur Deus iniquitatum ejus recordari, siquidem ob eas careret nunc ea gratia, quam haberet, si non peccasset. Confirmatio. Ezech. 18.

Respondetur argumento negando consequentiam ; nam cum merita, eorumque reviviscentia sint quid morale, non requirunt, ut reviviscant,actum sibi commensuratum, sed solam conjunctionem ad gratiam, ob cujus privationem dicebantur prius mortificata. Et ideo quocumque actu, et qualibet gratia resurgat homo, cuncta ejus merita reviviscunt. Gratia autem tam in suo fieri, quam in suo augeri, est forma physica, exigitque physicas dispositiones, quibus commensurari debeat. Unde sicut hoc argumentum non convincit, quod gratia, cum primo infunditur, excedat latitudinem dispositionis, qua homo ad eam recipiendam aptatur ; ita nec convincere valet gratiam, quando augetur, non commensurari intensioni actuum, quibus homo disponitur ad tale augmentum. Satisfit argumento.

Ad confirmationem respondetur, peccatori cum convertitur,restitui moraliter omnem gratiam,quam per peccatum amiserat, quia incipit habere jus ad totam illam debito tempore conferendam. Sed physice non restituitur ipsi gratia,nisi juxta latitudinem dispositionum, sive actuum, quibus convertitur ; et ideo si resurgat cum contritione ut quatuor, non recipit actu, nisi gratiam ut quatuor, eo quod infusio, et augmentum formæ perfectæ, qualis est gratia, dependet a dispositione physica recipientis, et debet ipsi commensurari, ut satis expressit Concil. Trident. *sess.* 6, *cap.* 7, dum dixit, Spiritum sanctum partiri singulis justitiam *prout vult, et secundum propriam uniuscujusque dispositionem, et cooperationem.* Occurritur confirmationi. Concil. Trid.

Nec huic doctrinæ opponitur illud testimonium Scripturæ, quia solum significat

Deum oblivisci iniquitates pœnitentium quantum ad inflictionem pœnæ æternæ, et abolitionem maculæ ; sed non docet, quod cuncta pœnitenti restituantur, vel quod antiquus status idem omnino redeat. Alioquin restituenda esset innocentia, et virginitas ; et homo per quamlibet conversionem exueret reatum pœnæ temporalis : quæ sunt absurda. Videantur quæ diximus *tract.* 16, *disp.* 5, *dub. unico.*

§ V.

Diversorum placita referuntur contra secundam, et ultimam assertionem.

Aliæ sententiæ contrariæ.

217. Quod augmentum charitatis actibus ejus remissis debitum fiat saltem ex parte in hac vita, et totum non servetur retribuendum post mortem, docent non pauci, licet diversimode id explicent. Va-

Valent.

lentia *disp.* 3, *quæst.* 2, *puncto* 3, *concl.* 8, docet, licet charitas non statim augeatur posito quolibet ejus actu, potest tamen statim augeri per actum remissum post plures alios succedentem, et qui in virtute illorum,et ratione assiduitatis præstet quod præstaret actus intensior ; et consequenter affirmat, posito prædicto actu,retribui illud charitatis augmentum, quod ratione præcedentium remissorum debebatur. Idem

Ferre.

reipsa defendit Ferre *quæst.* 18, § 3, referens pro eadem opinione acutissimum

Granad.

quendam Thomistam.Granado autem *disp.* 10, *sect.* 1, censet non requiri actum intensiorem, ut charitas actu,augeatur ; sed requiri, et sufficere actum ejusdem intensionis cum habitu præexistenti, atque ideo esse sufficientem dispositionem, ut retribuatur augmentum debitum præcedenti

Arauxo.

actui remisso. Denique Arauxo ubi supra, *conclus.* 3, defendit quod cum homo elicit actum intensiorem, consequitur augmentum charitatis commensuratum excessui actus supra habitum præexistentem, et insuper illud augmentum, quod præcedentibus actibus remissis erat debitum, ita ut si habens charitatem ut quatuor elicuit actum ut duo, et postea eliciat actum ut sex, consequatur statim quatuor gradus supra præexistentem charitatem, duos ratione excessus præsentis actus, et alios duos ratione præcedentis actus meritorii, ad cujus præmium disponit actus præsens per id, quod habitui adæquatur. Et quamvis prædicti dicendi modi diversis argumentis utantur, conveniunt tamen in eo, quod totum charitatis augmentum actibus ejus remissis debitum non reservetur exsolvendum post mortem, sed vel quod totum in hac vita retribuatur, vel saltem rependatur partim in hac vita, et partim in alia. Et quantum ad hoc adversantur nobis in secunda, et in ultima conclusione.

Primum argumentum.

218. Pro qua opinione arguitur primo ex D. Thom. Nam ut charitas statim augeatur, non requiritur quod actus ad augmentum disponens ipsi augmento superaddendo commensuretur, sed sufficit si commensuretur habitui præexistenti charitatis (qui actus in nostra sententia vocatur remissus, cum non adæquet latitudinem augmenti superaddendi) : ergo posito tali actu,habitus statim augetur,et consequenter non omne augmentum cuilibet actui remisso debitum differtur conferendum post mortem. Utraque consequentia patet, et antecedens probatur ex

D. Tho.

D. Thom. *in* 1, *distinct.* 17, *quæst.* 2, *articul.* 3, *in corp.* ubi ait : « Quando actus « charitatis procedit ex tota virtute habentis et quantum ad virtutem naturæ, « et quantum ad virtutem habitus infusi, tunc unus actus disponit, et meretur « augmentum charitatis, ut statim fiat. » Sed ut aliquis dicatur operari secundum totam virtutem habitus infusi, non requiritur, quod eliciat operationem habitu intensiorem ; tunc quippe non diceretur operari secundum virtutem habitus infusi, sed magis supra virtutem illius : ergo ut charitas statim augeatur, sufficit ex mente D. Thom.quod actus ad augmentum disponens commensuretur habitui præexistenti. Deinde idem S. Doctor. *in* 2,*dist.* 27,*quæst.*

D. Tho

1, *art.* 5, *in resp. ad* 2, ait : « Non in quolibet actu meritorio invenitur illa con« ditio, per quam ex actu consequitur « augmentum habitus : sed solum in illo « actu, quo quis utitur gratia accepta se« cundum proportionem suarum virtutum, « ut in nullo gratiæ Dei desit per negligen« tiam, ut *in* 1 *lib. distinct.* 17, dictum « est. » Constat autem illum,qui elicit actum omnino commensuratum intensioni charitatis, quam habet, uti gratia accepta secundum proportionem suarum virium, et in nullo deesse gratiæ Dei per negligentiam : ergo ille, qui elicit actum charitatis commensuratum habitui, licet intensiorem non eliciat, consequitur augmentum charitatis habitualis.

Solutio.

Respondetur negando antecedens ; nam dispositio

dispositio ad aliquam formam non tam debet commensurari subjecto, quam eidem formæ ; et ideo actus ultimo disponens ad charitatis augmentum non est commensurandus charitati, in qua homo præexistit, sed augmento quod superaddendum est. Idque docet D Thom. non solum in locis supra *num.* 185, et *num.* 200, relatis, ubi præcipue exposcit ferventiorem charitatis actum, ut charitas statim augeatur ; sed etiam in eisdem locis, qui nobis objiciuntur. Nam *loco cit. ex* 1 *Sent. in resp. ad* 4, hæc habet : « Dicendum quod ad hoc, ut « aliqua perfectio introducatur, duo requi- « runtur. Unum ex parte introducentis, « ut sua operatio commensuretur secundum « æqualitatem perfectionis introducendæ. « Non enim ex parva calefactione induci- « tur calor ignis, sed ex tali calefactione « quæ habet æqualem virtutem, ad mi- « nus ex suo principio, calori ignis. Aliud « ex parte recipientis, ut dispositio sua « proportionetur eodem modo perfectioni « inducendæ. Contingit autem quandoque, « sicut in operibus animæ, quod aliquid « disponitur, et perfectionem recipit a « seipso, ut in scientia, et virtute patet. « Unde ad perfectam dispositionem sufficit, « quod anima operetur secundum vir- « tutem proportionatam illi perfectioni, « quæ inducenda est. Et quia tota capa- « citas animæ vix sufficit ad receptio- « nem tantæ perfectionis, quanta est « charitas, nisi Deus de sua liberalitate « suppleret ; ideo ad hoc, quod sit in anima « ultima dispositio, requiritur actus qui « sit secundum totam virtutem suam ; et « iste sufficit, quantum in nobis est, sed « minor non sufficit ad talem dispositio- « nem. » Ubi S. Doctor exigit commensurationem dispositionis non ad habitualem statum, in quo operans præexistit, sed ad formam introducendam. Unde ex ejus sententia non sufficit, actum commensurari præexistenti charitati ; sed requiritur, quod commensuretur augmento superaddendo. Et juxta hanc doctrinam *in præs. art.* 6, pro augmento charitatis exigit quod homo prorumpat in actum ferventiorem, non quidem solis actibus præcedentibus remissis, sed ipso habitu charitatis, conformiter ad ea quæ de augmento habituum acquisitorum tradit 1, 2, *quæst.* 52. *art* 3.

Ad probationem autem in contrarium, quæ ex illis duobus locis desumitur, respondetur Deum, ut homo in charitate proficiat, impertiri ipsi nedum charitatem habitualem, sed etiam auxilia sufficientia transeuntia, quæ habitum charitatis adjuvent, et elevent, ut prorumpat in actus excedentes ejus latitudinem. Unde homo non dicitur operari secundum totam virtutem habitus, aut uti gratia secundum proportionem suarum virium (quod D. Thom. pro augmento actuali requirit), nisi etiam operetur secundum virtutem auxiliorum sufficientium, et utatur ea gratia, iisque viribus, quæ habet per talia auxilia. Quod non facit dum præcise agit secundum latitudinem charitatis habitualis, in qua præexistit. Et sic juxta doctrinam D. Thom. non consequitur actu charitatis augmentum. Quod si prædictis auxiliis utatur, eo ipso prorumpit in actus habitu ferventiores, et ita illud augmentum consequitur. Unde nihil est in his testimoniis, quod vel nostris assertionibus, vel aliis S. Doctoris locis repugnet. D. Tho.

219. Arguitur secundo, quia si ad augmentum charitatis requireretur, quod actus ad illud disponens esset intensior habitu, nunquam actus disponentes ad prædictum augmentum fierent connaturaliter, et consequenter neque ipsum augmentum, quod tamen absurdum, et nimis durum videtur. Sequela ostenditur ; nam connaturale est actibus commensurari suo principio habituali, et non exigere aliud auxilium, quod ejus defectum suppleat : sed actus habitu intensior non commensuratur suo principio habituali, sed illud excedit, et propterea exigit additionem auxilii, ut proxime asserebamus : ergo si ad augmentum habitus requiritur actus habitu intensior, prædictus actus, et augmentum ei correspondens non fieret connaturaliter. Secundum argumentum.

Respondetur negando sequelam absolute ; quoniam satis connaturale est rerum ordini, quod ad perfectiorem formam requiratur perfectior dispositio. Unde cum charitas per augmentum excedat seipsam ut præexistentem, congruum est ut actus ultimo disponens ad charitatis augmentum sit intensior charitate præexistente. Ad sequelæ autem probationem respondemus, quod licet actus nequeat naturaliter excedere principium, a quo procedit, prout tale principium complectitur tam virtutem habitualem, quam aliam quantamcunque motionem sibi impressam ; nihilominus fieri connaturaliter, et sine miraculo potest, ut excedat virtutem habitualem præcisive sumptam, quia licet prædicta virtus solita- Dissolvitur.

rie accepta non adæquet perfectionem, aut intensionem operationis, potest tamen aliqua motione, aut virtute transeunti ita adjuvari, ut illam adæquet. Quod frequentissime contingit, toties videlicet, quoties habitus elicit actus intensiores. Et ita accidit in augmento charitatis, ut hactenus explicuimus. Potestque hæc doctrina confirmari tum exemplo habituum acquisitorum, qui juxta frequentiorem, et veriorem
D. Tho. sententiam D. Thom. non augentur nisi per actus intensiores ; et tamen tales actus connaturaliter fiunt, et tales habitus connaturaliter augentur. Tum exemplo cujuslibet operationis creatæ ; hæc enim semper excedit actualitatem sui principii habitualis, et nihilominus fit connaturaliter, quia ille defectus tantæ actualitatis in principio suppletur per aliquam motionem transeuntem, ut explicuimus *tract.* 14, *disp.* 5, *dub.* 5.

Tertium argumentum Ferre. 220. Tertio arguit Ferre : nam quod augmentum charitatis actibus remissis conferatur post mortem, non probatur ex Conciliis, et Patribus, neque in D. Thom. habet ullum fundamentum : ergo voluntarie asseritur.

Confirmatio prima. Confirmat primo, quia gratia hoc ipso, quod extra viam ponitur, habet terminum consummationis : ergo sicut extra viam non datur meritum, ita nec datur dispositio physica ad augmentum gratiæ.

Secunda. Ferre. Confirmat secundo prædictus Author suam opinionem, et nostram refellit his verbis : « Accedamus ad primum parentem Adamum, qui plusquam nongentos « annos vixit in Dei gratia, et charitate ; « et ponamus, quod regulariter in actus « remissos charitatis exierit, quorum tamen præmium, scilicet augmentum gratiæ, in hac vita non accepit : sane asseverandum est, illi post hanc vitam « deberi plusquam millies mille gradus « augmenti. Modo incurro, quomodo potuit Adamus uno solo actu ita intensisime Deum diligere, quod ultimo se disposuerit ad prædictum augmentum charitatis ? Ne ergo in hæc somnia veniamus, « tutius erit dicere, quod homo repetens « actus remissos, dum collectio eorum superat intensionem habitus charitatis « præexistentis, statim per ultimum actum « remissum virtute præcedentium accipit « augmentum charitatis prædictis actibus « debitum. »

Ad argumentum respondetur primo, retorquendum esse in ejus Authorem ; quoniam illa actuum remissorum supputatio, secundum quam docet fieri charitatis augmentum, non habet fundamentum in Conciliis, et Patribus, nec mentionem meruit apud D. Thom. Aliunde vero est mera consideratio moralis, physico rerum ordini inutilis. Occurritur argumento. D. Tho.

Respondetur secundo, nostram, et communiorem inter Thomistas assertionem potissimum fundari in principiis valde probabilibus ex S. Doctore desumptis, quæ supra expendimus. Fundatur etiam in proportione ad augmentum habituum acquisitorum, quæ tenenda est dum lumen naturale per fidem non corrigitur. Traditur etiam haud obscure a Concilio Tridentino docente gratiam infundi secundum propriam uniuscujusque dispositionem, et cooperationem, et a D. Thom. locis supra *num.* 185 *et* 204, relatis. Unde immerito dicitur, hanc sententiam voluntariam esse, et absque fundamento. Conc. Trid. D. Tho.

221. Ad primam confirmationem respondetur, gratiam non habere terminum consummationis, nisi dependenter ab actu ferventi charitatis disponente ad totum gratiæ augmentum, quod pro meritis primo confertur. Unde non ponimus, quod post consummationem, sive statum beatitudinis, detur dispositio physica ad augmentum gratiæ, vel quod gratia consummata adhuc physica proficiat ; sed asserimus gratiam non consequi totam suam consummationem, et augmentum correspondens actibus remissis, nisi dependenter ab actu tali augmento, aut toti gratiæ commensurato, qui simul in eodem instanti adest cum prædicta consummatione, et augmento. Et quod ita contingat, consonum est ipsi gratiæ consummatæ, quæ cum perfectissima sit, petit perfectissimam dispositionem, ut constat ex motivis supra expensis. Quod vero non detur meritum post mortem, constat ex Scriptura, et Conciliis, ut diximus *in suo tract. disp.* 1, *dub.* 4. Atque ideo oportet aliter de dispositione physica, ac merito philosophari, sicut in omnium Catholicorum sententia aliter discurrimus de merito, ac de satisfactione, et purgatione a venialibus post hanc vitam ; nam animæ in purgatorio non merentur, et tamen satisfaciunt, et maculas venialium deponunt per actus ipsis physice contrarios. Solvitur prima confirmatio.

Ad secundam respondemus, quod facta illa

Diluitur secunda. illa suppositione, Adamus actum tantæ intensionis eliciet, quantum habere debet augmentum gratiæ, quod omnibus suis actibus remissis totius vitæ correspondeat.

Ferre. Et cum prædictus Author inquirit, quomodo Adamus potuerit ita intensissime Deum uno solo actu diligere? Respondetur mirum esse, quod vir doctus in hoc posuerit difficultatem. Nam certum est Adamum, el quemlibet Beatum diligere Deum unico actu ita intenso, ut adæquet omnem latitudinem augmenti gratiæ, quod correspondet omnibus ejus actibus meritoriis, sive fuerint intensi, sive remissi; immo et qui superet tale augmentum, et commensuretur cum omni gratia patriæ. Beati enim diligunt Deum totis viribus gratiæ, et charitatis, quas habent; cum illum diligant necessario, et quantum possunt. Unde cum actus disponens physice, et ultimo ad augmentum debitum actibus charitatis remissis, sit actus charitatis a gratia consummata effective procedens, illamque præcise antecedat in genere causæ materialis dispositivæ, ut supra *num.* 206, diximus, mirum non fore, quod actus disponens ad totum illud augmentum, quod actibus Adami remissis deberetur, tantæ intensionis esset, quantæ supponeretur augmentum. Unde non parum excessit prædictus Author, somnium vocans sententiam adeo probabilem, quam ignorare non potuit frequentiorem esse inter fidelissimos D. Thom. discipulos.

Vis ejusdem objectionis magis retunditur. 222. Sed ut magis constet hic excessus, et quam nullum sit inconveniens, quod Adversarius nobis opponit tanquam absurdum, multifariam ostendemus eandem doctrinam ab ipso fore asserendam. *Primo*, quia data tota illa suppositione, et quod Adamus per repetitionem plurium illorum actuum remissorum acquisierit in hac vita physice gratiam, juxta calculationem, quam prædictus Author describit, inquirimus, an potuerit Deum diligere unico actu intensissimo adæquante totam latitudinem augmenti acquisiti? Quis hoc neget, cum actus possit connaturaliter elici secundum totam latitudinem habitus, a quo procedit? Si ergo potest in hac vita dari actus amoris adeo intensus; cur repugnabit alius similis post mortem, qui ad totum augmentum disponat? Præsertim cum post mortem minora occurrant impedimenta, quæ retardent amoris impetum. *Secundo* demus, quod Adamus postquam physice acquisivit totum illud augmentum, quod tantis actibus remissis debetur, eliciat unicum præsice actum, vel ejusdem, vel paulo minoris intensionis cum tota gratia, in qua præexistit, et quod statim moriatur; qui casus, facta alia suppositione, est naturaliter contingens: inquirimus an Adamus recipiat physice in hac vita augmentum illi ultimo actui respondens, vel illud recipiat post mortem? Primum dici non valet in Adversarii opinione, cum doceat requiri actum, qui physice formaliter, aut virtualiter adæquet latitudinem augmenti superaddendi: qua ratione asserit actum præcise ut quatuor non sufficere in ratione dispositionis ad suscipiendum augmentum gratiæ ut quinque. Restat ergo, quod conferatur post mortem. Et tunc ultra: vel datur augmentum sine dispositione physica? Et hoc dici non valet, quia defectu hujus dispositionis non confertur in via, et sic nec post mortem conferretur, si ea dispositio non adesset post mortem: vel datur talis dispositio; et tunc oportet elicere actum ferventissimum, qui unus existens adæquet totam latitudinem augmenti superaddendi: quod, ut supponimus, tantum est, quanta erat gratia præexistens. En qualiter juxta sua principia debeat ille Author venire in ea, quæ somnia vocat.

Tertio demus, quod Adamus postquam mediis innumerabilibus illis acquisivit physice totum augmentum ipsis respondens, lapsus fuerit in peccatum mortale, et amiserit illam gratiam. Demus etiam, quod paulo ante mortem surrexerit a peccato per actum pœnitentiæ valde remissum. Inquirimus an in hoc casu consequatur physice totam gratiam, quæ correspondet meritis vitæ anterioris? Et hoc dici non valet: tum quia non adest dispositio physice sufficiens ad tantum augmentum, sed potius valde improportionata: tum quia est aperte contra D. Thom. 3 *p. q.* 89, *art.* 2, ubi hæc habet: « Manifestum est, quod « formæ quæ possunt recipere magis, et « minus, intenduntur, et remittuntur se- « cundum diversam dispositionem subjecti, « ut in 2 parte habitum est » (nempe 1, 2, quæst. 52, art. 1 et 2, et quæst. 66, art. 1): « Et inde est, quod secundum « quod motus liberi arbitrii in pœnitentia est « intensior, vel remissior, secundum hoc « pœnitens consequitur majorem, vel mino- « rem gratiam. Contingit autem intensio- « nem motus pœnitentis quandoque pro- « portionatam esse majori gratiæ, quam D. Tho.

« illa, a qua ceciderat per peccatum; quan-
« doque autem æquali, quandoque vero
« minori. Et ideo pœnitens quandoque re-
« surgit in majori gratia, quam prius ha-
« buerat, quandoque autem æquali, quan-
« doque etiam minori. Et eadem ratio est de
« virtutibus, quæ ex gratia consequuntur. »
Quam doctrinam defendunt communiter
omnes legitimi D. Th. discipuli contra Sua-
Suar. Nomina. rium, et Nominales. Unde restat, quod tota illa gratia tribuatur physice Adamo post mortem. Constat autem ex doctrina modo tradita D. Thom. non posse post mortem prædictam gratiam infundi, nisi post mortem adsit dispositio ejusdem intensionis, siquidem formæ, quæ possunt recipere magis, et minus, intenduntur, et remittuntur secundum dispositionem subjecti. Ut ergo Adamus recipiat tantam gratiam, debet elicere actum intensissimum, et toti illius gratiæ augmento commensuratum. Modo inquirimus cum Adversario, et ab Adversario, *quomodo potuit Adamus uno solo actu ita intensissimo Deum diligere, quod ultimo se disposuerit ad prædictum augmentum?* Et respondebit concedendo quod nobis tanquam somnium exprobat, nisi D. Th. aperte deserat.

§ VI.

Consectarium præcedentis doctrinæ, notatu dignum.

Incidens quæstio. 223. Ex dictis in præsenti, et ex alibi scriptis emergit non levis difficultas. Nam *in tr.* 16, *disp.* 4, *dub.* 2, statuimus, quod actibus imperatis a charitate correspondet præmium essentiale distinctum ab eo, quod correspondet actibus elicitis prædictæ virtutis, et consequenter omnes actus, sive naturales, et procedentes a virtutibus acquisitis, sive supernaturales, et procedentes a virtutibus infusis, esse vitæ æternæ, et novi augmenti gratiæ, et charitatis meritorios. Et quia in justo charitas imperat, sive refert omnes ejus actus honestos in Deum ultimum finem; propterea statuimus ibidem *dub.* 5, omnes actus honestos elicitos ab homine justo mereri de condigno vitam æternam, et gratiæ et charitatis augmentum. Cumque contingere possit, ut justus eliciat alios actus honestos, priusquam prorumpat in actum formalem charitatis, ut sæpe accidit cum justificatur intra Sacramenta; consequenter ad prius dicta asseruimus *dub.* 6, non requiri, ut actus cæterarum virtutum mereantur de condigno vitam æternam, quod tunc adsit, vel præcesserit actus formalis charitatis; sed sufficere quendam modum de linea charitatis, qui ab ipsa in prima ejus infusione dimanat ad vires animæ, et ad virtutes, participaturque in earum actibus honestis, et est actualis virtualis relatio in Deum charitatis objectum, ut ibidem fuse exposuimus. Unde dubitari potest, utrum augmentum gratiæ, et charitatis debitum iis actibus a charitate imperatis, sive (et in idem redit) in ultimum finem virtualiter directis, conferatur statim ac tales actus eliciuntur. Et quidem si prædicti actus sunt gratia remissiores, constat ex hactenus traditis pars negativa. Sed quia contingere potest, quod habens charitatem ut quatuor, eliciat actum temperantiæ, aut alterius virtutis ut octo, qui actus si esset formaliter actus charitatis, ad gratiæ augmentum sufficienter disponeret, ipsumque statim physice inferret; dubium est, an idem dici debeat de tali actu.

224. Hanc difficultatem non vidimus apud alios, quam Arauxo *ubi supra*, in prima probatione tertiæ assertionis, ibique obiter illam attingit, et negative respondet. Cujus fundamentum est, quoniam ille solus actus disponit ultimo ad augmentum gratiæ, quod disponit ultimo ad primam ejus infusionem, ut connaturaliter fit extra Sacramentum : sed solus formalis charitatis actus est hujusmodi : ergo solus actus charitatis disponit ultimo, et sufficienter ad charitatis augmentum, et consequenter licet alii actus honesti a charitate imperati mereantur augmentum diversum ab eo, quod actui formali charitatis correspondet, ad illud tamen non disponunt ultimo, ac proinde ipsum statim non inferunt, sed oportet expectare aliud tempus, et perfectiorem dispositionem, sicut de actu remisso charitatis dicebamus. Primus dicendi modus. Arauxo.

Hæc autem ratio non videtur convincere sed posset hoc modo retorqueri. Quoniam ille actus disponit ultimo ad augmentum gratiæ, quod disponit ultimo ad primam gratiæ infusionem : sed actus temperantiæ infusæ imperatus a charitate disponit ultimo ad primam gratiæ infusionem : ergo disponit ultimo ad ejus augmentum. Probatur minor, quia illa dispositio dicitur ultima pro aliqua forma, quæ necessario connectitur cum tali forma : sed actus temperantiæ, Difficultas circa prædictum dicendi modum.

perantiæ, v. g. supernaturalis, ex una parte disponit ad gratiam, et ex alia, si sit imperatus a charitate, necessario connectitur cum gratia, in qua charitas radicatur : ergo actus supernaturalis temperantiæ imperatus a charitate disponit ultimo ad primam gratiæ infusionem.

Diversa effugia præcluduntur.

225. Nec valet dici, quod actus supernaturalis temperantiæ secundum se acceptus non connectitur necessario cum gratia. Quoniam modo non loquimur de prædicto actu secundum se accepto, sed ut imperato a charitate, sive id fiat per actum charitatis formalem, quem præsupponat, sive per modum de linea charitatis, quia a gratia, et charitate derivetur ad habitum temperantiæ, et ad actum illius. Actus autem temperantiæ sic sumptus necessario supponit gratiam, atque ideo necessario cum gratia connectitur.

Nec iterum prodest respondere, quod actus temperantiæ sic consideratus supponit gratiam receptam, atque ideo nequit disponere ad receptionem illius. Quoniam actus formalis charitatis, quam asserimus esse dispositionem ultimam ad gratiæ infusionem, supponit etiam gratiam receptam; siquidem ab ipsa procedit tanquam a principio effectivo, ut statuimus *tract.* 15, *disput.* 2, *dub.* 6, § 5 et nihilominus eam præcedere valet in genere causæ materialis dispositivæ, ad ipsamque re ipsa disponit, ut ostendimus in eodem *tract. disp.* 3, *dub.* 4. Ergo idem proportionabiliter dici poterit de actu temperantiæ habente modum charitatis, quod videlicet gratiam supponat in genere causæ efficientis, formalis, et materialis receptivæ; et quod nihilominus illam præcedat in genere causæ materialis dispositivæ.

Nec tandem sufficit dicere, quod actus temperantiæ ut imperatus a charitate, supponit necessario ipsum imperium, sive actum charitatis, qui proinde potius quam actus temperantiæ, disponet ultimo ad gratiæ infusionem. Nam hoc facile refellitur. Tum quia supponimus, quod ut actus temperantiæ dicatur imperari a charitate, sive (quod idem est) referri in Deum ultimum finem, qui est charitatis objectum, non requiritur actus formalis charitatis, concomitans, vel antecedens; sed sufficit quod participet modum de linea charitatis media gratia, et charitate habitualibus, ut explicuimus loco supra citato, et constat in adultis, qui sine actu charitatis justificantur intra Sacramenta, et postea merentur de condigno per omnes actus honestos vitam æternam, sive eliciant actum charitatis, sive non. Tum quia dato, quod actus temperantiæ ut imperatus a charitate hujus actum necessario supponeret; nihilominus fieri valet quod actus temperantiæ imperatus sit majoris intensionis, quam actus imperans charitatis, ut si charitas per actum ut duo imperet actum temperantiæ ut decem, quod minime repugnat. In quo eventu actus temperantiæ secundum omnem suam latitudinem, et quatenus distinguitur ab actu formali charitatis imperante, meretur de condigno vitam æternam, et consequenter secundum omnem suam latitudinem connectitur necessario cum gratia sine qua impossibile est meritum de condigno. Disponet ergo ut infundatur gratia non solum secundum duos gradus, qui correspondent actui formali charitatis imperanti; sed etiam secundum alios gradus, qui correspondent ipsi actui temperantiæ imperato.

Augmentum difficultatis.

Ad hæc, si ob aliquid motivum negare oportet, quod actus temperantiæ imperatus a charitate sit dispositio sufficiens ad infusionem, et augmentum gratiæ, maxime ob commune Theologorum placitum, qui ex Scriptura, et Conciliis edocti asserunt adultum extra Sacramentum non justificari, nisi dependenter ab actu charitatis, aut contritionis perfectæ : sed hoc motivum non urget : ergo etc. Probatur minor, quia communis illa Theologorum sententia potest exponi de actu charitatis, qui sit talis formaliter, vel virtualiter. Actus autem formalis temperantiæ a charitate imperatus est virtualiter actus charitatis, cum participet ejus vim, videlicet tendentiam in Deum ultimum finem : ergo nihil obligat, ne dicamus prædictum actum esse dispositionem ultimam ad infusionem gratiæ.

Declaratur hoc amplius : etenim sicut Theologi communiter docent, ad dispositionem ultimam pro infusione gratiæ extra Sacramentum requiri actum charitatis : ita Thomistæ communiter asserimus ad meritum de condigno vitæ æternæ requiri actualem charitatis influxum; et nihilominus ad meritum de condigno vitæ æternæ sufficit influxus charitatis, vel formalis, ut in actibus propriis; vel virtualis, ut in actibus aliarum virtutum participantibus modum charitatis : ergo ad dispositionem ultimam pro infusione gratiæ sufficiet actus charitatis, vel formalis, qui ab ea elicitur; vel

virtualis, qui participat ejus modum, qualis est actus temperantiæ a charitate imperatus. Et consequenter prædictus actus sufficiet per modum dispositionis physicæ, ad gratiæ, et charitatis augmentum, licet non adsit actus formalis charitatis, vel non adæquet latitudinem augmenti superaddendi, et debiti actui temperantiæ.

Vera sententia probatur.

226. Propter hæc pars affirmativa, tanquam probabilis, alicui forsan magis arridebit, et videbitur cum majori consequentia procedere ad ea, quæ diximus *illo dub.* 6, supra citato. Nos tamen illam non probamus, sed negativæ cum Arauxo subscribimus. Movemur autem præcipue ab inconvenienti, quod sequitur ex opposita sententia ; nam si actus temperantiæ infusæ, ut habens modum charitatis esset dispositio physica sufficiens ad gratiæ infusionem. et augmentum, idem dicendum esset de actu naturali temperantiæ, aut alterius virtutis acquisitæ ; quod est omnino falsum. Sequela ostenditur : nam in actu temperantiæ naturalis, ut habet modum charitatis, eædem rationes occurrunt, ut facile consideranti constabit : tum quia prædictus actus sic acceptus etiam meretur de condigno vitam æternam : tum quia ita consideratus etiam supponit necessario gratiam, et cum ea connectitur : tum quia sic sumptus potest etiam dici actus virtualis charitatis, cum participet ejus virtutem, sive tendentiam in Deum ultimum finem. Falsitas autem consequentis vel ex eo constat, quod nullus audebit concedere hominem extra Sacramentum sufficienter se ad consequendam gratiam disponere per actus entitative. et quoad speciem naturales.

Conc. Trid.

Contrarium enim satis aperte docet Concilium Trid. *sess.* 6, *c.* 6, illis verbis : *Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia, et adjuti, fidem ex auditu concipientes libere moventur in Deum, etc.* Cui doctrinæ correspondent tres priores canones ejusdem sessionis. Videantur quæ diximus *tract.* 15, *disp.* 3, *dub.* 1, § 2, *et tract.* 17, *disp.* 6, *dub.* 1, § 2 *et* 3, quibus locis statuimus, ad justificationem adultorum requiri actum formalem, et expressam fidei theologicæ.

Fundamentum supra positum fulcitur.

227. Ratio autem a priori, quam Arauxo insinuat, ne actus aliarum virtutum etiam a charitate imperati disponant ultimo ad gratiæ, et charitatis augmentum, inefficax non est. si ad hanc formam redigatur : Quoniam ille solus actus disponit ultimo ad augmentum gratiæ, qui disponit ultimo ad ejus infusionem ; cum primum esse gratiæ, et ejus intensio ejusdem rationis sint : sed actus aliarum virtutum a charitate imperati non disponunt ultimo ad gratiæ infusionem : ergo neque ad augmentum illius. Probatur minor, quia actus habet disponere ad receptionem gratiæ, quatenus subjectum inclinat, et determinat ad ejus participationem ; quæ omnia conveniunt actui secundum suam entitatem, et speciem ; non vero ratione alicujus modi tali speciei accidentarii, et aliunde provenientis : atqui actus reliquarum virtutum ex specie, et entitate sua non habent inclinare, et ultimo determinare subjectum ad gratiæ participationem ; modus vero de linea charitatis est ipsis accidentarius, et aliunde conveniens : ergo actus aliarum virtutum etiam imperati a charitate non disponunt ultimo ad gratiæ participationem.

Roboratur amplius.

Confirmatur, et explicatur primo, quia licet ad augmentum formæ, in quo forma determinat modum intensionis, disponat actus non secundum se tantum acceptus, sed ut importat similem modum ; nihilominus ad infusionem formæ, in quo non importatur modus, sed forma secundum se, debet ultimo disponere actus non ratione modi, sed secundum se acceptus : atqui actus aliarum virtutum secundum se accepti non disponunt ultimo ad infusionem gratiæ : ergo licet participent modum de linea charitatis, non disponunt ultimo ad gratiæ infusionem.

Alia confirmatio.

Confirmatur, et explicatur secundo, quia non ob aliam rationem requiritur actus charitatis, ut homo se disponat ad receptionem gratiæ extra sacramentum, nisi quia vel ad recipiendam connaturaliter perfectissimam formam secundum speciem, qualis est gratia. requiritur dispositio ex parte hominis perfectissima secundum speciem, cujusmodi est actus charitatis ; vel quia ad reparandam amicitiam inter Deum, et hominem, requiritur quod homo, qui aversus erat a Deo tanquam ab ultimo fine, convertatur perfecte ad ipsum, quod facit per actum charitatis : sed hæc munia præbet actus formalis charitatis, sive a charitate elicitus ; secus vero actus temperantiæ, aut alterius virtutis, participans charitatis modum, qui propterea dicitur actus virtualis charitatis : ergo hic posterior actus non est dispositio physica ultima, et sufficiens ad infusionem gratiæ. Probatur minor ; tum quia

quia actus ille temperantiæ habens modum charitatis non est perfectissima dispositio secundum speciem, siquidem charitatis modus est extra speciem talis actus, ut ex se liquet; et propterea talis actus, cum illum modum non participat, nullatenus dici valet ultima dispositio ad gratiam, licet retineat totam suam perfectionem specificam. Tum etiam, quia perfectior est conversio formalis in Deum, quam conversio præcise virtualis: sed actus temperantiæ virtualiter tantum potest in Deum convertere ob solam participationem modi cujusdam de linea charitatis: ergo talis actus non convertit hominem in Deum perfectissima conversione, qualis requiritur ad infusionem gratiæ extra sacramentum, ubi omnino connaturaliter fit, Deo non supplente defectum dispositionis perfectæ, et ex natura sua sufficientis, sicut supplet cum gratia datur per sacramenta. Igitur actus a charitate non elicitus non est dispositio sufficiens ad infusionem gratiæ, et charitatis, neque ad earum augmentum; et consequenter augmentum gratiæ, et charitatis actibus aliarum virtutum debitum non confertur statim, ac earum actus eliciuntur; sed differri debet usque ad tempus, in quo homo eliciat actum formalem charitatis omni augmento debito commensuratum, sicut statuimus de augmento debito actibus charitatis remissis.

Diruitur oppositum fundamentum.

228. Motivum autem pro contraria parte propositum *numero* 225, facile diluitur ex dictis. Quoniam sola physica, et necessaria connexio inter aliquem actum, et formam, non constituit actum illum in ratione dispositionis ultimæ ad talem formam, ut patet tum in actibus naturalibus ut gratia informatis, tum in actibus supernaturalibus procedentibus a gratia in secundo, aut tertio instanti post ejus infusionem: necessario quippe cum gratia connectuntur, siquidem ab ea procedunt; et tamen ad eam non disponunt, cum vel sint formaliter diversi ordinis, vel supponant gratiam jam omnino receptam dependenter ab aliis dispositionibus ei coexistentibus in primo instanti. Et idem proportionabiliter accidit in actibus aliarum virtutum a charitate informatis, aut ejus modum participantibus; nam quia sunt vivi vita gratiæ, et charitatis, cum utraque necessario connectuntur; non tamen disponunt ultimo ad illas, ob ea quæ supra diximus. Præsertim cum intra Sacramenta supponant gratiam collatam per aliam dispositionem inferiorem, supplente Deo defectum perfectioris dispositionis; et extra Sacramenta supponant gratiam collatam dependenter ab actu formali charitatis, sine quo nunquam contingit hominem extra Sacramentum justificari, secundum præsentem providentiam.

Augmentum difficultatis evacuatur.

Ad augmentum difficultatis ibidem propositum constat ex supra dictis; jam enim assignavimus rationem, ob quam actus charitatis, quem communiter exigunt Theologi, ut homo ad gratiam extra Sacramentum se ultimo disponat, debeat esse actus formalis, sive elicitus charitatis, et non sufficiat actus virtualis, sive inferior secundum speciem, participans charitatis modum. Nec urget exemplum meriti de condigno, quia plus requiritur ad rationem dispositionis physicæ, quam ad rationem talis meriti. Meritum enim augetur ex majori valore morali de linea charitatis, undecumque proveniat; dispositio autem ultima exigit commensurationem physicam inter actum, et formam. Unde habens charitatem ut quatuor, et eliciens actum ut duo, meretur majus charitatis augmentum; et quanto magis ille actus remissus continuatur, aut sæpius elicitur, tanto magis crescit in ratione meriti, et reddit sibi debitum majus augmentum, ut *dub. præced. n.* 41, declaravimus; et tamen prædictus actus non crescit in ratione dispositionis physicæ, et quantumvis continuetur, aut repetatur, nunquam est sufficiens in vi dispositionis ad consequendum augmentum charitatis sibi debitum, nisi intensiorem modum acquirat, ut supra fuse exposuimus. Sic ergo, et ob eandem proportionabiliter rationem, ad merendum de condigno augmentum charitatis, sufficit virtualis charitatis actus influxus, sive quod aliarum virtutum actus participent charitatis modum: cæterum ad disponendum ultimo ad tale augmentum, non sufficit ille virtualis influxus, sed requiritur determinate formalis charitatis actus, qui cum gratia infundenda, aut augescenda omnino commensuretur.

Corollarium.

229. Ex quibus omnibus tandem colligitur, actus virtutum supernaturalium, quæ simul cum gratia infunduntur, non consequi statim physice augmentum illarum virtutum, a quibus procedunt; sed prædictas virtutes solum augeri physice, cum adest actus charitatis sufficiens ad disponendum pro gratiæ, et charitatis aug-

mento. Unde si habens gratiam ut quatuor eliciat actum temperantiæ infusæ ut octo, non consequitur augmentum talis virtutis usque ad octo. Ratio hujus corollarii habetur ex hactenus dictis, quoniam virtutes quæ per se petunt infundi simul cum gratia, comparantur ad illam sicut proprietates ad formam, atque ideo non terminant per se actionem, nec infunduntur, aut augentur, nisi ad infusionem, et augmentum gratiæ, ipsique proinde omnino commensurantur, ut jam suprà statuimus *dub. præced. n.* 34. Sed actus a charitate non eliciti, quamvis informati ab illa mereantur de condigno gratiæ, et charitatis augmentum, ad illud tamen ultimo non disponunt, nec illud actu inferunt, ut hoc § ostendimus. Ergo nec disponunt ultimo ad suorum habituum augmentum, nec illud actu consequuntur. Imo nec consequuntur in tota vita, sed post mortem; quia illud augmentum conferri non valet, nisi posito actu charitatis eidem physice commensurato. Ubi autem in hac vita elicitur novus, et intensior actus charitatis, novum augmentum gratiæ meretur, ad quod prius, et intimius disponit, quam ad augmentum debitum actibus aliarum virtutum, ut supra § 2, dicebamus de augmento correspondenti actibus ejusdem charitatis remissis.

Limitatio corollarii.

Consulto diximus, *actus virtutum supernaturalium, quæ simul cum gratia infunduntur, etc.* ut excluderemus tum actus naturales, quos certum est assequi augmentum suorum habituum independenter a gratiæ augmento; tum actus fidei, et spei. Nam sicut eæ virtutes possunt infundi, et conservari, et de facto infunduntur, et conservantur independenter a gratia, ita possunt augeri quin gratia augeatur. Quare sicut in peccatore augentur statim ac eliciunt actus intensiores, sic etiam in justo; cum hac tamen differentia, quod prædicti actus in peccatore disponunt quidem ad suorum habituum augmentum, illud tamen non merentur, saltem de condigno; in justo autem et merentur de condigno tale augmentum, et ad illud physice disponunt. Merentur insuper gratiæ, et charitatis augmentum; illud tamen non statim consequuntur, quia ad ipsam ultimo non disponunt, ob ea quæ supra diximus.

DISPUTATIO VI.

De diminutione, seu remissione charitatis.

D. Tho.

Postquam D. Thom. explicuit, qualiter charitas incrementum, et perfectionem suscipiat, incipit ab articulo 10 hujus quæstionis 24, exponere an diminui possit, et corrumpi. Et quantum ad charitatis corruptionem attinet, plura possent in præsenti disputari. an videlicet quodlibet peccatum mortale illam destruat; et utrum physice, et ex natura rei; et denique an tanta oppositio sit inter charitatem, et peccatum grave, ut nequeant ullo pacto in eodem subjecto componi? Quas difficultates in præsenti late discutere solent illi Expositores D. Thom. qui alias S. Doctoris partes suis commentariis non illustrarunt. Sed nos illas versare hic deobligamur, cum ipsis ex professo operam dederimus *tract.* 15, *disp.* 2, *dub.* 3 *et* 4. Unde eis relictis, stilum convertemus ad charitatis diminutionem. Ex duplici autem defectu posset provenire hujusmodi diminutio: primo ex defectu agentis influentis, et conservantis: secundo ex defectu subjecti se indisponentis ad conservationem augmenti, atque ideo disponentis se ad ejus diminutionem. Porro causa efficiens, et conservans charitatem, ejusque augmentum, est solus Deus, ut constat ex dictis *disp. præcod.* Qui sicut absolute valet charitatem destruere per suspensionem influxus, ita et ejus augmentum, reducendo ipsam ad remissiorem statum. De facto tamen sicut nunquam destruit charitatem, nisi ex parte subjecti detur aliquid ipsi charitati repugnans, videlicet peccatum grave: ita nec destruet ejus intensionem, nisi ex parte subjecti adsit aliquid contrarium hujusmodi intensioni; quia sicut dicitur *ad Rom.* 11, sine pœnitentia sunt dona Dei. Quapropter ad resolvendum, utrum charitas possit diminui, videre oportet, an ex parte subjecti dari queat dispositio inferens talem diminutionem, sive incremento præexistenti repugnans. Solum autem peccatum videtur esse hujusmodi. Et si loquamur de peccato gravi, certum est, charitatem non diminui per illud; quoniam diminutio habitus supponit, et concernit existentiam ipsius; quippe quod non existit, nec diminui, nec augeri valet: peccatum autem grave destruit

Ad Rom. 11.

truit totaliter charitatem, et vitam gratiæ; qua de causa mortale dicitur. Unde solum relinquitur dubium circa peccata levia, seu venialia, et ita inquirimus.

DUBIUM UNICUM.

Utrum charitas diminuatur per peccata venialia.

Non oportet hic explicare naturam peccati venialis, ejusque primariam differentiam a mortali; jam enim id exposuimus *tract.* 13, *disp.* 19, *dub.* 1. Neque præmittere opus est, qualiter remissio, sive diminutio habitus fiat; id quippe puram Philosophiam concernit, quam tradunt N. Comp. Complut. *in lib. de generat.* Satis sit ex ibidem dictis supponere, habitum, cum diminuitur, amittere aliquem gradum, aut modum perfectionis, ob cujus defectum redditur intrinsece minus perfectus, quam erat: sicut e contrario intensio fit per additionem gradus, aut modi.

§ I.

Communis sententia probatur ratione a priori.

Conclusio. D. Tho. Cajetan. Bannez Arauxo Joan à S. Tho. Ferre. Durand. Henric. Azor. Vega. Valent. Lorca. Malder. Castillo.

1. Dicendum est, charitatem non diminui per peccata venialia. Ita D. Thom. *in præs. quæst.* 24, *art.* 10, et *in* 1. *dist.* 17, *q.* 2, *art.* 5. Cui subscribunt discipuli, Cajet. *in hoc art.* ubi Bannez *dub.* 2, Arauxo *dub.* 2, Joan. a S. Thom. *disp.* 16, *art.* 2, Ferre *quæst.* 20, et ex extraneis Durand. *in* 1, *dist.* 17, *quæst.* 10, Henric. *quodl.* 5, *q.* 23, Azor, *lib.* 3, *Moral. cap.* 23, *quæst.* 1, Vega *in Concil. Trident. lib.* 10, *cap.* 22, Vasquez 1,2,*disp.* 220, *cap.*9, Valentia *in præs. punct.* 5, ubi Lorca *disp.* 20, Malder. *dub.* 2, *et* 4, Castillo *disp.* 3, *quæst.* 7, *part.* 5, et communiter omnes Theologi hujus temporis.

Ratio. D Tho.

Probatur primo ratione a priori desumpta ex D. Thom. *in præsenti, articulo* 10, quæ potest sic proponi: nam peccatum veniale nequit diminuere charitatem dispositive, neque effective physice, neque effective moraliter: ergo peccatum veniale non diminuit charitatem. Consequentia est manifesta, quoniam non est assignabilis alius modus, quo charitas diminui possit per venialia. Prima autem antecedentis pars sic probatur: nam in primis peccatum veniale nequit per seipsum disponere ultimo ad diminutionem charitatis; illud enim, quod ultimo disponit ad charitatis diminutionem, debet esse contrarium ei, quod ultimo disponit ad ejus augmentum: sed solus actus convertens in Deum ultimum finem disponit ultimo ad charitatis augmentum, ut satis constat ex dictis *tota disp. præced.* et præcipue *a n.* 227. Ergo solus ille actus potest disponere ultimo ad charitatis diminutionem, quod avertit a Deo ultimo fine. Constat autem peccatum veniale non sic avertere: ergo peccatum veniale non disponit ultimo ad diminutionem charitatis. Deinde nequit disponere remote, quia vel hoc habet quatenus disponit ad aliud veniale? et sic redit eodem difficultas; vel quatenus disponit ad mortale? Cumque mortale non diminuat, sed penitus destruat charitatem, fit quod veniale nequeat hoc pacto disponere adhuc remote ad charitatis diminutionem.

Ex quibus etiam constat secunda antecedentis pars; quoniam peccans venialiter eatenus efficeret physice diminutionem charitatis, quatenus physice poneret aliquid charitati contrarium; sicut qui peccat mortaliter, corrumpit effective gratiam, quia ponit peccatum grave ipsi repugnans. Atqui peccans venialiter non ponit aliquid contrarium charitati, siquidem charitas convertit in Deum ultimum finem; peccans vero venialiter ab hoc fine non avertitur, sed tantum divertit circa media, non subjiciendo illa actualiter ultimo fini, quem habitualiter respicit: ergo peccans venialiter non efficit physice diminutionem charitatis.

Objectiones.

2. Dices primo: motus semideliberatus odii Dei, vel fugæ a Deo, est peccatum veniale; et tamen avertit a Deo ultimo fine: ergo falsum est, quod peccatum veniale non avertat ab illo. *Præterea,* si peccatum veniale non averteret a Deo ultimo fine, ad delendum peccatum veniale non requireretur ex natura rei conversio in Deum ultimum finem, sive actus charitatis: sed talis conversio requiritur, ut statuimus *tract.* 15, *disp.* 3, *dub* 8. Ergo peccatum veniale avertit a Deo ultimo fine. *Denique* omne quod est contra charitatem, charitati contrariatur, ut ex terminis liquet: sed peccatum veniale est contra charitatem, siquidem impedit ejus inclinationem, et jus ad referendam materiam talis peccati in Deum ultimum finem: ergo contrariatur charitati. Unde argumentum factum debet in

nos retorqueri ; nam quod avertit ab ultimo fine, et charitati opponitur, potest eam diminuere physice, tam dispositive, quam effective ; sic autem se habet peccatum veniale.

Dissolvuntur. Respondetur tam certum esse, quod peccatum veniale non avertit simpliciter ab ultimo fine, nec contrariatur simpliciter charitati, sicut certum est, quod peccatum veniale non est mortale, de cujus ratione est importare eam oppositionem, et aversionem. In qua suppositione, quæ certissima est, eamque firmavimus loco supra citato, procedit ratio D. Thomæ. Unde ad *primam* objectionem respondetur, quod cum de ratione peccati sit voluntarium, illud quod non est simpliciter voluntarium, nequit esse simpliciter peccatum, nec a Deo simpliciter avertere. Odium autem Dei, hoc ipso quod sit motus indeliberatus, non est simpliciter voluntarium ; unde talis motus non avertit simpliciter a Deo. Ad *secundam* neganda est sequela ; nam licet peccatum veniale non avertat ab ultimo fine, impedit tamen fervorem charitatis circa talem finem ; unde tolli non potest, nisi per ipsum fervorem, atque ideo nisi per actum charitatis formaliter, aut virtualiter, ut *loc. cit.* explicuimus. Ad *tertiam* neganda est minor absolute, quia peccatum veniale non tollit inclinationem, et jus charitatis ad referendum omnia in Deum ultimum finem, sed præcise impedit, ne actu aliquam materiam in ipsum referat, atque ideo non contrariatur illi absolute ; contraria enim absolute talia non solum se impediunt in aliquo opere, aut extensione, sed se destruunt, et labefactant in entitate.

Continuatio argumenti. 3. Posterior denique antecedentis pars, nempe veniale peccatum non diminuere effective moraliter charitatem, etiam ostenditur ; quoniam eatenus posset illam sic diminuere, quatenus peccans venialiter mereretur hanc pœnam, quod ipsius charitas diminueretur : sed hujusmodi pœnam non meretur : ergo non diminuit moraliter charitatem. Probatur minor : tum quia peccatum veniale est culpa levis et secundum quid ; diminutio autem charitatis est malum simpliciter, et valde grave. Tum etiam, quia ex opposito fieret, quod peccatum mortale, et veniale mererentur eandem pœnam cum sola differentia penes magis et minus ; siquidem mortale meretur ablationem totalem charitatis, et veniale mereretur ablationem charitatis in parte, et quoad aliquos gradus. Tum denique, quia Deus non magis se avertit ab homine, quam hic ab illo : sed homo peccando venialiter non se avertit a Deo, cum deordinatio in peccato veniali reperta non sit circa finem : ergo Deus non se avertit ab homine peccante præcise venialiter ; atque ideo non punit hujusmodi culpam auferendo aliquid de charitate, per quam homo convertitur simpliciter in Deum, et terminat ejus amorem.

Objectiones. 4. Nec refert, si objicias *primo* : nam in humanis leves offensæ solent mereri diminutionem amicitiæ, sive (et in idem redit) quod amicus sæpe, licet leviter offensus, non ita ferventer diligat amicum offendentem, sed potius ejus communicationem devitet : ergo pariter homo per peccata venialia meretur minus diligi a Deo, atque ideo præexistentis charitatis diminutionem. *Secundo*, quia quodlibet peccatum veniale est malum Dei, ponitque offensam in illa : sed diminutio charitatis non est pœna improportionata huic deordinationi, nec excedit ejus meritum : ergo homo per peccata venialia meretur charitatis diminutionem.

Et urgetur ; nam homo potius deberet eligere ablationem alicujus gradus charitatis, quam peccare venialiter : ergo signum est, quod malum culpæ repertum in peccato veniali est majus, quam malum pœnæ repertum in diminutione charitatis. *Tertio* ; nam ideo veniale non mereretur ablationem ullius gradus charitatis, quia non versatur circa ultimum finem : sed eo ipso, quod veniale offendat Deum, attingit prædictum finem : ergo meretur diminutionem aliquam charitatis, per quam in Deum ultimum finem convertimur.

Duplex primæ objectionis solutio. Hæc, inquam, non referunt. Ad primum enim posset responderi negando antecedens ; nam etiam in humanis leves amici offensæ non diminuunt substantialia amicitiæ ; injuste quippe rescinderet quis amicitiam substantialem ex eo præcise, quod leviter offenderetur ab alio. Refrigesceret tamen amicitiæ fervor, quatenus sic offensus pariter se gereret cum amico, subtrahendo aliqua accidentalia, utputa frequentem, et delectabilem convictum. Idemque proportionabiliter accidit, cum Deus levibus culpis offenditur ; non enim subtrahit ea, quæ ad substantialia amicitiæ pertinent, cujusmodi sunt charitas, ejusque intrinseca perfectio ; sed denegat alia quasi accidentaria,

taria, et extrinseca, cujusmodi sunt frequentiores consolationes, devotio, et alii amoris stimuli.

Respondetur secundo, et melius, omisso antecedenti, et negando consequentiam, ob plures differentias inter utramque amicitiam. Nam homo non perfecte cognoscit cor alterius ; unde cum ab alio multoties offenditur, existimat illum dereliquisse amicitiam, quam propterea ipse etiam ex sua parte dissolvit. Deus autem intuetur cor justi, videtque ipsum firmum circa se ut ultimum finem, et suæ legis observationem, licet in levibus deficiat : quocirca conservat amicitiam substantialem media charitate, et ejus intrinseca perfectione. Accedit etiam, quod in humanis facilius amico est vitare leves offensas amici, quam quod justus vitet cuncta peccata venialia ; id quippe facere non valet absque specialissimo privilegio, ut diximus *tract.* 14, *disput.* 2, *dub.* 7. Et propterea Deus qui cognoscit defectibilitatem nostram, occasionem non arripit ex nostris defectibus levibus, ut tollat, aut diminuat amicitiam charitatis. Denique amicitia humana nostris actibus acquiritur, unde potest etiam per eorum cessationem deficere ; et cessat plerumque, cum amicus repetit leves offensas amici. Amicitia autem, quam ad Deum per charitatem habemus, est ex sola infusione Dei, et ideo licet actus proprii illius non exerceantur, imo licet exerceantur alii actus leviter peccaminosi, non corrumpitur, nec diminuitur. Quam differentiam optime tradit D. Thom. *in præs. art.* 10, his verbis : « De amicitia dicit Philosophus in « 8 Ethic. quod multas amicitias inappellatio solvit, idest non appellare amicum, « vel non colloqui ei. Sed hoc ideo est, quia « conservatio uniuscujusque rei dependet « ex sua causa ; causa autem virtutis acquisitæ est actus humanus : unde cessantibus actibus humanis, virtus acquisita diminuitur, et tandem totaliter corrumpitur. Sed hoc in charitate locum non « habet, quia charitas non causatur ab humanis actibus, sed solum a Deo. Unde « relinquitur, quod etiam cessante actu, « propter hoc nec diminuitur, nec corrumpitur. »

D. Tho.

5. Ad secundum respondetur, peccatum veniale solum secundum quid offendere Deum, et esse malum ipsius ; quia nec affective tollit ab ipso rationem ultimi finis, vel aliam perfectionem intrinsecam ; sed omni intrinseca perfectione servata, impedit ne Deus se extendat ad finalizandum actu illud determinatum opus, ut exposuimus 1, 2, *quæst.* 89, *in comment. ad art.* 1, *num.* 10. Unde peccatum veniale non meretur pœnam simpliciter, qualis esset corruptio charitatis, aut diminutio in aliquo gradu, cum charitas, et quilibet ejus gradus habeant rationem boni simpliciter.

Occurritur secundæ.

Et ad augmentum difficultatis dicendum est, peccatum nullo modo esse eligibile rationabiliter ; implicat enim quod peccatum sit secundum rationem. Unde quod potius oporteret eligere diminutionem physicam charitatis, quam peccare venialiter, non evincit quod tale peccatum sit majus quid in ratione culpæ, quam illa diminutio in ratione pœnæ ; sed provenit ex eo, quod peccatum nequit rationabiliter eligi. Et ex opposito fieret, peccatum veniale mereri non solum diminutionem charitatis, sed etiam ejus, et gratiæ corruptionem : nam potius deberet quis admittere absentiam, seu separationem physicam gratiæ absque sua culpa contingentem, quam ullum vel levissimum peccatum. Hoc autem est omnino absurdum, et omne peccatum reddit mortale, seu privantem vita, quam per gratiam habemus.

Tertiæ satisfit

Ad ultimam patet ex his, quæ proxime dicebamus ; nam licet peccatum veniale offendens Deum nequeat non offendere, et offendendo attingere ultimum finem ; hoc tamen non facit, quia ab ipso avertat, vel ad alium finem ultimum convertat, sed præcise quia impedit extensionem actualem prædicti finis ad illud opus, quod est materia peccati venialis. Cum quo tamen recte cohæret, quod peccans venialiter conservet amorem Dei finis ultimi, atque ideo quod non patiatur ullum detrimentum in charitate, qua ad prædictum finem convertitur, ut optime declaravit D. Th. *loco cit.* his verbis : « Charitas est circa finem ul- « timum, veniale autem peccatum est quæ- « dam inordinatio circa ea, quæ sunt ad fi- « nem. Non autem diminuitur finis ex hoc, « quod aliquis inordinationem aliquam « committit circa ea, quæ sunt ad finem : « sicut aliquando contingit, quod aliqui « infirmi multum amantes sanitatem, in- « ordinate se habent circa diætæ obser- « vationem ; sicut etiam in speculativis « scientiis falsæ opiniones circa ea, quæ « deducuntur ex principiis, non diminuunt « certitudinem principiorum. »

D. Tho.

§ II.

Probatur eadem assertio ab inconvenienti.

Aliud conclusionis motivum.

6. Secundo suadetur communis sententia. Quoniam si peccata venialia diminuerent charitatem, fieri posset quod per repetitionem peccatorum venialium tota charitas, ac perinde gratia adæquate destrueretur; Consequens est falsum : ergo venialia non diminuunt charitatem. Sequela videtur manifesta ; nam finitum per ablationem finiti tandem consumitur : et sic videmus habitus acquisitos, qui per actus oppositos diminuuntur, per eosdem, si repetantur, destrui : sed charitas de facto, seu categorematice est finita, sive habens determinatum intensionis modum, ut vidimus *disp. præced, dub.* 1. Ergo si per peccata venialia diminuitur, fieri poterit quod per eorum repetitionem corrumpatur. Falsitas autem consequentis ostenditur *primo* ex Concil. Trident. *sess.* 6, *cap.* 1, ubi dicitur : « Li- « cet enim in hac mortali vita, quantum- « vis sancti, et justi in levia saltem, et « quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, « peccata cadant, non propterea desinunt « esse justi ; nam justorum illa vox est et « humilis, et verax, Dimitte nobis debita « nostra. » Ergo fieri non potest, quod ob solam repetitionem venialium quis desinat esse justus amittendo gratiam, et charitatem. *Secundo*, quia nullus est in hac vita, cui secundum præsentem dispositionem non correspondeat certus status, aut locus in alia : illi autem, qui per solam repetitionem venialium amitteret charitatem, nullus locus corresponderet : non quidem cœlum aut purgatorium, cum careret gratia, non infernus, cum non haberet peccatum mortale ; non denique lymbus, cum haberet peccata personalia : ergo absurdum est admittere, quod per solam repetitionem venialium charitas possit corrumpi.

Conc. Trid.

Effugium.

7. Hoc argumentum conati sunt Adversarii multifariam diruere negando sequelam. Ad cujus probationem quidam respondent, charitatem per venialia non diminui secundum partes aliquotas, et determinatas, sed secundum partes proportionales, et se includentes, sive minores, et minores : unde non sequitur, quod charitas possit penitus hoc pacto destrui, quia semper remanet divisibilis.

Præcluditur.

Sed hoc effugium, quod alias supponit falsum (charitas enim non habet partes, sed intenditur per modos radicationis, qui semper de facto sunt determinati et finiti) manifeste præcluditur. Tum quia peccatum veniale diminuens charitatem haberet certum, et determinatum modum, seu quantitatem : ergo diminueret charitatem auferendo aliquid determinatum ab illa ; atque ideo si repeteretur, percurreret totam ejus latitudinem, ipsamque tandem destrueret. Tum etiam, quia ex opposito fieret, quod secundum peccatum veniale minus diminueret, quam primum ; siquidem solum auferret medietatem ejus, quod prius fuerat ablatum : hoc autem est prorsus voluntarium et absurdum, cum secundum peccatum possit esse multo gravius intra latitudinem venialis : et charitas non habeat majorem resistentiam, sed potius supponatur diminuta, et debilitata per primum. Tum præterea, quia licet ille discurrendi modus haberet locum in eis, quæ continuo motu diminuuntur, non tamen in eis, quæ diminuuntur mutationibus discretis, et temporibus distinctis, ut in nostro casu contingit. Si enim primum peccatum veniale aliquid tollit de charitate, vel tollit aliquid prorsus indivisibile? et sic charitas nondiminuetur: vel tollit aliquid divisibile, sive habens virtualem latitudinem? et sic infinitas partes in ea inclusas excludet. Cumque secundum veniale superveniens supponat eam priorem ablatam, non auferet partes in illa inclusas, sed auferet aliam, et infinitas alias in ea communicantes ; et consequenter si peccata venialia repetantur, totam charitatem corrumpent. Tum denique, nam ideo charitas non posset penitus per venialia auferri, quia est divisibilis in partes, aut quasi partes infinitas : sed si semel potest per venialia diminui, valet etiam quoad infinitas partes auferri; siquidem quælibet pars, quæ per diminutionem deperditur, constat infinitis partibus proportionabilibus : ergo si venialia diminuunt charitatem, poterunt illam totaliter destruere.

Alia evasio.

8. Propter hæc respondent alii, charitatem in justo habere tot gradus, aut partes non solum proportionales, sed etiam aliquotas, et certas, quod sunt peccata venialia, quæ in toto vitæ decursu poterit committere. Unde nunquam eveniet casus, in quo justus tot venialia repetat, ut charitatem corrumpat.

Confutatur.

Verum hæc responsio est penitus improbabilis. *Primo*, quia in re adeo gravi, qualem

lem supponit, nullum habet fundamentum. *Secundo*, quia justi, communiter loquendo, plura venialia committunt in totius vitæ decursu ; et sic quilibet justus haberet insignem charitatis quantitatem, si hæc deberet futuris peccatis commensurari; quod dici non valet absque magna temeritate. *Tertio*, quia charitas infunditur secundum uniuscujusque dispositionem, ut *disput. præced. num.* 188 ex Concilio Tridentino ostendimus : sed hæc dispositio non solet adæquare latitudinem, seu multitudinem peccatorum venialium, quæ in decursu vitæ committuntur, sed est longe inferior : ergo absurdum est dicere, quod charitas habet in justo tot gradus, aut partes, quot sunt venialia, quæ poterit committere. *Ultimo*, quia vel charitas daretur secundum multitudinem peccatorum venialium, quæ prævidentur futura ; vel secundum multitudinem venialium, quæ sunt homini in vitæ decursu possibilia ? Si primum, plane infertur majorem charitatem recipere eum, qui prævidetur commissurus plura venialia, quam illum, qui pauciora admittet; quod est ridiculum, et omnino falsum, cum mensuram charitatis non reducat ad actualem, et propriam uniuscujusque ex Dei gratia dispositionem, sed ad peccata futura, quæ magis, quantum est de se, movent ad infusionem remissionis charitatis. Posterius autem dici non valet ; nam peccata ut possibilia, nullam mensuram determinant infra infinitum ; unde ex vi hujus charitatis quantitas determinari non valet.

Trident.

Alia responsio.

9. Tertio respondent alii, quod licet charitas diminuatur per peccata venialia ; nihilominus etiam intenditur, et reparatur per actus meritorios, quos justus elicit, unde nunquam contingit, quod penitus destruatur per sola venialia. Potestque responsio firmari ex iis, quæ diximus *tractat.* 16, *disput.* 4, *dub.* 5, ubi statuimus, nullum reperiri actum humanum in justo, qui non sit vel peccatum veniale, vel meritum vitæ æternæ, ac subinde augmenti charitatis. Cum enim justus non continuo peccet in omnibus operibus, sequitur quod in pluribus mereatur, et consequenter reparabit aliquibus operibus id ipsum charitatis, quod per alia opera amittit.

Refellitur.

Sed nec ista responsio satisfacit ; quoniam supposita, et admissa ea doctrina, contingere secundum communem providentiam potest, quod justus faciat plura peccata venialia, quam opera meritoria; atque ideo quod plus charitatis deperdat, quam reparet ; et consequenter totam charitatem amittet. Ubi enim reparatio non est æqualis diminutioni, opus est quod tandem pereat id, quod diminuitur, sicut etiam in naturalibus alimentum reparat, quod per calorem naturalem deperditur ; sed quia hæc reparatio est inæquata, propterea non sufficit ad vitandam mortem animalis. Quod in nostro casu magis perspicuum exemplo fiet : supponamus hominem justificari per gratiam valde remissam, verbi gratia ut duo, et quod post justificationem committat centum peccata venialia priusquam eliciat ullum actum meritorium. In hoc eventu vel dicendum est charitatem per venialia non diminui, vel fateri oportet quod tot peccatis venialibus corrumpatur ; nam centum peccata venialia, si semel diminuunt charitatem, sufficientem proportionem habent ad excludendum duos charitatis gradus, atque ideo charitatem ut duo. Casus autem est secundum communem providentiam possibilis ; nam licet non sit necessarium, quod justus continuo venialiter peccet, fieri tamen potest, quod in determinata duratione nullum bonum opus eliciat, sed plura venialia committat, ut experientia liquet.

Alia solutio.

10. Quarta aliorum responsio est, quod si charitas ad eum diminutionis statum perveniat, ut corrumpenda sit per peccatum veniale superveniens, tunc illud veniale fiet mortale ex circumstantia destruendi gratiam, et charitatem, quas quilibet conservare debet. Unde non sequitur, quod charitas possit destrui per sola venialia ; illud enim, per quod destruitur, fit ex hoc ipso mortale. Nec insolens est id, quod ex natura sua solum est veniale, fieri mortale ob periculum incidendi in gravem culpam. Et ita accidit in præsenti ; nam peccata venialia disponunt ad peccatum mortale, ut ex communi doctrina SS. Patrum asserit D. Thom. *in hoc articulo* 10, atque ideo qui nimis venialiter peccat, se disponit proxime ad culpam gravem ; unusquisque autem sub mortali tenetur vitare occasionem proximam committendi gravem culpam. Quid ergo mirum, si dicatur ultimum veniale post innumera superveniens fieri ex hoc ipso mortale ?

D. Tho.

Confutatur. Joan. à S. Tho.

Cæterum hæc solutio (quam Joan. a sancto Thoma merito appellavit chimæricam) sustineri non potest. *Primo*, quia non datur speciale præceptum conservandi gra-

tiam, et charitatem; sed ad id tenemur ex consequenti, quatenus tenemur non peccare mortaliter : ergo absurdum est dicere, quod quis peccet mortaliter, quia gratiam, et charitatem amittit; sed potius e contra verificatur hominem amittere gratiam, et charitatem, quia peccat mortaliter. Et consequenter ante amissionem charitatis, et præcisive ab illa, opus est designare peccatum mortale, quod ratione suæ gravitatis eam amissionem inferat. *Secundo*, nam ut quis peccet mortaliter, requiritur quod cognoscat gravitatem culpæ, cum de ratione peccati sit esse voluntarium : unde ut quis peccaret mortaliter in nostro casu, deberet cognoscere suam charitatem ad eas angustias, et ad illud minimum intensionis redactam esse, ut per primum veniale superveniens excluderetur : nemo autem est qui id cognoscat saltem secundum communem providentiam : ergo fieri non valet, ut veniale fiat mortale ex eo, quod charitatem corrumpat. Atque ideo si charitas per venialia diminueretur, et corrumperetur, ejus destructio fieret per sola peccata venialia, non per aliquod mortale. *Tertio*, quia inde fieret eum, qui haberet charitatem in minimo suæ intensionis gradu, teneri vitare omnia venialia sub peccato mortali, imo non posse peccare præcise venialiter. Sequela patet; nam quodlibet veniale committeret, destrueret charitatem, et sic peccaret mortaliter. Ex quo ulterius sequeretur, omne peccatum veniale esse ex natura sua peccatum mortale, quia juxta doctrinam hujus responsionis, quodlibet veniale est destructivum charitatis, si illam in minimo intensionis gradu supponat. Quod autem non semper illam inveniat in eo statu, est per accidens respectu ipsius. Sicut etiam mortale ex natura sua est destructivum gratiæ, licet eam non semper destruat, cum videlicet supponitur ablata. Hæc vero sunt falsa, et videntur censuræ obnoxia; nam inter propositiones Michaelis Baii damnatas a Pio V et Greg. XIII, hæc habetur : *Nullum est peccatum natura sua veniale; sed omne peccatum meretur pœnam æternam.* Videantur quæ diximus *tract.* 13, *disp.* 19, *dub.* 1, ubi statuimus differentiam ex natura rei inter venialia, et mortalia.

Pius V. Greg. XIII.

Motiva responsionis evertuntur.

11. Nec illa, quæ in patrocinium hujus solutionis afferebantur, alicujus momenti sunt. Pro quo observa, dispositionem ad peccandum graviter, et amittendam charitatem esse duplicem; aliam pure subjectivam; aliam objectivam, et cognitam. Prior consistit in eo, quod quis non sit in se ita fervidus ad observandum divina mandata, et se subjiciendum ordini rationis : et hæc dispositio fit per peccata venialia; dum enim aliquis assuefit prætermittere illum ordinem in levibus, disponitur ad hoc, quod prætermittat illum in gravibus, et sic mortaliter peccet, ut recte explicat D. Thom. 1, 2, *quæstione* 88, *articulo* 3. Quod satis est, ut Patres repræsentent, et exaggerent periculum admittendi venialia, et ea præsertim, quæ ex deliberatione fiunt. Sed quia nemo scit vel quantitatem suæ gratiæ, vel frequentiam venialium requisitam, ut dicatur esse proxime dispositus ad peccandum graviter, propterea nullus tenetur vitare hanc dispositionem subjectivam, nisi quatenus tenetur vitare venialia. Unde nunquam ex vi hujus adest obligatio gravis ad venialia vitanda, nec opus ex se leve potest ex vi hujus circumstantiæ transire in mortale. Præsertim cum hujusmodi dispositio non sit connexa ex natura rei cum peccato gravi, nec illud positive inferat; sed magis se habet negative, impediendo videlicet fervorem charitatis : unde oritur tepiditas, et major facilitas ad peccandum graviter. Posterior vero dispositio, quæ potius occasio vocari debet, contingit cum homo advertit se ejus conditionis, aut in eo statu esse, quod si admittat aliquid ex se veniale, certissime sibi imminet periculum incidendi in mortale, quod non semel accidit in materia luxuriæ. Et hanc dispositionem, seu occasionem tenetur homo vitare sub culpa gravi, quia videlicet et affert periculum proximum graviter peccandi, et cognoscitur illud afferre. Quo pacto libenter concedimus, peccatum ex se leve fieri grave ratione hujus circumstantiæ, aut periculi. Verum id adaptari nequit præsenti materiæ, cum homo non valeat determinate cognoscere quantitatem suæ gratiæ, et frequentiam venialium requisitam, ut gratia pereat. Et si dicatur ad id sufficere, quod homo peccet venialiter cum ea ignorantia, aut sine positiva notitia sui status, plane infertur, cuncta ejus venialia esse mortalia, et necessario explicanda in confessione. Quod est absurdum intolerabile.

D. Tho.

Aliud effugium.

12. Quinto respondent alii, venialia quidem posse diminuere charitatem, non autem illam auferre; et ideo si perveniatur ad ultimum gradum charitatis, qui jam non amplius

amplius diminui possit, sed præcise auferri, venialia jam non amplius diminuere charitatem. Sicut etiam quælibet demonstratio habet vim generandi scientiam ; et tamen secunda demonstratio, quia eam genitam supponit, non gerit, sed præcise intendit illam. Sic pariter cum venialia non habeant vim auferendi, sed præcise diminuendi charitatem, si eam inveniant in eo statu, in quo non sit diminuibilis, sed auferibilis, minime illam diminuent, et sic nunquam possunt tollere ultimum gradum.

Refutatur. Sed hoc facile refellitur, quia ut exemplo allato utamur, quælibet demonstratio potens intendere scientiam, valet etiam illam primo generare, si supponatur generabilis : ergo e converso, si venialia habent vim diminuendi charitatem, pariter poterunt eam auferre, si auferibilis supponatur. Unde principium petit qui respondet, charitatem posse per venialia diminui, non autem auferri ; id quippe intendimus, et ratio superius facta convincit, quod si venialia valent diminuere, possunt etiam destruere charitatem. Idque confirmat exemplum habituum naturalium ; nam illi actus, et dispositiones, quæ sufficiunt ad eos diminuendos, sufficiunt etiam si continuentur, aut repetantur, ad corruptionem illorum, ut inductive potest ostendi.

Ad hæc, ultimus gradus charitatis non est potentior ad resistendum, quam gradus octavus, sed potius multo debilior ; peccatum autem veniale, per quod intendimus corrumpendum esse ultimum gradum, potest esse multo gravius, aut intensius quam illud, per quod docent Adversarii corrumpi gradum octavum : ergo admisso, quod octavus gradus corrumpatur per venialia, inconsequenter, et sine fundamento negatur, quod ultimus charitatis gradus corrumpi possit. Destructo autem ultimo illo gradu, tota charitas destruitur : ergo si charitas per venialia diminuitur, poterit per sola venialia corrumpi.

Alia responsio. 13. Denique alii respondent, quod licet peccatum veniale per se non corrumpat charitatem, sed solum eam diminuat ; nihilominus fieri potest, ut per accidens illam destruat, cum videlicet non superest nisi unicus charitatis gradus ; tunc quippe veniale expellit per se illum gradum, et per accidens excludit charitatem, quæ sine illo conservari non potest. Sicut etiam veniale non punitur per se pœna æterna ; et tamen per accidens solet ea puniri, quando conjungitur cum mortali in alia vita, ut explicuimus *tract.* 13, *disp.* 17, *n.* 68, *et* 73.

Impugnatur. Hanc vero responsionem impugnare denuo superfluum est ; nam admittit id ipsum, quod supra *n.* 6, pro inconvenienti inferebamus, nempe fieri posse, quod homo per sola venialia gratiam, et charitatem amittat. Sed tunc oportebit satisfacere Concilio Tridentino, quod loco ibidem citato plane docet, justum per peccata venialia non amittere justitiam. Oportebit etiam determinare, quis locus homini, qui sine gratia, et cum solis venialibus moreretur, correspondeat : non cœlum, aut purgatorium, cum non haberet gratiam : non infernus, cum careret peccato mortali : nec lymbus puerorum, cum haberet venialia, et careret originali. Cum ergo hæc quæ ex opposita sententia inferuntur, sint valde absurda, tenendum omnino est, charitatem nullo modo quoad intrinseca per venialia diminui.

§ III.

Motivis contrariæ sententiæ occurritur.

Sententia opposita. Altisiod. Carthus. Glossa. Victoria. 14. Oppositam sententiam docuerunt Altisiodor. *lib.* 3 *Summæ, tract.* 5, *cap.* 5, Carthusianus *in* 1, *distinct.* 17, *quæst.* 9, et Glossa *in cap. Tres sunt, de pœnitentia distinct.* 1, *et in cap. De quotidianis, de pœnitentia dist.* 3, quam ut probabilem tuetur Victoria *in relect. de augmento charitatis, part.* 2. Et probatur primo ex Scriptura, Primum argumentum. quæ id videtur significare *Ecclesiast.* 19, Eccles. 19. illis verbis : *Qui spernit modica, paulatim decidet ;* idest, qui venialia parvipendit, deficit a robore gratiæ et charitatis, et sic tandem labitur. Et *Apocal.* 2, dicitur ad Apoc. 2. Episcopum Ephesinum : *Habeo adversum te pauca, quod charitatem tuam reliquisti.* Ubi solum potest fieri sermo de derelictione charitatis quoad intensionem per venialia, non vero quoad suum esse per aliquod mortale ; nam immediate præmittitur : *Sustinuisti propter nomen meum, et non defecisti.* In quo sensu loquuntur Sancti Patres. D. August. *serm.* 41, *de Sanctis,* D. Aug. ubi ait : *Si minima peccata nimis plura sint, mergunt.* Quod repetit *concione* 3, *super psalm.* 118, et aliis locis. Et D. Gregor. D. Greg. 3 *part. Pastoral. admonit.* 34, inquit : *Qui peccata minima flere, et vitare negligit, a statu justitiæ non repente, sed per partes to-*

tus cadit. Utiturque ibi exemplo arenarum, et guttarum, quæ licet seorsim minimæ sint, possunt tamen ob multitudinem ob-
D. Bern. ruere hominem. Et D. Bernard. *serm.* 1, *de convers. S. Pauli*, ait : « Nemo dicat in « corde suo, Levia sunt ista. Non est ma- « gnum, si in his minimis, et venialibus « peccatis maneamus. Hæc enim, dilectis- « simi, est impœnitentia, et blasphemia « in Spiritum sanctum irremissibilis. » Si milia occurrunt passim in aliis sacris Doctoribus, præsertim domesticis, Theresia, et Joanne.

Respon-sio. His tamen facile occurritur, solum enim denotant vel quod per peccata venialia cadimus in mortalia dispositive, modo *num.* 11, explicato, vel quod per illa cadimus a fervore charitatis, sed non significant, quod charitas per venialia diminuatur intrin-
D. Tho. sece. Unde D. Thom. 1, 2, *quæst.* 88, *art.* 4 *ad* 1, explicans verba D. August. quod *minima, si negligantur, occidunt*, ait : *Augustinus loquitur in illo sensu, quod peccata venialia dispositive causant mortale.* Et *q.* 7, *de Malo, art.* 2 *ad* 13, explicans illud
Prov. 24. Proverb. 24 : *Septies in die cadit justus*, quod Glossa exponit de casu per venialia, inquit : *Justus per peccatum veniale cadit, non quidem a charitate ipsa, vel a perfecto gradu charitatis ; sed ab aliquo actu charita-*
D. Bern. D. Tho. *tis.* Et *in resp. ad* 11, explicans illud D. Bernardi, *In via Dei non procedere est retrocedere*, ait : « Dicendum quod aliquis proce- « dit in via Dei, non solum quando ipsa « charitas augetur in actu, sed quando dis- « ponitur ad augmentum charitatis. Sicut « puer non actu crescit toto tempore aug- « menti, sed quandoque crescit in actu, « quandoque disponitur ad augmentum. « Et similiter aliquis retrocedit in via Dei « non solum per diminutionem charitatis, « sed etiam per hoc, quod retardatur a « proficiendo, vel etiam per hoc, quod « disponitur ad casum, quorum utrumque « fit per veniale peccatum. » Ex quibus patet ad testimonia supra allata, quin opus sit ea seorsim exponere. Solum addi-
Lorca, D. Bern. mus cum Lorca ubi supra, *num.* 6, D. Bernardum loquutum fuisse per exaggerationem, ut concionantibus sæpe accidit. Nec intendit S. Doctor, quod contemptus, et malitia in peccando venialiter sit peccatum absolute irremissibile ; sed quod difficilius remittatur intra genus venialium, sicut proportionabiliter accidit in mortalibus.

15. Arguitur secundo, quia peccata venialia diminuunt fervorem charitatis : Sed hic fervor vel a charitate non differt, vel est aliquis modus ejus proprius, et intrinsecus : ergo peccata venialia diminuunt intrinsece charitatem. Secundum argumentum.

Huic argumento occurrit D. Thom. *loco proxime citato in respons. ad* 17, his verbis : Solutio. D. Tho. « Dicendum quod fervor potest accipi du- « pliciter. Uno modo secundum quod im- « portat intensionem inclinationis amantis « in amatum, et talis fervor est essentialis « charitati, et non diminuitur per veniale « peccatum : alio modo dicitur fervor cha- « ritatis secundum quod redundat in mo- « tus dilectionis, etiam in inferiores vires. « et quodammodo non solum cor, sed « etiam caro exultet in Deum. Et talis fer- « vor diminuitur per veniale peccatum « absque diminutione charitatis. » Itaque ut peccatum veniale dicatur diminuere charitatis fervorem, non requiritur quod diminuat ejus intensionem, vel quod aliquam intrinsecam ejus perfectionem auferat, sed sufficit quod impediat ejus exercitium, in quo fervere, aut ebullire dicitur. Et ratio est, quia intensio sumitur in ordine ad subjectum penes majorem radicationem in eo, et dominium supra illud ; fervor autem attenditur in ordine ad actus, et delectationem in eis eliciendis : optime autem cohæret, quod charitas, retenta eadem radicatione in subjecto per venialia ab exercitio eliciendi proprium actum, et imperandi alios, et consequenter quod absque diminutione in se diminuatur in suo fervore.

16. Sed instabis : nam peccata venialia diminuunt fervorem charitatis non solum quantum ad actum, sed etiam quoad habitum : ergo non solum impediunt charitatis exercitium, sed auferunt aliquid de habitu charitatis ; quod est charitatem intrinsece diminui. Probatur antecedens, quia actum charitatis impediri, contingit etiam sine peccato, ut patet in dormientibus : ergo peccata venialia non dicuntur diminuere charitatis fervorem, quia ejus actum præcise impediant, sed quia tangunt ipsum habitum. Præsertim cum in eo, qui habet peccata venialia, charitas dicatur habitualiter minus fervida. Replica.

Respondetur, admisso antecedenti, negando consequentiam quoad secundam partem, intellectam de ablatione alicujus intrinseci in esse entis. Nam cum habitus charitatis ordinetur ad eliciendum proprium Diluitur.

prium actum, et imperandum alios actus in omni materia, ut dicatur habitualiter minus fervens, non requiritur quod aliquid de ejus entitate, aut intensione auferatur ; sed sufficit quod apponantur impedimenta retardantia charitatem in eliciendo proprium actum, et in imperando actus aliarum virtutum ; nam eo ipso totus habitus charitatis dicitur minus fervens, sive diminutus in fervore. Ut enim varientur illæ denominationes, quæ desumuntur ab entitate non præcisive sumpta, sed connotante aliquid extrinsecum, non requiritur variatio entitatis in esse rei, sed sufficit quod varietur connotatum ; nam eo ipso variatur entitas in esse recti denominantis, et potest impertiri distinctam denominationem, ut explicuimus *tract.* 13, *disp.* 12, *num.* 23. Unde ut charitas dicatur habitualiter minus fervida, non requiritur diminutio ejus entitativa, sed sufficit connotare impedimenta retardantia ejus propensionem. Quod potest exemplo declarari ; etenim actus peccaminosi dicuntur diminuere naturalem inclinationem ad bonum rationis, non quia aliquid auferant a natura, sed quia illam impediunt, ne bonum attingat, ut optime tradit D. Thom. 1, 2, *quæst.* 28, *art.* 2, his verbis : « Dicendum quod « prædicta inclinatio intelligitur ut media « inter duo ; fundatur enim sicut in « radice in natura rationali, et tendit in bonum virtutis sicut in terminum, et finem. Dupliciter ergo potest intelligi ejus diminutio : uno modo ex parte radicis, alio modo ex parte termini. Primo quidem modo non diminuitur per peccatum, eo quod peccatum non diminuit ipsam naturam : sed diminuitur secundo modo, in quantum scilicet ponitur impedimentum pertingendi ad terminum. » Quam doctrinam ex professo explicuimus *in comment. ad prædictum art.* et *tractatu citato, disputat.* 10, *num.* 15, *et disp.* 16, *num.* 155, ex qua potest præsens resolutio magis firmari. Et liquet ad illud, quod de somno dicebatur ; nam somnus non habet specialiter impedire charitatem, sed est impedimentum physicum, et generále ad eliciendum omnes actus partis intellectivæ, unde non dicitur diminuere charitatis fervorem. Venialia autem afferunt aliquam deordinationem moralem affectus, illumque indisponunt ad recipiendam motionem, et imperium charitatis ; quod est contra ejusdem charitatis inclinationem, et sic diminuunt ejus fervorem.

D. Tho.

17. Sed adhuc dices : nam ut peccata venialia diminuant fervorem charitatis, non sufficit quod quasi ab extrinseco impediant ejus inclinationem : ergo requiritur quod auferant aliquid de ejus intrinseca perfectione. Consequentia patet, quia diminutio prædicti fervoris non potest contingere, nisi uno ex illis modis. Antecedens autem probatur, quia habitus vitiosi, qui solent permanere in homine post justificationem, impediunt quasi ab extrinseco inclinationem charitatis, siquidem ipsi inclinant ad oppositum, nempe ad actus vitiosos sibi correspondentes : et tamen fervor charitatis non dicitur diminui ex eo, quod conjungatur prædictis habitibus : ergo ut venialia dicantur diminuere charitatis fervorem, non sufficit quod impediant ab extrinseco ejus inclinationem. Alia replica.

Respondetur negando antecedens. Ad probationem, omittendo præmissas negamus consequentiam. Et ratio disparitatis est, quoniam habitus vitiosi in homine justificato, licet retineant suam entitatem, et speciem, et ratione illius inclinent, quantum est de se, ad actus pravos ; nihilominus non conservant statum vitii, nec important inclinationem practicam, expeditam, et effrenem ad tales actus ; sed cohibentur sub majori inclinatione gratiæ, et continentur sub imperio charitatis. Quocirca non diminuunt charitatis fervorem, sed quantum ad hoc permanent quasi non essent. Peccata autem venialia aliter se habent ; nam in sensu composito charitatis exercentur, et expedite attingunt sua objecta, quæ proinde subtrahunt a dominio actuali charitatis, atque ideo adversantur ejus inclinationi. Radicale vero hujus diversitatis principium est, quod actus habituum vitiosorum (utique inclinantium ad peccatum grave) sunt absolute contra charitatem, et illam destruunt, quamobrem tales habitus in infusione gratiæ, et charitatis, vel absolute pereunt, vel saltem retractantur, et ita cohibentur sub charitate, ut in sensu composito ejus nequeant proprios actus elicere ; unde non dicuntur impedire ejus fervorem, sed magis subjici illius fervori, et imperio. Peccata vero venialia ex una parte indisponunt affectum ut sit prompte mobilis a charitatate ; et ex alia parte cum non opponantur charitati absolute, sed cum ea cohæreant, dum actu exercentur, con- Dissolvitur.

servantur, et non retractantur, impediunt ejus motionem, et inclinationem, quamobrem dicuntur minuere fervorem illius. Ex quo apparet, quam aliter dicantur esse sub charitatis dominio habitus vitiosi, et peccata venialia; nam charitas illis dominatur impediendo ne exeant in proprios actus : his autem dominatur, non quia ea impediat, sed quia impediret, si essent contra Deum finem ultimum, et objectum ipsius charitatis. Videantur quæ diximus de permanentia habituum vitiosorum in justo, *tract.* 13, *disp.* 1, *a n.* 24, et de dominio charitatis super venialia, *tract.* 8, *disp.* 4, *dub.* 4, *per totum*.

Tertium argumentum.

18. Arguitur tertio, et simul impugnatur responsio data argumento præcedenti : Quoniam peccatum veniale ponit aliquam maculam in anima, ut docet D. Thom. 1, 2, *q.* 85, *artic.* 1, *et q.* 89, *art.* 1, et 3, p. *q.* 87, *art.* 2 *ad* 3, et alibi : sed hujusmodi macula nequit non dicere privationem alicujus perfectionis habitualis gratiæ, et charitatis : ergo peccatum veniale tollit aliquid habituale intrinsecum gratiæ, et charitati, et consequenter illas diminuit. Probatur minor; nam prædicta macula, cum sit aliquid habituale relictum ex peccato actuali, ex quo non semper relinquitur aliquid positivum, nequit consistere in positivo, sed in aliqua privatione. Rursus cum hæc privatio sit habitualis, non potest non aliquid habituale excludere; et non est assignabile, nisi aliquid de linea gratiæ, et charitatis.

D. Tho.

Communis responsio.

Ad hoc argumentum respondent communiter Thomistæ concedendo majorem; sed circa minorem non omnes conveniunt. Quidam enim sentiunt, maculam peccati venialis nihil aliud esse, quam peccatum veniale actuale physice præteritum, quod ob sui non retractationem perseverat moraliter, et sic animam infuscat secundum quid. Unde dicunt aliter oportere philosophari circa constitutionem peccati habitualis gravis, et constitutionem peccati habitualis levis; nam cum ex peccato actuali mortali sequatur privatio gratiæ habitualis, merito potest macula peccati mortalis in ea privatione constitui. Ex peccato autem veniali non infertur privatio alicujus perfectionis habitualis, et ideo nequit ejus macula in privatione consistere, sed consistit in actu præterito, quod dum non retractatur, intelligitur inficere continuo, et habitualiter animam. Juxta quam doctrinam facile diluunt argumentum negando minorem. Fundaturque hæc responsio in D. Thom. *loco citato ex* 3 *part.* ubi ait: « Dicendum quod sicut in corpore « contingit esse maculam dupliciter : uno « modo per privationem ejus, quod requi- « ritur ad decorem, puta debiti coloris, « aut debitæ proportionis membrorum : « alio modo per superinductionem alicujus « impedientis decorem, puta luti, aut pul- « veris. Ita etiam animæ inducitur macula « uno modo per privationem decoris gra- « tiæ per peccatum mortale : alio modo « per inclinationem affectus inordinatam « ad aliquid temporale, et hoc fit per pec- « catum veniale. » Et similia habet 1, 2, *quæst.* 89, *art.* 1, in quibus satis aperte significat duplicem esse maculam; aliam corrumpentem, et auferentem, quæ proinde consistit in privatione ejus, quod tollit, aut diminuit : aliam vero pure impedientem, quæ subinde non consistit in privatione, sed in aliquo impedimento habituali, sive habitualiter permanenti. Macula autem peccati venialis est hujus posterioris generis, unde non consistit in privatione habituali alicujus perfectionis intrinsecæ gratiæ aut charitatis. Potestque id confirmari ex eo, quod ad tollendam maculam peccati venialis non requiritur infusio alicujus perfectionis habitualis, ut docet D. Thom. *loco citato ex* 3 *part.* sed sufficit quod præcedens peccatum retractetur; id autem non contingeret, si macula peccati venialis consisteret in privatione alicujus perfectionis intrinsecæ habitualis.

D. Tho.

D. Tho.

Alia solutio.

19. Hæc responsio continet doctrinam valde probabilem, et satis perspicue occurrit argumento. Sed non minus probabile est, maculam peccati venialis consistere in privatione habituali ex actu præcedenti relicta. Et hunc dicendi modum magis approbavimus *loco citato ex* 1, 2, *in comment. artic.* 1, et *tract.* 15, *disp.* 2, *dub.* 8, ubi egimus de remissione peccatorum venialium. Juxta quam doctrinam dicendum est, maculam peccati venialis consistere in privatione fervoris habitualis charitatis. Quod aliqui explicant dicendo charitatem ut fervidam addere supra seipsam modum quendam intrinsecum perfectionis, non quidem intensionis, sive radicationis in subjecto, sed habilitatis ad eliciendum proprios actus, et imperandum actus aliarum virtutum; qui modus per peccata venialia aufertur, et in eorum remissione reparatur, retenta

retenta semper eadem intensione charitatis. Idque valde probabile visum est M. Joanni a S. Thom. *ubi supra*, § *Dicunt tamen aliqui*. Sed nobis non arridet: tum quia non est necessarium constituere prædictum modum: tum quia cum peccata venialia queant esse innumera, et in materiis valde diversis, imo et disparatis, possintque quædam remitti aliis non remissis, opus esset constituere innumeros modos intrinsecos, qui frequentissime tollerentur, et restituerentur, nempe quoties committerentur, et remitterentur venialia. Et ideo oportet explicare, quid sit illud habituale, quod per venialia excluditur, et in cujus privatione consistit eorum macula.

Joan. a S. Tho.

Explicatur.

Pro quo observa, charitatem (et idem intelligendum est de gratia ejus radice,) posse considerari vel in ordine ad subjectum secundum majorem, aut minorem radicationem in illo, et hoc pacto dicitur intensa, aut remissa; vel in ordine ad terminum ad quem inclinat, quatenus connotat ablationem, aut præsentiam impedimentorum ad illum attingendum; et hac ratione dicitur fervida, vel tepida. Ubi enim impedimenta retardantia non connotat, appellatur fervens per scipsam in recto, connotando eam ablationem. Si vero ea impedimenta connotet, subit denominationem oppositam. Ad quod non requiritur additio, et ablatio alicujus modi intrinseci, sed sufficiunt diversa connotata; sicut contingit etiam in aliis denominationibus, quæ proveniunt a forma non absolute, et secundum se sumpta, sed ut connotante aliquid extrinsecum. Potestque id declarari supra posito exemplo inclinationis naturæ rationalis ad bonum rationis, quæ dicitur diminui, aut crescere, non per ablationem, aut restitutionem alicujus perfectionis intrinsecæ etiam modalis, sed solum per hoc, quod impeditur per peccata, et explicatur per absentiam illorum, ut locis citatis *n.* 16, declaravimus. Dicimus ergo maculam peccati habitualis consistere formaliter in privatione habituali fervoris charitatis, sive (et in idem redit) in privatione charitatis ut fervidæ. Licet enim per venialia non auferatur charitas quoad entitatem, nec secundum aliquem modum intensionis (quod requirebatur, ut argumentum contra nostram assertionem concluderet), tollitur tamen sub conceptu fervidæ, quia ut hæc denominatio cesset, sufficit quod non connotet impedimentorum absentiam, sive quod connotet ipsa impedimenta. Et quia in his impedimentis, et in eorum absentia datur latitudo, possunt enim adesse in una materia, et non in alia; idcirco potest charitas dici fervida in una, et tepida in alia. Et ut dicatur fervida simpliciter, sive omnibus modis, debet connotare absentiam cujuscumque impedimenti voluntarii. Quam si connotet, eo ipso sine additione alicujus intrinseci deponit maculam, et dicitur fervida. Unde satis patet ad ea, quæ afferebantur in probatione minoris.

20. Sed objicies, sequi ex hac doctrina, quod macula peccati venialis, sive peccatum veniale habituale recipiatur in charitate: consequens est absurdum: ergo, etc. Sequela ostenditur, quia privatio, et id quo privat, habent idem subjectum: sed fervor charitatis est in charitate, ut ex terminis liquet: ergo si macula peccati venialis consistit in privatione talis fervoris, sequitur hujusmodi maculam recipi in charitate. Falsitas autem consequentis est manifesta: tum quia charitas non est susceptiva peccati: tum quia nequit denominari habitualiter peccans.

Objectio.

Respondetur negando sequelam: et ad probationem dicendum est, majorem solum verificari in privatione formæ absolute sumptæ, et in se, non vero in privatione formæ, ut denominantis, vel connotantis; nam sicut ad auferendam formam ut denominantem, et connotantem, non est necessarium auferre formam in se, sed sufficit auferre connotatum: ita non requiritur, quod idem sit susceptivum privationis formæ ut connotantis, et formæ secundum se. Et ita accidit in præsenti, quia ut charitas sit fervens, non sufficit sola charitas in se, sed præter hoc rectum debet connotari in obliquo absentia impedimentorum; atque ideo fervor habitualis consistit in complexo hujusmodi recti, et obliqui. Cumque hoc complexum cesset ex cujuslibet extremi defectu, non requiritur ad privationem fervoris, quod charitas deficiat in se, sed sufficit quod obliquum deficiat, et sic dissolvatur complexum. Unde neque oportet, quod privatio fervoris charitatis recipiatur in ipsa charitate, sed debet recipi in subjecto illius complexi, sive utriusque extremi, quod non est charitas, sed voluntas.

Enodatur.

Juxta quam doctrinam addi etiam po-

test, minorem illius probationis falsam esse, quia fervor charitatis non recipitur in charitate, sed in voluntate; quia prædictus fervor non addit charitati aliquid intrinsecum, sed est ipsa charitas in recto connotans absentiam impedimentorum, quæ ejus exercitium retardent.

Quartum argumentum. 21. Arguitur quarto: nam peccata venialia diminuunt differentiam constitutivam habitus charitatis: ergo diminuunt charitatem. Consequentia liquet, quia prædicta differentia est realiter idem cum charitate. Antecedens autem suadetur; nam esse difficile mobile, est differentia constitutiva habitus charitatis: sed charitas per repetitionem venialium desinit esse difficulter mobilis, siquidem non manet ita firma, sicut prius: ergo venialia diminuunt differentiam constitutivam charitatis.

Confirmatio prima. Confirmatur primo; nam quæ diminuunt actum, diminuunt etiam habitum, siquidem operatio debet proportionari principio: sed venialia diminuunt actum charitatis; qui enim ad venialia afficitur, remissus amat Deum: ergo venialia diminuunt habitum charitatis.

Secunda. Confirmatur secundo; nam quilibet actus meritorius quantumvis imperfectus, et remissus, auget habitum charitatis, ut satis constat ex dictis *disput. præced.* Ergo quilibet actus demeritorius, tametsi imperfectus in linea mali, cujusmodi sunt venialia, diminuit habitum charitatis. Consequentia patet tum a paritate: tum quia contraria habent rationes oppositas.

Satisfit argumento. Ad argumentum respondetur peccare in pluribus. Primo, quia si convinceret, probaret charitatem tolli per quodlibet peccatum veniale, quia differentia constitutiva rei non habet latitudinem: unde vel talis differentia non diminuitur, vel si diminuitur, perit. Secundo, nam falso supponit rationem difficulter mobilis esse differentiam constitutivam charitatis; est enim ratio generica, et valde remota, in qua charitas convenit cum omnibus habitibus. Sed utut sit, negamus antecedens. Cujus

D. Tho. probationem optime diluit D. Thom. *loco citato ex quæstione de malo, in respons. ad* 4, his verbis: « Dato quod difficile mobile « esset differentia constitutiva, adhuc ra- « tio non sequeretur; quia quod aliquis « habitus fiat de facile mobilis, potest con- « tingere dupliciter. Uno quidem modo « per se, quia scilicet non habet esse ita « perfectum in subjecto; et sic quidquid « diminueret hoc, quod est difficile mobile « circa habitum, diminueret ipsum habi- « tum. Alio modo per accidens, eo scilicet, « quod inducitur dispositio ad contrarium. « Ut si dicamus, quod forma aquæ per « susceptionem caloris fiat minus difficile « mobilis; et tamen constat, quod forma « substantialis non diminuitur. Et per « hunc modum veniale diminuit hoc, quod « est difficile mobile circa charitatem. » Videlicet non quia auferat aliquid ei intrinsecum, sed quia disponit ad peccatum mortale, quo charitas evacuatur.

Responsio ad primam confirmationem. D. Tho. Primam confirmationem diluit S. Doctor *loco citato in respons. ad* 16, ubi ait: « Dicendum quod actus potest diminui du- « pliciter. Uno modo quantum ad facilita- « tem agendi, ut scilicet homo non possit « tantum agere; et sic quod diminuit ac- « tum, diminuit principium habitus, quod « est forma. Alio modo quantum ad exe- « quutionem actus; et sic non oportet, « quod id quod diminuit actum, diminuat « formam. Non enim diminuit gravitatem « lapidis columna, quæ retinet ipsum, ne « cadat deorsum; nec diminuit virtutem « gressivam hominis, qui ligat ipsum. Et « per hunc modum veniale diminuit ac- « tum charitatis, non autem primo modo. »

Occurritur secundæ. Ad secundam negamus consequentiam. Et ratio disparitatis est manifesta; quoniam ut actus sit meritorius vitæ æternæ, debet referri in Deum ut ultimum finem, et objectum charitatis, ut explicuimus *tract.* 16, *disputatione* 4, *dub.* 1, habetque ex hac parte sufficientem vim ad augescendam charitatem, saltem moraliter, seu meritorie, ut *disput. præced. dub.* 3, explicuimus. Cæterum non omnis actus demeritorius avertit ab ultimo fine, et sic nec diminuit adhuc demeritorie charitatem, nec opponitur proprie actui meritorio, sed solum secundum quid, ut supra diximus § 1.

DISPUTATIO VII.

De perfectione virtutis charitatis.

Cum perfectio specifica cujuslibet habitus desumatur per habitudinem ad ejus actum, et objectum; merito postquam egimus de actu, et objecto charitatis, disputationem instituimus circa hujus virtutis perfectionem, quam investigare oportet tum per

per comparationem ad alios habitus secundum se acceptos, tum ex modo quo charitas se habet ad illos. Sed ante alia opus est determinare

DUBIUM I.

An charitas sit virtus, et utrum unica, an multiplex.

Prior hujus dubii pars haud obscure colligitur ex dictis in hoc tractatu. Sed pro pleniori intelligentiæ observandum est, quod sicut vitium potest sumi dupliciter, scilicet quoad essentiam, et ita importat inclinationem permanentem ad objectum rationi dissonum; et quoad statum, et sic supra prædictam inclinationem addit propensionem quasi dominantem subjecto, practicam, et de facili reducibilem ad actum, ut explicuimus *tract.* 13, *disp.* 1, *a n.* 24, ita etiam virtus potest duobus modis considerari : primo quoad essentiam, quo pacto importat inclinationem firmam ad actum rectum : secundo quoad statum, qua ratione supra illam inclinationem addit habitudinem ad ultimum finem, et conjunctionem cum aliis virtutibus, quæ ad denominandum subjectum simpliciter virtuosum requiruntur. Cum ergo inquirimus, an charitas sit virtus, utrumque, videlicet essentiam, et virtutis statum, comprehendimus, et controversiæ subjicimus.

§ I.

Resolutio dubii quoad priorem partem.

Prima conclusio.

1. Dicendum est primo, charitatem esse virtutem quoad essentiam, et statum; atque ideo quamlibet charitatem, sive intensam, sive remissam, et admixtam passionibus, esse simpliciter virtutem. Hæc conclusio est communis inter Theologos, eamque cum D. Thom. *in præs. q.* 23, *art.* 3, tuentur specialiter Bannez, Aragon, et Malderus *ibid.* Arauxo *dub.* 3, Ferre *quæst.* 11, § 15, Valentia *punct.* 1, § 3, Suarez *disp.* 3, *sect.* 1, et alii plures. Probatur breviter quoad primam partem; nam virtutis essentia consistit in eo, quod sit dispositio perfecti ad optimum : sed charitas est hujusmodi : ergo est virtus secundum essentiam. Major continet diffinitionem essentialem omnis virtutis, traditam a Philosopho 3, *Physic. cap.* 3, in quo nomine *dispositionis*, significatur ratio habitus, seu qualitatis permanentis; et per ly *perfecti*, significatur potentia ut constituta per ipsam virtutem; et denique per ly *ad optimum*, significatur actus absolute perfectus circa suam materiam, ut explicuimus *tractatu* 12, *disp.* 1, *n.* 69. Minor autem facile constat; nam charitas est qualitas permanens, sicut et gratia, in qua radicatur : deinde perficit voluntatem in seipsa, et denique elicit actum valde perfectum in propria materia, cujusmodi est amor Dei super omnia. Quæ satis liquent ex præcedentibus disputationibus.

D. Tho. Bannez. Aragon. Malder. Arauxo. Ferre. Valent. Suar. Fundamentum assertionis quoad primam partem. Aristot.

Confirmatur ex D. Thom. *in præs.* quoniam virtus est essentialiter habitus eliciens actum attingentem regulam rationis : sed habitus charitatis elicit actum attingentem supremam rationis regulam : ergo est essentialiter virtus. Minor probatur, et declaratur; nam regula humanorum actuum duplex est : alia homogenea, sive ejusdem rationis, quam attingunt actus virtutis acquisitæ; alia vero heterogenea, sive superioris ordinis, quam attingunt actus virtutis infusæ : atqui actus charitatis attingit hanc superiorem regulam; siquidem nos conjungit Deo ultimo fini, in ordine ad quem attenditur omnis regulatio, et rectitudo mediorum : ergo habitus charitatis elicit actum attingentem regulam rationis.

Duplex objectio.

2. Sed objicies *primo* : nam amor naturalis Dei super omnia est actus honestus, et attingens regulam rationis; et tamen ad eum eliciendum non ponitur specialis aliqua virtus superaddita voluntati, siquidem non datur habitus charitatis naturalis : ergo licet amor supernaturalis Dei super omnia sit actus honestissimus, non oportet quod ad eum eliciendum detur specialis virtus, seu habitus charitatis. *Secundo*, quia amicitia non est virtus, sed aliquid consequens virtutem, ut tradit D. Thom. *in præs. q.* 23, *art.* 3 *ad* 1, sed charitas est essentialiter amicitia, ut statuimus *disp.* 1, *dub.* 3. Ergo charitas non est virtus.

D. Tho.

Aliquorum responsio ad primam objectionem. Suar. Lorca.

Ad primam objectionem respondent Suarez *ubi supra*, Lorca *disp.* 4, et quidam ali negando minorem; existimant enim dari specialem charitatis virtutem acquisitam ad eliciendum amorem naturalem Dei super omnia. Quod sibi persuadent : tum quia ille amor, si repetatur, debet aliquem habitum generare, ut in aliis actibus honestis contingit. Tum quia sicut actus co-

lendi Deum authorem naturalem est honestus, et afferens specialem difficultatem; ita etiam actus amandi Deum finem naturalem : sed præter religionem infusam, quæ colit Deum supernaturalem auctorem, ponitur specialis virtus religionis acquisitæ, quæ exhibeat cultum Deo naturali Authori : ergo præter charitatem infusam admittenda est virtus charitatis acquisitæ, quæ eliciat amorem Dei super omnia ut authoris, et finis naturalis. Et juxta hanc doctrinam retorqueri potest objectio; nam si pro eliciendo amore naturali Dei super omnia ponitur specialis virtus; a fortiori debet admitti ad eliciendum supernaturalem amorem.

Rejicitur. D. Tho. 3. Sed prædicta doctrina falsa est, et contra D. Thom. 1, *p. q.* 62, *art.* 2 *ad* 3, *et* 1, 2, *q.* 109, *art.* 3 *ad* 1, *et in* 3, *dist.* 27, *q.* 2, *art.* 3 *ad* 5, in quibus locis aperte docet, aut supponit, non dari talem virtutem. Et ratio a priori desumitur ex his, quæ diximus *tract.* 8, *disp.* 4, *a n.* 20, ubi statuimus habitum convertentem voluntatem ad ultimum finem debere esse superioris, aut æqualis virtutis cum eadem voluntate; aliter enim non potest voluntatem totaliter, et adæquate eidem fini subjicere. Omnis autem habitus acquisitus est inferior voluntate, siquidem comparatur ad illam ut pars, et effectus ad causam æquivocam. Unde nullus habitus acquisitus potest voluntatem convertere ad ultimum finem, sive (et idem redit) habere talem finem pro objecto. Quod ibidem fusius ostendimus. Cum ergo habitus ad eliciendum amorem naturalem Dei finis naturalis super omnia dilecti converteret voluntatem ad ultimum finem, sequitur talem habitum esse impossibilem.

Accedit, quod prædictus habitus non daret posse voluntati ad illum actum; siquidem voluntas ex seipsa habet sufficientes vires, et inclinationem ad eum eliciendum, ut late ostendimus *tractatu* 14, *disputatione* 2, *dub.* 4. Nec requireretur ad tollendam aliquam difficultatem; nam hæc non oritur ex defectu inclinationis voluntatis ad talem finem, sed ex passionibus eam inclinationem retardantibus, ut satis aperte docet D. Thom. *locis supra relatis.* Unde posito, quod passiones temperentur, et per alias virtutes reducantur ad medium rationis, nullam difficultatem habet voluntas in eliciendo prædictum amorem; atque ideo non oportet adjicere voluntati tertiam aliam virtutem a cæteris diversam.

D. Tho.

Ad hæc, virtus adquisita sicut non comparatur unico actu, sed pluribus; ita nec deperditur per unicum actum contrarium, sed per plures; et ideo si daretur virtus adquisita ad amandum Deum finem ultimum naturalem, talis virtus non destrueretur per unicum peccatum mortale. Ex quo ulterius fieret, quod homo existens in peccato, et habitualiter aversus a Deo fine ultimo, maneret habitualiter conversus in Deum ultimum finem; quod est impossibile, ut ostendimus *tract.* 8, *disput.* 4, *dub.* 2, *et tract.* 14, *disput.* 2, *dub.* 4, *et tract.* 15, *disp.* 2, *dub.* 4, § 3.

Fundamenta responsionis convelluntur. Nec motiva contraria urgent. Non *primum;* quia per actus procedentes a potentia habente, quantum est de se, sufficientem inclinationem, et determinationem ad illos, nullus generatur habitus, sed ad summum inducitur quædam facilitas ex remotione impedimentorum extrinsecorum. Et hac de causa licet quis repetat actus ridendi, nullum generat habitum : et licet homo sæpius amet seipsum, nullam generat virtutem; quia ad hunc amorem habet ex parte voluntatis sufficientem determinationem, et inclinationem, ut ex professo ostendimus *tract.* 12, *disp.* 2, *dub.* 3. Cum ergo ex naturali inclinatione magis diligat Deum, quam seipsum, ut explicuimus *tract.* 14, *disp.* 2, *dub.* 4, non oportet, quod per actus diligendi Deum ut ultimum finem naturalem, producat in se aliquam virtutem. Præsertim cum talis virtus repugnet, ut supra ostendimus. Nec *secundum* urget; nam ad diligendum Deum finem naturalem super omnia, datur sufficiens inclinatio, et determinatio ex parte voluntatis; unde superfluum est adjicere pro illo actu specialem virtutem. Cæterum circa legitimum Dei cultum non datur hujusmodi determinatio, cum possit esse defectuosus vel per defectum, vel per excessum, ut tradit D. Thom. infra, *quæst.* 81, *art.* 5 *ad* 3; unde opus est, quod verus, et legitimus Dei cultus correspondeat speciali virtuti determinanti voluntatem circa illum. Quæ diversitas vel ex eo colligitur, quod ad eliciendum amorem Dei finis naturalis super omnia, sufficit ex parte intellectus ipsum lumen naturale absque alia virtute; ad exhibendum autem Deo legitimum cultum requiritur ex parte intellectus virtus specialis prudentiæ, quæ determinet quando, ubi, et quomodo debeat talis cultus exhiberi.

D. Tho.

4. Ad

Legitima objectionis solutio.

4. Ad objectionem ergo *num.* 2 proposi-tam respondetur omittendo præmissas, et negando consequentiam. Ratio autem disparitatis constat ex proxime dictis; nam voluntas habet ex se vires, inclinationem, et sufficientem determinationem ad diligendum Deum finem naturalem super omnia. Cæterum ad eliciendum amorem supernaturalem charitatis, non habet ex se vires, neque determinationem. Et ideo opus est, quod ipsi pro tali actu eliciendo virtus charitatis superaddatur.

Prima ad secundam objectionem responsio. D. Tho.

Ad secundam possumus respondere negando majorem, quia satis probabile est, etiam in via D. Thom. amicitiam inter homines fundatam in communicatione honesti esse specialem virtutem ab aliis distinctam. Nec S. Doct. *id lòco cit.* negat, sed utramque partem ut probabilem proponit Unde ex Thomistis sic docent Aragon, *ibidem*, § *Circa solutionem ad primum*, et Arauxo *in resp. ad.* 3, *pro secunda sententia*. Et ex extraneis idem tuentur Buridanus *in suis Ethicis, lib.* 8, *quæst.* 3, Henricus *quodlib.* 10, *quæst.* 12, et Suarez *disput.* 3, *sect.* 5, *num.* 5, cum aliis. Ex qua opinione magis roboratur nostra, et communis assertio : nam si amicitia naturalis inter homines potest esse specialis virtus, non est cur id negemus charitati, quæ est excellentior amicitia hominis ad Deum.

Aragon. Arauxo.

Buridan. Henric. Suar.

Melior solutio. D. Tho.

Sed respondetur secundo, et melius, admittendo antecedens; probabilius enim censemus, et D. Thom. magis conforme, quod amicitia inter homines non est specialis virtus. Tum quia licet S. Doctor utramque partem eo loco ut probabilem proposuerit; nihilominus in hanc, quam posteriori loco proposuit, sapis aperte inclinavit his verbis : *Potest tamen dici, quod non est virtus per se ab aliis distincta.* Et postea : *Amicitia,* inquit, *virtuosa magis est aliquid consequens ad virtutem, quam sit virtus.* Quod adhuc expressius docet *in* 3, *dist.* 27, *quæst.* 2, *art.* 2 *ad* 1, *et quæst.* 2, *de virtutibus, art.* 2 *ad* 1. Idemque tuentur nobiliores discipuli, Capreol. *dist. cit. quæst. unic. ad argumenta contra* 1 *conclus.* ex Cajet. et Bannez *in præs.* Tum etiam, quia certum est, non quamlibet amicitiam humanam, utputa fundatam in communicatione utilis, aut delectabilis, esse virtutem; sed solum potest dubitari de illa, quæ fundatur in communicatione honesti. Hæc autem suppositis virtutibus, in quibus fundatur, nullam importat specialem difficultatem ex parte objecti, distinctam ab illa, quæ correspondet virtutibus. Et ita non oportet, quod sit virtus specialis, sed sufficit, quod sit quædam extensio virtutum, quatenus temperatus v. g. non solum vult temperate vivere, sed etiam id amat in aliis, et propterea cum temperatis specialiter communicat. Et hinc sumitur ratio disparitatis inter amicitiam humanam, et charitatem; nam hæc addit specialem difficultatem excedentem naturalem vim, et determinationem voluntatis creatæ, et ita debet esse virtus specialis. Quam differentiam assignavit D. Thom. *loc. cit.* his verbis : « Non enim habet, » scilicet humana amicitia, « rationem laudabilis, et honesti, « nisi ex objecto, secundum scilicet quod « fundatur super honestate virtutum. « Quod patet ex hoc, quod non quælibet « amicitia habet rationem laudabilis, et « honesti, sicut patet in amicitia delecta- « bilis, et utilis. Unde amicitia virtuosa « magis est aliquid consequens ad virtu- « tem, quam sit virtus. Nec est simile de « charitate, quæ non fundatur super vir- « tutem humanam, sed super virtutem « divinam. »

D. Tho.

Secunda assertionis pars ostenditur.

5. Secunda vero nostræ, et communis assertionis pars, nempe charitatem, licet remissam, et conjunctam passionibus, habere statum virtutis, probatur brevi, sed efficaci ratione : nam virtus dicitur habere non solum essentiam, sed etiam statum virtutis, vel quia conjungitur aliarum virtutum choro, vel quia dominatur vitiis, et passionibus contrariis, vel quia attingit ultimum finem, vel denique ob hæc omnia capita simul sumpta; neque enim amplius desiderari potest ad virtutis statum, ut de aliis habitibus, cum dicuntur esse in statu virtutis, facile constat : sed charitas, licet minima sit, et conjuncta passionibus, ac vitiis, habet omnes has perfectiones : ergo habet non solum essentiam, sed etiam statum virtutis. Probatur minor; nam in primis charitas conjungitur omnibus aliis virtutibus, siquidem nunquam infunditur sine gratia, quam illæ comitantur; et ideo semper habet cæteras virtutes annexas, ut tradit D. Thom. 1, 2, *quæst.* 65, *art.* 3. Deinde dominatur toti supposito, cum convertat illud ad Deum ultimum finem dilectum super omnia; atque ideo comprimit, et sub se habet vitia, et passiones, ne in ejus præsentia prorumpant in actus, quibus avertant ab illo fine : unde minima chari-

D. Tho.

tas sufficit ad resistendum vehementibus tentationibus, et ad superandas omnes difficultates, ut Docet D. Thom. 3 *part. q.* 62, *art.* 6 *ad* 3. Tandem per seipsam attingit ultimum finem, cum illum habeat pro objecto sibi specialiter correspondente, ut constat ex dictis *disp.* 1, *per totam.* Nihil ergo deest charitati, licet minimæ, et passionibus permixtæ, ut habeat perfectum statum virtutis.

D. Tho.

Confirmatio prima. Joan. 1.

Confirmatur primo; nam 1 *Joan. cap.* 2, dicitur : « Qui servat verbum ejus, in hoc « charitas Dei perfecta est. » Et cap. 4. « Si « diligamus invicem, Deus in nobis manet, « et charitas ejus in nobis est perfecta. » Sed ad servandum verbum Dei, et ad diligendum invicem minima charitas sufficit; fieri enim non potest, quod quis habeat vel minimam charitatem, et quod non servet legem Dei, et diligat proximum. Ergo minima charitas habet statum perfectionis, et consequenter virtutis.

Secunda.

Confirmatur secundo; nam cæteræ virtutes dicuntur habere virtutis statum ex informatione charitatis, quatenus ab ea participant ordinem ad ultimum finem, ut infra *dub.* 3, declarabimus ; qua ratione fides sine charitate dicitur informis, et mortua ; conjuncta vero charitati appellatur formata, et viva, ut explicat D. Thom. supra, *quæst.* 4, *art.* 3, 4 *et* 5. Sed quælibet minima charitas importat per se prædictum ordinem, cum tota ejus ratio sita sit in eo, quod convertat ad Deum finem ultimum supernaturalem dilectum super omnia : ergo quælibet charitas, etsi minima, et passionibus, aut vitiis permixta, habet statum virtutis.

D. Tho.

Objectio.

6. Sed objicies : nam de ratione virtutis quoad statum est prompte, faciliter, et delectabiliter operari : sed vehementes passionum motus, et vitia, quæ ex præcedentibus actibus generantur, et per justificationem non excluduntur, solent impedire, ne charitas prompte, faciliter, et delectabiliter operetur, ut experientia liquet : ergo charitas non semper habet statum virtutis.

Propter hanc objectionem Lorca *in notis ad art.* 3, *num.* 6, non reputat inconveniens concedere, quod charitas, dum eas difficultates patitur, non sit virtus secundum statum. Sed immerito, et contra communem sententiam Theologorum, quam rationes supra factæ satis evincunt.

Solutio.

Respondetur ergo objectioni, quod major applicanda est virtutibus acquisitis ; hæc quippe non requiruntur ad simpliciter posse, sed ad operandum prompte, et delectabiliter ; et ideo non assequuntur virtutis statum, nisi ob repetitionem plurium actuum (qui habitus contrarios expellunt), eam promptitudinem, et facilitatem in propria materia inducant. Virtutum autem infusarum status non sic explicandus est, sed per dominium supra objectum, et eorum quæ in illo sunt, quatenus illud convertunt ad Deum finem ultimum, et secum non permittunt aversionem ab illo, sed cuncta ipsi habitualiter saltem subjiciunt. Quod quia quælibet charitas habet, merito dicitur habere statum virtutis. Id quod liquet in Apostolo, qui rebellionem carnis contra rationem experiebatur, et molestam adeo, ut de illa conquereretur ; et tamen nemo negabit charitatem in Apostolo statum virtutis habuisse.

Addimus illas difficultates, quas existentes in charitate solent experiri, esse extrinsecas, et circa objecta diversa, et inferioris ordinis; unde non tollunt, quod charitas, quantum est de se, faciat subjectum prompte, et delectabiliter operari circa proprium objectum ; quod satis, superque est ad perfectum statum virtutis infusæ.

§ II.

Posterior dubii pars absolvitur.

Observatio.

7. Ut secundam dubii partem expediamus, animadvertendum est, quod ex diversis capitibus potest intelligi multiplicatio charitatis. *Primo*, si dicatur unam charitatem requiri ad diligendum Deum, et aliam ad diligendum proximum, saltem non ex motivo bonitatis increatæ, sed ratione bonitatis creatæ supernaturalis, ut in ipso existentis. *Secundo*, si dicatur aliam esse virtutem charitatis infusæ ad diligendum Deum ultimum finem supernaturalem; et aliam esse virtutem charitatis naturalis, seu adquisitæ ad diligendum Deum ultimum finem naturalem. *Tertio*, si dicatur, aliam esse virtutem charitatis in via ad diligendum Deum non visum ; et aliam esse virtutem charitatis in patria ad diligendum Deum præsentem, et possessum. Sed in priori sensu nequit charitas multiplicari ; nam charitas, quæ est circa Deum, extenditur ad diligendum proximum, quin sit possibilis alia virtus moralis charitatis, quæ proximum ratione bonitatis

nitatis supernaturalis in eo existentis attingat, ut ex professo ostendimus *disp.* 2, *dub.* 4, in secundo etiam sensu non debet multiplicari virtus charitatis, quia nec datur, nec possibilis est virtus naturalis charitatis circa Deum naturalem finem, ut constat ex supra dictis *n.* 3. Unde difficultas reducitur ad ultimam considerationem, utrum videlicet sit eadem virtus charitatis in via, et in patria. Quæ difficultas potest adhuc dupliciter proponi, nempe an charitas viæ evacuetur per charitatem patriæ, et cesset in statu beatitudinis; et utrum licet charitas viæ permaneat in patria, debeat ibidem superaddi nova virtus charitatis specie distincta. Et in priori sensu facile apparet

1. ad Cor. 13. pars negativa ex Apost. 1, ad Corinth. 13: « Charitas nunquam excidit, sive prophetiæ « evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive « scientia destruetur. » Quibus verbis diserte pronuntiat, charitatem qua Deum nunc diligimus, per gloriam non evacuari. Nec valet dici, ideo charitatem non exidere, quia alia illius loco subrogetur specie distincta; quoniam in hoc sensu neque evacuaretur fides, aut alia cognitio imperfecta, siquidem loco earum succedit scientia beatifica. Quod tamen contradicit

Apostol. intensionem Apostoli, qui verbis proxime relatis adjungit: « Ex parte enim, cognos- « cimus, et ex parte prophetamus. Cum au- « tem venerit quod perfectum est, evacua- « bitur quod ex parte est. » Unde oportet catholice fateri, quod habitus charitatis modo existens in via, perseveret postea in patria. Et ideo duntaxat disputandum relinquitur, an in statu beatitudinis detur alia charitas specie distincta, ac proinde multiplicetur ex hac parte virtus charitatis. His suppositis.

Secunda conclusio. 8. Dicendum est secundo, non dari in statu beatitudinis charitatem specie distinctam ab ea, quæ modo datur in via; et consequenter virtutem charitatis non multiplicari, sed esse unicam in specie. Secunda assertionis pars constat ex prima, et ex proxime prænotatis. Primam vero docet

D. Tho. D. Thom. 1, 2, *quæst.* 67, *art.* 6, et *quæst.* 111, *art.* 3 *ad* 2, et *in* 3, *dist.* 31, *quæst.* 2, *art.* 2, et alibi sæpe. Cui subscribunt magis

Bannez. Arauxo. Ferre. Joan. a S. Tho. Medina. Suarez. Vasq. communiter Theologi, Bannez *in hac* 2, 2, *q.* 24, *art.* 8, ubi Arauxo *dub.* 3, Ferre *quæst.* 8, § 1, Joan. a S. Thom. *tom.* 1, *in* 1, 2, *disp.* 2, *art.* 3, § *Nec secunda solutio*, et *art.* 7, *circa finem*, Medina 3 *p. quæst.* 29, *art.* 3, Suarez *disp.* 3, *sect.* 3, Vazquez 3 *part. disp.* 24, *cap.* 3, Torres *in præs. disp.* 77, *dub.* 6, Lorca *disp.* 18, Oviedo *controv.* 1, *puncto* 4, et alii plures.

Torres. Lorca. Oviedo.

Probatur ratione Divi Thomæ, quia circa idem objectum formale nequeunt multiplicari specie virtutes, cum harum specifica distinctio desumatur ob objecto, ut explicuimus *tr.* 14, *disp.* 3, *dub.* 3, sed si in patria darentur duæ charitates specie diversæ, attingerent idem objectum formale : ergo in patria non dantur duæ virtutes charitatis, sed solum una charitas, ea videlicet quæ fuerat in via. Major, et consequentia constant. Minor autem probatur, quia objectum formale charitatis modo existentis in via, est Deus in seipso sub ratione summi boni, ut constat ex dictis *disp.* 2, *fere per totam*, et præcipue *dub.* 2. Sed charitas patriæ nequit habere aliud objectum terminativum, aut motivum : ergo si in patria dantur duæ charitates specie diversæ, attingent idem objectum formale.

Fundamentum D. Tho.

9. Confirmatur primo, quia omnis actus primarius charitatis est ejusdem speciei in via, et in patria : ergo omnis virtus charitatis est ejusdem speciei. Consequentia patet; nam habitus specificantur ab actibus, et objectis, et propterea impossibile est, multiplicari virtutes, ubi repugnat multiplicari actus primarios illarum. Antecedens autem probatur, quia omnis actus primarius charitatis habet hoc, quod sit amor Dei ultimi finis dilecti super omnia, et in hoc adæquata ejus ratio consistit : ergo impossibile est, quod dentur plures actus primarii charitatis specie distincti.

Confirmatio.

Respondebis, prædictos actus ex eo distingui, quod amor charitatis in via est liber, et in patria necessarius : in via regulatur cognitione obscura, et in patria cognitione clara : in via attingit Deum ut bonum absens, et in patria ut bonum præsens. Quæ sufficientia sunt ad constituendam differentiam specificam inter eos actus, et consequenter ut charitas viæ, et charitas patriæ distinguantur specie per habitudinem ad tales actus eis differentiis affectos.

Confutatur.

Sed hoc facile refellitur; nam prior differentia solum infert diversitatem in esse moris, non autem in esse physico; nam idem specie actus quandoque est liber, et quandoque necessarius, ut satis ex se liquet. Duæ autem posteriores differentiæ sunt prorsus accidentales amori charitatis considerato secundum speciem; hic enim non movetur a visione, vel obscuritate, a præ-

sentia, vel absentia objecti; sed cum sit amor amicabilis Dei, tendit in ipsum secundum se, et ratione summæ bonitatis, quam habet in seipso : unde sive objectum sit absens, sive præsens, et sive clarum, sive obscurum, semper retinet eandem speD Tho. ciem, ut optime docuit D. Thom. *loco cit. ex* 1, 2, his verbis : « Quando imperfectio ali« cujus rei non est de ratione speciei ip« sius, nihil prohibet idem numero, quod « prius fuit imperfectum, postea perfectum « esse, sicut homo per augmentum perfi« citur, et albedo per intensionem. Charitas « autem est, de cujus ratione non est ali« qua imperfectio, potest enim esse et ha« biti, et visi, et non visi. Unde charitas « non evacuatur per gloriæ perfectionem, « sed eadem numero manet. » Si autem ferri in Deum sub ratione non visi, et non præsentis, esset de ratione specifica charitatis, quæ modo est in via, non posset non evacuari per visionem, et præsentiam objecti, quod est satis aperte contra Apostol. ut *n.* 7 ponderavimus. Signum ergo est, prædictas differentias visi, et non visi, præsentis, et non præsentis, esse accidentarias, et præter speciem propriam amoris charitatis.

Roborat. idem motivum. 10. Confirmatur secundo eadem ratio evertendo amplius prædictam responsionem : quoniam diversæ specie cognitiones tunc solum inferunt diversitatem formalem in objecto voluntatis, atque ideo differentiam specificam in actibus illud attingentibus, qaando applicant diversam rationem formalem objectivam, nempe differentem bonitatem ; aliter enim diversitas cognitionis per accidens se haberet ad D. Tho. prædictum effectum, ut tradit D. Thom. *quæst.* 22, *de Verit. art.* 4 *ad* 1, et *quæst.* 25, *art.* 1 *ad* 6. Sed per cognitionem fidei, et per cognitionem gloriæ proponitur eadem ratio formalis objectiva, nempe summa bonitas, qua Deus est perfectus in seipso, et amabilis super omnia : ergo prædictæ cognitiones non inferunt diversitatem formalem in objecto charitatis, nec differentiam specificam in actibus illud attingentibus. Videantur quæ diximus *tract.* 9, *disp.* 1, *a num.* 63.

Objectio. Sed objicies : nam dona distinguuntur essentialiter a virtutibus circa eandem materiam, ex eo quod ad actus virtutum movet ratio nostra, ad actus vero donorum movet inspiratio divina, ut expresse tradit D. Thom. infra, *q.* 68, *art.* 1. Unde actus v. g. fortitudinis regulatus per rationem nostram, distinguitur in specie ab actu fortitudinis facto ex instinctu Spiritus sancti : ergo sufficit diversitas ex parte cognitionum, ut actus amoris per eas regulati distinguantur in specie ; et consequenter amor charitatis regulatus per fidem distinguetur specifice ab actu charitatis regulato per lumen gloriæ.

Respondetur, quod licet dona, et virtutes Solvitur. possint versari circa eandem materiam materialiter sumptam, semper tamen attingunt illam sub diversa ratione formali, quia dona illam attingunt secundum eam convenientiæ rationem quæ excedit communes regulas prudentiæ etiam infusæ, ut explicuimus *tract.* 12, *in arb. virt. numero* 7. Unde mirum non est, quod dona et virtutes infusæ distinguantur essentialiter, eo plane modo, quo licet virtutes infusæ, et acquisitæ attingant aliquando eandem materiam, distinguuntur in specie ; quia acquisitæ attingunt illam ut regulatam per conformitatem ad finem naturalem ; et infusæ ut regulatam per habitudinem ad supernaturalem finem : quæ diversitas inducit differentiam formalem objectivam, ut diximus *in eodem tract. disp.* 3, *dub.* 1. Fides autem, et visio non proponunt diversas rationes formales motivas charitatis, sed eandem Dei bonitatem. Unde non oportet, quod charitas consequens fidem distinguatur in specie a charitate, quæ sequitur visionem; sed accidit charitati, quod ejus objectum credatur, aut videatur in seipso.

§ III.

Refertur opinio secundæ assertioni contraria.

Opinia adversa. Scot. Lychet. Pithigia. Almain. Cajet. Capreol. D. Tho. Primum argumentum. D. Tho. 11. Contra præcedentem assertionem sentiunt Scotus *in* 3, *dist.* 31, *quæst. unica*, Lychetus *ibidem*, Pithigianus *quæst. unica*, *art.* 3, Almainus *quæst.* 1, *dub.* 3, et alii. Quibus ex Thomistis suffragari videntur Cajet. 1 *part. quæst.* 82, *art*, 2, et Capreol. *in* 1, *dist. quæst.* 3 *ad* 3. Quæ opinio potest probari primo ex D. Thom *in hac* 2, 2, *quæst.* 24, *art.* 1, ubi proponit hoc argumenntum : si charitas viæ posset in infinitum augeri, posset adæquare charitatem patriæ, quod est inconveniens. Cui sic occurrit : « Ad primum dicendum, quod ra« tio illa procedit in his, quæ habent quan« titatem ejusdem rationis ; non autem in his.

« his, quæ habent diversam rationem « quantitatis : sicut linea quantumcunque « crescat, non attingit quantitatem super- « ficiei. Non est autem eadem ratio quanti- « tatis charitatis viæ, quæ sequitur cogni- « tionem fidei ; et charitatis patriæ, quæ « sequitur visionem apertam. Unde ratio « non sequitur. » Sentit ergo D. Thom. charitatem viæ, et charitatem patriæ esse diversæ rationis specificæ, sicut specie differunt linea, et superficies.

Diluitur. Respondetur negando consequentiam, quæ longe divertit a mente S. Doctoris. Non enim negat essentiam charitatis viæ adæquare essentiam charitatis patriæ, neque quod charitas viæ valeat habere intensionem æqualem intensioni charitatis patriæ, ut *dub.* 4, declarabimus. Sed tantum intendit, quod perfectio charitatis viæ non possit adæquare perfectionem charitatis patriæ quantum ad ea, quæ charitati conveniunt ratione status, eo quod charitas viæ est in statu amissibili; charitas vero patriæ est in statu inamissibili, et consummato : et secundum hoc dicit, quod habent quantitatem diversæ rationis, et quod prior nequit adæquare secundam. Sicut si diceremus, quod puer, et vir habent perfectionem diversæ rationis, et quod puer manens puer, quantumcunque crescat, nequit adæquare perfectionem viri. Cæterum sicut hoc non evincit, quod puer, et vir differant secundum speciem, sed solum quod habeant status diversos : ita neque illa diversitas probat distinctionem specificam inter charitatem viæ, et charitatem patriæ, sed solam differentiam statuum, et unius supra alterum excessum. Quod, et non amplius, intendit D. Thom. declarare exemplo lineæ, et superficiei.

D. Tho.

Secundum argumentum. 12. Arguitur secundo : nam quæ consequuntur principia proxima specie distincta, debent specie distingui ; qua ratione proprietates consequentes naturam equi, et naturam leonis, specie differunt : sed charitas viæ et charitas patriæ consequuntur principia proxima specie diversa : ergo charitas viæ, et charitas patriæ distinguuntur in specie. Probatur minor ; nam charitas viæ dimanat a gratia mediante fide, et charitas patriæ dimanat a gratia mediante lumine gloriæ : constat autem, quod fides, et lumen gloriæ differunt essentialiter.

Enodatur. Respondetur mojorem solum verificari in his, quæ consequuntur principia proxima specie distincta, quatenus distinguantur ; secus vero, si ad illa sequantur, quatenus unum quid sunt in officio radicis, ut patet in sensu visus, qui consequitur naturas specie diversas, non quatenus diversæ sunt, sed quatenus conveniunt in aliquo prædicato, ad quod visus sequitur, utputa in ratione animalis perfecti. Et valde probabile est, omnes intellectus Angelorum esse ejusdem speciei, licet dimanent a naturis specifice distinctis ; quia dimanant ab eis, non quatenus distinguuntur, sed quatenus omnes conveniunt in gradu substantiæ spiritualis completæ, qui licet sit genericus in esse entis, est tamen ultimus, et specificus in munere radicandi intellectum. Et idem proportionabiliter contingit in præsenti ; nam charitas non respicit ut principium proximum fidem, et lumen gloriæ, secundum quod distinguuntur inter se, sed quatenus conveniunt in hoc, quod proponunt objectum proprium, et specificativum voluntatis, nempe infinitam Dei bonitatem in seipso.

Adde, quod si hoc argumentum esset alicujus efficaciæ, probaret non solum dari in patria charitatem specie distinctam ab ea, quam modo habemus in statu viæ ; sed etiam quod hæc evacuaretur in patria : siquidem supponitur per se dependere a fide, quæ conjungi non valet cum statu beatitudinis. Hoc autem quam absurdum sit, constat ex supra dictis *num.* 7.

Tertium argumentum. 13. Sed contra arguitur tertio : nam impossibile est, quod per fidem, et lumen gloriæ apprehendatur, et proponatur idem formaliter objectum : ergo charitas consequens fidem, et charitas consequens lumen gloriæ attingunt objecta formaliter diversa, atque ideo distinguuntur specie. Consequentia patet, et antecedens suadetur : tum quia objectum fidei est creditum, objectum vero luminis est visum : creditum autem, et visum formaliter distinguuntur. Tum etiam, quia objectum fidei est absens sub ratione absentis, cum fidei notitia sit abstractiva ; objectum vero luminis est præsens sub ratione præsentis, siquidem visio est notitia intuitiva : sed absens sub ratione absentis, et præsens sub ratione præsentis sunt objecta formaliter distincta : ergo impossibile est, quod fides, et lumen gloriæ apprehendant, et proponant idem formaliter objectum.

Confirmatio D. Tho. Confirmatur, quia ut D. Thom. 1 *part.* *q.* 80, *art.* 2, docet : « Differentiæ appre- « hensi sunt differentiæ appetibilis ; unde « potentiæ appetitivæ distinguuntur secun-

« dum differentiam apprehensorum, sicut « secundum propria objecta. » Sed certum est, fidem et lumen gloriæ importare apprehensiones essentialiter distinctas : ergo charitas consequens fidem distinguitur essentialiter a charitate, quæ consequitur lumen gloriæ. Et urgetur amplius ; nam quia appetitus sensitivus sequitur sensum, et appetitus rationalis sequitur intellectum; et sensus, et intellectus distinguuntur essentialiter in apprehendendo, et proponendo objectum appetitus ; propterea appetitus sensitivus, et rationalis distinguuntur in specie : sed charitas viæ sequitur fidem, charitas vero patriæ sequitur lumen ; et fides, et lumen differunt essentialiter : ergo charitas viæ, et charitas patriæ distinguuntur specie.

Satisfit argumento.

Respondetur argumento distinguendo antecedens, illudque concedendo de identitate formali objecti, ut specificat fidem, et lumen gloriæ ; sed negari debet intellectum de identitate objecti in ordine ad actum, aut habitum voluntatis. Fieri enim optime potest, quod cognitiones specie differentes proponant voluntati idem objectum formale, sicut cognitio humana, et angelica Dei ultimi finis naturalis specie differunt, cum attingant illud objectum cum diversa abstractione, et immaterialitate ; et tamen proponunt idem formaliter objectum voluntati, siquidem amor naturalis Dei super omnia ejusdem speciei est in Angelo, et homine. Et ratio a priori est, quia licet nihil sit volitum, quin præcognitum ; tamen non oportet, quod eadem sit ratio *sub qua*, vel motivum amandi, et cognoscendi ; intellectus enim attingit objectum quia verum, et voluntas quia bonum : intellectus trahit ad se res, et voluntas fertur ad illas. Unde illa ratio, quæ se habet per se ad actum intellectus, potest se habere de materiali ad actum, et habitum voluntatis. Et ita accidit in præsenti, nam rationes visi, et non visi se habent per se in ordine ad notitiam claram, et obscuram ; et tamen sunt accidentales respectu amoris, qui fertur per se ad summum bonum in se, sive videatur, sive non. Unde ad *primam* antecedentis probationem, quatenus potest huic doctrinæ opponi, respondetur objectum charitatis non esse visum, ut visum ; neque esse non visum, ut non visum ; sed esse summum bonum, quod videtur, aut creditur : et ratio summi boni, quoquo modo cognoscatur, movet ad eundem specie amorem. Ad *secundam* dicimus, notitiam abstractivam, et intuitivam attingere idem bonum, licet prior connotet illud absens, et posterior connotet illud præsens. Sed hæc differentia est prorsus accidentalis respectu amoris, qui fertur in bonum ratione summæ bonitatis, quam habet in se, non vero ratione absentiæ, vel præsentiæ.

Occurritur confirmationi.

Ad confirmationem respondetur, differentiam apprehensi tunc inferre differentiam appetibilis, et appetitus, quando apprehensio proponit diversam rationem formalem motivam appetitus, secus vero si eandem rationem repræsentet, ut explicat D. Thom. *locis num.* 10 *relatis*. Id autem non verificatur in nostro casu, quia fides, et lumen gloriæ proponunt eandem bonitatem motivam charitatis, siquidem id modo credimus, quod videbimus postea. Unde patet ad difficultatis augmentum ; nam sensus nequit apprehendere nisi bonum particulare, et intellectus potest apprehendere bonum universale : particulare autem bonum, et universale bonum important diversas rationes formales de linea appetibilis, et ideo ad sensum, et intellectum sequuntur appetitus specie diversi.

Quartum argumentum.

14. Arguitur quarto, quia idem habitus nequit esse principium permanens amandi libere, et amandi necessario : sed charitas viæ est principium permanens amandi libere, et charitas patriæ est principium permanens amandi necessario : ergo charitas viæ, et patriæ non sunt idem habitus. Minor, et consequentia constant. Major autem probatur, quia ita se habent amare libere, et amare necessario, sicut assentire libere, et assentire necessario : sed repugnat, quod idem habitus sit principium permanens assensus liberi, et assensus necessarii : ergo idem habitus nequit esse principium amandi libere, et amandi necessario.

Confirmatio.

Confirmatio, quia amor liber Dei, et amor necessarius Dei, quales sunt amores viæ, et patriæ, distinguuntur essentialiter : ergo et habitus illis correspondentes. Consequentia patet, tum a paritate, tum quia habitus specificatur per ordinem ad actus sibi primario correspondentes. Antecedens autem probatur, quia repugnat quod idem specie actus sit satiativus, et non sit satiativus voluntatis ; sicut implicat quod eadem specie forma satiet, et non satiet materiam primam : sed amor liber Dei, qualem habemus in via, non satiat voluntatem ; amor autem necessarius Dei, qualis est in patria,

voluntatem

voluntatem satiat perfecte : ergo prædicti amores distinguuntur essentialiter.

Diluitur argumentum. Ad argumentum respondetur eundem habitum non posse habere rationem principii permanentis ad amandum libere; et amandum necessario, si respiciat per se primo, et ratione sui modos libertatis, et necessitatis in actibus : posse autem eundem habitum respicere per se primo amorem, cui vel ex parte subjecti, vel ex aliis capitibus accidat esse necessarium, aut liberum ; quia tunc hæc differentia in actibus reperta non respicitur ab habitu, nec terminat ejus inclinationem primariam. Et sic accidit in nostro casu ; nam charitas non recipit per se primo nisi amorem amicabilem Dei, cui accidit esse liberum ob absentiam objecti non determinantis voluntatem ; aut necessarium ob ejus præsentiam : et in hoc sensu negamus majorem. Ad cujus probationem iterum neganda est major, quia liberum, et necessarium sunt differentiæ accidentales respectu amoris amicabilis, ut modo vidimus ; sed possunt esse differentiæ per se, et essentiales respectu cognitionis, et habituum intellectualium. Nam verum non visum movet ad assensum fidei, qui liber est ; ubi autem evidenter apparet, movet ad assensum scientiæ, qui necessarius est. Cumque repugnet fides, et scientia circa idem objectum, ut vidimus *tract.* 17, *disputat.* 3, *dub.* 2, fieri non potest, quod idem habitus sit principium assensus liberi et assensus necessarii.

Solvitur confirmatio. 15. Ad confirmationem respondetur negando majorem intellectam de distinctione essentiali quoad substantiam amoris, et secundum tendentiam specificam in objectum; hæc enim eadem est in via, et in patria, licet amor Dei pro his statibus importet modos intrinsecos essentialiter distinctos : nam in via dicit respectum ad principium agens cum indifferentia, et in patria habitudinem ad principium omnino determinatum ; qui respectus distinguuntur ab operatione, et sunt extra speciem illius, juxta ea quæ diximus *tract.* 10, *disput.* 2, *a num.* 80, et *tract.* 11, *disput.* 1, *dub.* 2. Unde sicut quia modi libertatis, et moralitatis sunt extra speciem, quam habent actus nostri in esse physico, potest idem specie actus quandoque esse liber, et quandoque necessarius ; quandoque bonus, et quandoque malus, ut ostendimus *locis cit. et tract.* 11, *disp.* 6, *dub.* 2, ita idem in specie amor charitatis potest esse liber in via, et necessarius in patria. Ad probationem autem majoris dicendum, ad lineam, et speciem amoris non pertinere, quod satiet, aut non satiet voluntatem, cum amor non sit apprehensivus, et possessivus objecti : qua ratione *tract.* 9, *disp.* 1, *a num.* 58, ostendimus nostram beatitudinem formalem non consistere in actu amoris. Dicitur autem amor patriæ satiativus, quia sequitur ad visionem Dei, qua est formalis possessio summi boni satiantis voluntatem. Unde differentia ex hac parte desumpta est accidentalis respectu amoris amicabilis considerati secundum speciem ; nam sic acceptus fertur in bonum secundum se, et præscindit a possessione. Per quod patet ad exemplum probationi insertum ; nam forma per seipsam, et ratione sui actuat materiam : unde quæ ita actuat, ut satiet appetitum, nequit non essentialiter distingui a forma, quæ materiam insatiatam relinquit ; et ita se habent forma cœlestis, et sublunaris. Quamvis possit etiam satis probabiliter dici, ad hanc differentiam in satiando sufficere diversitatem ex parte modi actuandi materiam, sicut eadem anima rationalis modo non satiat appetitum materiæ, nec constituit corpus incorruptibile, et tamen in beatitudinis statu illam satiat, et hoc constituit. Quod magis confirmat veritatem nostræ assertionis.

Objectio, et solutio. 16. Sed dices, hinc fieri, quod non solum permaneat in patria idem numero habitus charitatis, et idem actus amoris quoad speciem ; sed etiam idem numero amor, qui fuerat in via.

Respondetur ad veritatem nostræ assertionis sufficere, quod remaneat idem amor quoad speciem, sive continuetur idem numero actus, sive non. Primum est satis probabile, et potest confirmari ex iis, quæ diximus locis *num. præced.* relatis, et *tract.* 9, *disput.* 1, *num.* 63, et sic contigisse de facto in Beata Virgine, probabilissimum censet Suarius *disp.* 3, *sect.* 3, *num.* 2. Suar.

Posterius etiam non levem habet probabilitatem, et defenditur a Joan. a S. Thom. *tom.* 1, *in* 1, 2, *disp.* 2, *art.* 7, *circa finem*, et *disp.* 3, *art.* 2 § *Ex quo patet*, et *disput.* 11, *art.* 1 § *Dicimus ergo*. Quod non oritur ex eo, quod objectum specificativum amoris varietur essentialiter in patria ; sed ex eo, quod variantur modi in tali amore reperti, qui cum vitales sint, debent procedere a principio intrinseco per aliquem novum Joan. a S. Tho.

influxum, et hic est novus actus. Quamvis et hoc motivum queat non obscure dilui ex his, quæ diximus locis supra relatis. Sed major hujus rei discussio ad veritatem nostræ assertionis non refert.

DUBIUM II.

Utrum charitas sit simpliciter perfectior, quam fides.

Hanc difficultatem alii aliter proponunt
D. Tho. cum D. Thom. *in præs. quæst.* 23, *artic.* 6, videlicet, utrum charitas sit excellentissima virtutum ? Unde occasionem arripiunt comparandi charitatem cum pluribus virtutibus in particulari. Sed major claritas rei conciliabitur, si fiat specialis comparatio cum fide, indeque apparebit, quid circa alias virtutes dicendum sit. Oportet autem præmittere id, in quo omnes Theologi conveniunt.

§ I.

Præsupponenda in hoc dubio.

Nota I. 17. Dupliciter possunt duæ virtutes comparari in perfectione : primo in esse moris, et sub conceptu proprio virtutis : secundo in esse entis, et absolute, et simpliciter. Illa autem virtus dicitur perfectior moraliter, et in esse virtutis, quæ majorem præstat subjecto rectitudinem, quatenus ipsum magis subdit regulæ rationis, et facit approximare ad ultimum finem, qui est principium totius bonitatis moralis. Illa vero dicitur perfectior in esse entis, et absolute, quæ tendit in objectum perfectius in esse objecti ; nam cum habitus specificetur ab objecto, eo ipso sortitur nobiliorem speciem, et constituitur per altiorem differentiam ; atque ideo eminet in esse entis, quamvis subjecto non conferat tantam bonitatem moralem. Qua distinctione utitur
D. Tho. D. Thom. 1, 2, *quæst.* 66, *art.* 3, et ea supposita, resolvit virtutes morales perficientes appetitum esse perfectiores in esse virtutis, quam habitus perficientes intellectum, istos vero illas antecedere simpliciter, et in esse entis. Quod ibidem tuentur communiter Thomistæ. Unde cum agimus de excessu charitatis supra fidem, potest comparatio fieri vel moraliter, et sub expressione virtutis, vel absolute, et in esse entis, et quoad speciem essentialem.

Charitas est melior fide in esse virtutis.

18. Si ergo comparatio fiat inter has virtutes in esse virtutis, et quoad perfectionem moralem, omnino tenendum est, charitatem esse perfectiorem. Quod communiter docent omnes Catholici, et probatur primo testimoniis sacræ Scripturæ, quæ saltem hunc excessum manifeste evincunt. Nam Apostolus 1, *ad Corinth.* 12, relatis
1 ad Cor. 12 et 13. pluribus donis, et gratiis gratis datis, concludit : *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.* Et statim inchoat caput 13, demonstrando hanc viam esse charitatem : *Si linguis*, inquit, *hominum loquar, et Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens.* Et proposito excessu hujus virtutis
Probatur authoritate. super alias, et qualiter omnium perfectiones eminenti quodam modo contineat, veniensque ad virtutes theologicas, ait : *Nunc autem manent fides, spes, charitas ; tria hæc : horum autem major est charitas.* Et *ad Co-*
Ad Colos. 3. *loss.* 3, postquam exhortatus illos fuerat ad omnium virtutum opera, adjecit : *Super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Quibus aperte significat excessum charitatis supra fidem, et alia dona, saltem moralem, et in esse virtutis.

Confirmatur ex unanimi consensu Sanctorum Patrum sic intelligentium Apostolum, et prædicantium eminentiam charitatis supra fidem. D. Irenæus *lib.* 4, *cap.*
D. Iren. Origen. D. Chry. 63, Origenes *homil.* 2 *in Cant.* D. Chrysost. *homil.* 40 *in actus Apost. et serm. de convers. Pauli*, D. Hieronym *ad Gal.* 5 *et lib.* 2,
D. Hier. D. Amb. *contra Rufinum in principio*, D. Ambros. *serm.* 26, *in ps.* 113 *et epist.* 74, D. August.
D. Aug. *lib. de Genes ad litteram, cap.* 7 *et serm.* 35 *de tempore et serm.* 50 *de verbis Domini*, D. Gregor. *hom.* 27 *in Evangel.* D. Prosper *lib.*
D. Greg. D. Pros. D. Bern. *de vita contemplativa, cap.* 13, D. Bernard. *lib. de diligendo Deo*, D. Thom. *ad loca cit. Pauli, et in præs. art.* 6 *et* 1, 2, *q.* 66, *art.* 6. et alii innumeri, quorum verba, ut prolixitatem vitemus, non damus : sufficiat audire Irenæum ubi supra : « Præcipuum
D. Iren. « dilectionis munus, quod est pretiosius, « quam agnitio, gloriosius autem, quam « prophetia, omnibus autem reliquis cha- « rismatibus supereminentius. » Et Augst. *lib.* 15 *de Civit. Dei, cap.* 18, inquit :
D. Aug. *Nullum est isto dono excellentius.* Et in sententiis a Prospero collectis, *num.* 377, ait :
D. Pros. *Quanta est charitas ? quæ si desit, frustra habentur cætera ; si adsit, habentur omnia.*

19. Probatur deinde ratione demonstrativa

Ratio suppositionis. tiva desumpta ex sacra Scriptura : nam præcepta debent regulari secundum virtutes, quarum actus imperant : sed primum, et maximum præceptum est præceptum charitatis : hæc igitur est maxima virtutum, saltem moraliter, et in esse virtutis. Matth. 22. Probatur minor ex illo Matth. 22 : « Interrogavit eum unus ex eis legis doctor, « tentans eum : Magister, quod est mandatum magnum in lege? Ait illi Jesus : « Diliges Dominum Deum tuum ex toto « corde tuo, et in tota anima tua, et in tota « mente tua. Hoc est maximum, et primum mandatum. Secundum autem simile est huic : diliges proximum tuum « sicut te ipsum. In his duobus mandatis « universa lex pendet, et Prophetæ. » Quasi omnia quæ lex, et Prophetæ præscribunt, ordinentur ad charitatem, sicut 1 ad Tim. 1. etiam Apostol. significavit 1, *ad Timoth.* 1, dicens : *Finis autem præcepti est charitas.* Unde nequit non supereminere aliis virtutibus. Qua ratione solet in Scriptura, ut Matth. 25. Genes. 1. *Matth.* 25, significari per oleum, quod aliis liquoribus supernatat : et *Genes.* 1, significata est per spiritum, qui ferebatur super aquas.

Roboratur. Confirmatur, quia virtus, quatenus importat rectitudinem, diffinitur : *Quæ bonum facit habentem, et opus ejus perfectum reddit.* Sed charitas meliorem facit habentem, et opus ejus perfectius reddit, quam faciat, et reddat fides, aut alia virtus : ergo charitas est perfectior fide, et aliis virtutibus, saltem moraliter, et in esse virtutis. Probatur minor : tum quia charitas attingit Deum sub ratione ultimi finis super omnia dilecti, secundum quam rationem est principium totius rectitudinis moralis ; aliæ autem virtutes hanc rationem non attingunt, nisi ex influxu, et imperio charitatis, ut infra videbimus *dub. seq.* Tum etiam, quia aliæ virtutes, si charitati non associentur, sunt mortuæ, et informes ; charitas vero nequit vita, sive ordine ad ultimum finem privari. Tum quia aliorum virtutum opera secundum substantiam accepta possunt congungi cum statu peccati mortalis, in quo homo nequit esse perfectus : actus autem charitatis nequit cum peccato componi, cum ab eo avertat convertendo hominem ad Deum ultimum finem, cui omnia subjicit, ut ostendimus *tract.* 15, *disput.* 2, *dub.* 3. Quas est alias differentias, maximamque charitatis perfectionem significavit D. Joan. 1 Joan. 1. *in* 1, *cap.* 4, illis verbis : *Deus charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.* Nec oportet in hac veritate confirmanda immorari, quæ a fortiori constabit ex dicendis pro assertione.

20. Sed objicies primo : nam ideo prudentia est perfectior in esse virtutis, quam virtutes morales, quia proponit illis objectum, et regulat earum actus : sed fides eodem modo comparatur ad charitatem : ergo fides est perfectior in esse virtutis, quam charitas. Objectio.

Confirmatur ; nam id, per quod aliquis operatur, est illo inferius, ut patet in ministro, et instrumento comparatis domino, et agenti principali : sed fides operatur per charitatem, ut dicitur *ad Galat.* 5. Ergo charitas est imperfectior fide in esse virtutis. Galat. 5.

Ad objectionem respondetur ex D. Thom. *loco supra cit ex* 1, 2, *in resp. ad* 1, ubi ait : « Dicendum quod hoc modo non se « habet fides ad charitatem, sicut prudentia ad virtutem moralem, et hoc propter « duo. Primo quidem, quia virtutes theologicæ habent objectum, quod est supra « animam humanam : sed prudentia, et « virtutes morales sunt circa ea, quæ sunt « infra hominem ; in his autem, quæ sunt « supra hominem, nobilior est dilectio, « quam cognitio ; perficitur enim cognitio « secundum quod cognita sunt in cognoscente ; dilectio vero secundum quod diligens trahitur ad rem dilectam : id autem quod est supra hominem, nobilius « est in seipso, quam sit in homine, quia « unumquodque est in altero per modum « ejus, in quo est : e converso autem est in « his, quæ sunt infra hominem. Secundo » (et est evidentior disparitas), « quia prudentia moderatur motus appetitivos ad « virtutes morales pertinentes : sed fides « non moderatur motum appetitivum tendentem in Deum, qui pertinet ad virtutes theologicas ; sed solum ostendit objectum. Motus autem appetitivus in objectum excedit cognitionem humanam, « secundum illud ad Ephes. 3 : Supereminentem scientiæ charitatem Christi. » Dilnitur. D. Tho.

Confirmationem diluit S. Doct. *in præs.* q. 23, *art.* 6, *resp. ad* 2, his verbis : « Dicendum quod fides non operatur per dilectionem, sicut per instrumentum, ut « dominus per servum, sed sicut per formam propriam. » Participat enim a charitate ordinem ad Deum ultimum finem, per quem ordinem formatur, vivit, et ten- D. Tho.

dit ad prædictum finem, ut declarabimus *dub. seq.* Unde magis elucet charitatis perfectio, siquidem comparatur ad fidem, sicut forma ad materiam, et sicut perfectio ad suum perfectibile.

Secunda objectio. 21. Objicies secundo : nam infidelitas est peccatum gravius, quam odium Dei : ergo fides est virtus perfectior in esse virtutis, quam charitas. Consequentia patet, quia perfectiori virtuti opponitur gravius peccatum, et imperfectiori minus grave. Antecedens vero suadetur, tum ex D. Thom. supra, *q.* 10, *art.* 3, ubi resolvit infidelitatem esse peccatum omnium gravissimum. Tum quia gravitas peccati sumitur ex aversione a Deo : sed homo magis a Deo avertitur per infidelitatem, quam per odium ipsius ; siquidem Deum odio habens potest illum respicere per fidem, et per aliquam piam affectionem (sine qua fides nunquam existit); infidelis vero nullo modo respicit Deum : ergo infidelitas est peccatum gravius, quam odium Dei.

Solutio. D. Tho. Respondetur negando antecedens ; nam ut inquit D. Th. infra, q. 34, art. 2 : « Affectus peccati consistit in aversione a Deo. « Hujusmodi autem aversio rationem culpæ non haberet, nisi voluntaria esset. « Unde ratio culpæ consistit in voluntaria « aversione a Deo. Hæc autem voluntaria « aversio a Deo per se quidem importatur « in odio Dei ; in aliis autem peccatis quasi « participative, et secundum aliud. Sicut « enim voluntas per se inhæret ei quod « amat : ita secundum se refugit id, quod « odit. Unde quando aliquis odit Deum, « voluntas ejus secundum se ab eo avertitur. Sed in aliis peccatis, puta cum aliquis fornicatur, non avertitur a Deo secundum se, sed secundum aliud, in « quantum scilicet appetit inordinatam delectationem, quæ habet annexam inordinationem a Deo. Semper autem id, quod « est per se, est potius eo, quod est secundum aliud. Unde odium Dei inter alia « peccata est gravius. » Ad primam autem probationem in contrarium respondetur, S. Doctorem eo loco non concludere excessum infidelitatis super omnia peccata, sed D. Tho. infert : « Unde manifestum est, quod peccatum infidelitatis est majus omnibus « peccatis, quæ contingunt in perversitate « morum. Secus autem est de peccatis, quæ « opponuntur aliis virtutibus theologicis, « ut infra dicetur, » nempe loco proxime relato. Secundæ vero probationi occurrit idem S. Doctor *loco citato in resp. ad* 2, his verbis : « Dicendum quod infidelitas non « habet rationem culpæ, nisi in quantum « est voluntaria. Et ideo tanto est gravior, « quanto est magis voluntaria. Quod autem « sit voluntaria, provenit ex hoc, quod ali- « quis odio habet veritatem, quæ proponi- « tur. Unde patet, quod ratio peccati in in « fidelitate sit ex odio Dei, circa cujus veri- « tatem est fides. Et ideo sicut causa est « potior effectu, ita odium Dei est majus « peccatum, quam infidelitas. » Et pia affectio ad fidem requisita solum est amor simplex, et secundum quid ; non quidem Dei, alias non posset componi cum ejus odio, sed boni repromissi.

Tertia objectio. 22. Objicies tertio : nam beatitudo supernaturalis hujus vitæ consistit formaliter in actu fidei : hæc igitur est perfectior in esse virtutis, quam charitas. Consequentia est legitima ; nam beatitudo in quocumque statu debet esse perfectissima operatio perfectissimæ virtutis : ergo si beatitudo hujus vitæ non consistit formaliter in actu charitatis, sed in actu fidei, sequitur actum, et habitum charitatis. Antecedens vero probatur, tum ex Scriptura; nam Petro ob assensum fidei dicitur Matth. 16 : *Beatus es Simon Barjona, quia caro, et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, etc.* Matth. 16. Et *Joan.* 17, dicitur : *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.* Joan. 17. Quem locum de beatitudine viæ, et de cognitione fidei interpretantur Cyprianus, Hilarius, Ambrosius, Chrysostomus, N. Cyrillus, et alii Patres. Cyprian. Hilarius. Ambros. Chrysos. N. Cyril. Tum etiam, quia beatitudo hujus vitæ debet esse inchoatio futuræ beatitudinis ; hæc autem non consistit in amore, sed in cognitione Dei in seipso : ergo beatitudo hujus vitæ debet consistere formaliter in cognitione Dei, quæ in hac vita est actus fidei. Quod satis expresse affirmat D. Thom. infra, *quæst.* 180, *art.* 4, *et* 1, 2, *quæst.* 2, *art.* 5. D. Tho

Diluitur. Respondetur ex dictis *tract.* 9, *disp.* 1, *a num.* 112, duplicem beatitudinem supernaturalem in hac vita distinguendam esse : aliam per modum dispositionis, et meriti ad consequendam beatitudinem perfectam alterius vitæ : alteram per modum participationis formalis, licet imperfectæ, et inadæquatæ. Prior non consistit in actu fidei, sed in actu charitatis, a qua est omnis virtus, et efficacia ad consequendum ultimum finem, quem ipsa habet ut objectum proprium, et quem aliæ virtutes attingunt

ex

ERT'S COLLEGE LIBRARY

ex imperio, et influxu illius. Et hoc sufficit, ut charitas cæteras virtutes antecellat moraliter, et in ratione virtutis. Posterior ratio consistit in actu fidei, qui cum cognitio sit, possidet aliquo modo Deum cognitum, in quo convenit analogice cum beatitudine perfecta futuræ vitæ. Et in hoc sensu concedimus antecedens, et negamus consequentiam. Cujus probatio non urget : tum quia ad summum evincit excessum actus fidei supra actum charitatis in esse entis, et quoad speciem, non vero moraliter, et in ratione virtutis. Tum quia nec prædictum excessum evincit, quia licet in beatitudine perfecta coincidant ratio possessionis summi boni, et ratio perfectissimæ operationis ; non tamen in supernaturali beatitudine imperfecta hujus vitæ. Præsertim cum ex terminis non sit idem aliquid esse perfectissimum, et esse possessionem ultimi finis : qua de causa beatitudo animæ Christi Domini non consistit in modo unionis hypostaticæ, sed in actu intellectus, licet ille sit perfectior isto.

His suppositis circa comparationem charitatis, et fidei moraliter, et in esse virtutis, veniamus jam ad resolutionem præcipuæ difficultatis.

§ II.

Eligitur communior sententia, et fulcitur authoritate D. Thomæ.

Conclusio.

23. Dicendum est, charitatem esse fide perfectiorem simpliciter, in esse entis, et quoad speciem essentialem. Hanc conclusionem docent Sancti Patres locis *num.* 18 relatis, dum absolute, et sine restrictione pronuntiant, charitatem esse excellentissimam omnium virtutum, et eminere supra fidem. Eam etiam defendunt communiter discipuli D. Thom. *in præs. ad* 6, ubi Cajet. et Pannez, Aragon, et Arauxo *dub. unico*, dicens oppositum non posse sustineri sine temeritate, et periculo errandi. Gonet. *disp.* 10, *art.* 5 *concl.* 2. Et idem docent 1, 2, *q.* 66, *art.* 6. Ubi Medina, et Gregor. Martinez, Godoy *tract. de Beatitudine disp.* 5, § 5, *n.* 51, Joan. a S. Thom. *disp.* 2, *art.* 4, § 5. *Ad secundam probationem, et disp.* 18, *art.* 2, *in resp. ad* 3, et *in lib. de anima q.* 12, *art.* 5, § *Ad tertium*, et alii Thomistæ. Quibus consentiunt Scotus *in* 3, *dist.* 33, *quæst. unica*, § *Ad primum concedi potest*, Castillo, *disp.* 3, *q.* 3, cum omnibus Scotistis, Lorca *in præs. disp.* 10, Malderus *art.* 6, Suarez *disp.* 3, *sect,* 1, *concl.* 3, Torres *disp.* 66, *dub.* 4, *concl.* 4, Bonæspei *disp.* 1, *dub.* 2, et alii plures.

Cajet. Bannez Aragon. Arauxo. Gonet. Medina Greg. Martin. Godoy. Joan. à S. Tho.

Scot. Castillo Lorca

Malder. Suar. Torres. Bonæsp.

Probatur primo ex D. Thom. *in præsent. art.* 6, ubi inquirit : *An charitas sit excellentissima virtutum ?* Et respondet affirmative. Et 1, 2, *quæst.* 66 : inquirit : *Utrum charita sit maxima inter virtutes theologicas ?* Et etiam respondet affirmative. Et *quæst. unica de charitate, articulo* 2, concludit corpus articuli his verbis : *Sic igitur patet, quod charitas non solum est virtus, sed potissima virtutum.* Quæ testimonia sunt adeo clara, ut quantum capimus, evidens nobis sit, Angelicum Doctorem tenuisse nostram, et communem assertionem.

Roboratur ex D. Tho.

D. Tho.

24. Illis tamen occurrit Ferre infra referendus dicendo D. Thom. loqui de excessu charitatis supra fidem secundum considerationem theologicam, non vero secundum considerationem metaphysicam ; nam Theologus contemplatur virtutes secundum quod magis, aut minus cum Deo conjungunt, et homines rectificant : metaphysicus vero illas considerat per habitudinem ad excellentius, aut inferius objectum in esse objecti, ex quo sortiuntur speciem. Et quia fides licet tendat in nobilius objectum in esse objecti, atque ideo sit perfectior simpliciter, et in esse entis ; nihilominus minus unit cum Deo, minusque hominem rectificat, quam charitas ; propterea D. Thom. resolvit theologice charitatem esse perfectiorem fide.

Effugium. Ferre.

Sed hoc effugium potest multipliciter prædudi, et efficaciter confutari. *Primo*, quia D. Thom. locis citatis proponit absolute hanc quæstionem, et nullam adhibendo distinctionem penes perfectiorem in esse entis, aut in esse moris, in consideratione theologica, aut metaphysica resolvit absolute charitatem esse perfectiorem : ergo sentit charitatem esse simpliciter perfectiorem nedum moraliter, et secundum theologicam considerationem, sed etiam in esse entis, et secundum considerationem metaphysicam. Patet consequentia, quia ex opposito fieret, D. Thom. valde diminute, et obscure processisse in hujus difficultatis resolutione, quod dici non valet sine injuria tanti Doctoris. *Secundo*, quia excessus in esse entis, et secundum considerationem metaphysicam, est excessus simpliciter ; excessus vero moralis, et secundum considerationem theologicam solum est excessus secundum quid, ut loquitur ipse Ferre :

Præcluditur. D. Tho.

D. Tho.

Ferre.

D. Tho. ergo dum D. Thom. inquirit absolute, an charitas sit perfectior fide et aliis virtutibus, inepte resolveret charitatem esse perfectiorem, si sentiret esse minus perfectam metaphysice, et in esse entis, atque ideo simpliciter; sed deberet concludere oppositum. Nam resolutio, sicut et loquutio absoluta, respicit ea, quæ sunt talia simpliciter, non vero secundum quid.

Tertio, quia falsum prorsus est, quod theologica consideratio non attendat ad virtutes secundum differentias essentiales, et per habitudinem ad objecta specificativa,

D. Tho. easque ita comparet inter se. Nam D. Thom. cum Theologum perfectissimum agat tam in 1, 2, ubi tractat de virtutibus in communi, quam in hac 2, 2, ubi de illis in speciali disserit, earum species, differentias, habitudines, objecta, et perfectiones acutissime contemplatur, et describit. Ergo sine fun-

D. Tho. damento dicitur D. Thom. resolvisse hanc quæstionem solum secundum considerationem moralem, et theologice, quasi aliena sit a consideratione theologica resolutio metaphysica. Immo vero quia theologice, hoc est, profunde, et attentis hinc inde omnibus motivis, tam fidei, quam Metaphysicæ, resolvit absolute charitatem esse perfectiorem, palam evincitur, quod juxta S. Doctoris mentem charitas sit simpliciter perfectior. Quod sic declaratur. Inquirit D.

D. Tho. Thom. 1, 2, quæst. 66, art. 3 : *An virtutes morales præmineant intellectualibus ?* Ad

Ferre. hanc quæstionem, ut discurrit Ferre, deberet S. Doctor absolute respondere affirmative, quia virtutes morales sunt perfectiores moraliter, et in esse virtutis; magis enim rectificant, et Deo conjungunt, quam intellectuales, quamvis istæ sint simpliciter perfectiores in esse entis, atque ideo simpliciter. At nobilissima illa mens longe aliter se gessit, præmisit enim distinctionem specificam desumptam ex objecto, et rectitudinem moralem repertam in actu, et con-

D. Tho. clusit : *Simpliciter loquendo virtutes intellectuales, quæ perficiunt rationem, sunt nobiliores quam morales, quæ perficiunt appetitum.* En qualiter non omittat distinctionem inter considerationem moralem, et metaphysicam : en quomodo metaphysice resolvit habitus intellectivos esse simpliciter perfectiores. Cur ergo tractans, an charitas sit aliis virtutibus perfectior, discutiensque hanc difficultatem, non semel, sed iterum, atque iterum, nec obiter, sed ex professo ; cur, inquam, non resolvit juxta illam Adversariorum distinctionem? Cur absolute profert charitatem esse omnium virtutum excellentissimam ? Profecto quia sentit charitatem non solum moraliter et theologice, sed etiam metaphysice, specifice, et attentis omnibus esse perfectiorem.

Urgentior ejusdem evasionis confutatio. D. Tho.

25. Cæterum ne ad hæc motiva, quæ in communi proposita non ita urgent, videamur confugere, introspiciamus ipsa testimonia, quæ satis manifestant D. Thomam quæstionem resolvisse attentis differentiis specificis virtutum, detulisseque charitati primatum simpliciter talem. Nam loco citato ex hac 2, 2, excessum hunc infert ex perfectiori modo attingendi objectum, ex quo sumitur species virtutis, et concludit : « Et ideo charitas est excellentior fide, et « spe, et per consequens omnibus aliis vir- « tutibus : sicut etiam prudentia, quæ « attingit rationem secundum se, quam « aliæ virtutes morales, quæ attingunt ra- « tionem secundum quod ex ea medium « constituitur in operationibus, vel passio- « nibus humanis. » Ubi ponderandum est,

D. Tho. tum quod D. Thom. indiscriminatim charitati defert excessum supra fidem, spem, et omnes alias virtutes : cum ergo prædictus excessus supra spem, et alias virtutes sit excessus simpliciter, et in esse entis, sequitur quod eundem excessum tribuat charitati supra fidem, alias valde æquivoce,

D. Tho. et obscure loqueretur. Tum quod S. Doctor affirmat charitatem ita excedere fidem, spem, et alias virtutes, sicut prudentia excedit virtutes morales ; hæc autem excedit simpliciter, et quoad speciem : quocirca eundem excessum tribuit charitati supra virtutes.

D. Tho. Accedit quod S. Doctor in 1 argumento proponit argumentum metaphysicum, cui præcipue innituntur Adversarii, ut evincant excessum simpliciter fidei supra charitatem, et est hujusmodi : « Altioris poten- « tiæ altior est virtus, sicut et operatio : « sed intellectus est altior voluntate, quia « dirigit ipsam : ergo fides, quæ est in in- « tellectu, est excellentior charitate, quæ est « in voluntate. » Ubi aptus locus occurre-

D. Tho. bat, ut S. Doctor concederet excessum simpliciter talem, sive specificum fidei supra charitatem, et suam assertionem restringeret ad excessum charitatis supra fidem moraliter, et in esse virtutis, ut Adversarii discurrunt. Quod tamen non fecit, sed in absoluta resolutione persistens iterum adjecit : *Et ideo charitas est excellentior fide.*

Sensit

Sensit ergo S. Doctor, charitatem esse fide excellentiorem, non solum moraliter, et sub expressione virtutis, sed simpliciter, et in esse entis.

26. Non minùs perspicuus est locus rela- D. Tho. tus ex 1, 2, nam D. Thom. ibidem probat excessum charitatis supra fidem, et spem eo, quod supposita omnium convenientia in attingendo idem objectum terminativum, Deum videlicet in seipso, charitas excedit in modo attingentiæ ob majorem unionem cum Deo; excessus autem desumptus ex modo attingendi objectum est specificus, cum habitus sortiantur speciem juxta modum, quo suum objectum attingit. Deinde D. Tho. proponit primum argumentum : « Fides « comparatur ad charitatem, sicut virtus « intellectualis ad moralem : sed virtus « intellectualis est major morali, ut ex « dictis » (videlicet art. 3), « patet : ergo « fides est major charitate. » In eo autem loco docuerat, virtutes intellectuales esse habitus perfectiores simpliciter, et quoad speciem. Unde aptissima occasio offerebatur S. Doctori, ut eundem excessum concederet fidei supra charitatem, sicut Adversarii illo argumento convicti concedunt; et tamen longe aliter se gessit negando Nota. majorem. Et ut robur hujus testimonii magis prænat Adversarios, attendi debet contextus totius illius quæstionis, quæ inscribitur, *De æqualitate virtutum*. Nam in omnibus fere articulis distinguit S. Doctor excessum simpliciter desumptum ex objecto specificativo, et alios excessus secundum quid ex aliis capitibus desumptos, ut legenti constabit. Unde liquido apparet S. Doctorem non versare eas difficultates pure theologice, aut moraliter, ut Ferre loquitur; sed metaphysice, et attendendo ad specificas virtutum differentias. Cum ergo inquirens, an charitas sit maxima inter virtutes theologicas, resolvat absolute charitatem esse majorem; manifeste evincitur, quod ex ejus sententia sit major simpliciter, et ex parte objecti specificantis. Ponderari etiam debet quod *in art.* 4, inquirit, *an justitia sit præcipua inter virtutes morales?* Et respondet affirmative. Et *artic.* 5, inquirit, *an sapientia sit maxima inter virtutes intellectuales?* Et respondet affirmative. Et *art.* D. Tho. 6, inquirit, *an charitas sit maxima inter virtutes theologicas?* Et respondet affirmative. Sciscitamur ergo ab Adversariis, utrum resolutio D. Thom. in duobus articulis immediate præcedentibus intelligenda sit de excessu secundum quid, et in esse moris, an de excessu simpliciter, et in esse entis? Primum dicere non valent, quia evidenter repugnat veritati, et menti S. Doctoris. Unde obligantur concedere secundum. Cum igitur D. Thom. eodem modo se D. Tho. gerat, loquatur, et resolvat *in art.* 6, immediate sequenti, dum profert charitatem esse fide majorem : sequitur manifeste, vel valde inconsequenter processisse, vel loquntum fuisse de excessu charitatis supra fidem simpliciter, in esse entis, et quoad speciem.

27. Confirmatur primo ex eodem D. Th. Confirmatio. *q. unica de charit. art.* 3 *ad* 17 ubi hæc ha- D. Tho. bet : « Dicendum quod fides præcedit spem, « et spes charitatem ordine generationis, « sicut imperfectum præcedit perfectum, « sed charitas in ordine perfectionis præ- « cedit fidem, et spem. » Ubi eorum verborum tenore concedit excessum charitatis supra fidem, et supra spem : sed certum omnino est, quod charitas est perfectior spe simpliciter, et in esse entis : ergo ex mente D. Th. charitas est simpliciter perfectior, quam fides.

Confirmatur secundo ad hominem contra Alia confirmatio. Ferre : quoniam charitas est perfectior D. Tho. simpliciter, et in esse entis, quam spes, ut sæpe repetit D. Thom. et est per se manifestum : sed spes est perfectior simpliciter, quam fides, ut docet prædictus Author *quæst.* 6, § 9 et 10 et *num.* 38, probat sic sentire D. Thomam : ergo vel S. Doctor sibi contrarius est, vel charitas est perfectior simpliciter, quam fides. Patet consequentia, quia fieri nequit, quod una species excedat essentialiter aliam, et quod non excedat cæteras ista imperfectiores.

Et urgetur hoc trahendo adversarium ad absurdissimum inconveniens, quia si fides esset simpliciter, et in esse entis perfectior charitate, spes excederet charitatem simpliciter, et in esse entis : consequens est intolerabile, et contra communem Theologorum, imo et Catholicorum sensum : ergo fides non est simpliciter perfectior, quam charitas. Sequela ostenditur; nam in adversarii opinione spes est simpliciter perfectior, quam fides : ergo si hæc est simpliciter perfectior, quam charitas, evidenter sequitur de primo ad ultimum, spem esse simpliciter perfectiorem charitate.

Confirmatur, et explicatur tertio, quia in Tertia confirmatio. locis, quæ pro nostra, et communi asser- D. Tho. tione expendimus, tractat D. Th. ex professo, et in terminis præsentem difficulta-

tem, ut ex titulis articulorum liquet; et resolvit absolute, charitatem esse fide perfectiorem. E contra vero nullum adversarii afferunt locum, in quo hanc difficultatem in propriis terminis discutiat, resolvatque fidem esse charitate perfectiorem. Illa enim testimonia, quibus suam opinionem fulciunt, solum comparant intellectum, et voluntatem inter se, quæ est difficultas longe diversa, ut ex dicendis constabit. Ergo stando doctrinæ, et principiis D. Th. charitas est simpliciter perfectior, quam fides. Quod nobis, ut jam diximus, videtur evidens ex testimoniis relatis.

§ III.

Expenditur ratio fundamentalis ex D. Thoma desumpta.

Assertionis fundamentum D. Tho.

28. Probatur secundo eadem assertio ratione, qua utitur D. Thom. in testimoniis supra relatis, et potest sic formari : quoniam ille habitus est perfectior simpliciter, et in esse entis, qui respicit objectum primarium nobilius in esse objecti : sed objectum primarium charitatis est nobilius in esse objecti, quam objectum fidei : ergo charitas est habitus simpliciter, et in esse entis perfectior, quam fides. Consequentia est legitima. Major etiam constat, quia habitus habent speciem per respectum ad objectum primarium ; unde quanto objectum primarium est nobilius in esse objecti, tanto habitus sortitur nobiliorem speciem: sed excessus specificus est excessus simpliciter talis, et in esse entis : ergo ille habitus est perfectior simpliciter, et in esse entis, qui respicit objectum primarium nobilius in esse objecti. Minor autem probatur ; nam objectum constituitur formaliter, et in esse objecti per rationem *sub qua*, sive modum, quo terminat habitudinem potentiæ, vel habitus ipsum respicientis : sed in hoc præstat simpliciter objectum primarium charitatis objecto primario fidei : ergo, etc. Probatur minor, quia ratio *sub qua* charitatis est summa Dei bonitas, qua Deus est perfectus in seipso ; ratio autem *sub qua* fidei est summa Dei veritas, nobis aliquid revelans : sed perfectionem longe majorem explicat summa Dei bonitas, qua Deus est perfectus in seipso, quam summa Dei veritas nobis aliquid revelans, siquidem illa importat cumulum omnium divinarum perfectionum sine restrictione, aut termino; hæc vero solum dicit perfectionem particularis lineæ, et terminatæ ad particularem effectum : ergo ratio *sub qua* objectum charitatis terminat hujus habitudinem est longe perfectior quam ratio *sub qua* objectum fidei illam specificat. Quod optime significavit D. Thom. *in præs. artic.* 6, his verbis : « Semper, id, « quod est per se, majus est eo, quod est « per aliud. Fides autem. et spes attingunt « quidem Deum secundum quod ex ipso « provenit nobis vel cognitio veri, vel « adeptio boni. Sed charitas attingit ipsum « Deum, ut in ipso sistat, non ut ex eo ali- « quid nobis proveniat. Et ideo charitas « est excellentior fide, et spe, et per conse- « quens omnibus aliis virtutibus. » D. Tho.

Confirmatio prima

29. Confirmatur, et declaratur primo : nam ille habitus attingit objectum sub ratione nobiliori, qui illud attingit sub ratione *sub qua* priori, et abstractiori : sed ratio *sub qua* charitas respicit Deum, est purior, et abstractior quam ratio *sub qua* fides illum attingit : ergo charitas respicit objectum sub ratione *sub qua* nobiliori, et consequenter est perfectior secundum speciem, et in esse entis. Utraque consequentia patet ex proxime dictis, et major est certa ; quia puritas, et abstractio est perfectio objecti in esse talis, atque ideo ratio purior, et abstractior nequit non esse ratio *sub qua* objectiva perfectior. Qua ratione probant communiter Thomistæ cum D. Thom. 1 *part. quæst.* 82, *art.* 3, intellectum esse perfectiorem voluntate, quia ratio veri est purior, et abstractior, quam ratio boni. Minor autem suadetur quoad priorem partem, quia ratio *sub qua* charitas Deum respicit, est pure divina, tam in recto, quam in obliquo ; cum nihil aliud sit, quam summa, et sola bonitas, qua Deus est perfectus in seipso : ratio autem *sub qua* fides attingit Deum, licet ex parte recti sit divina, nihilominus essentialiter importat obliquum, et connotatum creatum ; siquidem est testimonium primæ veritatis nobis aliquid revelantis, ubi necessario clauditur et obscuritas, et passiva notitia creata : ergo prior est ratio *sub qua* charitatis, quam ratio *sub qua* fidei. Secunda etiam ejusdem minoris pars ostenditur ; quoniam illa ratio *sub qua* est abstractior, quæ minus determinat objectum in esse objecti ad particulare tempus, conditionem aut statum : sed ratio *sub qua* charitatis importat in hoc minorem determinationem, quam ratio *sub qua* fidei : siquidem hæc determinat ad tempus viæ, et ad D. Tho.

ad conditionem, atque statum non videntium Deum, et propterea nequit permanere in patria, ut vidimus *tract.* 17, *disput.* 3, *dub.* 2; ratio autem *sub qua* charitatis non importat hujusmodi determinationem, sed eadem permanet in omni tempore, et statu, ut ex se liquet, et ostendimus supra *a num.* 8. Ergo ratio *sub qua* charitatis est abstractior, quam ratio *sub qua* fidei.

Confirmatur secundo, et explicatur amplius, qui stante identitate perfectionis ex parte objecti terminativi, ille habitus est censendus simpliciter perfectior, qui magis ad tale objectum accedit, et intimius cum ipso unit; nam eo ipso fertur in objectum cum modo, seu ratione *sub qua* perfectiori : sed fides et charitas attingunt idem objectum terminativum, nempe Deum in seipso; et charitas magis ad ipsum accedit, intimiusque unit cum illo, quam fides : ergo illam excedit simpliciter in perfectione. Minor quoad priorem partem liquet, et supponitur. Quoad secundum vero probatur : tum quia licèt fides specificetur immediate a Deo, nihilominus nequit illum in exercitio attingere, nisi mediante specie creata : charitas autem et specificative, et executive illum immediate attingit. Tum etiam, quia fides ex proprio modo tendendi importat distantiam ab objecto in esse visi, et ideo non cohæret cum visione Dei in se ipso; charitas vero nullam distantiam essentialiter importat, et idcirco componitur cum non visione, et cum visione Dei in seipso. Tum præterea, quia fides excludit possessionem summi boni, eam vero non excludit charitas, sed potius ad eam inclinat, et in ea perficitur. Tum denique, quia fides solum unit cum Deo in ratione objecti cogniti pro statu imperfecto; charitas vero unit cum ipso in ratione objecti amati pro omni statu. Ergo stante identitate perfectionis ex parte objecti terminativi, charitas magis accedit ad tale objectum, et intimius unit cum illo, quam fides. Quæ est doctrina

D. Tho. D. Thom. *loco supra cit. ex* 1, 2 ubi ait :

« Cum tres virtutes theologicæ respiciant « Deum sicut proprium objectum, non po- « test una earum dici major altera ex hoc, « quod sit circa majus objectum; sed ex eo « quod una se habet propinquius ad objec- « tum, quam alia. Et hoc modo charitas « est major aliis; nam aliæ important in « sui ratione quandam distantiam ab ob- « jecto; est enim fides de non visis, spes « autem de non habitis. Sed amor charita- « tis est de eo, quod jam habetur; est enim « amatum quodammodo in amante, et « etiam amans per affectum trahitur ad « unionem amati, propter quod dicitur 1 « Joan. 4 : Qui manet in charitate, in Deo « manet, et Deus in eo. »

30. Respondent authores contrariæ sententiæ, hoc argumentum cum suis confirmationibus solum probare, quod charitas excedat fidem excessu secundum quid, desumpto ex capitibus quæ expendimus; non vero excessu simpliciter, et quoad speciem. Nam hic excessus desumitur ex parte rationis *sub qua*, quæ altior, et nobilior est in fide. Hæc enim cum sit habitus intellectivus, attingit Deum sub ratione veri : charitas vero cum perficiat voluntatem, attingit Deum sub ratione boni. Perfectior autem est ratio veri, quam ratio boni, et constituit objectum excellentius simpliciter in esse objecti. Qua de causa docent communiter Thomistæ, intellectum esse simpliciter nobiliorem voluntate. Evasio.

Sed hæc responsio non elevat vim nostræ rationis : tum quia jam ostendimus, rationem sub qua charitas attingit Deum, esse perfectiorem simpliciter ratione, sub qua fides in illum fertur. Tum etiam, quia licet ratio veri sit perfectior ratio objectiva, quam ratio boni, si cætera sint paria; secus vero si paria non sint, ut contingit in præsenti : nam ut proxime vidimus, ratio boni, sub qua charitas attingit Deum, est perfectior, divinior, purior, et abstractior, quam ratio veri, sub qua fides illum respicit. Tum præterea, quia stat bene, quod verum in communi sumptum, quo pacto specificat intellectum, sit objectum perfectius, quam bonum in communi acceptum, qua ratione specificat voluntatem; et quod nihilominus tale bonum sit perfectius tali vero, potest enim ratione differentiæ specificæ ipsum simpliciter excedere : atqui bonum specificans charitatem non est bonum in communi, sed peculiaris ratio boni, quæ simpliciter excedit peculiarem rationem veri fidei correspondentem, ut jam supra ostendimus; ergo responsio data minime satisfacit. Tum denique; nam ex opposito fieret charitatem esse simpliciter imperfectiorem quolibet habitu intellectivo, v. g. Logica, aut opinione; siquidem charitas attingit objectum sub ratione boni, et Logica sub ratione veri. Consequens autem nullus sanæ mentis admittet. Confutatur.

31. Nec satisfacies, si respondeas cum

Alia evasio. Ferre. Ferre *num.* 27 excessum veri supra bonum in ordine ad specificandum habitum, debere esse intra eundum ordinem, non vero in diversis ordinibus; quia eo ipso, quod bonum sit supernaturale, excedit naturale verum, et potest specificare habitum nobiliorem; et ita accidit in exemplo proxime allato. Verum autem, et bonum specificantia fidem, et charitatem, sunt intra eundem ordinem supernaturalem; et ideo fides est simpliciter nobilior.

Præcluditur. Non, inquam, hoc satisfacit. *Primo*, quia ex hac doctrina jam habemus, quod licet verum in communi sit objectum altius, quam bonum in communi; fieri tamen potest, quod tale bonum excedat in esse objecti tale verum, et specificet habitum nobiliorem, uti comparatur bonum supernaturale ad naturale verum. Ergo pariter non repugnat, quod intra eundem ordinem supernaturalem adeo elevetur aliquod bonum in esse objecti, ut excedat simpliciter verum aliquod ejusdem ordinis sumptum in esse objecti, et consequenter quod specificet habitum nobiliorem; atque ideo corruit præcipuum motivum, quod Adversarii causantur, desumptum ex excessu veri ut sic supra bonum ut sic in ratione objecti. *Secundo*, quia non solum in diversis ordinibus, sed intra eundem ordinem supernaturalem tale bonum potest excedere tale verum, et specificare nobiliorem simpliciter habitum : ergo quod charitas attingat objectum ut bonum, minime impedit, quod sit perfectior simpliciter fidè attingente illud ut verum. Probatur minor, quia donum sapientiæ est habitus supernaturalis intellectivus attingens objectum sub ratione veri supernaturalis; et nihilominus charitas est simpliciter perfectior dono sapientiæ,

D. Tho. ut expresse docet D. Thom. 1, 2, *quæst.* 68, *artic.* 8, ubi resolvit virtutes theologicas esse simpliciter perfectiores, quam dona. *Sicut virtutes*, inquit, *intellectuales præferuntur virtutibus moralibus, et regulant eas: ita virtutes theologicæ præferuntur donis Spiritus sancti, et regulant ea.* Et *in respons. ad* 1, inquit : *Dicendum, quod charitas est virtus theologica, de qua concedimus, quod*

D. Tho. *sit potior donis.* Et *in hac* 2, 2, *quæst.* 9, *artic.* 1 *ad* 3, ait: *Dona sunt perfectiora virtutibus moralibus, et intellectualibus : non sunt autem perfectiora virtutibus theologicis, sed magis omnia dona ad perfectionem theologicarum virtutum ordinantur, sicut ad finem.* Fieri ergo potest, quod intra eundem ordinem supernaturalem habitus attingens objectum sub ratione boni sit simpliciter perfectior habitu attingente objectum sub ratione veri.

Alia responsio. 32. Nec iterum satisfacies, si dicas, charitatem, et donum sapientiæ non terminari ad idem objectum; sed charitatem attingere immediate Deum in seipso, donum autem sapientiæ attingere immediate aliquid creatum; et consequenter mirum non esse, quod ex hac parte charitas excedat simpliciter illud donum. Fides autem, et charitas versantur immediate circa idem objectum *quod.*

Impugnatur. Hoc, inquam, non satisfacit. Nam in primis jam habetur, quod ex eo, quod unus habitus attingat objectum sub ratione veri, non excedat simpliciter alium habitum attingentem objectum sub ratione boni; licet illa ratio signate, et præcisive sumpta sit perfectior ratio objectiva, quam hæc; et consequenter destruitur motivum responsionis Adversariorum. *Deinde*, quod ratio veri, sub qua donum sapientiæ attingit suum objectum, sit minus perfecta, quam ratio boni, sub qua charitas suum objectum attingit, nequit provenire ex eo, quod ratio veri in communi, signate, et præcisive sumpta non sit perfectior ratione boni in communi, signate, et præcisive considerata, sed provenit ex eo, quod tale verum potest esse minus perfectum, quam tale bonum, et constituere objectum minus perfectum in esse objecti. Atqui jam supra ostendimus, rationem talis boni, sub qua charitas respicit Deum, esse simpliciter perfectiorem ratione talis veri, sub qua fides Deum attingit. Ergo quod ratio veri in communi sit perfectior ratio objectiva, quam ratio boni in communi, minime impedit, quod charitas sit habitus simpliciter perfectior, quam fides.

Objectio. 33. Sed objicies : impossibile est, quod species contenta sub genere imperfectiori non sit imperfectior omni specie contenta sub perfectiori genere : sed verum est in ratione objecti perfectius genus, quam bonum : ergo impossibile est aliquod bonum esse perfectius objectum, quam aliquod verum; et consequenter verum, quod est objectum fidei excedit simpliciter bonum, quod est objectum charitatis. Cætera constant, et major suadetur, nam cum genus sit quoddam potentiale determinabile per differentias, eo erit perfectius, quo habet species perfectiores : ergo impossibile est,

quod

quod species contenta sub genere imperfectiori non sit imperfectior omni specie contenta sub perfectiori genere.

Confirmatio. Et confirmatur ; nam habitus perficiunt potentiam circa suum objectum : ergo si intellectus ob eminentiam sui objecti, nempe veri sub ratione veri, est simpliciter perfectior, quam voluntas, omnes, et singuli habitus perficientes intellectum debent simpliciter excedere omnes, et singulos habitus perficientes voluntatem.

Occurritur objectioni. Respondetur negando majorem, cujus falsitas evidenter apparet tum in exemplis supra adductis ; siquidem, ut argumentum supponit, verum in ratione objecti est genus perfectius, quam bonum ; et tamen verum specificans Logicam est simpliciter imperfectius, quam bonum specificans charitatem : et similiter verum specificans dona Spiritus sancti pertinentia ad intellectum, est minus perfectum, quam bonum specificans charitatem, et spem. Tum aliis exemplis ; nam cognoscibile est perfectius genus objecti, quam appetibile ; et nihilominus aliquod appetibile excedit aliquod cognoscibile in ratione objecti : melius quippe simpliciter objectum est appetibile per voluntatem, quam cognoscibile per sensum. Incorruptibile etiam perfectius genus physicum est, quam corruptibile : quo non obstante aliqua species corporis corruptibilis, v. g. homo, excedit simpliciter species corporis incorruptibilis. Tandem, ut alia exempla omittamus, substantia completa est perfectius genus, quam qualitas ; et nihilominus aliqua species qualitatis, utputa gratia sanctificans, est simpliciter perfectior, quam species substantiæ completæ. Et ratio generalis est, quoniam licet genus sit totum potentiale contrahibile per differentias, non tamen constituitur in esse generis per prædictas differentias, aut per formalem earum inclusionem ; sed importat conceptum essentialiter inadæquate diversum, et ex alio principio desumptum. Unde fieri potest, quod unum genus sit perfectius alio, et tamen quod non omnes ejus species sint perfectiores speciebus alterius. Per quod patet ad majoris probationem.

Firmatur responsio. 34. Idque magis perspicuum fiet, si observemus, quod genus v. g. virtutis intellectivæ (et idem proportionabiliter intelligendum est de aliis generibus), potest sumi dupliciter, videlicet primo intentionaliter, quo pacto supponit pro re, quæ denominatur genus ; et secundo intentionaliter, quo pacto importat relationem rationis ad species, ad quas per differentias contrahitur. Et si hoc posteriori modo sumatur, respicit quidem inferiora, sed nequit dici perfectius, aut imperfectius alio genere ; quia prout sic exprimit de formali solam relationem, quæ perfectionem non dicit. Priori autem modo acceptum non respicit inferiora, sed objectum, a quo speciem desumit, et explicat illam rationem tendendi, in quo omnes species negative conveniunt, quatenus per illam non differunt. Et si ejus objectum fuerit perfectius, quam objectum, quod aliud genus specificat, eo ipso excedit in perfectione tale genus, quidquid sit de perfectione specierum, quas primo intentionaliter acceptum nullo modo respicit, nec ab eis speciem sortitur. Et quia verum, quod specificat virtutem intellectivam in genere, est perfectius quam bonum, quod specificat virtutem affectivam in genere, eo quod facta comparatione inter verum sub ratione veri, et bonum sub ratione boni, cæteris paribus, et nullam addendo aliam determinationem, illud est abstractius, et purius objectum, propterea genus virtutis intellectivæ primo intentionaliter sumptum est perfectius genere virtutis affectivæ eodem modo considerato. Sed quia tale bonum in specie ratione suæ differentiæ potest esse perfectius objectum, quam tale verum, et constituere nobiliorem objecti speciem ; idcirco fieri valet, quod peculiaris virtus affectiva sit perfectior, quam alia peculiaris virtus intellectiva, quatenus licet excedatur ex parte generis, quod est velut materia ; excedit tamen simpliciter ratione differentiæ, quæ se habet ad instar formæ in ordine ad constituendam speciem, eo proportionali modo, quo homo exceditur a cœlo ex parte materiæ, sed illud excedit ex parte formæ, atque ideo absolute.

Unde obiter diluitur replica, quam opponit Ferre *n.* 17, et est hujusmodi ; nam sicut differentia specifica addit supra genus, ita differentia individualis addit supra speciem : sed impossibile est, quod individuum speciei inferioris sit simpliciter perfectius, quam individuum speciei superioris : ergo pariter repugnat, quod species imperfectioris generis excedat simpliciter generis perfectioris speciem. Fit satis incidenti objectioni. Ferre.

Diluitur, inquam, facile negando consequentiam ob manifestam disparitatem ; quoniam excessus simpliciter talis debet esse secundum aliquod prædicatum essen-

tiale, non vero secundum illa, quæ sunt extra essentiam rei. Differentia autem individualis est extra rei essentiam, et idcirco nequit conferre ut unum individuum ratione ejus excedat simpliciter aliud. Econtra vero differentia specifica pertinet ad rei essentiam, illamque potissime constituit ; atque ideo species pertinens ad genus inferius potest constitui per differentiam adeo nobilem, ut excedat simpliciter aliquam saltem speciem generis superioris. Et ita accidit in charitate fidei comparata, ob ea quæ supra diximus.

Diluitur confirmatio.

35. Ad confirmationem negamus consequentiam, quæ ex antecedenti minime infertur; nam licet habitus perficiant potentiam in ordine ad suum objectum, semper tamen illud respiciunt sub ratione magis determinata, et ita cum objectum intellectus sit verum sub ratione veri, objectum habitus intellectivi est verum sub ratione talis veri : et cum objectum voluntatis sit bonum sub ratione boni, objectum habitus affectivi est bonum sub ratione talis boni. Quamvis autem facta comparatione inter verum sub ratione veri, et bonum sub ratione boni, illud sit abstractius et excellentius objectum, et propterea intellectus excedat in perfectione voluntatem ; nihilominus tale bonum ratione suæ differentiæ potest excedere tale verum in ratione objecti, ut proxime dicebamus ; et consequenter habitus perficiens voluntatem in ordine ad tale bonum, valet esse perfectior habitu perficiente intellectum in ordine ad tale verum. Quod satis evincunt exempla supra proposita *numero* 30 *et* 33.

§ IV.

Refertur opinio contraria.

Sententia oppositа. M. Herrera. Ferre. Vasq.

36. Fidem esse charitate perfectiorem simpliciter, et in linea entis, docuit sapientissimus M. Herrera *in MS. ad artic.* 6, *hujus quæst.* 23, *dub.* 2. Et eidem opinioni subscripserunt Serra ibidem, *conclus.* 2, Ferre *quæst.* 9, § 2, et Vasquez 1, 2, *disputatione* 11, *cap.* 8, *num.* 43. Nec alium vidimus, qui eam teneat. Illam autem probant primo illius Authores ex D. Thom. 1, *part. quæstione* 82, *artic.* 3, ubi inquirit, an voluntas sit altior potentia, quam intellectus ? Et resolvit intellectum esse simpliciter perfectiorem, eo quod objectum intellectus, nempe verum, est abstractius, et simplicius, quam bonum, quod est objectum voluntatis. Cum ergo objectum fidei sit verum, et objectum charitatis bonum, sequitur quod ex sententia D. Thom. fides sit simpliciter perfectior charitate.

Primum argumentum D. Tho.

Confirmatio prima. D. Tho.

Confirmatur primo, quia S. Doctor ibidem observat : « quod secundum quid, et « per comparationem ad alterum, voluntas « invenitur interdum altior intellectu, ex « eo scilicet, quod objectum voluntatis in « altiori re invenitur, quam objectum in- « tellectus. » Et post pauca subdit : « Quando « igitur res, in qua est bonum, est nobilior « ipsa anima, in qua est ratio intellecta, « per comparationem ad talem rem volun- « tas est altior intellectu. Quando vero res, « in qua est bonum, est infra animam, tunc « etiam per comparationem ad talem intel- « lectus est altior voluntate. Unde melior « est amor Dei, quam cognitio : e contrario « autem melior est cognitio rerum tempo- « ralium, quam amor. Simpliciter tamen « intellectus est nobilior, quam voluntas. » Ubi eo, quod objectum volitum reperiatur in nobiliori re, quam objectum cognitum, affirmat solum inferri excessum secundum quid voluntatis supra intellectum. Constat autem, quod ex hac tantum parte posset charitas excedere fidem, quatenus summa Dei bonitas, quam attingit, invenitur in ipso Deo ; verum autem, quod est objectum fidei, invenitur in intellectu credentis. Ergo ex mente D. Thom. charitas solum secundum quid excedit fidem, sed ab illa exceditur simpliciter.

D. Tho.

Confirmatio secunda.

Confirmatur secundo, quia cum S. Doctor proposuisset tertium argumentum in hunc modum : habitus sunt proportionati potentiis, quas perficiunt : sed charitas, qua perficitur voluntas, est perfectior habitibus perficientibus intellectum : ergo voluntas est altior potentia, quam intellectus, sic respondet : « Dicendum quod illa « ratio procedit de voluntate secundum « comparationem ad id, quod supra ani- « mam est. Virtus enim charitas est, qua « Deum amamus. » Dixerat autem in corpore articuli, quod per comparationem ad id, quod est supra, aut infra animam, solum infertur excessus secundum quid. Sentit ergo, quod charitas solum secundum quid excedit fidem.

D. Tho.

Diluitur argumentum D. Tho.

37. Respondetur ad fundamentum ex D. Thom. desumptum negando consequentiam ; nam illa ratio, qua utitur D. Thom. ut probet intellectum esse voluntate simpliciter

pliciter perfectiorem, non militat in fide, ut charitatem excedat; sed magis ut a charitate simpliciter excedatur. Probat enim S. Doctor suam assertionem ex eo, quod objectum intellectum, nempe verum, est simplicius, et abstractius bono, quod est objectum voluntatis. Cæterum bonum, quod est charitatis objectum, majorem importat abstractionem, et simplicitatem, quam verum, quod est objectum fidei, ut supra *a numero* 29 ostendimus. Unde D. Thom. discursus nostram assertionem probat, et contrariam evertit.

Solvitur prima confirmatio. Ad primam confirmationem fatemur, quod ex discrimine ibidem proposito solum evincitur excessus secundum quid. Et propterea omnis amor rerum superiorum excedit excessu saltem secundum quid quamlibet earum cognitionem habitam in via. Sed charitas non ex hac tantum parte fidem excedit, sed etiam ex parte modi, et rationis *sub qua* attingit objectum, ut loco citato expendimus. Atque ideo habet nobilius objectum in esse objecti, et est perfectior simpliciter.

Occurritur secundæ. Ad secundam respondetur eodem modo; nam ex eo, quod charitas habeat Deum pro objecto, solum sequitur, quod voluntas agens per charitatem attingat suum objectum in re nobiliori. Unde merito respon-
D. Tho. det S. Doctor, inde solum probari excessum secundum quid voluntatis supra intellectum. Cæterum non negat, quod charitas sit perfectior simpliciter fide, sed id potius tacite concedit, cum non neget minorem argumenti: quod faceret, si teneret opinionem nobis contrariam.

Retorquetur vis argumenti D. Tho. Addimus, totum illum articulum posse retorqueri in Adversarios; nam D. Thom. disquirens, an voluntas sit perfectior intellectu, cum distinctione procedit dum resolvit intellectum esse simpliciter perfectiorem in ordine ad objectum specificativum, et esse secundum quid minus perfectum in ordine ad aliqua objecta inadæquata, et materialia; quia vere ita est in re. At dum tractat, et ex instituto discutit in locis *numero* 23 relatis, an charitas sit perfectior aliis virtutibus theologicis, absolute concludit charitatem esse perfectiorem; quod minime faceret, si sentiret solum esse perfectiorem secundum quid; sed se gereret eodem modo, ac in loco citato ex 1 parte. Hic ergo diversus procedendi modus aperte indicat, quæ sit sententia S. Doctoris.

Adde ulterius, quod licet in eo loco repetat intellectum esse simpliciter perfectiorem voluntate, nunquam tamen asserit, quod cognitio Dei sit simpliciter perfectior Dei amore, quasi innuens aliam esse rationem de actibus secundum speciem consideratis, et subinde de habitibus eis correspondentibus, ac de potentiis, in quibus sunt; fierique posse, quod in potentia inferiori sit actus simpliciter perfectior alio, qui est in superiori potentia, quæ est nostra, et communis doctrina. Et propterea conclusit articulum illis verbis: « Melior D. Tho.
« est amor Dei, quam cognitio; e contrario
« autem melior est cognitio rerum corpo-
« ralium, quam amor. Simpliciter tamen
« intellectus est nobilior, quam voluntas. »

38. Arguitur secundo, quia ita comparantur passiones entis, nempe verum, et bonum inter se, sicut comparantur inter se passiones naturæ intellectivæ, videlicet intellectus, et voluntas: sed intellectus, cui correspondet verum, est simpliciter perfectior voluntate, cui correspondet bonum: ergo verum est simpliciter perfectius, quam bonum: cum ergo charitas versetur circa bonum, et fides circa verum, sequitur hanc esse illa simpliciter perfectiorem. Secundum argumentum.

Confirmatur, quia licet omnia in Deo sint realiter formaliter idem; nihilominus virtualiter plura differunt, et se virtualiter excedunt: quo pacto intellectus divinus attingens verum divinum est metaphysice perfectior divina voluntate attingente divinum bonum: sed fides est participatio formalis intellectus divini in ordine ad verum divinum, et charitas est participatio formalis divinæ voluntatis in ordine ad divinum bonum: ergo fides metaphysice, et simpliciter loquendo est perfectior charitate. Patet consequentia, quia participantia imitantur conceptus participatos. Confirmatio.

Satisfit argumento. Respondetur argumento omittendo præmissas, et distinguendo primum consequens, quod si intelligatur facta comparatione ut sic inter verum sub ratione veri, et bonum sub ratione boni, concedenda est consequentia; negari autem debet, si comparatio fiat inter tale verum, et tale bonum: et deinde negamus absolute secundam consequentiam; fatemur enim communem conceptum veri in esse objecti esse perfectiorem simpliciter conceptu communi boni, dum nihil aliud exprimitur, et specificare altiorem potentiam: ex quo solum sequitur, quod tale verum sit perfectius tali bono ex parte rationis communis veri. Sed

quia tale bonum ratione talitatis, seu differentiæ potest addere perfectionem, quæ illum excessum resarciat, et simpliciter superet; propterea fieri valet, quod tale bonum sit objectum simpliciter perfectius, quam tale verum. Et ita contingit facta comparatione inter verum, quod specificat fidem; et bonum, quod specificat voluntatem, ut supra ostendimus. Et profecto si argumentum convinceret, eodem modo probaret quemlibet habitum intellectus excedere simpliciter omnes, et singulos habitus voluntatis : quod quam falsum sit, constat ex dictis *a numero* 30.

Diruitur confirmatio. Ad confirmationem respondetur, fidem solum esse participationem formalem inadæquatam et imperfectam divini intellectus, cum non participet conceptum visionis Dei in seipso; charitatem autem esse participationem formalem perfectam in linea amoris, cum ex sua ratione non excludat unionem cum Deo viso, et possesso. Unde licet ex parte generis, aut conceptus communis virtutis supernaturalis intellectivæ fides excedat charitatem; hæc tamen ratione differentiæ excedit simpliciter illam, sicut etiam excedit donum sapientiæ pertinens ad lineam intellectivam, ut supra vidimus *num.* 31.

Tertium argumentum. 39. Arguitur tertio ex Herrera ubi supra : nam ideo charitas esset fide simpliciter perfectior, quia illa terminatur ad Deum in seipso, hæc vero ad Deum prout in nobis : sed hæc ratio est nulla : ergo, etc. Probatur minor, quia donum timoris terminatur ad divinam excellentiam in se, D. Tho. ut docet D. Thom. 3 *part. quæst.* 7, *artic.* 6, donum vero sapientiæ terminatur ad Deum prout in nobis; et nihilominus sapientiæ donum est simpliciter perfectius D. Tho dono timoris, ut tradit idem D. Thom 1, 2, *q.* 68, *art.* 8. Ergo ex eo, quod unus habitus terminatur ad Deum in se, non sequitur quod excedat alium habitum terminatum ad Deum prout in nobis.

Confirmatio. Confirmatur ex eodem Authore, quia actus fidei influit effective in actum charitatis : ergo est perfectior simpliciter, quam ille, ac subinde habitus fidei excedet simpliciter habitum charitatis. Hæc secunda consequentia patet ex prima, quæ legitime infertur ex antecedenti; nam supposito, quod actus fidei influat effective in actum charitatis, nequit non ad illum concurrere per modum causæ æquivocæ, quæ est simpliciter perfectior effectu. Antecedens autem probatur, quia in divinis Spiritus sanctus, qui est terminus amoris, procedit active a Verbo, quod est terminus cognitionis : ergo pariter in creatis amor debet esse active a cognitione, et consequenter actus fidei influet active in amorem charitatis.

Respondetur ad argumentum, habere plures defectus; nam in primis nos non probamus excessum charitatis supra fidem ex eo, quod illa terminetur ad Deum in se, et hæc ad Deum prout in nobis; supponimus enim utramque specificari immediate a Deo in seipso, cum utraque sit virtus theologica; sed ex eo, quod charitas nobiliori modo, et perfectiori ratione *sub qua* Deum attingit, ut supra ostendimus *a num.* 28. Deinde dato hoc defectu, et negata minori, probatio illius nihil evincit; quoniam objectum specificativum doni timoris non est Deus in seipso, sed aliquid creatum, videlicet passiva subjectio ad Deum ut potentem absolute infligere malum, ut explicuimus *tract. præced. disput.* 4, *dub.* 4. Unde mirum non est, quod donum sapientiæ sit perfectius dono timoris (quamvis apud D. Thom. in loco, quem prædictus Author re- D. Tho. fert, nihil circa hanc comparationem reperiamus), sed inde nullum potest trahi argumentum, ut probetur excessus fidei supra charitatem. Fit satis argumento.

Occurritur confirmationi. Ad confirmationem negamus antecedens. Ad cujus probationem neganda est consequentia; nam quod in divinis Verbum influat active in Spiritum sanctum, non provenit ex eo, quod generaliter verbum debeat sic ad amorem comparari; sed quia cum de ratione verbi in communi sit concurrere aliquo modo ad amorem, de ratione verbi perfectissimi, et concurrentis per modum actus puri est perfectissime, atque ideo active in amorem influere, ut diximus *tract.* 6, *disp.* 14, *num.* 24. Verbo autem, ac cognitioni creatæ sufficit alius concurrendi modus, nempe in genere causæ formalis extrinsecæ, quatenus proponendo bonum trahunt voluntatem ad ejus amorem.

Dato autem, quod actus fidei concurreret aliquo modo active ad amorem charitatis, inde tamen non inferretur excessus simpliciter : tum quia iste ex objecto desumendus est, in quo charitas supereminet fidei. Tum quia charitas non supponit per se fidem, sed per accidens, videlicet ratione status imperfecti; secundum essentiam enim

enim accepta non dependet a fide, sed potest dirigi alio lumine perfectiori, ut in patria contingit.

Quartum argumentum.

40. Arguitur quarto : nam actus fidei est simpliciter perfectior actu charitatis : ergo idem dicendum est de habitibus. Consequentia patet, et antecedens probatur : nam ita se habet amor supernaturalis Dei ad cognitionem Dei supernaturalem, sicut naturalis Dei amor ad naturalem Dei cognitionem : sed hæc est simpliciter perfectior, quam ille : ergo supernaturalis Dei amor, qui est actus charitatis, excedit simpliciter supernaturalem Dei cognitionem, quæ est actus fidei. Suadetur minor, quia beatitudo naturalis consistit formaliter in nobilissima operatione, ut docet Aristot. *lib.* 10 *Ethic. cap.* 7, atqui consistit formaliter non in amore Dei naturali, sed in naturali cognitione, ut statuimus *tract.* 9, *disput.* 6, *dub.* 2, *concl.* 1. Ergo naturalis Dei cognitio est simpliciter perfectior, quam naturalis Dei amor.

Aristot.

Solutio

Respondetur negando antecedens, ad cujus probationem negamus majorem, vel ea, et minori omissis, negamus consequentiam. Ratio autem disparitatis est; quoniam amor charitatis amat Deum perfecte secundum modum, quem habet in se; sed fides credit plusquam cognoscit, sive in speciebus apparet; et propterea actus charitatis excedit simpliciter actum fidei in modo attingendi Deum, atque ideo evadit simpliciter perfectior. Cæterum hæc inæqualitas non reperitur inter amorem, et cognitionem Dei naturalis, quia naturalis Dei amor commensuratur naturali Dei cognitioni; non enim amat Deum secundum illum modum, quem habet in se, et sola fide proponi potest in via, sed secundum quod cognoscitur esse principium, et finis creaturarum, et quatenus in illis relucet. Unde cum in hoc sint æquales, et aliunde ratio veri, sub qua tendit cognitio, sit perfectior quam ratio boni, sub qua tendit amor; propterea naturalis Dei cognitio excedit simpliciter naturalem Dei amorem. Hanc differentiam assignavimus loco in argumento relato, *num.* 31, ibique aliquas contra illam objectiones diluimus, quam proinde hic fusius non expendimus, sed ad eum locum Lectorem remittimus.

41. Ex dictis sequitur primo, charitatem esse simpliciter perfectiorem omnibus virtutibus hujus status. Hoc consectarium docet D. Th. locis jam relatis, cui subscribunt communiter Theologi. Et facile constat ex hactenus dictis, quoniam virtutes Theologicæ sunt simpliciter perfectiores aliis virtutibus, et habitibus, ut docet D. Th. 1, 2, *q.* 68, *art.* 8, et satis liquet ex eminentia objecti, quod attingunt : sed charitas est simpliciter perfectior omnibus virtutibus Theologicis hujus status : ergo excedit simpliciter omnes hujus status virtutes. Probatur minor, quia tres tantum sunt virtutes Theologicæ, nempe fides, spes, et charitas : sed hæc est simpliciter perfectior, quam fides, ut constat ex dictis in hoc dubio; et fides est simpliciter perfectior, quam spes, ut ostendimus *tractatu præcedenti, disp.* 2, *dub.* 2. Ergo de primo ad ultimum charitas est perfectior simpliciter omnibus theologicis virtutibus.

D. Tho.

D. Tho.

Infertur secundo, charitatem non excedere simpliciter habitum luminis gloriæ, sed e contra istum esse simpliciter perfectiorem habitu charitatis. Hoc corollarium continet doctrinam omnino communem inter discipulos D. Thom. et ostenditur breviter ex dictis : nam quod charitas sit perfectior simpliciter quam fides, non provenit ex conceptu communi habitus affectivi, cum potius ex hac parte debeat ei cedere; sed provenit ex modo speciali, quo perfectius attingit objectum : atqui lumen gloriæ in modo attingendi Deum non est inferius charitate, cum attingat ipsum in seipso, et per seipsum : ergo prædictum lumen non est imperfectius charitate, sed potius illam simpliciter excedit, eo modo quo habitus intellectivi, cæteris paribus, excedunt habitus affectivos.

Contra hoc ultimum consectarium plura solent opponere Scotistæ, censentes voluntatem esse perfectiorem intellectu, et amorem charitatis visione beatifica. Sed eis occurrunt Thomistæ *in tract. de Beatitud.* et N. Complut. *in lib. de Anima, disp.* 21, *quæst. ult.* ad quos Lectorem remittimus, ne in re a præsenti instituto aliena plus quam par est immoremur.

N. Com.

DUBIUM III.

An, et quomodo charitas sit forma cæterarum virtutum.

Theologi considerantes maximam charitatis perfectionem, quam dubiis præcedentibus exposuimus, nihil frequentius repetunt, quam charitatem esse formam virtu-

Luther. Philipp. Melanc. tum ; quod tamen irrident Lutherus in responsione ad bullam Leonis X, Philippus Melancthon in locis communibus, *tit. de Fide et operibus*, et alii Lutherani. Rursus ipsi Theologi Catholici varie explicant, qualiter charitas alias virtutes informet. Unde oportet primum illud firmare, et deinde convenientiorem dicendi modum eligere, quæ in hoc dubio præstare curabimus.

§ I.

Statuitur communis Theologorum assertio.

Prima conclusio. Magist. 42. Dicendum est primo, charitatem esse formam virtutum. Hanc conclusionem docuit Magister *in* 3, *dist.* 23, cui unanimiter subscripserunt omnes Scholastici, ex quibus solum graviores referemus, D. Thom. *ibidem, quæst.* 3, *art.* 1, *quæstiunc.* 1, D. Bonavent. *art.* 2, *quæst.* 5, *et dist.* 26, *art.* 1, *quæst.* 6, ubi Scotus *quæst. unica, art.* 4, Durand. *distinct.* 23, *quæst.* 8, Alexander 3 *part. quæst.* 64, *membro* 3, et alii. Idem docuit D. Thom. *in præs. art.* 8, quem sequuntur omnes Theologi. Et quamvis hoc epithetum non reperiatur formaliter in sacris Litteris, et forsan neque in Doctoribus antiquioribus ; reperiuntur tamen alia, quæ idem æquivalenter significant : nam *ad Coloss.* 3, vocatur *charitas vinculum perfectionis* : et *ad Ephes.* 3, appellatur *fundamentum, et radix*. Et D. Gregor. 3 *part. Pastoral. admonit.* 10, illam vocat *matrem virtutum*. D. Bernard. *serm.* 2, *de Resurrect.* dicit esse *animam, et vitam fidei*. Similibusque elogiis utuntur D. Chrysost. *hom.* 47, *in Matth.* D. Ambros. *orat.* 2, *ante Missam*, D. August. *serm.* 18, *et* 50, *et* 53, *de verbis Domini, et serm.* 39, *et* 44, *de tempore*, et alii Patres communiter. Unde non immerito potuerunt Scholastici, quidquid hæretici ogganniant, omnes illas commendationes unica voce simpliciori (qualem disputationes poscunt) comprehendere appellando charitatem *formam virtutum*.

Ad Colos. 3. Ad Ephes. 3. D. Greg. D. Bern. D. Chrysost. D. Amb. D. Aug.

Ratio. Probatur ratione : quoniam charitas respectu cæterarum virtutum habet id, quod est proprium formæ : ergo est, et merito appellatur forma virtutum. Consequentia patet, et antecedens ostenditur ; nam proprium est formæ dare esse, perfectionem, et valorem ; hæc quippe non desumuntur ab eo, quod habet rationem materiæ, sed ab eo, quod habet rationem formæ, ut inductive potest ostendi in naturalibus : atqui charitas dat esse, perfectionem, et valorem aliis virtutibus : ergo charitas respectu virtutum habet id quod est proprium formæ. Probatur minor tum ex testimoniis proxime relatis, tum luculentius ex Apost. 1, *ad Corinth.* 13, ubi dependentiam aliarum virtutum a charitate his verbis exaggerat : « Si linguis hominum loquar, et « Angelorum, charitatem autem non ha« beam, factus sum velut æs sonans, aut « cymbalum tinniens. Et si habuero pro« phetiam, et novero mysteria omnia, et « omnem scientiam ; et si habuero omnem « fidem, ita ut montes transferam, chari« tatem autem non habuero, nihil sum. Et « si distribuero in cibos pauperum omnes « facultates meas ; et si tradidero corpus « meum, ita ut ardeam, charitatem autem « non habuero, nihil mihi prodest. Chari« tas patiens est, benigna est : charitas « non æmulatur, non agit perperam, non « inflatur, non est ambitiosa, non quærit « quæ sua sunt, non irritatur, non cogi« tat malum, non gaudet super iniquitate, « congaudet autem veritati : omnia suf« fert, omnia credit, omnia sperat, omnia « sustinet. Charitas nunquam excidit, etc. » Quibus aperte docet cæterarum virtutum opera sine charitate nihil esse, nihil prodesse ; ipsam autem omnium virtutum fructus germinare, et cunctis vitam, et perfectionem afferre.

1. ad Cor. 13.

Confirmatur : nam illud habet rationem formæ respectu virtutum, quod illas constituit in statu virtutis : sed charitas alias virtutes in statu virtutis constituit : ergo est forma virtutum. Major constat, quia proprium formæ est constituere, et dare esse. Minor etiam liquet tum ex dictis *dub.* 1, *et dub.* 2, § 1, tum etiam brevi ratione : quoniam virtutes constituuntur in statu virtutis per hoc, quod attingant saltem habitualiter Deum ultimum finem, a quo est omnis perfectio : sed id participant a charitate, quæ Deum ultimum finem vindicat sibi speciale objectum : ergo charitas omnes alias virtutes constituit in statu virtutis. Quod magis ex dicendis constabit.

Confirmatio.

43. Sed in explicando modum, quo charitas alias virtutes format, aut informat, variant Doctores supra relati. Ex quibus unum, aut alterum referemus, ut ex eorum insufficientia, et impugnatione aperiatur via ad eligendum veriorem. Omnes autem merito conveniunt in eo, quod charitas non dicitur forma virtutum, quia per semetipsam

Diversæ conclusionis expositiones.

sam illas informet, vel quia sit causa formalis extrinseca, per ordinem ad quam specificentur. Nam certum est, charitatem non recipi in aliis virtutibus, præsertim si rêsideant in distincta potentia; et virtutes specificari non quidem a charitate, sed ab objectis adæquatis, quæ per se primo respiciunt, ut de fide, et spe constat ex dictis in duobus Tractatibus præcedentibus.

Primus dicendi modus.

Quidam ergo dicunt, charitatem esse formam virtutum, quia dat illis esse meritorias, sive (et in idem redit) esse principium actuum, quibus meremur vitam æternam.

D. Tho.

Cui sententiæ favet D. Th. *in q. de char. art.* 3, *in resp. ad* 1 *et* 9.

Sed licet hic dicendi modus verum assumat, ut constat ex dictis *tract.* 16, *disp.* 4, *dub.* 1, minus sufficienter rem declarat; quoniam virtutes existentes in animabus sanctis post hanc vitam vere formantur, et informantur per charitatem; et tamen post hanc vitam non sunt principium actus meritorii; siquidem meritum secundum præsentem providentiam restringitur ad statum unionis animæ ad corpus mortale : ergo informatio hæc insufficienter exponitur per hoc, quod virtutes habeant a charitate esse principium operis meritorii.

Alia sententia.

Alii dicunt, charitatem esse formam virtutum, quia cæteræ virtutes illam imitantur tanquàm exemplar. Quod placuit D.

D. Tho.

Thom. *q.* 14, *de verit. art.* 5 *ad* 3, ubi ait : « Dicendum quod modus, quo charitas di- « citur forma virtutum, appropinquat ad « modum illum, quo exemplar formam « dicimus; quia id quod est perfectionis in « fide, a charitate deducitur, ita quod cha- « ritas habeat illud essentialiter, fides vero, « et cæteræ virtutes participative. » Et similia habet *in* 3, *dist.* 27, *q.* 2, *artic.* 4, *quæstiunc.* 3.

Sed hunc dicendi modum corrigere vide-

D. Tho.

tur D. Thom. *in præs. art.* 3 *ad* 1, ubi ait : « Dicendum quod charitas dicitur esse for- « ma aliarum virtutum, non quidem exem- « plariter, aut essentialiter, sed magis ef- « fective, etc. » Et merito, quia exemplar proprie dictum est illud, ad cujus similitudinem aliquid fit; cæteræ autem virtutes, et præcipue intellectuales, non fiunt ad instar charitatis, sed habent rationes longe diversas, ut ex se liquet; unde nequeunt dici informatæ charitate, quia ista sit illa-

D. Tho.

rum exemplar. Nec D. Thom. id intendit locis citatis, sed solum, quod aliæ virtutes ut charitate formatæ illam imitentur in modo operandi, quatenus charitas ex propria ratione attingit Deum finem ultimum, et aliæ virtutes ex ejus formatione tendunt in eundum finem modo infra declarando.

Legitima explicatio. D. Tho.

44. Verus ergo dicendi modus est ille, quem proponit D. Thom. *in præs.* nempe charitatem dici formam virtutum ex eo, quod cæteræ virtutes ex motione, et imperio charitatis tendunt in Deum ultimum finem, et participant ordinem ad illum : hic autem ordo habet rationem formæ respectu virtutum, et operationum ab eis procedentium, quia illas complet, actuat, et perficit ultimo complemento in linea moris, ex quo habent et esse in statu virtutis, et esse (suppositis aliis conditionibus) meritorias. Quod autem id participent a charitate, liquet; nam omne, quod est tale per participationem, habet esse tale per dependentiam ab eo, cui talis ratio convenit essentialiter : cæteræ autem virtutes solum habent secundum participationem quandam respicere Deum ultimum finem, cum ex se respiciant objecta inferiora; charitas vero secundum suam essentiam, et speciem illum respicit tanquam objectum proprium, et sui specificativum : ergo ordo ad Deum ultimum finem repertus in aliis virtutibus, et in earum operibus, derivatur ex charitate. Quæ proinde merito appellatur forma virtutum.

Objectio.

45. Nec refert, si contra hanc doctrinam objicias : nam esse formam omnium virtutum est proprium charitatis : sed ordinare actus aliarum virtutum ad suum finem non est proprium charitatis : ergo charitatem esse formam virtutum, non recte explicatur per hoc, quod earum actus ordinet ad suum finem. Probatur minor, quia actus temperantiæ, v. g. aut fortitudinis, possunt fieri ex fine pœnitentiæ, ut si quis per ea opera intendat satisfacere pro peccatis, in quo eventu pœnitentia ordinat actus aliarum virtutum ad suum finem. Quod magis apparet in virtutibus religionis, et justitiæ legalis; quia nullum est opus, quod non possit fieri ex motivo boni communis, quod respicit illa justitiæ; vel ex motivo cultus divini, quem respicit religio. Ergo ordinare actus aliarum virtutum ad suum finem non est proprium charitatis.

Confirmatio.

Confirmatur : nam si charitas dicitur forma religionis, quia ordinat ejus actum ad Deum ultimum finem, qui est charitatis objectum, eadem ratione religio appellabitur forma charitatis, cum possit hujus ac-

tum ordinare ad Dei cultum, qui est objectum religionis.

Satisfit objectioni. Respondetur objectioni, quod ordinare actus aliarum virtutum ad finem proprium virtutis imperantis aliter convenit charitati, et aliter cæteris virtutibus. Nam charitati convenit per se tam ex parte sua, quam ex parte actus ordinati. Ex parte quidem sua ; nam cum habeat pro objecto ultimum finem, debet esse primum movens in ordine ad illum, eo quod qualis est ordo finium, talis est ordo agentium, et moventium : qua etiam ratione pertinet ad voluntatem movere omnes alias potentias quoad exercitium, ut explicuimus *tract.* 10, *disp.* 2, *a n.* 55. Ex parte etiam actus imperati, sive ordinati ; nam cum ejus objectum debeat esse non quidem finis ultimus, sed intermedius; et iste dicatur talis per ordinem ad ulteriorem finem, per se convenit actibus aliarum virtutum, quod ex charitate ad finem ultimum ordinentur. Unde licet talis ordo sit extra speciem prædictorum actuum, quæ ex eorum objecto, et fine proximo desumitur; nihilominus non convenit eis omnino per accidens, sed per se, et valde connaturaliter intra suum ordinem. Hæc autem non verificantur in actibus imperantibus, et imperatis aliarum virtutum, comparatis inter se ; nam actibus religionis prorsus accidit, quod ordinentur ad objectum pœnitentiæ, et sic de aliis; et justitia legalis non imperat, saltem per se, omnes actus, sed eos solum qui debentur. Unde ordinare per se omnes actus ad proprium imperantis objectum ita est proprium charitatis, ut nulli alteri virtuti conveniat.

Addimus, quod licet aliæ virtutes ordinent ad suum finem actus aliarum virtutum, nihilominus eos non ordinant secundum omnem rationem in eis repertam,sed solum secundum eam specialem rationem, secundum quam ad finem imperantis conducunt. Verbi causa, pœnitentia ordinat quidem actus temperantiæ, et fortitudinis ad suum finem secundum quod satisfactorii sunt, quo pacto conducunt ad ejus specialem finem, qui est satisfacere pro peccato ; sed non imperat eos secundum alias rationes, quæ satisfactionem non explicant. Charitas autem ordinat ad suum finem actus aliarum virtutum secundum omnem rationem in eis repertam, quia omnis talis ratio est referibilis in Deum ultimum finem, quem respicit ut objectum speciale.

Ad confirmationem negamus sequelam, quia nec religio, nec alia virtus secundum sibi propria considerata, potest proprie loquendo ordinare actus charitatis ad objectum virtutis imperantis. Nam actus charitatis est amor ultimi finis, et actus aliarum virtutum sunt attingentiæ, sive electiones mediorum ; amor autem finis non ordinatur ad media tanquam ad finem cujus gratia, sed potius econtra media, et eorum amor sunt propter finem, et oriuntur ex ejus amore. Diximus *secundum sibi propria*, et *proprie loquendo*, quia si loquamur de virtutibus ut motis, et imperatis a charitate, possunt actum charitatis imperare, quatenus ab ea moventur, ut imperent ejus actum, ordinando illum ad ipsarum objecta tanquam ad finem effectum, sicut merita Christi Domini ordinantur ad nostram salutem. Sed hoc non est imperare *proprie*, aut *ex propriis;* sed moveri ex præsupposito amore charitatis, quæ supra seipsam reflectitur, et mediis actibus aliarum virtutum imperat sibi, ut sic loquamur, novum exercitium : quemadmodum voluntas solet movere intellectum, ut imperet novum actum voluntatis, ubi tota efficacia ultimate ad voluntatem reducitur. Occurritur confirmationi.

46. Ex qua doctrina obiter infertur, quod licet lumen gloriæ, et fides, et spes theologica attingant immediate Deum in seipso ; nihilominus habent a charitate formationem, et consummatum statum virtutis. Quoniam prædicti habitus non respiciunt Deum sub ratione finis ; sed fides, et lumen attingunt illum sub ratione veri cum differentia clari, et obscuri ; spes autem respicit illum ut bonum proprium arduum, ut suis locis explicuimus: unde non ex se, sed a charitate habent ordinari in Deum sub ratione ultimi finis. Et propterea dixit D. Thom. *q.* 28, *de verit. art.* 4 *ad* 6, quod « licet credere Deo, vel Deum possit esse « sine justitia, tamen credere in Deum, « quod est actus fidei formatæ, sine gratia, « vel justitia esse non potest ; » atque ideo sine charitate, per quam gratia sicut per virtutem proximam habet ordinare in finem. Corollarium. D. Tho.

47. Sed objicies: nam hic ordo, per quem charitas dicitur formare alias virtutes, et earum operationes, vel est aliquid reale intrinsecum superadditum earum entitatibus, vel est pura denominatio extrinseca, aut ens rationis? Si dicatur hoc ultimum, sequitur charitatem improprie appellari virtutum Objectio.

virtutum formam. Primum autem dici non valet : tum quia charitatis operatio est actus immanens, et sic nequit aliquid efficere in aliis potentiis, ut sunt intellectus, et appetitus sensitivus, in quibus resident plures virtutes. Tum quia earum actus sine ulla variatione intrinseca potest referri in ultimum finem, ut si homo eleemosynam, quam prius in Deum non referebat, postea ordinet ad illum.

Hæc objectio poscit, ut explicemus, per quid charitas formet alias virtutes, quæ est secunda pars hujus dubii.

§ II.

Alia conclusio pro perfecta dubii resolutione.

Secunda conclusio objectioni satisfaciens.

48. Dicendum est secundo, virtutes, et earum actus formari per aliquid reale intrinsecum derivatum ex charitate. Hæc conclusio est omnino consona his, quæ diximus *in tract. de Merito, disp.* 4, *dub.* 1, illamque tuentur B. Albertus *in* 3, *dist.* 27, *art.* 3, Ægidius *quodlib.* 6, *q.* 3, Cajet. *in hoc art.* 8, ut satis se explicat illis verbis : « Non solum charitas informat effective, « quia imperat, et ordinat ; hoc enim com- « mune est omni imperanti, et ordinanti ; « sed quia participatio passiva imperii, et « ordinationis suæ est velut forma consti- « tuens actus alios in esse virtuoso simpli- « citer. » M. Herrera *in MS. ad art.* 8, *concl.* 4, *et* 5, Ferre *quæst.* 11, § 3, Joan. a S. Thom. *in lib. de anima, q.* 22, *art.* 6, et alii.

B. Alb. Ægidi. Cajetan. M. Herr. Ferre. Joan. a S Tho.

Probatur ex D. Tho.

Probatur primo ex D. Thom. qui hanc assertionem satis aperte docet tum *in hoc artic. in resp. ad* 1, ubi docuit charitatem non dici formam virtutum exemplariter, aut essentialiter, *sed magis effective, in quantum scilicet omnibus formam imponit secundum modum prædictum.* Non posset autem charitas formare effective virtutes, neque illis imponere formam, nisi aliquid a charitate descenderet, quod virtutes, et earum actus afficeret. Tum *in q.* 4, *de verit. artic.* 6, *in respons. ad* 9, ubi ait : « Quando superior « vis perfecta est, ex ejus perfectione re- « linquitur aliqua perfectio in inferiori, et « sic cum charitas est in voluntate, ejus « perfectio aliquo modo redundat in intel- « lectu, et sic charitas non solum actum fi- « dei, sed ipsam fidem informat. » Ubi palam docet aliquid ex voluntate perfecta per charitatem derivari ad fidem, et ejus actum ; eademque ratio est de aliis virtutibus. Tum *in lib.* 3 *Sent. dist.* 27, *q.* 2, *art.* 4, *quæstiunc.* 3, *in corp. et in solut. argumentorum*, cujus verba infra referemus.

Fundamentum D. Tho.

49. Probatur assertio quoad utramque partem ratione desumpta ex D. Thom. ostendendo unam ab alia ; quoniam formatio actus virtutis inferioris per charitatem importat aliquid reale intrinsecum derivatum ex charitate : ergo idem proportionabiliter importat formatio habitus virtutis inferioris per charitatem. Probatur antecedens, quia formatio actus virtutis per charitatem consistit in eo, quod ordinetur, sive referatur non solum ad finem proximum proprium virtutis, a qua elicitur ; sed etiam ad finem ultimum proprium charitatis, a qua imperatur : sed hic ordo, sive habitudo actus virtutis inferioris ad finem ultimum est aliquid intrinsecum derivatum a charitate : ergo formatio actus virtutis inferioris per charitatem importat aliquid intrinsecum derivatum a charitate. Major constat ex dictis § *præced.* Consequentia est legitima, et minor suadetur : tum quia cum aliquis actus attingit aliquem finem, nequit non dicere verum ordinem, sive habitudinem realem ad talem finem : ergo quando actus virtutis inferioris ordinatur ad finem charitatis, illumque attingit, nequit non importare verum ordinem, et realem habitudinem ad talem finem : cumque hujusmodi ordo non conveniat actui virtutis inferioris ex propria ratione, sive ex parte virtutis proximæ a qua elicitur, opus est, quod illum participet ex influxu charitatis, cui per se convenit illum finem attingere. Tum etiam, quia actus, et effectus sortiuntur diversam modificationem secundum finem ad quem ordinantur ex motione agentis intendentis talem finem ; et propterea scissio ligni ad ædificandam domum, diversam modificationem importat, ac scissio ligni ad comburendum : ergo cum actus virtutis inferioris ex inclinatione charitatis ordinatur ad ejus finem, eo ipso consequitur aliquam modificationem intrinsecam derivatam a charitate. Tum denique, quia actus virtutis inferioris ratione ordinis ad Deum ultimum finem consequitur valorem adæquatum ad merendum vitam æternam de condigno, ut ostendimus *tract.* 16, *disp.* 4, *dub.* 5. Sed hic valor non est ens rationis, nec denominatio extrinseca, sed aliquod prædicatum reale : ergo ordo, quem actus

virtutis inferioris habet ex motione charitatis ad ejus finem, est aliquid reale : cumque talis ordo non pertineat ad speciem prædicti actus, sequitur esse aliquid sibi intrinsece superadditum.

Adde libertatem, sive habitudinem actuum nostrorum ad principium indifferens non esse ens rationis, aut denominationem extrinsecam, sed esse aliquid reale intrinsecum superadditum actuum entitati, ut ostendimus *tract.* 10, *disp.* 2, *dub.* 4, et moralitatem, sive ordinem nostrorum actuum ad objectum ut subjectum regulis rationis non esse ens rationis, aut denominationem extrinsecam, sed aliquid reale, et intrinsecum distinctum ab entitate physica actuum, ut probavimus *tract.* 11, *disp.* 1, *dub.* 3. Ergo idem proportionabiliter dicendum est de ordine actus virtutis inferioris ad finem charitatis, sive ad proprium objectum, ut subditur tali fini.

50. Ex quibus facile ostenditur consequentia primi enthymematis ; quoniam illud intrinsecum, quo actum virtutis inferioris formari diximus, debet præhaberi in principio proximo elicitivo talis actus : sed hujusmodi principium non est charitas, sed virtus inferior, cui actus secundum speciem correspondet : ergo prædicta virtus debet formari in seipsa per aliquid intrinsecum, ratione cujus præcontineat ordinem ad charitatis finem, qui in suis actibus reperitur : cumque hujusmodi vis non conveniat virtuti inferiori ex se, sed ex influxu charitatis, cui per se convenit respicere illum finem, sequitur virtutes inferiores formari intrinsece per aliquid reale, quod derivetur ex charitate. Cætera constant, et minor probatur : tum quia certum est, quod charitas non elicit actus virtutum inferiorum, alias non esset nisi unica virtus pro omnibus actibus ; sed eorum elicientia pertinet ad speciales virtutes, eas videlicet, quibus objecta specificativa actuum specialiter correspondent. Tum etiam, quia ille modus, aut ordo in actibus repertus non fit per se, atque ideo non terminat immediate actum charitatis ; sed fit ad productionem actus, quem afficit, et consequenter debet elici, et immediate procedere ab eodem principio. Tum denique, quia non semel contingit, quod virtus inferior eliciat actus formatos, sive ordinatos ad finem charitatis, quin adsit formalis hujus influxus, ut si quis justificatus per attritionem intra sacramentum, eliciat aliarum virtutum opera priusquam eliciat actum formalem charitatis : in quo eventu nequit ordo ad Deum ultimum finem, qui in talibus operationibus reperitur, revocari ad aliud principium proximum, quam ad virtutes tunc operantes. Recolantur quæ diximus *tract.* 16, *disput.* 4, *dub.* 6.

51. Quam doctrinam tradit D. Thom. *loco supra cit. ex* 3 *Sent.* cujus verba quia eleganter, et optime rem præsentem declarant, placet transcribere. « Charitas, *inquit*, « ad omnes alias virtutes comparatur et ut « motor, et ut finis, et ut forma. Quod autem « motor sit omnium aliarum virtutum, ex « hoc patet, quia ipsum bonum quod est ob- « jectum charitatis sub ratione finis, est finis « virtutum. In omnibus autem potentiis, « vel artibus ordinatis ita accidit, quod ars, « vel potentia, quæ est circa finem, ordinat « aliarum actus ad finem proprium ; sicut « militaris, quæ est propter victoriam, et « ad omne officium bellicum ordinatur, « ordinat equestrem, et navalem, et omnia « hujusmodi in suum finem. Et ideo dici- « tur charitas mater aliarum virtutum, in « quantum earum actus producit ex con- « ceptione finis, in quantum habet per se « modum seminis, cum sit principium in « operabilibus, ut dicit Pphilosophus. Et « secundum hoc dicitur imperare actus in- « feriorum virtutum, secundum quod fa- « cit eas operari propter finem suum ; et « secundum hoc movet alias inferiores ad « finem suum. Unde charitas etiam omnes « alias virtutes ad suum finem movet, et « secundum hoc dicitur earum actus impe- « rare. Hoc enim interest inter elicere ac- « tum, et imperare, quod habitus, vel po- « tentia elicit illum actum, quem producit « circa objectum, nullo mediante ; sed im- « perat actum, quem producit mediante « potentia, vel habitu inferiori circa ob- « jectum illius potentiæ. Si ergo charitas « est motor aliarum virtutum, similiter « etiam finis ; quia hoc commune est in « omnibus virtutibus, quod actus earum « sunt proximi fines ipsarum, cum actus « sit perfectio secunda, habitus perfectio « prima ; et minus completum ordinatur « ad magis completum sicut ad finem. Finis « autem inferioris potentiæ, vel habitus « ordinatur ad finem superioris, sicut finis « militaris ad finem civilis. Unde actus « omnium aliarum virtutum ordinantur « ad actum charitatis sicut ad finem, et « propter hoc charitas dicitur præcepti finis.

Fulcitur idem discursus auctoritate D. Tho.

« finis. Similiter etiam patet, quod est « forma perficiens unamquanque virtutem « in ratione virtutis. Inferior enim potentia non habet perfectionem virtutis, nisi « secundum quod participat perfectionem « potentiæ superioris : sicut habitus, qui « est in irascibili, non habet rationem virtutis, ut dicitur in 4 Ethic. nisi in quantum intellectum, et discretionem recipit « a ratione, quam perficit prudentia; et « secundum hoc prudentia ponit modum, « et formam in omnibus aliis virtutibus « moralibus. Omnes autem aliæ virtutes, « quæ sunt meritoriæ vitæ æternæ, secundum quod nunc loquimur de virtutibus, « sunt in potentiis voluntati subjectis, quia « nullus actus alicujus potentiæ potest esse « meritorius, nisi in quantum habet aliquid de voluntario : quod contingit ex « hoc, quod voluntas imperat, et movet « actus aliarum potentiarum. Unde non « potest esse, quod aliquis habitus existens « in aliqua potentia animæ habeat rationem virtutis, loquendo de virtutibus meritoriis, de quibus hic loquimur, nisi « secundum hoc, quod in illa potentia participatur aliquid de perfectione voluntatis, quam charitas perficit. Et ideo charitas est forma virtutum aliarum omnium, sicut prudentia moralium. Et hic « est unus modus, quo charitas est forma « aliarum virtutum. Alii autem duo modi « possunt accipi ex hoc, quod ipsa est motor, et finis, in quantum movens ponit « motum suum in instrumento, et ea quæ « sunt ad finem diriguntur ex ratione finis. « Et ita modus charitatis participatur in « aliis virtutibus, in quantum moventur a « charitate, et in quantum ordinantur in « ipsum, sicut in finem. » Hactenus D. Thomas.

Cnosectarium. 52. Ex quibus habemus titulos, propter quos charitas appellatur forma virtutum, qui tamen ad unum radicaliter reducuntur, ad hunc videlicet, quod charitas ex propria specie respicit Deum sub ratione finis simpliciter ultimi ; hinc enim subordinat suo objecto fines speciales aliarum virtutum, et imperat illarum actus, ut D. Thom. optime declarat. Habemus etiam, quod charitas informet virtutes non solum infusas, sed etiam adquisitas ; immo vero et omnes potentias naturales, quæ subduntur voluntati, et ejus libertatem aliquo modo participant. Quoniam omnia hujusmodi possunt agere ex motione, et imperio charitatis, eliciendo operationes cum ordine ad Deum finem ultimum, qui est ipsius objectum. Cumque ex se non habeant vim sufficientem ad efficiendum illum ordinem in propriis actibus, opus est quod participent aliquid intrinsecum de linea charitatis, quo perficiantur, et eleventur, ut possint agere in ordine ad finem illius. Denique habemus hoc intrinsecum (quod non immerito possumus virtualem charitatem appellare), afficiens potentias, et virtutes non esse pure transiens, aut fluere cum operatione, sed esse quid habituale, et permanens. Tum quia omnes virtutes, et vires animæ in justo dicuntur formatæ, et vivæ per charitatem ; et tamen non semper operantur. Tum etiam, quia omnes virtutes justi habent habitualiter statum virtutis, et inclinant habitualiter ad actus non præcise secundum speciem acceptos, sed etiam ad actus formatos, et meritorios vitæ æternæ : quam inclinationem non habent ex se, sed participant a charitate per illud intrinsecum, quod ab ipsa derivatur. Tum denique, nam cum charitas ex una parte radicetur in gratia, quæ est natura superior, et ex alia parte sit summa inclinatio ad Deum ultimum finem, debet dominari simpliciter toto supposito, cuncta ejus, quæ capacia sunt libertatis, convertendo ad Deum, et subjiciendo ipsi ut fini. Et quia per seipsam nequit præstare hujusmodi passivam, et formalem omnium virtutum, et virium animæ conversionem, sive subjectionem, cum per seipsam solum immediate afficiat unicam, et determinatam animæ potentiam, nempe voluntatem, cui inest ; oportet quod diffundat aliquam sui participationem ad prædictas vires, et virtutes, ut sic maneant habitualiter ipsi subjectæ, tendantque habitualiter in ejus finem. Quæ perfectio nulli virtuti, quam charitati convenire valet ; cum ipsa sola habeat tantam universalitatem in movendo, simili plane, et perfectiori modo, quo voluntas se habet in ordine naturali.

Objectio. 53. Sed contra hanc doctrinam, et contra assertionem, quam illam fulcimus, objicies primo : quia nihil potest a charitate derivari, nisi per ejus actum : sed informatio, quam cæteris virtutibus attribuimus, convenit illis ante exercitium charitatis : ergo signum est, quod nihil intrinsecum ponit in virtutibus, sed formatæ dicentur quatenus connotant in eodem supposito habitum charitatis, per quem ha-

bitualiter in Deum finem ultimum referuntur.

Respondetur, quod licet ante exercitium actuale charitatis nihil possit ab ea derivari per efficientiam rigorosam, potest tamen per simplicem dimanationem, eo proportionali modo, quo virtutes fluunt a gratia, et proprietates a natura ; qui influendi modus reducitur ad genus causæ efficientis, ut modo supponimus ex iis, quæ docent N. Complut. *in lib. Physic. disp.* 10, *quæst.* 7. Quod autem sic contingat in præsenti, non absque fundamento asserimus ; nam licet virtutes possent utcumque dici formatæ, sive relatæ habitualiter ad Deum finem ultimum ex connotatione habitus charitatis in eodem subjecto existentis ; nihilominus hæc connotatio, aut denominatio extrinseca nequit sufficere, ut contineant, et efficiant in suis actibus aliquam rationem, quam ex se non continent, nec valent producere, cujusmodi est ordo actualis operationis in Deum ultimum finem. Videmus autem, quod virtutes eliciunt actus formatos, sive relatos in Deum ultimum finem, ac proinde meritorios vitæ æternæ, priusquam charitas suam operationem eliciat, ut contingit cum homo justificatus cum sola attritione intra sacramentum immediate elicit actus fidei, spei, aut aliarum virtutum. Unde fateri oportet, quod virtutes formentur ante actuale, et formale charitatis exercitium, et consequenter quod aliquid de linea charitatis derivetur ad prædictas virtutes per simplicem dimanationem, cum charitas primo infunditur. Præsertim cum proprium hujus virtutis sit habere omnes vires animæ sic dispositas, sibi ita subjectas, et fini ultimo subordinatas.

N. Com.

Replica. D. Tho. 54. Sed instabis *primo*, quoniam D. Thom. ex eo probat, quod charitas format cæteras virtutes, quia imperat illis, et movet ad earum actus : ergo vel virtutes non formantur per charitatem ante exercitium ipsius, vel hæc formatio fit per aliquid extrinsecum, videlicet per charitatem in eodem subjecto existentem. *Secundo*, nam hujusmodi formatio virtutum ad hoc ponitur, ut possint elicere actus formatos, sive relatos in Deum finem ultimum : sed ad hoc satis est, quod virtutes recipiant illud intrinsecum de linea charitatis, quando actu operantur, sicut instrumentum elevatur cum actu agit : ergo non requiritur, quod virtutes habeant hanc habitualem informationem. *Tertio*, quia electio mediorum provenit ex amore finis, atque ideo nequeunt virtutes attingere sua objecta cum subordinatione ad Deum finem ultimum, nisi ex præsupposito amore charitatis : ergo falso dicimus, quod virtutes eliciant actus formatos, priusquam charitas exerceat suam operationem.

Diluitur prima. Respondetur ad primum, rationem illam D. Thomæ optimam esse, nam si charitas movet virtutes ad suos actus, aliquid in hujusmodi actibus decet relucere, quod sit de linea charitatis, et manifestet indolem principii operantis. Sed quia oportet, quod virtus immediate eliciens præcontineat perfectionem operantis, propterea cum eodem S. Doctore colligimus, virtutes formari per aliquid habituale : tum ut possint connaturaliter a charitate moveri : tum ut habitualiter sint ipsi subjectæ, et contineant formationem actualem, quam suis actibus communicant. Sicut ante motionem actualem Spiritus sancti ponuntur dona quædam specialia, ut homo sit prompte mobilis ab illo, juxta doctrinam D. Thom. 1, 2, *quæst.* 68, *art.* 1 *et* 3. Et quemadmodum antequam homo moveatur ad virtutum opera, ponuntur habitus virtutis, per quos disponitur ad recipiendam talem motionem, et continet habitualiter perfectionem repertam in operibus, ut tradit S. Doctor *in eadem* 1, 2, *quæstion.* 110, *articulo* 2, ubi ait : « Non « est conveniens, ut Deus minus provideat « his, quos diligit ad supernaturale bonum « habendum, quam creaturas, quas diligit « ad bonum naturale. Creaturis autem na« turalibus sic providet, ut non solum mo« veat eas ad actus naturales, sed etiam « largiatur eis formas, et virtutes quasdam, « quæ sunt principia actuum, ut secundum « seipsas inclinentur ad hujusmodi motus. « Et sic motus, quibus a Deo moventur, « fiunt creaturis connaturales, et faciles, « secundum illud Sapient. 8 : Et disponit « omnia suaviter. Multo igitur magis illis, « quos movet ad consequendum bonum « supernaturale æternum, infundit aliquas « formas, seu qualitates supernaturales, « secundum quas suaviter, et prompte ab « ipso moventur ad bonum æternum con« sequendum. » Si ergo in nostro casu, ut omnes virtutes, tam infusæ, quam acquisitæ, et omnes vires animæ, quæ voluntati subduntur, sint habitualiter dispositæ ad agendum secundum imperium charitatis, et ad producendum ejus ordinem in propriis

D. Tho.

D. Tho.

priis actibus, debent perfici, et informari per aliquid habituale intrinsecum de linea charitatis, quod actualem ejus motionem possit præcedere.

Satisfit secundæ. 55. Ad secundum patet ex proxime dictis ; nam licet virtutes possent recipere illam elevationem, quando actu imperantur a charitate, nihilominus magis congruit, quod illam formationem, et elevationem participent habitualiter, et a prima charitatis infusione. Tum ut dicantur habitualiter vivæ, et formatæ : tum ob inclinationem charitatis, quæ quantum fieri potest, subordinat eas, et omnia ultimo fini : tum quia aliquando eliciunt actus formatos ante actualem, et formalem charitatis motionem. Nec id, quod dicitur de instrumentis, verificatur universaliter; nam virtutes instrumentariæ conjunctæ, cujusmodi est calor ignis in ordine ad producendum alium ignem, ex sua dimanatione habent habitualem vim ad attingendum effectum principalis agentis. Et plures animæ potentiæ ex conjunctione ad potentiam superiorem participant habitualem vim ad aliquid excedens propriam speciem sibi relictam, sicut dicitur de æstimativa hominis, quæ ob hanc rationem potest circa singularia discurrere. Et sic proportionabiliter virtutes, et vires animæ charitati conjunctæ participant aliquid ab ea, ut possint elicere actus cum ordine ad objectum illius, nempe ad Deum ultimum finem.

Occurritur tertiæ. Ad tertium concedimus, electionem quatenus talem, supponere amorem, sive intentionem finis. Sed non oportet, quod omnes actus, quos formatos, et relatos in finem charitatis dicimus, sint formales electiones in ordine ad finem hujus virtutis, et quod attingant propria objecta cum expresso respectu ad talem finem ; sed satis est, quod sint tales virtualiter, quatenus attingendo propriam materiam participant ordinem charitatis in ordine ad finem illius. Ad quod sufficit similis virtualis intentio, quæ semper adest, quoties actus honesti a justo exercentur. Nam licet tales actus non semper præcedat formalis charitatis amor, præcedit tamen virtualis, eo quod voluntas charitate formata nullum actum honestum imperat, quin in suo imperio explicet modum, sive ordinem charitatis. Unde licet ejus actus sit alterius speciei quoad entitatem ; tamen quoad formationem est virtualiter actus charitatis, et amor Dei super omnia. In quo sensu omnes etiam actus charitate formati non tam dicendi sunt electiones, quam intentio, sive amor Dei finis ultimi ; atque ideo secundum hanc rationem considerati non supponunt necessario aliam formalem intentionem, quamvis considerati secundum entitatem, et speciem, quo pacto se habent de materiali ad formationem, quam a charitate participant, versentur immediate circa media, et possint electiones appellari.

Alia objectio. 56. Addimus, quod etsi actus aliarum virtutum non semper supponant amorem charitatis ut exercitum, semper tamen illum supponunt ut exactum, quia per se loquendo charitas, cum infunditur, prorumpit in proprium actum, a quo sicut a dispositione ultima, et omnino connaturali dependet ; atque ideo illud, quod a charitate ad alias virtutes, et vires animæ derivatur, dimanat a charitate non præcise habituali, sed a charitate amante, et intendente suum finem. Supplet tamen quandoque Deus hunc actum, ut contingit in justificatione, quæ intra Sacramentum fit. Sed hoc non tollit, quod actus aliarum virtutum ut formati illum per se supponant, et ab eo dependeant.

Objicies secundo : nam ex doctrina hactenus tradita sequitur, habitum charitatis non esse unicum, sed multiplicem ; quod est contra communem Theologorum sententiam. Probatur sequela, quia illud, quod a charitate ad alias virtutes, et vires animæ derivari dicimus, afficit illas habitualiter, et permanenter, et consequenter nequit non esse habitus : aliunde autem versatur circa Deum finem ultimum, qui est objectum proprium charitatis, atque ideo habet propriissimam charitatis rationem. Cumque multiplicetur juxta pluralitatem virtutum, et potentiarum, quas afficit, liquido inferri videtur, habitum charitatis non esse unicum, sed plures.

Solutio. Respondetur negando sequelam, quam probatio minime evincit. Tum quia de ratione habitus est, quod sit qualitas completa ; id vero quod a charitate ad alias virtutes derivatur, non est qualitas completa, sed modalis ; et ideo licet sit permanens, non habet rationem habitus : nec absolute potest appellari charitas, sed appellatur charitas virtualis, seu participatio charitatis. Tum etiam, quia habitus ordinatur per se primo ad actum secundum speciem acceptum, non vero ad aliquam

ejus modificationem speciei accidentariam; id autem quod ex charitate participatur in aliis vivirtutibus, non ordinatur per se primo ad earum actus secundum speciem consideratos, cum ad id sufficiant ipsæ virtutes : sed deservit, ut virtutes eliciant actum non solum quoad speciem, sed ut ordinatum et relatum in Deum ultimum finem ; quod virtutes sibi relictæ præstare non possent, ut supra diximus. Potestque hæc doctrina magis declarari exemplo modi intensionis, qui habitualis est, versatur circa objectum virtutis, cum sit perfectio ipsius virtutis ; et tamen nec virtus, nec habitus est, sed modificatio, et determinatio virtutis. Unde formatio illa virtutum a charitate derivata habitus non est, nec propriam aliarum virtutum rationem impedit, sed præstat ut virtutes inferiores operentur et secundum rationem sibi propriam, et secundum rationem charitatis, ut optime docuit D. Thom. *loco supra cit. ex* 3 *Sent. in resp. ad* 5, ubi ait : « Dicen-
« dum quod inferiora participant perfec-
« tiones superiorum secundum modum
« suum ; et ideo participationes determi-
« nantur in participantibus ex capacitate,
« et natura participantium. Et ideo una-
« quæque virtus, quæ est in inferiori poten-
« tia, habet quandam formam, quæ est
« virtus ex participatione superioris poten-
« tiæ : sed formam, quæ est hæc virtus,
« habet ex natura propriæ potentiæ per
« determinationem ad proprium objectum.
« Et hanc formam, et modum ponit una-
« quæque virtus circa suum actum, et ite-
« rum illam formam, vel modum, quem
« habet ex superiori ; sicut temperantia
« in actu suo ponit modum proprium, et
« prudentiæ, et charitatis, et gratiæ.

D. Tho.

Tertia objectio.

57. Objicies tertio : nam si aliquid a charitate manaret, quo virtutes, et vires animæ informarentur, deberet esse supernaturale, juxta qualitatem principii, a quo profluit, et conditionem finis, ad quem ordinatur : sed nequit esse supernaturale : ergo falsum est, quod a charitate aliquid dimanet, quo virtutes et vires animæ intrinsece formentur. Probatur minor; quoniam virtutes, et vires animæ dicuntur charitate formari non solum in ordine ad actus supernaturales, sed etiam naturales, cum actus entitative naturales possint ad finem charitatis referri, et mereri vitam æternam. Ad actus autem naturales entitative non concurrit potentia obedientialis, sed naturalis. Et ideo si potentia, aut virtus illorum elicitiva informaretur per aliquid intrinsecum, istud deberet esse quid naturale, et ejusdem ordinis cum potentia, aut virtute ; supernaturalia enim non recipiuntur in potentia naturali, sed in potentia obedientiali. Ergo si aliquid derivaretur ex charitate, ut potentiæ, et virtutes naturales informarentur, istud non posset esse supernaturale.

Respondetur negando minorem. Ad cujus probationem dicendum est, duplicem, aut quasi duplicem potentiam obedientialem distinguendam esse : aliam quasi substantialem, nimirum quæ subjicitur Deo in ordine ad actus, et effectus entitative supernaturales : aliam vero modalem, scilicet quæ Deo subditur in ordine ad actus, et effectus naturales entitative, sed supernaturales quoad modum. Prioris generis est potentia in ordine ad gratiam, et habitus supernaturales ; nam ordinatur ad formam, seu terminum supernaturalem, et qui supernaturali modo fit. Posterioris generis est potentia, v. g. cæci, ut visum recipiat ; quia licet potentia visiva sit entitative naturalis, debet restitui modo supernaturali, aut miraculoso. Et hoc posteriori modo se habent potentiæ, et virtutes naturales ad eliciendum suos actus ut ordinatos, et relatos ad Deum ultimum finem, qui est charitatis objectum ; nam licet prædicti actus sint entitative naturales, sunt tamen supernaturales quoad modum, videlicet quantum ad illum ordinem, et respectum. Et ideo participatio charitatis, quæ ad prædictas potentias, et virtutes derivatur, supernaturalis est, et non recipitur in earum entitate, ut est pura potentia naturalis ; sed quatenus est potentia naturalis quoad substantiam, et supernaturalis quoad modum ; sicut ipsi actus formati sunt naturales entitative, et supernaturales modaliter.

Respon sio.

§ III.

Referuntur sententiæ contrariæ.

58. Contra primam nostram, et communem assertionem sentiunt Lutherani, ut vidimus in limine hujus dubii, censentes fidem esse charitate perfectiorem, et illius formam. Pro qua sententia possent expendi argumenta, quæ *dub. præced.* diluimus. Sed insuper probatur, quia per idem aliquid vivificatur, et formatur : sed vita spiritualis

Prima sententia oppo sita Luther.

Primum argumentum. Abach. 2. lis datur per fidem, ut patet ex illo Abach. 2 : *Justus autem meus ex fide vivit :* ergo formatio virtutum est per fidem, et non per charitatem.

Confirmatur, quia instrumentum recipit vitam a principali agente : sed charitas comparatur ad fidem, sicut instrumentum ad agens principale, ut significat Apostol. Ad Gal. 5. *ad Galat.* 5, illis verbis : *Fides quæ per charitatem operatur.* Ergo fides est forma charitatis, et non e contra.

Diluitur. D. Tho. Argumentum solvit D. Thom. *quæst.* 13 *de Verit. art.* 5, *in resp. ad* 12, ubi ait : « Dicendum quod aliquid commune attri- « buitur alicui specialiter dupliciter : vel « quia sibi perfectissime convenit, sicut si « cognoscere attribuamus intellectui : vel « quia in eo primo invenitur, sicut vivere « attribuitur animæ vegetabili, ut patet in « 1 de anima, quia in actibus ejus primo « apparet vita. Vita ergo spiritualis attri- « buitur fidei, quia in ejus actu primo ap- « paret ; quamvis ejus complementum sit « a charitate, et hoc ipso est forma aliarum « virtutum. »

Ad confirmationem neganda est minor, quia fides non operatur per charitatem sicut per instrumentum, sed sicut per formam, et vitam, sicut homo dicitur operari per animam. Et Apost. loquitur de fide per charitatem formata, ut ibidem exponit D. Thom. *lect.* 2. D. Tho.

Secundum argumentum. 59. Arguitur secundo : nam id, quod habet rationem radicis, et fundamenti, nequit comparari per modum formæ, cum de ratione formæ sit perficere, et complere : sed charitas se habet ut fundamentum, et Ad Eph. 3. radix, juxta illud Apost. ad Ephes. 3 : *In charitate radicati, et fundati :* ergo charitas non comparatur ut forma ad alias virtutes.

Solvitur. D. Tho. Ad hoc argumentum respondet D. Thom. *in præs. art.* 8 *ad* 2 sic : *Dicendum, quod charitas comparatur fundamento, et radici, in quantum ex ea sustentantur, et nutriuntur omnes aliæ virtutes* (quæ sunt munia formæ, cum det esse), *et non secundum rationem, qua fundamentum, et radix habent rationem causæ materialis.*

Tertium argumentum. 60. Arguitur tertio, quia unius rei unica est forma : sed fides formatur per gratiam : ergo non formatur per charitatem.

Confirmatur primo ; nam fides prius dimanat a gratia, quam charitas ; et actus fidei præcedit actum charitatis : sed pro illo priori fides, et ejus actus intelliguntur sufficienter formari per gratiam, et habere ordinem ad Deum finem ultimum : ergo fides non formatur per charitatem.

Argumento occurrit Divus Thom. *loc. cit. ex quæst. de verit. i resp. ad* 6, his verbis : *Dicendum quod plures esse perfectiones unius rei in eodem ordine est impossibile ; gratia autem est sicut perfectio prima virtutum, sed charitas sicut perfectio proxima.* Quia gratia et charitas non informant formaliter per seipsas alias virtutes, sed effective derivando ad ipsas ordinem habitualem ad Deum ultimum finem ; qui ordo provenit radicaliter a gratia mediante charitate sicut virtute proxima, cui per se convenit Deum sub ratione ultimi finis attingere. Enodatur. D. Tho.

Confirmationem diluit ibidem *in resp. ad* 13, his verbis : « Dicendum quod in habente « charitatem non potest esse aliquis actus « virtutis, nisi a charitate formatus. Aut « enim actus ille erit in debitum finem or- « dinatus, et hoc non potest esse nisi per « charitatem in habente charitatem ; aut « non est ordinatus in debitum finem, et « sic non erit actus virtutis. Unde non po- « test esse, quod actus fidei sit formatus à « gratia, et non a charitate, quia gratia « non habet ordinem ad actum, nisi chari- « tate mediante. » Cum enim charitati per se conveniat respicere Deum finem ultimum ; fidei autem, et aliis virtutibus id conveniat per participationem ; nec habitus, nec actus fidei valet a gratia cum ordine ad Deum finem ultimum procedere, nisi media charitate. Recolantur quæ diximus locis supra citatis *ex tract.* 16. D. Tho.

61. Arguitur quarto : nam fides est lumen spirituale : sed lumen habet rationem formæ respectu eorum, quæ videntur : ergo sicut lux est forma colorum, ita fides est forma charitatis, et aliarum virtutum. Quartum argumentum.

Confirmatur, quia idem est ordo perfectionum, et perfectibilium : sed intellectus, quem perficit fides, comparatur per modum formæ ad voluntatem, quam charitas perficit ; est enim nobilior quam illa : ergo fides comparatur ut forma ad charitatem.

Ad argumentum respondet D. Thom. *quæst. unica de charit. art.* 3 *ad* 11, his verbis : « Dicendum, quod lumen est forma « colorum, in quantum sunt visibiles actu « per lucem. Et similiter fides est forma « virtutum, in quantum sunt a nobis co- « gnoscibiles. Quid enim sit virtuosum, « vel contra virtutem, per fidem cognosci- « mus. Sed in quantum virtutes sunt ope- Diruitur. D. Tho.

« rativæ (nempe cum ordine ad Deum finem « ultimum) per charitatem informantur. »

D. Tho. Confirmationem solvit S. Doct. ibidem *in resp. ad* 12, ubi ait : « Dicendum quod « intellectus simpliciter est prior volun- « tate, quia bonum intellectum est objec- « tum voluntatis ; sed tamen in operando, « et movendo prior est voluntas, non enim « intelligit, et movet, nisi voluntate acce- « dente, unde ipsum etiam intellectum « movet voluntas, in quantum est operati- « vus ; utimur enim intellectu quando vo- « lumus. Unde cum credere sit intellectus « a voluntate moti, credimus enim aliquid, « quia volumus ; sequitur quod magis cha- « ritas det formam fidei, quam e con- « verso. »

Alia argumenta possent opponi, quæ facile diluuntur ex dictis, et nonnullis occurrimus *dub. præced.*

Secunda sententia contraria. Lorca. 62. Contra secundam assertionem sentit Lorca *disp.* 12, *num.* 5, ubi ait : *Quidam conantur defendere informationem hanc fieri aliquo reali impresso. Sed manifestum est id esse commentitium.* In quo vehementer excessit ; nam sententiam nostram quam aliunde fundamenta satis gravia probabilissimam faciunt), expresse docet D. Thom. testimoniis supra relatis, et expressius adhuc 14 *de Verit. art.* 5 *in resp. ad* 4, ubi ait : *Id quod ex charitate in fide relinquitur, est fidei intrinsecum ; et hoc quomodo sit fidei accidentale, vel substantiale, infra dicetur.* Pro eadem opinione referri possunt qui docent, quod quando potentia superior movet inferiorem, nihil intrinsecum illi imprimit ; sed sufficere radicationem, et naturalem sympathiam inter potentias, ut una appetente, aut imperante, altera moveatur, et operetur. Quod defenduntur Vasquez 1, 2, *disp.* 34, *cap.* 3, Navarrete *tom.* 1, *q.* 14, *art.* 8, *controv.* 10, § 4 et alii. Qamvis nec inde convincantur, quod idem sentiant de informatione charitatis, ut ex dicendis constabit.

D. Tho.

Vasq. Navarr.

Argumentum. Lorca. Unicum motivum, quo Lorca ita convincitur, ut nostram sententiam manifeste commentitiam appellet, est hujusmodi : « Manifestum, inquit, est id esse commen- « titium ; nam charitas non est forma in- « trinseca, sed extrinseca, et solum confert « ordinem ad finem, qui provenit ex im- « perio ; per imperium autem nihil reale « imprimitur actui, vel potentiæ ; sed sola « sympathia potentiarum sufficit, ut infe- « rior sequatur superiorem efficaciter de- « terminatam ; et sola extrinseca conjunc- « tio actuum, ut imperatus censeatur re- « ferri in finem operantis. » Hoc, et non aliis fundamentis fulcit Lorca suam opinionem.

Sed id facile diluitur ; nam, ut ab ultimis hujus authoris verbis incipiamus, actus a charitate imperatus non solum censetur referri in finem charitatis, sed vere, et ante intellectum importat ordinem ad prædictum finem ; hinc enim habet omnimodam condignitatem ad merendum vitam æternam, quæ condignitas non est denominatio extrinseca, nec ens rationis, sed aliquod prædicatum reale actui intrinsecum. Cum autem virtus proxime eliciens actum, non habeat ex se respicere talem finem, opus est concedere, quod participet aliquid intrinsecum de linea charitatis, per quod constituatur in actu primo sufficienti ad producendum suum actum cum tali ordine, ut supra fusius ostendimus. Et hæc satis erant ad diluendum illud motivum.

Respon- sio.

63. Verum ut evidentius appareat, quam incertum, et efficax sit illud principium, quod prædictus author assumit, videlicet *per imperium nihil reale imprimi actui, vel potentiæ*, observandum est cum M. Joan. a S. Thom. ubi supra, dupliciter intelligi posse, quod una potentia imperet alteri, illamque moveat : uno modo in ordine ad actus, qui secundum aliquam rationem excedant virtutem potentiæ motæ : altero modo in ordine ad actus ipsi proportionatos. Priori modo non est mera applicatio, sed etiam elevatio potentiæ motæ ; posteriori autem modo est sola applicatio, sive reductio potentiæ ad suum connaturale exercitium. Quamvis ergo admitteremus, quod imperium, seu motio in hac posteriori consideratione nihil reale imprimat potentiæ ; falsum tamen omnino est, quod in priori acceptione aliquid reale non imprimat. Repugnat enim facultatem proxime elicitivam elicere actum secundum aliquam rationem excedentem ejus virtutem, et quod non elevetur per aliquid intrinsecum ad attingendum talem rationem ; nisi enim aliquid ipsi superaddatur, manebit sub eadem impotentia, quam ex se habet ; atque ideo sicut ante imperium, seu motionem potentiæ superioris nequit elicere actum secundum illam rationem excedentem consideratum, ita neque poterit positis imperio, et motione pure extrinsecis, sicut communiter docent Thomistæ de instrumentis,

Vires argumenti infringuntur. Joan. a S. Tho.

mentis, et de potentia obedientiali intrinsece non elevatis. Eo autem ipso, quod charitas imperet actus aliarum virtutum, prædictæ virtutes eliciunt actus excedentes secundum aliquam rationem propriam facultatem virtutum; attingunt enim objectum non secundum illam præcise rationem, quæ ipsis correspondet, sed secundum quod correspondet charitati, producendo in suis actibus ordinem ad Deum finem ultimum supernaturalem, qui ordo excedit vim talium virtutum, præcipue si sint adquisitæ. Quocirca motio, et imperium charitatis non comparatur ad potentias, et virtutes mere applicative, sed etiam elevative; atque ideo debet eis imprimere aliquid reale, et intrinsecum, eo proportionali modo, quo agens principale elevat instrumenta: quamvis non oporteat, quod virtutes tantum eleventur, cum actu imperantur, et agunt; sed magis quod hanc elevationem participent habitualiter per dimanationem a gratia, cum primo infunditur, ut supra explicuimus. Id vero, quod dicitur de sympathia potentiarum, non habet locum in nostro casu; nam quod actus entitative naturales attingant finem charitatis, nequit in ullam sympathiam, aut naturalem dispositionem reduci, sed revocandum est in aliquam elevationem intrinsecam, et ejusdem ordinis cum fine attacto, qui naturalem virtutem excedit.

Diximus, *Quamvis admitteremus, quod imperium, etc.* ut independenter ab hoc ostenderemus, salvari veritatem nostræ assertionis; scilicet virtutes informari per aliquid intrinsecum derivatum ex charitate. Sed revera superioris potentiæ imperium, licet sit pure applicans, et motio pure determinans potentiam inferiorem, aliquid ipsi imprimit, et derivat ad ejus actum. Quoniam eo ipso, quod actus potentiæ inferioris egrediatur ab illa ut imperata, et mota a potentia superiori, nequit non importare aliquod prædicatum reale intrinsecum, quod non afferret, nisi imperium, et motio potentiæ superioris præcessissent. Respicit enim objectum non secundum se tantum, sed ut subordinatum fini superioris potentiæ; et dicit habitudinem ad principium proximum, non utcumque acceptum, sed ut subditum determinationi potentiæ superioris. Et hujusmodi respectus ad objectum, et principium non est mera fictio, vel denominatio extrinseca, sed prædicatum reale se tenens ex parte actus. Cumque ipsi non conveniat ratione eorum, quæ ex se, et ex propria specie affert; opus est, quod illud habeat ratione alicujus superadditi, et derivati ex motione potentiæ superioris. Neque hic iterum sympathia locum habet; hæc enim nihil aliud est, quam communis potentiarum in eadem anima radicatio, quæ semper manet, et est eadem, sive actus imperentur, sive non; atque ideo non constituit diversam illam habitudinem proxime applicatam.

64. Sed dices, explicari non posse, qualiter una virtus moveat aliam, et quid illi imprimat; et consequenter impressionem hujus motionis videri commentitiam. Rursus, plures virtutes possunt imperare eundem actum, ut si quis eliciat actum temperantiæ ex motivo charitatis, pœnitentiæ; humilitatis, etc. incredibile autem apparet, quod propterea idem actus recipiat tot modificationes intrinsecas. Objectio.

Respondetur negando antecedens, quia dum potentia per unam virtutem elicit actum, quo ad proprium objectum ordinat actum, et materiam alterius virtutis, per illummet actum movet et se, et virtutem, cujus actum intendit, vel movet aliam potentiam, et virtutem, si hæc in distincta potentia reperiatur. Nec de hoc possunt Adversarii dubitare, cum supponant unam potentiam movere aliam potentiam, et unam virtutem aliam virtutem, licet id fieri dicant absque impressione alicujus intrinseci, ut nos asserimus. Hujusmodi autem intrinsecum est aliqua qualitas incompleta de linea virtutis imperantis, et respiciens idem objectum, ut supra *num.* 56 vidimus; et non est mera applicatio, sed sublevatio virtutis motæ, ut operetur alio modo, quam ex propria specie potest. Et cum idem actus a pluribus virtutibus imperatur, tot participat modificationes. Nec hoc magis intelligibile est, quam quod idem actus habeat plures modos intrinsecos moralitatis, utputa ex objecto, ex fine operantis, et circumstantiis. Videantur quæ diximus *tract.* 11, *disputat.* 1, *dub.* 3, *et disputat.* 4, *dub.* 1, *et* 2, *et in notis ad artic.* 1, *et* 2, *quæst.* 63, ex quibus hic dicta non mediocrem lucem accipient. Diluitur.

65. Arguitur secundo, quia charitas nequit aliquid producere in aliis virtutibus, nisi per suam operationem: sed operatio charitatis est immanens: ergo nihil efficere aliis virtutibus, præsertim cum inhærent aliis potentiis, nempe intellectui, et appetitui. Secundum argumentum.

Confirmatio prima. Confirmatur primo, quia idem actus sine ulla variatione intrinseca potest referri in finem charitatis, atque ideo charitate formari ; ut si collatio eleemosynæ, quæ fiebat ex motivo inanis gloriæ, incipiat exerceri propter Deum : ergo signum est, quod formatio virtutum per charitatem non importat aliquid intrinsecum.

Secunda. Confirmatur secundo, quia ita se habet electio mediorum ad intentionem finis, sicut assensus conclusionis ad assensum præmissarum : atqui supposito assensu circa præmissas, non requiritur ulla determinatio intrinseca superaddita scientiæ, ut eliciat assensum circa conclusionem ; sed sine tali determinatione elicit hujusmodi assensum : ergo supposita intentione finis, non requiritur aliqua determinatio intrinseca, ut habitus electivus eliciat suum actum propter finem intentum.

Satisfit argumento Respondetur argumento negando majorem, quia charitas potest aliquid derivare ad alias virtutes per simplicem dimanationem ; et per hoc possunt virtutes habitualiter elevari ad producendum suos actus cum ordine ad finem charitatis, ut supra explicuimus *a num.* 53.

Deinde omissa majori, negamus minorem, quia licet actus charitatis sit formaliter immanens, est virtualiter transiens ob efficaciam imperandi alios actus, quibus proinde, et suis principiis imprimere valet aliquid intrinsecum. Potestque hoc declarari exemplo intellectionis Angelorum ; licet enim sit formaliter immanens, possunt tamen Angeli per eam aliquid extra
D. Tho. se producere, ut expresse docet D. Thom. *opusc.* 11, *cap.* 3. Potentia etiam locomotiva, tam in nobis, quam in brutis non distinguitur realiter a potentia cognoscitiva, et appetitiva, quarum actiones sunt formaliter immanentes ; et nihilominus virtualiter transeunt producendo motum externum, ut cum eodem S. Doct. tradunt N.
N. Com. Complut. *in lib. de Anima, disput.* 7, *quæst.* 2.

Occurritur primæ confirmationi. Ad primam confirmationem respondetur, posse quidem eandem actionem externam fieri sine motivo charitatis, et ex tali motivo absque ulla variatione intrinseca. Sed hoc ideo est, quia in actionibus externis non participatur intrinsece libertas, nec moralitas. Cæterum loquendo de actu interno, qui illam operationem externam imperat, fieri non valet, quod ex variatione motivi charitatis non subeat aliquam intrinsecam varietatem ; nam si prius non referebatur in finem charitatis, et postea refertur, opus est quod postea importet novum ordinem ad talem finem, et diversam habitudinem ad principium, quibus respectibus prius carebat. An autem hæc variatio fieri queat permanente eodem numero actu, constat ex dictis *tract.* 11, *disp.* 6, *dub.* 2.

Diluitur secunda. Ad secundam respondetur vel negando majorem, vel ea, et minori omissis, negando consequentiam. Et ratio disparitatis est manifesta. Tum quia assensus principiorum determinat necessario ad assensum conclusionis, ubi intellectus connexionem evidenter videt : intentio autem finis non connectitur necessario cum electione hujus medii, aut electione alterius ; et ideo opus est, quod specialiter imperet hanc, aut illam, et consequenter quod applicet principium immediatum talis electionis. Tum etiam, quia habitus scientificus ex natura sua manet determinatus ad assentiendum suis conclusionibus propter principia, a quibus dependet ; unde non oportet, quod nova aliqua denominatio intrinseca habitui scientifico superaddatur, sed sufficit assensus principiorum, ut talis habitus immediate proprium assensum eliciat. Habitus autem electionis, et potentiæ solum manent determinati ad operandum propter proprium finem sibi specialiter correspondentem : quocirca ut operentur propter alium finem, debent determinari ab alio principio, cui per se correspondet talis finis ; atque ideo debent ab eo principio determinari per aliquid intrinsecum, aliter enim non poterunt producere in propriis actibus ordinem ad illum finem, qui distincto principio correspondet.

DUBIUM IV.

Utrum charitas viæ possit esse æqualis charitati patriæ.

Hujus difficultatis resolutio haud obscure colligitur ex hactenus dictis in hoc tractatu, quocirca paucis illam explicabimus. Potest ergo hæc comparatio quoad plura fieri. Primo quantum ad perfectionem specificam : secundo quantum ad intensionem : tertio quantum ad perfectionem ex aliis capitibus desumptam. Et quidem si quoad speciem fiat comparatio, satis liquet pars affirmativa, quia ut *dub.* 1, *a num.* 8, ostendimus, charitas viæ, et charitas patriæ sunt idem habitus

habitus in specie. Si autem attendamus ad perfectionem ex aliis capitibus desumptam, certum est charitatem patriæ excedere charitatem viæ. Tum quia charitas in patria est in statu omnino connaturali; in via vero quasi peregrinatur a Domino. Tum quia in patria est in centro, ad quod inclinat gratia, quæ propterea *Joan.* 4, vocatur fons aquæ salientis in vitam æternam; modo autem existit extra illud centrum. Tum quia in patria habet objectum præsens, et possessum per visionem beatificam, quod in via non habet. Tum quia in patria a nullo impeditur, quominus toto conatu feratur in Deum; at in via per plura ab hoc impetu retardatur. Tum quia in patria omnia actu necessario refert in Deum, et sic omnem incuriam, et inadvertentiam excludit; quod in via non facit. Tum denique (quod sequitur ex præmissis) quia in patria inamissibilis est, secus in via. Unde sola secunda comparatio potest disputationi submitti, an videlicet charitas viæ possit esse æqualis intensioni charitati patriæ. Quæ difficultas potest dupliciter tractari: uno modo comparando charitatem unius viatoris ad charitatem alterius beati: alio modo comparando charitatem quam homo habet in via, ad charitatem quam idem homo habebit in patria. His suppositis.

Status quæstionis

§ UNICUS.

Resolutio dubii duabus assertionibus explicatur.

Prima conclusio.

66. Dicendum est primo, charitatem unius viatoris posse esse æqualem charitati alterius comprehensoris. Sic docent communiter Theologi, Suarez *disp.* 3, *sect.* 4, *concl.* 2, Ferre *q.* 8, § 5, Bannez *q.* 24, *artic.* 7, *dub.* 3, Arauxo *dub.* 3, qui pro eadem refert D. Bonavent. Scotum, Durandum, Almainum, Victoriam, Conradum, et alios. Probatur efficaciter, quia charitas existentis in patria habet certum, et finitum gradum, ultra quem non augetur. Demus ergo quod est intensa ut viginti: atqui viator potest hunc gradum attingere, immo excedere: ergo charitas viæ potest esse æqualis charitati patriæ. Minor constat ex dictis *disp. præced. dub.* 1, ubi statuimus charitatem viæ nullum sibi vindicare terminum, ultra quem progredi non possit: ergo charitas viæ potest esse intensa ut viginti, et amplius.

Suarez. Ferre. Bannez. Arauxo. D. Bon. Scotus. Durand. Almain. Victori. Conrad.

Ratio.

Confirmatur exemplis. Tum quia certum omnino videtur, charitatem quam B. Virgo habuit in via, longe excessisse charitatem cujuslibet hominis, aut Angeli beati. Tum quia sine fundamento diceretur, charitatem unius viri sanctissimi, v. g. D. Petri degentis in via, non excedere charitatem, quam parvulus decedens post gratiam Baptismi habet in patria. Tum denique quia fieri valet, quod vir sanctissimus longo tempore vivat, et eliciendo actus ferventiores plurimum charitatis in hac vita consequatur, ut de Magno Parente Elia diximus *tract.* 16, *disp.* 1, *dub.* 5. Ergo hujus charitas potest non solum adæquare, sed etiam excedere charitatem alicujus comprehensoris.

Confirmatio.

67. Sed objicies: nam ita se habet amor charitatis in via ad habitum charitatis in patria, sicut habitus charitatis in via ad habitum charitatis in patria: sed amor charitatis, quo viator amat Deum, nequit esse æqualis amori charitatis, quo comprehensor Deum amat in patria: ergo habitus charitatis in uno viatore nequit esse æqualis habitui charitatis in alio comprehensore. Probatur minor: tum quia objectum præsens movet ad majorem amorem, quam absens; Deus autem, qui est objectum amoris charitatis, in patria clare videtur, secus in via. Tum etiam, quia amor unius boni eo est major, quo cupiditas contraria minus retardat: atqui amor charitatis in patria non impeditur cupiditate contraria, in via vero pluribus retardatur: ergo amor charitatis in patria est major quolibet amore charitatis in via.

Objectio.

68. Propter hanc objectionem Arauxo ubi supra, et quidam alii respondent, aliter philosophandum esse de actibus amoris charitatis in via, et patria, ac de habitibus; censent enim quod amor charitatis in viatore nunquam est æqualis amori charitatis in comprehensore.

Prior responsio insufficiens. Arauxo

Sed displicet hæc doctrina, quia non dubitamus, quod B. Virgo in carne mortali vivens dilexerit Deum ferventiori amore, quam plures beati. Idemque proportionabiliter judicamus de Magno Elia, et aliis viris sanctissimis. Accedit, quod nulla est repugnantia, quod viator eliciat actum charitatis secundum totam latitudinem habitus charitatis; atque ideo si iste habitus est intensus ut centum, eliciet amorem ejusdem intensionis. Fieri autem potest, quod aliquis beatus habeat habitum charitatis minus intensum, v. g. ut quinquaginta, sicut ipse Arauxo concedit; et consequenter licet beatus utatur illo habitu

secundum totam suam latitudinem, non eliciet nisi amorem ut quinquaginta, qui est minus intensus, quam actus ut centum a viatore elicitus, ut ex terminis constat. Nec prodest recursus prædicti Authoris ad auxilium superadditum, ut beatus supra exigentiam, seu latitudinem habitus operetur. Tum quia hoc absque fundamento asseritur. Tum quia in statu illo perfectissimo cuncta perfecte, et connaturaliter fiunt; atque ideo nec amor beatificus excedit latitudinem habitus, a quo elicitur; nec confertur auxilium supra exigentiam, et dispositionem principii.

Legitima solutio. Respondetur ergo ad objectionem concedendo majorem, et negando minorem. Cujus probationes solum evincunt, amorem patriæ esse meliorem quolibet amore viæ quantum ad statum, continuationem, uniformitatem, inamissibilitatem, et alias plures perfectiones, ut in limine dubii ob-

D. Tho servavimus, et docet D. Thom. *quæst.* 24, *art.* 8, non vero quod quilibet amor patriæ excedat omnem, et quemlibet amorem viæ quantum ad intensionem, seu gradus actualitatis, et radicationis. Quoniam ad alias perfectiones sufficit diversa determinatio objecti, quod propter sui evidentem notitiam, et possessionem rapit voluntatem ad amorem necessarium, continuum, et inamissibilem. Cæterum ejusdem amoris intensio debet commensurari intensioni principii, a quo elicitur; et ideo non excedit intensionem habitus charitatis. Unde ad primam probationem concedimus, objectum præsens magis movere, quam absens; sed nunquam movet ad amorem excedentem virtutem proxime elicitivam, eo quod motio, et causalitas objecti, seu finis coincidit realiter cum operatione amantis; quæ (ut ex se liquet) nequit vim amativam excedere. Per quod patet ad secundam, quoniam absentia cupiditatis appositæ confert quidem ad eliciendum amorem cum majori expeditione, et continuatione; sed præstare non valet, quod amor sit intensior suo principio.

Secunda conclusio. 69. Dicendum est secundo, fieri non posse, quod charitas, quam adultus habet in via, sit æqualis charitati, quam idem adultus habet in patria. Diximus, *quam adultus, etc.*, quia si loquamur de charitate parvulorum morientium post susceptam gratiam Baptismi, nullum fundamentum habemus, ut dicamus eorum charitatem in patria fore majorem, quam fuerit in via; unde conclusionem restringimus ad charitatem adultorum. Et sic intellecta est communis inter Thomistas, potestque probari ex eo, quod adultus non semper elicit actus intensiores habitu præexistente, sed frequenter elicit actus vel æqualis, vel minoris intensionis: augmentum autem, quod iis actibus correspondet, non statim confertur in hac vita, sed confertur in alia, tunc videlicet, quando homo prorumpit in actum ferventem, et commensuratum toti augmento, quod omnibus meritis correspondet, ut supra ostendimus *disp.* 5, *dub.* 4. Ergo charitas, quam adultus habet in via, non est æqualis charitati, quam habebit in patria; sed aliquid superest, quod in statu beatitudinis superaddatur. Ratio.

Sed licet hæc ratio probet, quod regulariter loquendo charitas adulti in via non sit æqualis charitati ejusdem in patria, attamen non convincit universaliter, quod id de facto nunquam contingat. Nam etsi ut in plurimum homines ita se gerant, ut in prædicto discursu describitur; fieri tamen valet, quod aliquis adultus paulo post usum rationis eliciat unum, aut alterum actum charitatis ferventiorem habitu præexistenti, non eliciendo aliquem actum minoris, aut æqualis intensionis, et quod statim moriatur. In quo casu consequitur in hac vita omne illud charitatis augmentum, quod suis actibus meritoriis correspondet, et nihil ex vi hujus superest addendum in patria; et consequenter, quantum est ex hoc capite, habebit in via charitatem æqualem charitati futuræ in statu beatitudinis. Et quidem satis credibile est, B. Virginem hoc pacto exercuisse charitatem in via, eliciendo semper actus ferventiores, quibus augmentum eis debitum statim consequebatur; cum hoc non repugnet ejus dignitati, et majorem ipsius perfectionem in operando commendet. Non convincit.

70. Probatur ergo assertio firmiori, et universaliori motivo, quia juxta commune Theologorum axioma, Deus præmiat ultra condignum, adjiciendo aliquid supra id, quod actibus nostris ex justitia debetur: unde actui, v. g. meritorio ut quatuor, non rependit præcise gratiam, et charitatem ut quatuor, sed hoc, et amplius quid: ergo supra id, quod de præsenti retribuitur actibus meritoriis intensioribus, restat aliquid charitatis retribuendum in patria; et consequenter charitas adulti in via, admisso etiam, quod semper eliciat actus ferventio- Verum motivum.

res

res habitu præexistenti, nunquam est tantæ intensionis, quanta erit in statu beatitudinis.

Suarez. Præcluditur quædam evasio

Nec valet, si cum Suario infra referendo dicatur, illud quod Deus adjicit supra nostrorum operum condignitatem, statim a Deo conferri Quoniam charitas non augetur in actu, nisi posito actu ejusdem intensionis cum augmento superaddendo, et physice ad illud disponente, ut ostendimus loco supra citato : ergo posito actu, v. g. ut quatuor, solum retribuitur charitas ut quatuor, quæ tali actui ut merito de condigno debetur ; et tamen Deus præmiat ultra condignum : ergo aliquid remanet tribuendum in patria, ubi aderit actus ejusdem intensionis cum augmento dando tam de condigno, quam supra condignum. Et hæc videtur expressa sententia D. August. 1, *Retract. cap.* 7, *et serm.* 16 *de verbis Apost. et epist.* 106 in quibus, et aliis locis frequenter repetit charitatem in patria perfici, et in via non esse plenam.

D.Aug

Opinio contraria. Lorca.

71. Contra primam assertionem sentit Lorca *disput.* 18, *num.* 10, ubi affirmat nullius viatoris charitatem esse æqualem charitati alicujus comprehensoris. Sub qua regula non audet comprehendere B. Virginem, sed dicit quod ex speciali privilegio ejus charitas in via excedebat charitatem plurium existentium in patria. Probat hic Author suam assertionem ex illo Matth. 11 : « Non surrexit inter natos mulierum ma-
« jor Joanne Baptista : qui autem minor est
« in regno cœlorum major est illo. » Cum ergo S. Joannes habuerit insignem charitatem in via, et comparetur minori existenti in patria, sequitur nullius viatoris charitatem esse æqualem charitati alicujus beati.

Matth. 11. Argumentum.

Confirmatio. D. Aug.

Confirmatur primo testimoniis tum D. Augustini proxime relatis, in quibus significat charitatem viæ comparari ad charitatem patriæ sicut imperfectum ad perfectum. Tum D. Thom. *quæst.* 24, *art.* 7, *in resp. ad* 3, et *in* 3 *p. quæst.* 7, *art.* 11 *ad* 3, quibus locis affirmat, charitatem viæ, et charitatem patriæ importare quantitates diversæ rationis, et propterea illam pervenire non posse ad quantitatem istius.

D. Tho.

Alia confirmatio.

Confirmatur secundo, quia cum in patria objectum charitatis sit præsens, et moveat ad intensiorem amorem, quam in via, petit quod habitus charitatis sit intensior, et actui eliciendo proportionatus.

Satisfit argumento.

His tamen facile occurritur ; solum enim probant charitatem patriæ excedere quamlibet charitatem viæ quantum ad statum, immobilitatem, et necessitatem amandi, ut in principio dubii præmisimus ; secus vero quantum ad physicam intensionem, ut in probatione nostræ assertionis ostendimus. Unde ad illud testimonium respondetur, quod solum evincit excessum proxime explicatum, videlicet non quantum ad substantiam, et intensionem charitatis, sed quantum ad perfectiorem modum illam habendi. Addimus, in eo testimonio intelligi Christum Dominum *minoris* nomine, qui licet secundum dignitatem incomparabiliter excedebat Joannem, tamen secundum dominum æstimationem reputabatur minor tunc in Ecclesia, quam regnum cœlorum significat. Quæ interpretatio est D. August. *tract.* 13 *in Joan.*

D. Aug.

Diluuntur confirmationes. D. Tho.

Testimonia in prima confirmatione allegata eodem modo exponenda sunt. Nec D. Thom. nomine quantitatis diversæ rationis intensionem intellexit, sed diversos alios modos perfectionis convenientis charitati in via, et in patria, ut constat ex dictis *in hac disp. n.* 11, et *disp.* 5, *n.* 14.

Ad secundam confirmationem patet ex dictis *num.* 18. Quibus addimus intensionem amoris in patria non esse commensurandam bonitati objecti visi, alias esset infinita ; sed quantitati charitatis, quæ correspondet charitati, et meritis viæ, et illi superaddito, quod Deus pro suo beneplacito ipsi adjicit.

Alia sententia opposita. Vega. Suar.

72. Contra secundam assertionem sentiunt Vega *lib. in Trident. c.* 15, Suarez *ubi supra, concl.* 5, et alii. Quorum sententia innititur in eo, quod existimant augmentum correspondens cuilibet actui charitatis, sive intenso, sive remisso, statim in hac vita conferri. Hinc enim colligunt, adultis non superesse aliud charitatis incrementum, quod recipiant in beatitudine ; et consequenter in eodem adulto charitatem viæ esse æqualem charitati patriæ. Sed hoc fundamentum diruimus *disp.* 5, *dub.* 4, ubi contrariam sententiam firmavimus. Data etiam adversariorum opinione quantum ad illud charitatis augmentum, quod actibus meritoriis debetur, adhuc superesset aliquid charitatis in patria conferendum, illud videlicet, quod Deus tribuit ultra, et supra condignitatem nostrorum operum, ut *num.* 70 vidimus. Nec adest motivum rationabile, ut dicatur illud in via statim a Deo conferri ; sed magis congruit, ut perseverantibus reservetur dandum in gloria. Et hæc de ista materia dixisse sufficiat.

TRACTATUS XX

DE STATU RELIGIOSO IN COMMUNI

Studium Angelici Doctoris *in hac* 2, 2, in id præsertim incubuit, ut perfectam nobis notitiam traderet de omnibus virtutibus in particulari : quod egregie assecutus est. Nam a principio disseruit de tribus nobilissimis virtutibus theologicis, Fide, Spe, et Charitate, quarum notitiæ, et S. Doctoris intelligentiæ tres præcedentes tractatus dedicavimus, in quibus præcipuas, et magis scholasticas difficultates superare pro viribus studuimus. Earum autem trium virtutum absoluta cognitione, processit D. Thomas ad agendum de virtutibus moralibus, et earum partibus, tam subjectivis, quam potentialibus, et de vitiis, ac peccatis oppositis ; et huic considerationi insignem navavit operam, theologiæque morali utilissimam ; in qua proinde parte illustranda latissimus patet campus, quem alii egregiis commentariis percurrerunt. Verum ne id studium arripiamus, non pauca movent. Tum ipsius operis diffusa admodum magnitudo. Tum quod magis pertinet ad considerationem moralem, quam ad scholasticam, ad quam maxime in hoc Cursu attendimus. Tum quia non modica prædictarum virtutum notitia haud obscure constat ex dictis 1, 2, *tract.* 12, et in arbore illi annexa. Et idcirco in præsentiarum ab his supersedendum censuimus. Congruum tamen duximus addere brevem tractatum de statu religioso in communi, et quia religiosum theologum (qualem agimus) ejus notitia decet, et ob aliud specialius motivum, quod Lector ex operis decursu facile dignoscet. Sed, ut diximus, brevem ; quia tria tantum præcipua hujus status considerabimus, essentiam videlicet, perfectionem, et antiquitatem, circa quæ non pauca occurrunt discussione digna, et quibus elucidandis sequentes disputationes deservient.

DISPUTATIO I.

De essentia status religiosi in communi.

Quod status religiosus existat in Ecclesia, est per se notum ; unde relicta quæstione *an est*, a consideratione essentiæ hujus status tractatum istum ordimur. Et ante alia discutere oportet.

DUBIUM I.

An essentia status religiosi consistat in tribus votis, obedientiæ, castitatis, et paupertatis.

1. Pro tituli, et difficultatis intelligentia observandum est, quod hoc nomen, *status* (relictis aliis acceptionibus, quas fuse recenset Suarez *tom.* 3, *de Religione*, *lib.* 1, *cap.* 1), significat formam, seu modum vivendi cum aliqua obligatione firma, et stabili. Ita sumitur ex D. Thom. *in hac* 2, 2, *quæst.* 183, *art.* 1, et facile constat ex communi modo concipiendi varios Ecclesiæ status, ut statum matrimonii, statum monachatus, statum Episcopatus, et alios, de quibus disputat S. Doctor *loco cit. quæst.* 184, *et sequentibus*. Idque ipsa vox satis exprimit ; stabilitatem enim, et quietem præsefert, ac certam determinationem : sicut e contra mutatio significat vertibilitatem statui oppositam, juxta illud Job 14 : *Nunquam in eodem statu permanet*. Porro in rebus moralibus (cujusmodi sunt status Ecclesiæ), prædicta firmitas in modo vivendi fundatur in obligatione ad talem modum, sive obligatio ortum trahat ex lege, sive ex voto, sive ex justitia, sive ex aliis capitibus, quæ varia sunt, et ad unum

Ratio status in communi. Suar.

D. Tho.

Job. 14.

unum revocari non valent. Si enim nulla obligatio interveniat, nequit subsistere firmitas, quam ipsa vox *status* significat, ut facile consideranti constabit. Unde quod ad rationem status pertineat obligatio aliqualiter hominem immobilitans, supponit D. Thom. *illo art.* 1, dicens : *Id ad statum hominis pertinere videtur, quod respicit obligationem personæ hominis.* Et tradunt communiter Theologi contra Henricum. Videantur Turrecrem. *lib.* 1 *Summæ, cap.* 73, et Soto *lib.* 1 *de Justitia, quæst.* 5, *articulo* 1.

Turrecr. Soto.

Divisio status.

2. Deinde nota, quod status vitæ Christianæ dividitur prima, et generali divisione in statum vitæ communis, et in statum perfectionis. Nam nomine status vitæ Christianæ nil aliud significatur, quam forma, seu ratio vivendi firma, et stabilis ad consequendam salutem instituta. Hujusmodi vero forma, seu ratio duplex est : alia quæ præcise importat obligationem ad media necessaria ad salutem, et proinde est omnibus Christianis communis : alia vero, quæ præter necessaria complectitur plura utilia, et ad majorem profectum conducentia, et idcirco non est communis omnibus fidelibus, sed eorum peculiaris, qui ad perfectionem obligantur. Unde hic posterior status melius quid, et perfectius addit supra priorem, obligationem scilicet ad opera perfectiora. Licet enim qui solam vitam communem profitentur, possint plura opera supererogationis facere, et ad perfectionem contendere ; tamen eorum status ad id non obligat, nec prædicta opera habent peculiarem firmitatem, cum obligatio deficiat. Cujus oppositum accidit in his, qui sunt in perfectionis statu. Perfectio autem, ad quam status hic ordinatur, et velut terminatur, et a qua suscipit denominationem, consistit specialiter in perfectione charitatis, ut tradunt communiter Theologi cum Divo Thoma *quæst.* 184, *art.* 1 et 3, et ratio S. Doctoris evincit ; perfectio enim creaturæ rationalis consistit in unione ejus cum Deo ultimo fine : charitas autem est, quæ sic unit, ut significavit Joan. 1, Canonic. cap. 4 : *Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo :* unde perfectio vitæ spiritualis in charitate specialiter consistit. Quod satis expresse significatur in Scriptura ; nam *ad Coloss.* 3, dicitur : *Super omnia autem hæc charitatem habentes, quod est vinculum perfectionis.* Et ad Roman. 13 : *Plenitudo legis est dilectio.*

D. Tho.

Joan. 1.

Col. 3.

13 ad Rom.

Ex quibus, et aliis locis id deducit Divus Augustinus *in lib. de natura et grat. cap.* 70, ubi ait : « Inchoata charitas inchoata « justitia est, provecta charitas provecta « justitia est, magna charitas magna justi- « tia est, perfecta charitas perfecta justitia « est. » Et alia plura possent ad hoc intentum expendi, quæ dedimus *tract. præced. disp.* 7, *dub* 1 *et* 2. Cum vero dicimus, perfectionem vitæ Christianæ in charitate specialiter consistere, satis aperte significamus cæteras etiam virtutes ad prædictam perfectionem pertinere, sine quibus neque ipsa charitas invenitur. Sed quia omnes ex charitate habent, quod tendant in Deum ultimum finem, qui sub hac ratione est terminus nostræ perfectionis, et speciale charitatis objectum, ut fuse explicuimus *tractat. præced. disput.* 7, *dub.* 3, propterea perfectio vitæ Christianæ in charitate specialiter consistit. Et ob eandem rationem charitas dicitur finis aliarum virtutum, ut tradit D. Thom. *in hac* 2, 2, *quæst.* 23, *art.* 3 *ad* 3, et significat Apost. 1, *ad Timoth.* 1, dicens : *Finis præcepti charitas de corde puro.*

D. Aug.

Ad Tim. 1.

Quid dicat status perfectionis.

3. Præterea observandum est, statum perfectionis complecti non solum præcepta, sed etiam consilia. Quæ suppositio facile probatur præsupponendo, quod perfectio charitatis alia est essentialis, et necessaria simpliciter ad justitiam, de qua dixit Christus ad omnes, Matth. 5 : *Estote perfecti.* Alia est accidentalis, et essentiali superaddita, atque ideo utilis, sive ad melius esse, de qua dixit Christus ad quendam, Matth. 19 : *Si vis perfectus esse.* In præsenti autem, cum de statu perfectionis agitur, nomine perfectionis non priorem illam significamus, quæ communis est omnibus Christianis, sed aliam superadditam, et meliorem, ad quam personæ speciales obligantur, ut satis liquet *ex num. præced.*

Matth. 19.

Hinc ergo apparet sensus, et veritas hujus suppositionis ; quoniam media debent fini proportionari : sed finis status perfectionis est aliquid speciale, majus, et superadditum ultra id, in quod tendunt omnes Christiani : ergo media ad prædictum finem debent esse specialia, et supra media omnibus Christianis communia ; constat autem, quod omnes tenentur ad præcepta : ergo status perfectionis alia media supra præcepta complectitur, consilia videlicet, per quorum observantiam ad perfectionem deducimur. Et sic Christus Dominus osten-

dens viam omnibus necessariam ad salutem, dixit Matth. 19 : *Si vis ad vitam ingredi serva mandata.* Et postea consulens paupertatem ut medium conducens ad perfectionem, subdidit : *Si vis perfectus esse, abi, et vende omnia, quæ habes, et veni, sequere me.* Licet autem status perfectionis consilia amplectatur, tamen non oportet, quod omnes talem statum profitentes cuncta consilia observent, ut recte animadvertit D. Thom. *q.* 184, *art.* 3, *et quæst.* 186, *art.* 2, et *opusc.* 19, *cap.* 2. Tum quia fieri non potest, ut omnia consilia simul occurrant, et observentur. Tum quia non omnia singulis conveniunt ; alia enim conveniunt incipientibus, alia perfectis : unde non congruit illis consulere istorum propria, ne elationi, aut aliis periculis se committant. Et ideo sufficit observare ea, quæ uniuscujusque professioni, sive statui apta sunt.

D. Tho.

Qualiter status perfectionis dividatur.

4. Ulterius observa, quod status perfectionis dividitur in statum Episcoporum, et in statum Religiosorum, ut tradit D. Thom. *quæst. proxime citat. artic.* 5, et admittunt communiter Theologi. Nam uterque status est status perfectionis, et participat communem conceptum divisi ; aliunde vero habent sufficientem distinctionem inter se. Episcopi enim sunt in statu perfectionis exercendæ, sive (et idem est) in statu, in quo homo obligatur opera perfecta exercere : religiosi autem sunt in statu perfectionis acquirendæ, hoc est, in studio, et schola, in qua homo docetur acquirere, et obtinere perfectionem. Quam distinctionem docuit D. Dionys. Areop. relatus a D. Thom. *loco cit. in argum. Sed contra ;* nam *cap.* 5 *de divin. nomin.* attribuit perfectionem Episcopis tanquam perfectoribus : et *cap. seq.* attribuit perfectionem Monachis tanquam Deo famulantibus : et tandem *cap.* 7, docet in genere perfectionis aliquos esse ut agentes, et perfectores, nempe Episcopos ; alios vero ut recipientes perfectionem, cui incumbunt, videlicet Religiosos. De quibus *c.* 6 *Ecclesiast. hierarch.* inquit : « Sancti præceptores nostri divinis « eos appellationibus sunt prosequuti, par- « tim Therapeutas, id est cultores, a sin- « cero Dei famulatu, atque cultu ; partim « Monachos, ab individua, et singulari vi- « ta appellant, ut quæ illos in divinam, « Deoque gratam perfectionem promo- « veat. » Ex quibus satis liquet, quid nomine status religiosi significetur, modus scilicet firmus, et stabilis vitæ, qui licet

D. Dion.

hominem non supponat perfectum, illum tamen promovet ad perfectionem charitatis comparandam per media ad id proportionata, cujusmodi sunt consilia. Sive, ut sumitur ex Divo Thoma *q.* 186, *art.* 1, est modus vivendi totum hominem divino cultui consecrans, abducens illum ab omnibus, quæ perfectionem charitatis impediunt. Quod nunc breviter propositum majorem lucem accipiet ex dicendis *disp. seq.* ubi de perfectione status religiosi sermo redibit.

D. T

§ 1.

Vera, et communis sententia aliquibus assertionibus explicatur.

Prin
conc
sio.
D. T

5. Dicendum est primo, ad religiosum statum requiri tria consilia, paupertatis, castitatis, et obedientiæ. Ita Divus Thomas *quæstione* 186, *articulo* 3, 4 *et* 5, cui subscribunt communiter Theologi. Probatur quoad singula hæc consilia. Nam in primis Religiosi sunt in statu, sive studio adquirendi perfectionem charitatis ; ad hoc autem plurimum confert paupertas, illa enim liberat animum a curis temporalibus circa divitias, quæ multum impediunt charitatis amorem erga Deum, et cœlestia : ergo consilium paupertatis requiritur ad statum religiosum. Unde Christus Dominus consulens majorem perfectionem, *Matth.* 19, dixit : « Si vis perfectus esse, vade, et vende « omnia, quæ habes. »

Fun
ment

Matt
19.

Deinde ad comparandam perfectionem, quod est terminus status religiosi, debet animus abstrahi ab his, quæ maxime distrahunt, ne mens in Deum perfecte feratur ; hujusmodi autem est usus venereorum, tum propter vehementiam delectationis sensibilis, tum propter curam providendi proli, et familiæ : requiritur ergo ad statum religiosum castitas usum venereorum excludens. Et ita Apostolus 1,*ad Corinth.* 7, dixit : « Qui sine uxore est, solicitus est « quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. « Qui autem cum uxore est, solicitus est quæ « sunt mundi, quomodo placeat uxori, et « divisus est. Et mulier innupta, et virgo « cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta « corpore, et spiritu ; quæ autem nupta est, « cogitat quæ sunt mundi, quomodo pla- « ceat viro.

1 ad
Cor. 7

Denique status religiosus consistit in studio, et exercitio addiscendi, et consequendi perfectionem : in quolibet autem studio oportet,

oportet, quod addiscens ab alio dirigatur : ergo ad statum religiosum pertinet, quod homo se subjiciat alterius arbitrio, et magisterio, et hoc fit per obedientiam. Accedit etiam, quod sicut oportet amputare solicitudinem circa temporalia, quod facit paupertas ; ita oportet amputare solicitudinem circa seipsum, quod obedientia præstat, dum hominem in dispositione suorum actuum superioris directioni committit, quæ tanto magis in hac parte est necessaria, quanto facilius est, quod homo in pertinentibus ad se plurimum erret, ut optime animadvertit D. Basil. *in Const. cap.* 23, his verbis : « Illud firmissime tenendum est, « rem esse difficillimam seipsum cognos- « cere, et curare ; propterea quod naturali- « ter seipsum quisque amat ; et quilibet « quia naturaliter in seipsum propensus « est, in veritatis judicio fallitur. At vero « ab alio cognosci, curarique facile est, « cum ei, qui alios regit, ad veritatem dis- « cernendam nequaquam obstet sui ipsius « amor. »

D. Basil.

Confirmatio.

Confirmatur, et declaratur quoad omnia hæc tria consilia simul sumpta ; nam cum status religiosus sit studium, et schola acquirendæ perfectionis ; ad ejus rationem pertinet renuntiare omnibus, quæ perfectum Dei amorem, atque ideo perfectionem charitatis impediunt : sed ad hujusmodi renuntiationem necessaria sunt tria consilia, paupertatis, castitatis, et obedientiæ : ergo hæc tria requiruntur ad statum religiosum. Probatur minor, quia prædicta impedimenta vel sunt bona externa mundi, vel sunt delectationes corporis, vel sunt proprium judicium, voluntas, et amor sui : ad horum autem abnegationem, et renunciationem tria prædicta consilia requiruntur ; nam amori bonorum mundi renuntiatur per paupertatem, et delectationibus corporis per castitatem, et propriis judicio, et amori per obedientiam : ergo prædicta tria consilia requiruntur ad renuntiationem eorum, quæ perfectionem impediunt.

Secunda conclusio. D. Tho.

Fundamentum.

6. Dicendum est secundo, ad religiosum statum requiri, quod Religiosi per vota perpetua se obligent ad obedientiam, castitatem, et paupertatem. Ita D. Thom. *in hac* 2, 2, *quæst.* 88, *artic.* 11, *et quæst.* 186, *artic.* 6, quem sequuntur communiter Theologi. Probatur ratione S. Doctoris ; quoniam religiosus status consistit in forma, et modo consequendi perfectionem per observationem prædictorum trium consiliorum, ut proxime dicebamus ; omnis autem status importat firmitatem, et immobilitatem, ut *num.* 1 præmisimus : ergo ad religiosum statum requiritur, quod detur firmitas, et immobilitas in observanda tria prædicta consilia, sive (et in idem redit) quod profitentes talem statum obligentur ad eorum observationem : atqui prædicta immobilitas, et obligatio non provenit ab extrinseco ex vi alicujus præcepti ea imperantis (non enim illa tria cadunt sub præcepto, sed sub consilio) : ergo debet esse ab intrinseco per voluntariam promissionem ejus, qui talem statum profitetur, quæ promissio est votum : requiritur ergo ad statum religiosum, quod emittantur vota observandi tria prædicta consilia.

Confirmatio prima.

Confirmatur primo, quia de facto nullus in Ecclesia censetur status religiosus, qui non habeat vota obedientiæ, castitatis, et paupertatis, quæ in professione fiunt, ut manifeste supponitur *in cap. Cum ad monasterium, de statu Monach.* et *in cap. Viduam, in cap. Significatum, in cap. Porrectum,* et aliis toto titulo *de Regular.* Quod non ita contingeret, si vota observandi prædicta tria non requirerentur ad prædictum statum constituendum.

Secunda.

Confirmatur secundo, quia ad perfectionem spectat facere opera meliora ; observatio autem castitatis, paupertatis, et obedientiæ est opus melius, si fiat ex voto, quam si absque voto fiat ; quippe ex voto facta mutuantur rectitudinem virtutis religionis, ut fuse explicuimus *tract. præced. disp.* 5, *n.* 170. Cum ergo status religiosus ordinetur ad consequendam perfectionem, consequens est ad ipsum requiri vota observandi tria prædicta.

D. Tho.

Accedit etiam id quod recte observavit D. Thom. *ultimo loco citato in respons. ad* 1, dicens : « Ad perfectionem vitæ Dominus « pertinere dixit, quod aliquis eum sequa- « tur, non qualitercumque, sed ulterius « retro non abiret. Unde et ipse dicit Luc. « 9 : Nemo mittens manum ad aratrum, et « respiciens retro, aptus est regno Dei. » Et post pauca addit S. Doctor : « Hæc au- « tem immobilitas sequelæ Christi firma- « tur per votum. Et ideo votum requiritur « ad perfectionem religionis. »

Tertia conclusio. D. Tho.

7. Dicendum est tertio, ad constituendum statum religiosum sufficere tria vota, obedientiæ, castitatis, et paupertatis. Ita D. Thom. *quæst. cit. artic.* 7, et communiter Theologi. Probatur ratione : quoniam sta-

Ratio. tus religiosus potest considerari, vel quatenus est studium, sive exercitium tendendi in perfectionem charitatis ; vel quatenus mentem hominis abducit, et quietat a temporalibus solicitudinibus, vel quatenus est holocaustum, in quo homo se, et omnia sua Deo consecrat : sed quoquo modo consideretur, sufficienter constituitur per tria prædicta vota : ergo illa sufficiunt constituere religiosum statum. Probatur minor sequendo omnes considerationes in majori relatas ; nam *in primis* perfectio charitatis maxime impeditur per tria, videlicet per concupiscentiam externorum bonorum, per delectationem sensibilem, et per inordinationem voluntatis. Primum autem removetur per votum paupertatis, secundum per votum castitatis, et tertium per votum obedientiæ : ergo status religiosus consideratus ut exercitium, et studium consequendi perfectionem charitatis, sufficienter constituitur per vota observandi tria prædicta consilia. *Deinde* solicitudo circa temporalia fervorem charitatis retardans triplex est, alia circa bonorum externorum acquisitionem, et conservationem ; alia circa curam conjugis, filiorum, et familiæ ; et alia circa propriarum actionum dispositionem. Prima vero anxietas excluditur per votum paupertatis, secunda per votum castitatis, et tertia per votum obedientiæ : ergo hujusmodi vota sufficientia sunt ad constituendum statum religiosum consideratum, quatenus hominis animum quietat a curis temporalibus. *Tandem* omnia hominis bona sunt vel externa, vel proprium corpus, vel propria anima : sed per votum paupertatis offeruntur Deo omnia bona externa, per votum castitatis Deo consecratur corpus, per obedientiam anima in propriis operationibus : ergo hæc sufficiunt, ut constituant statum religiosum in ratione holocausti.

Confirmatio Confirmatur, et declaratur occurrendo tacitæ objectioni ; nam licet nulla fere sit religio, in qua alia non pauca ultra prædicta tria vota observentur ; nihilominus omnia illa ad observationem trium prædictorum ordinantur, et in eis virtualiter continentur : ergo status religiosus in hujusmodi tribus votis absolute consistit. Consequentia patet, et antecedens optime

D. Tho. probat, et declarat D. Thom. *art. cit. in respons. ad* 1, his verbis : « Omnes aliæ « Religionum observantiæ ordinantur ad « prædicta tria principalia vota. Nam si « qua sunt instituta in Religionibus ad « procurandum victum (puta labor, men- « dicitas, vel alia hujusmodi) referuntur « ad paupertatem, ad cujus conservatio- « nem religiosi per hos modos victum « suum procurant. Alia vero, quibus cor- « pus maceratur, sicut vigiliæ, jejunia, et « si qua sunt hujusmodi, directe ordinan- « tur ad votum continentiæ observandum : « si qua vero in Religionibus instituta sunt « pertinentia ad humanos actus, quibus « aliquis ordinatur ad religionis finem, « silicet ad dilectionem Dei, et proximi « (puta lectio, oratio, visitatio infirmorum, « vel si aliquid aliud est hujusmodi), com- « prehenduntur sub voto obedientiæ, quod « pertinet ad voluntatem, quæ secundum « dispositionem alterius suos actus ordinat « ad finem. Determinatio autem habitus « pertinet ad omnia tria vota tanquam si- « gnum obligationis. Unde habitus regula- « ris simul datur, vel benedicitur cum « professione. »

8. Dicendum est quarto, ad constituendum statum religiosum non requiri, quod tria prædicta vota sint solemnia, sed sufficere vota simplicia. Pro legitima autem hujus assertionis intelligentia observandum est, vota solemnia in hoc præcipue distingui a simplicibus, quod hæc non sunt omnino absoluta, tam ex parte voventis, quam acceptantis, sed important saltem ex parte istius aliquam conditionem, quæ deficere possit : illa vero sunt prorsus, et ex omni parte absoluta, atque ideo afferunt omnimodam perpetuitatem. Quæ differentia plene innotescet ex dicendis *dub.* 4. Hoc ergo supposito, conclusio est communis inter Theologos hujus temporis. Videantur Vasquez 1, 2, *disput.* 165, *cap.* 9, Valentia 2, 2, *disput.* 10, *quæst.* 4, *punct.* 2, *conclus.* 5, Suarez *tom.* 3 *de Religione*, *lib.* 2, *cap.* 5, *num.* 18, *et cap.* 14, ubi alios plures refert. Probatur breviter ; nam Gregor. XIII in Bulla, *Quanto fructuosius*, et in altera Bulla, *Ascendente Domino*, declaravit, et diffinivit eos, qui in Societate Jesu tria vota simplicia emittunt, esse vere, et proprie Religiosos : ergo tria prædicta vota simplicia sufficiunt ad religiosum statum constituendum.

Confirmatur, quia si ob aliquam rationem prædicta vota simplicia non sufficerent ad constituendum statum religiosum, maxime quia non important indissolubilem perpetuitatem ex parte Religionis acceptantis :

ceptantis : sed hæc ratio est nulla : ergo, etc. Probatur minor, quia licet status religiosus ex generali conceptu status importet firmitatem ; hæc tamen non consistit in indivisibili, sed potest esse major, et minor intra latitudinem firmitatis sufficientis ad statum constituendum : vota autem simplicia sufficientem firmitatem in modo vivendi inducunt, cum ea emittens nequeat pro suo arbitrio a prædicto vivendi modo recedere. Quod autem religio valeat sic voventem a se abjicere, non obest status firmitati : tum quia religio nequit ita se gerere ex sola voluntate, sed ex rationabili causa. Tum quia servus vere est in statu servitutis, licet queat Dominus illum manu mittere, quia ipse pro sua voluntate a servitutis vinculo non potest se liberare. Tum quia conjuges post matrimonium ratum sunt vere in statu matrimonii ; et tamen hoc vinculum potest dissolvi per professionem solemnem. Quod ergo vota simplicia non habeant omnimodam, sive ex omni parte firmitatem, et perpetuitatem, minime præjudicat ad hoc, quod statum religiosum vere constituant.

Quinta conclusio.

9. Dicendum est ultimo, quod ut vota obedientiæ, castitatis, et paupertatis constituant hominum in statu religiosi, debet dari traditio, qua homo se tradat Deo in religione, aut in aliquo superiore, cui obediat. Antequam assertionem probemus, animadvertimus, consulto in ea dici, quod *debet dari traditio*, ut præcise determinemus hanc requiri ad statum religiosum, abstrahendo ab hoc, quod ipsa vota, aut professio sint formaliter ipsa traditio, vel non, quæ est difficultas diversa, et ad præsentem resolutionem non necessaria, quam infra attingemus. Additur etiam, quod hæc hominis traditio fiat *Deo in religione, vel in aliquo Superiore*, ut comprehendatur omnis status religiosus, scilicet cœnobiticus, et eremiticus; nam in illo traditur homo religioni, aut communitati; in isto autem traditur alicui superiori, v. g. Episcopo. Nec vis facienda est in verbis tradendi se *Deo in religione, aut Superiore ;* vel tradendi se *Religioni, aut Superiori ad cultum Dei.* Nam qui arripit statum religiosum, principaliter se tradit Deo, cum ejus cultum potissimum intendat ; sed se tradit immediate Prælato, aut Religioni habenti potestatem acceptandi ipsum Dei nomine, et authoritate. Unde illi diversi loquendi modi in idem recidunt, et quæstio circa modum loquendi inter Suarez, et Basilium Pontium infra referendos non multum facit ad rem.

Assertio ergo sic explicata est D. Thom. *quæst.* 184, *art.* 4, ubi statum religiosum comparat statui servitutis, quia sicut ut aliquis sit in statu servi non sufficit, quod promittat alteri servire, nec sufficit quod actu serviat, sed requiritur, quod de facto se illi tradat abdicando a se omne dominium, et transferendo illud in dominum : ita ad hoc, quod aliquis sit in statu religioso non sufficit quod promittat observare religiosi opera per vota obedientiæ, castitatis, et paupertatis ; nec sufficit quod illa observet, sed desideratur, quod actu se donet, et tradat religioni, aut superiori, privando se sui dominio, et jure proprio, se transferendo collocandoque in potestate donatarii, Dei videlicet, mediante Religione, vel Prælato. Et eadem comparatione, ut rem explicet, utitur *in* 4, *dist.* 88, *quæst.* 1, *art.* 2, *quæstiunc.* 3. Idemque tuentur D. Bonavent. *ibidem, art.* 20, *quæst.* 1, Richardus *art.* 7, *quæst.* 2 *et* 3, Durand. *quæst.* 1, *art.* 2, Carthusianus *quæst.* 2, Soto *quæst.* 2, *art.* 2, *et lib.* 7 *de Justitia, quæst.* 3, *art.* 5, Ledesma *in tract. de statu relig. cap.* 4, *fere in principio*, Basilius Pontius *lib.* 7 *de Matrim. cap.* 6, Suarez *tom.* 3 *de Religion. lib.* 6, *cap.* 2 *a numero* 4, Castro Palao *tom.* 3, *tract.* 16, *disp.* 1, *punct.* 1, *num.* 7, et alii communiter.

D.Tho. D.Bon. Richard. Durand. Carthus. Soto. Ledesm. Basil. Pont. Castro Palao.

10. Probatur ratione, simul et authoritate ; quoniam ad statum religiosum requiritur perfecta abnegatio sui, et renuntiatio sæculi, juxta illud Christi Domini, Matth. 16 : *Qui vult venire post me, abneget semetipsum.* Sed ad hujusmodi effectum requiritur, quod homo se tradat, et donet Deo mediante Religione, Superiore ; aliter enim licet per vota promittat opera in futurum, adhuc habet sui dominium, et quasi possessionem, et sic non perfecte abnegat semetipsum : ergo ad statum religiosum requiritur actualis donatio, qua homo se tradat, et consecret Deo mediante Religione, vel Prælato. Et sic communiter docent, et supponunt Sancti Patres. D. Chrysost. *epist.* 6 *ad Theodorum monach.* inquit : *Nihil in te penitus tui juris est, quippe qui tanto Imperatori militare cœpisti.* D. Gregor *lib.* 1 *Registri. cap.* 33, ait : « Si Ananias mortis supplicio dignus « fuit, quia eos, quos dederat nummos Deo, « abstulit ; considera quanto periculo in « divino judicio dignus eris, qui non num- « mos, sed teipsum Deo omnipotenti, cui

Fundamentum. Matth. 16. D.Chrys. D. Greg.

« te sub monachali habitu devoveras, sub-
D. Bene. « traxisti. » D. Benedictus *in Regula, cap.* 58, inquit : *Ex illo die nec corporis sui potes-*
D. Bern. *tatem se habiturum sciat.* D. Bernard. *serm.* 19 *in Cantica*, ait : « Qui vestri curam « semel nobis credidistis, quid rursus de « vobis vos ipsos intromittitis ? » Et eodem modo loquuntur alii Patres, et Præ-
D. Basil. sertim S. Basilius *epist. ad Canonicam*, et *serm. de abdicat. rerum*, et *regula* 6, *ex fusius disp.* et *in cap.* 22, *Constit. monast.* ubi donationem hanc religiosi comparat illi, qua homo se tradit uxori in matrimonio, et sentit esse pariter indissolubilem.

Confirmatio. Confirmatur, et declaratur amplius; quia ad effectus proprios status religiosi est necessaria hæc traditio : ergo etiam est necessaria ad ipsum statum constituendum. Consequentia patet, quia si independenter ab hac traditione constitueretur status religiosus, independenter ab illa sortiretur proprios effectus. Antecedens autem, relictis aliis effectibus, probatur : tum quia eo ipso, quod quis sit in statu religioso, omnia ejus bona, et jura transferuntur in Religionem, aut Prælatum ; quod minime contingeret, si ipse existens in tali statu non se transferret in illos ; tunc quippe sicut sui dominium retineret, sic etiam conservaret bona, et jura. Tum etiam, quia religio, vel Prælatus non solum potest religioso præcipere, sed illum cogere, et nisi pareat, punire : ad hoc autem non sufficit sola promissio, aut votum obedientiæ, sicut non sufficeret, quod quis promitteret se futurum servum alterius, ut hic posset illum tanquam servum tractare, cogendo ipsum ad obediendum.

Nec hic valet recursus ad jurisdictionem, quam Ecclesia tribuit Prælato, aut Religioni. *Primo*, quia hæc jurisdictio non est de essentia status religiosi, sed potest absque illa salvari, ut infra *num.* 26 ostendemus. *Secundo*, quia olim fuerunt aliquæ religiones constantes ex solis laicis, in quibus proinde non erat Ecclesiastica jurisdictio. *Tertio*, quia de facto Abbatissæ non habent jurisdictionem Ecclesiasticam, ut tenet communis sententia ; et tamen possunt cogere subditas ad obediendum, et illas punire. Signum ergo est, quod talis effectus, adeo proprius status religiosi, non provenit a jurisdictione, quam Ecclesia Prælato, aut Religioni concedat. Atque ideo non relinquitur caput, ex quo proveniat, nisi detur traditio, qua homo se donet Deo, mediante Religione, aut Prælato, vel iis in ordine ad Deum ; sic enim facile intelligitur, quod donatarius valeat talem potestatem exercere.

§ II.

Aliquibus objectionibus contra præcedentes assertiones satisfit.

Pr
obj

11. Adversus nostras, et communes assertiones vix reperitur sententia, quæ probetur Authoribus. Oportet tamen occurrere nonnullis objectionibus, quæ contra illas formari possunt. Et adversus duas priores opponitur *primo*, quia votum castitatis sufficit ad constituendum statum religiosum : ergo non requiruntur alia duo vota. Probatur antecedens, quia status religiosus coincidit cum statu perfectionis acquirendæ, ut satis aperte significat Apostol. 1 *ad Corinth.* 7, commendans statum castitatis
1
Cor
his verbis : « Qui sine uxore est, solicitus « est quæ Domini sunt, quomodo placeat « Deo. » Et rursum : « Mulier innupta, « et virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit « sancta corpore, et spiritu. » Ergo votum castitatis statum religiosum sufficienter constituit. *Secundo*, nam ad constituendum
Secu
statum sufficit votum obedientiæ : ergo non requiruntur tria vota, obedientiæ, castitatis, et paupertatis. Suadetur antecedens, quia facto obedientiæ voto, potest homo consequenter obligari ad castitatem, et paupertatem, sicut obligatur ad orationem, studium, et ad alias actiones, aut etiam omissiones, quæ ex obedientia fiunt. Unde apud aliquas religiones mos est, ut solum votum obedientiæ in professione fiat. *Ter-*
Ter
tio, quia Equites Ordinum militarium sunt vere, et proprie religiosi ; et tamen non tenentur voto castitatis, cum uxores ducant : ergo falsum est, quod ad statum religiosum tria illa vota desiderantur. Majorem docent Divus Antoninus, Navarrus, Sylvester, Basilius Legionensis, Covarruvias, Michael de Medina, Burgos de Paz, Rebellus, Thomas Delbene, Gutierrez, Bobadilla, et alii plurimi, quos refert Andreas Mendo *de Ordi-*
Andr
Men
nibus Militar. disputatione 2, *quæstione* 2, § 2. Et probatur, quia certum est, fratres prædictorum Ordinum esse vere, et proprie religiosos : ergo idem dicendum est de Equitibus. Probatur consequentia : tum quia Pontifices approbantes, et confirmantes suis bullis prædictos Ordines, eodem modo

modo et verborum tenore loquuntur de Equitibus, et de Fratribus. Tum quia hujusmodi ordines Militares primario, et præcipue sunt instituti pro Equitibus, quibus ex consequenti adjuncti sunt fratres pro sacramentorum administratione : ergo si isti sunt vere, et proprie Religiosi, idem de illis a fortiori dicendum est.

luitur rima. . Tho.

12. Respondetur ex doctrina D. Thomæ *in hac* 2, 2, *quæst.* 184, *articulo* 4, *et opusc.* 19, *cap.* 1, statum religiosum bifariam accipi posse : *primo* minus rigorose pro quolibet statu, et modo vivendi approbato, et conducente aliquo modo ad perfectionem, qui lata significatione, et analogice potest status religiosus appellari, quatenus ad illum, qui proprie est talis, accedit. Quo pacto concedimus non requiri ad talem statum tria vota, sed unum, aut alterum sufficere. Et hoc modo conversi aliquarum religionum solent religiosi appellari, licet tria vota non emittant; et similiter aliquæ fœminæ, vulgo *Beatæ*, voventes castitatem, religiosæ utcumque appellantur. *Secundo* sumitur status religiosus rigorose, et simpliciter, quomodo importat completam mundi abrenuntiationem, et hominis ad Dei cultum oblationem : unde comparatur holocausto, ut ex Divo Gregorio recte observat Divus Thomas *quæstione* 186, *articulo* 6 *et* 7. Quia ergo in præsenti agimus de statu religioso proprie, et simpliciter dicto, qui absque tribus votis (quibus ea renuntiatio, et oblatio fit), non consistit; merito asseruimus, ad illum tria prædicta vota requiri.

Status eligiosus ifariam licitur.

. Tho.

Et hinc facile constat ad *primam* objectionem; concedimus enim, quod votum illud castitatis sufficiat ad constituendum statum religiosum analogice talem, et improprie dictum; sed non sufficit ad constitutionem status religiosi rigorose, et simpliciter talis, de quo agimus in præsenti.

Satisfit secundæ.

Ad secundam negamus majorem, quia duo consilia, paupertatis et obedientiæ, pertinent per se ad statum religiosum, atque ideo debent per se terminare immediate propria vota, ut inde accipiant stabilitatem propriam prædicti status. Unde aliter oportet philosophari de illis, ac de aliis operibus, quæ consequenter cadere possunt sub obedientiæ voto : cætera enim sunt particularia, et mutabilia, ita ut aliquando expediat ea relinquere de licentia Prælati : at consilia castitatis, et paupertatis ad religiosum statum pertinentia sunt generalia, et immutabilia, ita ut Prælatus nullam valeat inducere mutationem circa eorum substantiam, et consequenter oportet, quod religiosus illa immediate, et per se promittat. Quod si in professione alicujus Religionis perfectæ solum fit expressa obedientiæ mentio, et promissio; ideo est, quia sub illa formula ex more, et præscripto talis Religionis promittuntur etiam obedientia, et paupertas : sicut etiam in susceptione Ordinis sacri fit votum castitatis, licet non expresse, sed implicite ob castitatis votum tali ordinationi annexum.

Tertiæ occurritur.

13. Ad tertiam respondetur negando majorem intellectam de Equitibus Militaribus, qui ducunt, vel ducere possunt uxores, et habent dominium et usum rerum temporalium; quoniam ad statum religiosum necessaria sunt tria vota, paupertatis, castitatis, et obedientiæ, ut aperte supponit Innocentius III, *in cap. Cum ad monasterium, de statu monach.* his verbis : « Abdicatio proprietatis, sicut et custodia « castitatis adeo est annexa regulæ monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere. » Prædicti autem milites de facto habent uxores, et usum, atque dominium rerum temporalium, ut supponitur. Accedit etiam, statum religiosum esse scholam, et studium acquirendæ perfectionis, ut supra ostendimus; ad quod opus est renuntiare curis temporalibus, et sectari spiritualia. Id vero non sic apparet in prædictis militibus, ipsi enim non aliter, ac cæteri seculares, vivunt extra claustra, divitias curant, patrimonia augent, honores ambiunt, uxoribus irretiuntur, filiis thesaurizant, et rarissime quidquam exercent ex obedientia Prælati. Unde non sunt dicendi religiosi proprie, ut modo loquimur; sed analogice, et secundum aliquam similitudinem. Et sic sentit Angelicus Doctor *quæstione* 186, *articulo* 4, ubi proposito hujusmodi argumento : « Illud « quod requiritur ad perfectionem religionis, in omni religione invenitur. Sunt « autem aliqui religiosi, qui uxoribus « utuntur : non ergo religionis perfectio « requirit perpetuam continentiam. » Sic respondet : « Ad tertium dicendum, quod « illi modi vivendi, secundum quos homines matrimonio utuntur, non sunt simpliciter, et absolute loquendo religiones, « sed secundum quid, in quantum scilicet « in aliquo participant quædam, quæ ad « statum religiosum pertinent. » Et eidem

Innoc. III.

D. Tho.

Soto. sententiæ subscribunt Sotus *in* 4, *distinct.* 27, *quæstione* 1, *articulo* 4, *et de justitia, lib.* Aragon. Valent. 7, *quæstione* 5, *articulo* 3, Aragon *in hac* Molina. 2, 2, *quæstione* 88, *articulo* 11, *in respons. ad* Less. Regina. *ultim.* Valentia *ubi supra, punct* 2, *post* 4, Molina *de justitia, tractat.* 2, *disputatione* 141, *et tom.* 4, *tractat.* 3, *disputatione* 3, Lessius *lib.* 2, *cap.* 41, *dubit.* 1, *num.* 7, Reginaldus *tom.* 2, *lib.* 18, *tractat.* 4, *cap.* Joan. a Cruc. 24, Joannes de la Cruz *lib.* 1 *de statu relig.* Barbosa. *cap.* 2, *dub.* 3, dicens esse communem Thomistarum sententiam. Barbosa *tom.* 2 *jure Eccles. lib.* 3, *c.* 7, dicens id esse receptius, et alii quamplures.

Ad majoris vero probationem facile respondetur concesso antecedenti, negando consequentiam ob manifestam differentiam ; quia fratres Ordinum militarium tenentur ad perpetuam, et absolutam castitatem, et ad paupertatem (licet hujus usus sit varius, juxta diversa Ordinum statuta), quod non ita accidit in Equitibus. Consequentiæ autem probatio non urget, quia licet ita contigerit in prima prædictorum Ordinum institutione, postea tamen ob varias relaxationes ad eam dispositionem reducti sunt tales Ordines, ut status religiosus vere, et simpliciter dictus in solis fratribus perseveret.

Limitatio. Et hæc limitanda sunt in Equitibus Militiæ S. Joannis Hierosolymitani (et in aliis, si ejusdem conditionis reperiantur), quos esse vere, et proprie religiosos, tenet communis sententia ; nam et votum perpetuæ castitatis faciunt, et testari non valent, nec bona transferre ad hæredes ; et aliunde operi excellenti vacant pugnando contra Turcas Christiani nominis hostes.

Prima objectio contra tertiam conclusionem. 14. Deinde contra tertiam conclusionem potest opponi *primo* : nam ad statum religiosum requiruntur ea consilia, quæ sufficiunt ad tollendum impedimenta retardantia perfectionem charitatis ; ad hoc autem non sufficiunt consilia obedientiæ, castitatis, et paupertatis, sed alia desiderantur : ergo falsum est, quod tria prædicta consilia voto firmata sufficiunt ad constituendum statum religiosum. Probatur minor : tum quia præter delectationes venereas, quæ excluduntur per castitatem, dantur etiam aliæ delectationes sensibiles, verbi gratia, gustus, multum impedientes charitatis fervorem, et perfectionem ; et tamen istæ non tolluntur per aliquod ex illis tribus consiliis, sed per abstinentiam. Tum etiam, quia prædictam charitatis perfectionem non solum impedit appetitus bonorum temporalium, sed etiam appetitus honorum, ut ex se liquet ; cui tamen non occurritur per illa tria vota, sed deberet addi votum humilitatis omnes dignitates repudians. *Secundo*, quia in aliquibus religionibus fit quartum votum vel abstinendi a carnibus, vel redimendi captivos, aut similia exequendi ; quod votum ad essentiam talium Religionum pertinet, ut insinuat Concilium Tridentinum *sess.* 25, *cap,* 1, *de Regular.* illis verbis : « Ac si quæ alia sunt alicujus « regulæ, vel ordinis peculiaria vota, ad « eorum respective essentiam pertinen- « tia. » Ergo status religiosus non consistit in solis tribus votis supra relatis. *Tertio*, quia ad statum religiosum necessaria est Ecclesiæ approbatio : ergo sola illa tria vota non sufficiunt ad constituendum talem statum.

Secunda. Cone Trid. Tertia

Respondetur, quod sicut in rebus naturalibus non omnia, quæ ad earum finem consequendum quoquo modo requiruntur, dicuntur illarum substantiam, aut essentiam constituere ; sed satis est, quod ab illa exigantur, sive afferantur, vel antecedenter, vel consequenter ; quia eo ipso in illarum essentia aliquo modo continentur : ita non oportet, quod omnia requisita ad statum religiosum constituant ejus substantiam, sed sufficit, quod aliter ad eam concurrant. Objectiones autem hoc tantum probant ; unde nostram, et communem assertionem non evertunt, ut singulis occurrendo constabit. Ad *primam* respondemus, omnia impedientia perfectionem charitatis virtualiter contineri in illis tribus votis, in quantum ad eorum observantiam requiruntur, atque ideo non opus est alia vota adjicere. Et in hoc sensu negamus minorem, ad cujus primam probationem dicendum est, professionem castitatis secum trahere aliarum passionum, et delectationum sensibilium moderationem, in quantum castitatis periculum afferunt : unde hujus virtutis votum quasi radicat asperitates corporales abstinentiæ, vigiliarum, etc., ut fuse ostendimus *tract. præcedenti, disputatione* 5, *dub.* 3, § 11, *per totum*. Secundam prabationem diluit D. Thom. *quæst.* 186, *articulo* 7 *ad* 3, his verbis : « Sicut Philosophus dicit in 4 Ethic. honor « proprie, et secundum veritatem non de- « betur, nisi virtuti. Sed quia exteriora « bona instrumentaliter deserviunt ad « quosdam actus virtutum, ex consequenti etiam

Diluitur prima D. Th

« etiam eorum excellentiæ honor aliquis « exhibetur, et præcipue a vulgo, quod so- « lam excellentiam recognoscit. Honori « ergo, qui Deo, et Sanctis omnibus exhi- « betur propter virtutem (ut dicitur in « Psalm. 138 : Mihi autem nimis honorati « sunt amici tui Deus), non competit reli- « giosis abrenuntiare, qui ad perfectionem « virtutis tendunt. Honori autem qui exhi- « betur exteriori excellentiæ, abrenuntiant « ex hoc ipso, quod vitam sæcularem dere- « linquunt. Unde ad hoc non requiritur « speciale votum. »

Diruitur secunda. Ad secundam objectionem respondetur negando consequentiam ; nam quod istæ, aut illæ religiones emittant quartum votum, non provenit ex communi conceptu status religiosi, quem in præsenti consideramus, et qui in omni religione salvatur, sed ex peculiari illarum instituto : unde quod ad essentiam talium religionum secundum speciem, aut quasi speciem sumptarum intret, vel non, quartum votum (quod parum refert examinare), non præjudicat veritati nostræ assertionis ; sicut non recte colligeretur rationale pertinere ad essentiam animalis ut sic, quia pertinet ad essentiam hominis. Et hac de causa vulgo dicitur, dari tria vota substantialia religionis, illa videlicet, quæ assignavimus ; quia cætera, quæ addi possunt, sunt extra essentiam, sive substantiam, ad constituendum statum religiosum desideratam. Ad *tertiam* negamus consequentiam, quia Ecclesiæ approbatio non constituit intrinsece, et essentialiter statum religiosum ; sed requiritur tanquam conditio extrinseca, ut existat talis status. De quo iterum dicemus *dub. sequenti.*

Fit satis ultimæ.

Objectio contra quartam conclusionem. 15. Præterea contra quartam assertionem potest opponi, quia ad religiosum statum requiruntur vota solemnia : sed vota simplicia non sunt solemnia, ut ex terminis liquet : ergo vota simplicia non sufficiunt ad constituendum statum religiosum. Probatur major, quia status religiosus non constituitur, nisi per tria vota substantialia in religiosa professione emissa, juxta illud, *habitus non facit monachum, sed professio*, ut dicitur *in cap. Ex parte*, et *cap. Porrectum, de Regularibus, et cap. Beneficium, de regulis juris in* 6, et in aliis : sed votum factum in religiosa professione est solemne, ut declarat Bonifacius VIII, *in cap. unico, de voto in* 6. Ergo ad statum religiosum requiruntur vota solemnia. Et sic videtur docere D. Thom. *in hac quæstione* 189, *articulo* 2 *ad* 1, ubi ait : « Dicendum quod duplex est religionis vo- « tum. Unum solenne, quod hominem fa- « cit monachum, vel alterius religionis « fratrem, quod vocatur professio ; et tale « votum debet præcedere annus proba- « tionis, ut probat objectio. Aliud est vo- « tum simplex, ex quo aliquis non fit « monachus, vel religiosus, sed solum « obligatus ad religionis ingressum. » Unde præter alios antiquiores sic expresse docent Navarrus *comment. 1, de Regular. num.* 18, 24, *et* 25, Soto *lib.* 7, *de justitia, quæstione* 1, *artic.* 1, *et* 3, et novissime Joannes de la Cruz *lib.* 1, *de statu relig. cap.* 2, *dub.* 3, *conclus.* 5. Ergo vota solemnia requiruntur ad religiosum statum constituendum.

Bonif. VIII.

D. Tho. Navar. Soto. Joan. a Cruc.

Respondetur negando majorem, ad cujus probationem dicendum est, Bonifacium VIII, et D. Thom. loqui juxta id, quod suis temporibus erat in usu, et approbatione Ecclesiæ, quæ tunc non acceptabat ad constituendum statum religiosum nisi vota solemnia. Licet enim simplicia ad id absolute sufficiant, debent tamen, ut hunc effectum sortiantur, ab Ecclesia non repudiari, ut *a num* 24 dicemus. Ecclesia autem superioribus temporibus noluit justis de causis acceptare vota non solemnia in ordine ad constituendum hominem in statu religioso; sed id deferebat solis solemnibus. Et juxta hanc dispositionem tunc vigentem loquuti sunt Bonifacius, et Divus Thomas, idque imitati sunt antiquiores Theologi, Canonistæ et Summistæ. Sed minime negarunt, vel quod prædicta vota ad prædictum effectum absolute sufficiant, vel quod Ecclesia posset talia vota acceptare, et approbare ad illum effectum. Et sic de facto se gessit Greg. XIII, approbando vota simplicia, quæ emittunt Coadjutores, et Scholares in Societate Jesu, et diffiniendo hanc sententiam in bullis *num.* 8 relatis. Unde egregie Joannes a S. Thom. *in approbat. doctrinæ D. Thom. disputat.* 2, *artic.* 3, dixit : « In tempore D. Thom. Ecclesia solum « censebat esse religiosos cum effectu, qui « essent professi, ut constat ex cap. Reli- « gioso, § *Quamvis*, de sententia excom- « municationis in 6, ubi dicitur : Quamvis « autem is, qui religionem ingreditur, re- « ligiosus cum effectu censeri non possit, « donec sit tacite, vel expresse professus. « Ergo ex Ecclesiæ determinatione tunc

Solutio.

Joan. a S. Tho.

« non erat aliquis religiosus ante profes-
« sionem. Professi autem nec tunc, nec
« modo etiam in Societate post biennium
« emittunt vota simplicia, licet sint vere
« religiosi, non tamen professi. Olim au-
« tem in Ecclesia nondum erat de facto
« ista species religiosorum ante professio-
« nem, ut constat ex præfato decreto. Unde
« D. Thom. loquens pro illo tempore, non
« potuit ponere, quod de facto essent tunc
« religiosi per vota simplicia, et ante pro-
« fessionem. » Antiquorum ergo opiniones nostræ assertioni non adversantur; loquebantur enim secundum tunc præsentem Ecclesiæ dispositionem. Sed qui post bullas Gregorii oppositum ausi fuerint affirmare, audiendi non sunt, sed puniendi.

Triplex objectio contra ultimam conclusionem.

16. Contra ultimam conclusionem potest opponi *primo*, quia si illa traditio requireretur ad statum religiosum, superflua essent tria vota supradicta ad illud constituendum. Probatur sequela, quia ex vi traditionis posset Religio, aut Prælatus eadem religioso præcipere, ad quæ obligatur per vota; atque ideo ista superfluerent. *Secundo*, quia non satis apparet, in quo traditio distinguatur a voto obedientiæ; siquidem per traditionem obligatur homo ad obediendum superiori, et ad id ipsum obligatur per votum obedientiæ. *Tertio*, quia id, quod constituit statum religiosum, debet esse unum, et simplex, sicut videre est in aliis rerum constitutivis: ergo ad constituendum talem statum non concurrunt partim tria vota, et partim traditio.

Occurritur primæ.

Respondetur ad primam objectionem negando sequelam, quia observatio trium consiliorum, obedientiæ, castitatis, et paupertatis, debet esse stabilis, et firma in statu religioso: quod minime salvaretur per solam traditionem hominis in potestatem alterius; siquidem tunc Superior posset aliter circa illa consilia disponere, imo posset irritare obligationem illa observandi; quod minime cohæret cum statu religioso, ut jam supra diximus *num.* 10. Accedit etiam, quod vota, et traditio habent effectus longe diversos; traditio enim confert alteri potestatem dominativam, quam non confert votum, ut ibi declaravimus. E converso autem votum obligat ex speciali fidelitate ad Deum, quam specialem obligationem non inducit respectu hominis; traditio vero etiam obligat specialiter respectu hominis, et ex justitia, propter jus quod transfert in alium. Unde superfluum non est, quod vota, et traditio ad constituendum hominem religiosum simul concurrant.

Differentia inter traditionem, et vota.

Satisfit secundæ.

Ad secundam respondetur, quod licet obligatio orta ex voto obedientiæ, et obligatio orta ex traditione cadant super eandem materiam; nihilominus sunt satis differentes, et formaliter distinctæ, ut jam supra ostendimus, quia votum non confert actu potestatem dominativam, quam confert traditio. Potest enim quis promittere servire alteri, non trahendo se in servum illius: et e contra potest quis se alteri donare in servum, non adjiciendo obligationem promissionis supra traditionem; et denique utrumque pro majori firmitate valet facere, sicut fit in Religiosis.

Diluitur ultima.

Et hinc patet ad *ultimam* objectionem; nam licet in metaphysicis constitutiva ita se habeant, sicut intendit objectio, secus in moralibus (cujusmodi est status religiosus), sæpe quippe contingit, quod plura concurrant ad unum aliquid constituendum, sicut apparet in matrimonio, ubi debent dari mutua contrahentium traditio, et mutua acceptatio. Liquet etiam in ipso statu religioso, ad quem constituendum (etiamsi a traditione præscindamus) tria vota circa materias valde diversas concurrunt. Sic ergo potest traditio simul cum votis desiderari: quod magis adhuc constabit ex dicendis *dub.* 4.

DUBIUM II.

Utrum status religiosus sit ex institutione divina.

Pro difficultatis resolutione animadvertendum est, quod status religiosus dupliciter considerari potest: uno modo præcise quantum ad substantiam, sive essentiam, quam *dub. præcedenti* explicuimus: secundo modo quantum ad determinationem illius essentiæ ad certum modum vivendi, et quantum ad determinationem qualitatum personarum, quæ talem statum profiteantur, utputa quod habeant talem ætatem. Et quidem statum religiosum hoc posteriori modo consideratum (qui modus est additum diminuens, et secundum quid, cum rei essentiam supponat), esse de jure Ecclesiastico, facile probatur ex ipso usu Ecclesiæ, quæ solet prædictas determinationes mutare, ut constabit ex dicendis *dub. seq.* Unde difficultas procedit de statu religioso secundum

secundum essentiam sumpto, quæ est acceptio absoluta, et apta ad denominationem simpliciter talem.

§ UNICUS.

Defenditur vera, et communis setentia.

Conclusio. D. Tho. 17. Dicendum est, statu religiosum esse ex institutione divina. Sic indicat D. Thom. *in hac* 2, 2, *quæst.* 88, *artic.* 4 *ad* 3, et docent N. Waldens. *tom.* 1, *de Sacrament. tit.* 9, *cap.* 83, *et* 84, et *tom.* 3, *doctrin. fidei, cap.* 31, *et* 32, Soto *lib.* 7, *de justitia, quæst.* 5, *art.* 1, Clictoveus *lib.* 3, *de votis monast. cap.* 5, Suarez *tom.* 3, *de religione, lib,* 3, *cap.* 2, Basilius Pontius *lib.* 7, *de matrim. cap.* 3, et alii communiter. Probatur sequenti discursu: nam Christus Dominus est author originalis status religiosi: ergo prædictus status est ex institutione divina. Consequentia patet, et antecedens suadetur; nam Christus Dominus consuluit statum religiosum, et deinde ad illum admisit Apostolos: nihil autem amplius videtur desiderari, ut dicatur author originalis prædicti status: ergo, etc. Major quoad primam partem constat ex Evangelio, in quo legitur Christum consuluisse tria vota substantialia Religionis, votum quidem paupertatis, Matth, 19: *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia, quæ habes, et da pauperibus:* ubi totalis abdicatio consulitur. Consilium vero castitatis, *eodem capite*, ubi commendat eunuchos, *qui se castraverunt propter regnum cœlorum:* et sermo est de eunuchis spiritualibus, qui sibi per votum amputant facultatem gignendi. Tandem obedientiæ votum, *in eodem cap.* dum post consilium paupertatis adjecit: *Et veni, sequere me.* Nam perfecta sequela requirit votum, ut sequens perfecte Christum nequeat ab eo retrocedere. Ut interim alia loca omittamus, ex quibus eadem a Christo consilia ostendi possunt. Consuluit ergo tria vota substantialia status religiosi. Qua ratione D. Chrysost. *hom.* 17, *ad Popul.* religiosorum vitam appellat Philosophiam a Christo introductam.

Wald. Sot. Clictov. Suar. Basil. Pont. Fundamentum. Matth. 19. D. Chry.

Apostoli fuerunt religiosi. Quod vero admiserit Apostolos ad illa tria substantialia vota (quæ est secunda majoris pars), sic ostenditur; nam Apostoli fuerunt veri Religiosi, atque ideo emiserunt votum obedientiæ: sed hanc præcipue exercuerunt sequendo Christum, justa illud Petri, Matth. 19: *Ecce nos reliquimus omnia, et sequuti sumus te:* quam obedientiam acceptavit, et probavit ipse Dominus, ut constat ex eodem capite, illis verbis: « Amen « dico vobis, quod vos qui sequuti estis me, « in regeneratione, cum sederit filius ho- « minis in sede majestatis suæ, sedebitis « et vos super sedes duodecim, judicantes « duodecim tribus Israel. » Ergo Christus Dominus fuit Prælatus, cui Apostoli ut veri religiosi se subjecerunt; atque ideo ipse Dominus admisit eorum traditionem, et vota. Consequentia patet, tum ex præmissis: tum eo quod ex suppositione, quod Apostoli fuerint veri religiosi, non apparet quem alium habuerint Prælatum, nisi ipsum Christum, præsertim vivente apud ipsos Domino. Majorem autem, in qua poterat esse difficultas, docent satis communiter sancti Patres, Divus Thomas *loco supra citato et quæst.* 186, *artic.* 6 *ad* 1, D. Basil. *in Constitut.* « *Monast. cap.* 19, ubi ait: « Hi (scilicet « Religiosi) liberatoris nostri, ejusque vi- « tæ, dum inter nos versaretur, instituto- « rum veri, perfectique imitatores existunt. « Quemadmodum enim ille coacto discipu- « lorum choro, communia cuncta, seque « communem Apostolis præbuit: item hi « quoque Antistiti obtemperantes, qui mo- « do vitæ suæ præscripta recte conservant, « genus vivendi Apostolorum, ac Domini « imitantur. » D. Epiphan. *hæres.* 18, ubi explicans illud Matth. 19, *Sunt ennuchi,* inquit: « Quinam igitur ii fuerint, quam « generosi Apostoli, et monasticam vitam « degentes. » D. August. lib. 17, de Civit. Dei, cap, 24, ubi ait: « Dixerant enim po- « tentes illi, Ecce nos reliquimus omnia, « et sequuti sumus te. Hoc votum potentis- « simi voverant. Sed unde hoc illis, nisi ab « illo, de quo hic continuo dictum est, dans « votum voventi? » Et *epist.* 89, *ad Hilar. quæst.* 4, inquit se Apostolorum exemplo hunc modum sequutum fuisse, aliosque ad hujusmodi propositum induxisse. Videantur Waldensis *ubi supra*, Castro *adversius hæreses, verbo votum*, Turrianus *lib.* 5, *pro epist. Pontificum, cap.* 2, Hieron Plat. *lib.* 2, *de bono status religiosi, cap.* 20, Salmeron *tom.* 8, *in novum testament. tractat.* 52, *ad object.* 8, et alii qui contra hæreticos religiosum statum defendunt.

Matth. 19. D. Tho. D. Basil. D. Epip. D. Aug. Castro. Turrian. Hieron. Plat. Salmer.

Confirmatio. 18. Ad hæc, accedit congruentiæ ratio; nam Christus Dominus vocavit Apostolos ad magnam perfectionem, ut ipsos constitueret primitias spiritus, et semen omnis virtutis: sed status religiosus est valde per-

fectus, et in quo post Apostolos futuri erant viri probatissimi, et excellentis sanctitatis, quotquot videlicet ab illo tempore in eremis, et religionibus magna virtute floruerunt : ergo decuit Christum consulere Apostolis, ut essent religiosi, illosque ad prædictum statum admittere.

Præclauditur evasio. Nec valet dici, Christum elegisse Apostolos, ut forent Episcopi, quorum perfectio est major, quam perfectio status religiosi, atque ideo non consuluisse illis hujusmodi statum Non, inquam, valet ; quoniam licet status Episcopalis sit perfectior, quam status religiosus ; nihilominus horum statuum rationes, et perfectiones nullam habent inter se oppositionem, sed optime cohærent, et in eodem subjecto componuntur, ut experientia liquet. Et hac de causa qui vovit religionem, non satisfacit voto per hoc, quod fiat Episcopus, licet hujus status perfectior sit ; sed prius debet ingredi religionem, ut decernitur *in cap. Per tuas, de voto;* quia videlicet perfectio status religiosi optime componitur cum perfectione status Episcopalis. Sic ergo licet Christus vocaverit Apostolos, ut futuri essent Episcopi, et Pastores populi Christiani, optime etiam potuit eos vocare, ut simul essent Religiosi. Et quod ita fecerit, liquet ex supra dictis ; nam eis consuluit vota castitatis, paupertatis, et obedientiæ ; et se tradentes, ipsumque sequentes acceptavit repromittens futurum præmium. Unde voluit, quod simul essent Episcoporum, atque Religiosorum exemplar. Et ita sentiunt Patres supra relati, ex

D. Basil. quibus Divus Basilius *in Constitut. Monastic. cap.* 23, agens de obedientia, inquit : « Hanc is, qui secundum Deum vere est « monachus, Antistiti suo præstet oportet ; « siquidem, ut jam diximus, Christus dis« cipulos in hoc elegit, qui hoc vitæ insti« tutum æmularentur, ut per eos formam « relinqueret eandem sequuturæ posteri« tati. »

Incidentis dubii decisio. 19. Et si inquiras, an status religiosus a Christo Domino institutus cessaverit, interruptusve fuerit a temporibus Apostolorum usque ad tempora D. Antonii Abbatis, aut D. Basilii, in quibus refloruisse videtur ? Respondetur negative ; quia certo constat, in illis sæculis intermediis fuisse

D. Dion religiosos ; Dionysius enim de illorum institutione, et vita agit *in lib. de Ecclesiast.*

Tertul. *hierarch. cap.* 6. Tertullianus etiam meminit sacrarum, et religiosarum virginum, et de illis agit *in lib. de veland. Virgin.* Et idem argumentum invenimus apud S. Cy- D. Cypr. prian. *in lib. de habitu virg.* Et omnes hi Patres vixerunt ante Antonium, et Basilium. Denique Eusebius Cæsar. *lib.* 2, *hist.* Euseb. Cæsar. *cap.* 16, refert a temporibus S. Marci, et deinceps fuisse monachos, et monasteria in Alexandria, et Ægypto. Unde obiter refelluntur Centuriatores *cent.* 4, *cap.* 6, qui impudenter affirmant institutum monasticum incœpisse quarto sæculo, primosque authores habuisse Antonium, Macharium, et similes. Et incredibile est, quod supposita institutione hujus status per Christum in Apostolis, ita cessaverit, ut sæculo quarto resurrexerit ; nam sicut natura appetit generare sibi simile, ita etiam, altiorique modo gratia : ergo si Apostoli fuerunt religiosi, ut ex dictis constat, perfectio procurarunt alios religiosos efficere, imitatores sui, et sectatores excellentis adeo modi vivendi, juxta illud Pauli 1, ad Cor. 7 : *Volo autem vos omnes esse sicut meipsum.* 1 ad Cor. 7.

Corollarium. 20. Ex dictis sequitur, statum religiosum secundum substantiam, sive essentiam consideratum esse de jure divino, non quidem præcipiente, sed consulente, et originante. Sic docent Authores *num.* 17, relati. Et facile ostenditur ; quoniam Christus Dominus proposuit, consuluit, approbavit, et acceptavit statum religiosum : ergo hic status secundum substantiam acceptus non habet institutionem humanam, sed est de jure divino. Per quod minime negamus, quod Ecclesia possit statuere conditiones ad susStatus religiosus de jure divino. cipiendum talem statum, it aut eis deficientibus , detur inhabilitas in personis , et impediatur status ipse. Sed solum intendimus, quod hæc sint prævia, aut comitantia ad legitimitatem suscipiendi hunc statum ; eis vero suppositis, illius essentia, et vinculum inde ortum, aut in ea fundatum sint de jure divino. Quod facile intelligitur aliarum rerum exemplis ; nam legitimatio aut illegitimatio personarum in ordine ad contrahendum matrimonium pendet ex jure positivo Ecclesiastico ; et nihilominus matrimonium, ejusque vinculum non sunt ex jure Ecclesiastico, sed divino, et naturali. Ecclesia etiam reddit personas habiles, vel inhabiles ad suscipiendum Ordinem sacrum ; et tamen non propterea dicemus, quod sacer Ordo, et ei essentialiter annexa sint de jure Ecclesiastico ; sunt enim de jure divino, ut concedunt omnes. Sic ergo in nostro casu. Et ratio una, et generalis est : quia licet determinatio eorum, quæ concurrunt ad prædicta,

dicta, relicta fuerit Ecclesiæ dispositioni ; tamen Christus illa absolute instituit, matrimonium videlicet in ratione Sacramenti, sacrum Ordinem, et religiosum statum.

Nota. Accedit etiam, ea quæ constituunt statum religiosum, vota videlicet, et traditionem, afferre vinculum divinum, et naturale ; nam licet ex uniuscujusque libera, et humana voluntate dependeat vovere, et se Deo tradere in Religione, possitque Ecclesia inhabilitare actus ad id requisitos ; tamen ex suppositione, quod quis valide voverit, et se Deo in Religione tradiderit, obligatio inde orta est juris naturalis, atque divini. Quod ex dicendis tota disputatione magis constabit.

Singularis opinatio Vasq. 21. Contra nostram, et communem sententiam sentit singulariter Vasquez 1, 2, *disputat.* 165, *num.* 48, ubi hæc habet : « Quod attinet ad institutionem status religiosi, distinguendum est : aut enim instituisse statum religiosum idem est, quod invenisse, et excogitasse illum, aliisque sequendum proposuisse ; et hac ratione dicendum est, a Christo Domino fuisse institutum, hoc est propositum, et prædicatum, ut colligitur ex his, quæ hactenus diximus. Aut instituere statum religiosum idem est, quod re ipsa illum erigere sub alicujus capitis potestate, ac jurisdictione ; et hac ratione non est dicendum, institutionem hujus status esse juris divini, aut naturalis. Nam cum ad constituendum statum religionis, etc. » Hæc est sententia Vasquez, de qua non immerito dixit Basilius Pontius ubi supra : « Adversari Patribus in re tanta, et quod gravius est, sine magno fundamento, reprehensione non caret. » Unicum autem fundamentum, cui Vasquez innititur, est hujusmodi : Quoniam ad constituendum statum religiosum requiritur jurisdictio, ut Prælatus acceptans vota queat subditum compellere ad eorum observationem, et ad præstandum alia illius status propria. Hæc autem jurisdictio non provenit immediate a votis, vel traditione, sed dependet ex voluntate, et concessione Summi Pontificis : ergo status religiosus non est ex jure divino, sed ex jure ecclesiastico : ex quo rursus bene infertur, quod Christus, licet consuluerit, et proposuerit talem statum, illum tamen exercite non erexerit.

Basil. Pont.

Argumentum.

Dissolvitur. Sed hoc motivum est satis debile, et plura assumit falsa. Tum quia ad statum religiosum secundum substantiam consideratum non requiritur jurisdictio Ecclesiastica ex parte superioris, sed sufficit potestas dominativa, quæ illi acquiritur per traditionem, et acceptationem ; nam eo ipso jure naturali subditus tenetur illi parere, et ipse potest eum regere, ut jam supra diximus *num.* 10, et magis infra *a num.* 26, firmabimus. Tum etiam quia dato, quod ad essentiam status religiosi requireretur jurisdictio, quam Vasquez intendit, adhuc falsum esset, quod talis jurisdictio descenderet a Pontifice ; sed posset, et deberet immediate derivari a Christo Domino in Prælatum religiosorum, licet determinatio qualitatum personarum assumentium statum religiosum, et eorum acceptatio pendeant ab Ecclesia. Sicut etiam Ecclesia approbat personam in ordine ad Episcopatum, et illi designat oves ; et tamen hoc supposito, et aliis requisitis, potestas clavium in Episcopis reperta derivatur immediate a Christo Domino, ut Basilius, et alii plures affirmant ; et consequenter talis potestas convenit Episcopis non jure Ecclesiastico, sed divino. Tum denique, quia Christus Dominus acceptavit vota Apostolorum, fuitque eorum ut vere religiosorum superior, ut constat ex supra dictis, atque ideo habuit supra illos illam jurisdictionem, vel potestatem, quæ ex parte superioris ad religiosum statum requiritur ; certum autem est, potestatem illam specialem in Christo existentem non convenire illi ex concessione Ecclesiæ, aut alterius superioris ecclesiastici ; sed ex jure naturali, et divino, supposito quod Apostoli se illi donaverint, et quod ipse eos receperit : ergo ad constituendum statum religiosum secundum substantiam, non requiritur jurisdictio, quam Vasquez causatur, ut neget statum religiosum quoad essentiam esse de jure divino, et a Christo creatum fuisse.

Difficilius argumentum. 22. Relicto ergo illo motivo, melius et urgentius potest contra nostram assertionem opponi ; nam status religiosus non est institutus a Christo Domino : ergo corruit fundamentum, ut dicatur esse ex institutione divina. Antecedens probatur ex testimoniis Patrum, qui docent, statum religiosum incepisse ab Apostolis, vel post ipsos. Sic D. Thom. *quæst.* 187, *art.* 3 *ad* 2, D. Tho. inquit, *tempore Apostolorum non erant religiones institutæ.* D. Chrysost. *hom.* 25, *in* D. Chry. *epist. ad Hebr.* affirmat illa verba Pauli : *Si quis frater nominatur inter vos,* ad omnes tunc fideles pertinuisse, nec tunc fuisse ves-

tigium Monachi, sed omnia tunc D. Paulum
D. Bern. ad sæculares fuisse loquutum. D. Bernard. *in apolog. ad Guillelm.* ait : « Heu me mi-
« serum qualemcunque Monachum, cur
« adhuc vivo videre ad id devenisse Ordi-
« nem nostrum » (nempe religiosum, et monasticum) « ordinem scilicet qui primus
« fuit in Ecclesia, imo a quo cœpit Eccle-
« sia, cujus Apostoli institutores, cujus hi,
« quos Paulus tam sæpe sanctos appellat,
« inchoatores extiterunt. » Quibus verbis institutionem religiosi status plane defert Apostolis, et aliis. Quod palam significant
Consilium Meldense. Patres Concilii Meldensis *cap.* 9, cum affirmant : « Sacrum quoque monasticum ordi-
« nem a Deo inspiratum, et ab ipsis Apos-
« tolis fundatum. »

Confirmatio. Confirmatur, quia si Christus Dominus instituisset statum religiosum, instituisset illum in particulari, fundando aliquem specialem ordinem religiosum ex his, qui inveniuntur in Ecclesia ; sicut instituit statum Episcoporum, et statum Presbyterorum : atqui nulla ex religionibus nunc extantibus in Ecclesia habet immediatam institutionem a Christo Domino : ergo signum est, quod Christus non instituit statum religiosum.

Satisfit argumento. Ad objectionem respondetur negando antecedens, cujus probatio ex testimoniis Patrum desumpta non urget, quia facile explicantur. D. Thom. loquitur de institutione religionum quantum ad diversa instituta, cæremonias, et aliquas solemnitates essentiæ religiosi accidentarias, quas postea
Cajet. addidit Ecclesia, ut declarat Cajet. ibidem,
D. Chry. § *Ad hoc dicitur dupliciter*. D. Chrysost. recte interpretatur ea verba Pauli, quia forte tunc temporis nullus erat monachus in Ecclesia Corinthiorum, quibus Apostolus loquebatur. Minime vero negat Chrysostomus, et Apostolos, et alios eorum tempore fuisse religiosos ; imo vero id satis aperte affirmat *hom.* 17 *in Matth.* ubi hortans Monachos ad perfectionem religiosam, inquit : « Vis, o Monache, esse discipulus
« meus, imo vis discipulorum meorum
« esse discipulus, fac hoc, quod fecit Pe-
« trus, quod fecit Jacobus, et Joannes. »
D. Bernardus vocat Apostolos institutores vitæ religiosæ, non quia illam primo invenerint, sed quia eam primi professi sunt ut a Christo Domino inventam, approbatam, et propositam. Et in eodem sensu Concilium Meldense dicit, ordinem monasticum fuisse ab Apostolis fundatum ; quia fuerunt primi professores illius vitæ, ut a Christo inventæ, et se præbuerunt aliis imitatores.

Diluitur confirmatio. Ad confirmationem negatur major, vel ea, et minori omissis, negatur consequentia ; quia licet Christus non instituerit Religiones modo existentes secundum diversa earum instituta, et ritus unicuique proprios, sed hæc differentia sit ex ecclesiastica institutione ; nihilominus instituit religiosum statum secundum ejus substantiam, et essentiam, in qua omnes religiones conveniunt : quod satis est, ut omnes secundum quod participant conceptum status religiosi, sint immediate a Christo Domino authore, quanquam secundum peculiaria unicuique instituta habuerint speciales fundatores, juncta approbatione Ecclesiæ. Potestque id explicari ipso exemplo, quod in contrarium adducitur ; nam hæc multiplicitas materialis Episcoporum cum alligatione ad diversas diœceses, et ipsarum sedium designatio est ex institutione Ecclesiæ, quæ sic ista determinavit ; et nihilominus dignitas, potestas clavium, et ipsa Episcopatus essentia sunt immediate ex institutione Christi, et in his omnes legitimi Episcopi conveniunt.

DUBIUM III.

Utrum ad statum religiosum requiratur approbatio Ecclesiæ, potestas clavium, certa regula, et vivere in communitate.

Observationes. 23. Hæc omnia sub eodem dubio comprehendimus, quia facilem explicationem habent, et unius discussio viam præstat ad aliud. Pro cujus declaratione observandum est, quod duplex potest considerari approbatio Ecclesiæ circa religiosum statum : alia negativa, quatenus Ecclesia illum non reprobat, nec votis, aut traditioni supra explicatis repugnat : altera positiva, qua (hoc est, actu positivo) approbet statum acceptando vota, et traditionem. Et hæc positiva Duplex approbatio. approbatio potest adhuc bifariam considerari : primo speculative, in quantum Ecclesia judicat de bonitate illius status, et quod ista, aut illi ipsi conveniant, vel non : secundo practice, in quantum talem statum exercite acceptat, traditque potestatem inferioribus Prælatis ad acceptandum.

Duplex jurisdictio. Deinde nota, quod jurisdictio potest sumi dupliciter : uno modo minus stricte, quo pacto quælibet potestas imperandi, gubernandi, et compellendi, qualem pater habet erga filium, et dominus erga servum, potest jurisdictio

jurisdictio appellari. Altero modo magis stricte, et proprie : qua ratione significat potestatem, quæ est a principe superiori, vel republica. Et sic jurisdictio ecclesiastica est potestas spiritualis, quæ a Christo Domino descendit, et derivatur ad Ecclesiam, cujus præcipui actus sunt absolvere, et ligare, tam in foro conscientiæ, quam in foro externo ; et hæc appellatur potestas clavium.

Aristot. Præterea observa, quod regula, ut tradit Aristot. *lib de Anima, text.* 85, est, *qua rectum, et obliquum cognoscimus, verum, et falsum, bonum, et malum discernimus.* In-
D. Isid. deque dicitur, addit D. Isidorus *lib.* 6 *Etymol. cap.* 16, *quod recte ducit, nec aliquando*
Regula religiosa. *aliorsum trahit.* Et juxta hæc regula religiosa appellatur formula scripta, vel tradita, determinans modum observantiarum, quæ ad finem religionis deserviunt. Quo pacto reperiuntur de facto in Ecclesia diversæ Religionum regulæ.

Tandem animadvertendum est, dupliciter posse intelligi, quod quis ducat religiosum statum : uno modo vivendo in communitate sub aliquo superiori, cui subditi obediant : altero modo vivendo seorsim in solitudine absque uno superiori communi, cui obediant solitarii. Primus modus constituit vitam cœnobiticam, secundus pertinet ad anachoreticam. His præmissis, ad singulas dubii partes per singulas assertiones respondebimus.

§ UNICUS.

Resolutio difficultatum, quæ in titulo proponuntur.

Prima conclusio. 24. Dicendum est primo, ad statum religiosum secundum essentiam consideratum non requiri approbationem positivam Ecclesiæ, speculativam, aut practicam ; sed sufficere, et requiri approbationem negati-
Bellarm. Basil. Pont. vam. Ita Bellarm. *lib de Monach. cap.* 4 *in principio*, Basilius Pontius *lib.* 7 *de Matrim. cap.* 11, et alii. Et quidem prior assertionis pars facile ostenditur, quoniam ea, quæ sunt instituta a Christo Domino, non indigent approbatione speculativa Ecclesiæ judicans illa esse bona, cum Christus nihil
Fundamentum. non bonum instituere potuerit : sed status religiosus secundum essentiam acceptus est institutus a Christo Domino, ut *dubio præcedenti* ostendimus : ergo ad statum religiosum secundum essentiam consideratum non requiritur speculativa Ecclesiæ approbatio.

Secunda etiam pars suadetur, quia ad statum religiosum sufficiunt tria vota substantialia cum traditione perpetua, ut *dub.* I explicuimus : sed hæc omnia possunt ad exercitium, seu praxim reduci, quin Ecclesia habeat actum positivum, quo talia approbet, et acceptet : ergo ad assentiam status religiosi non requiritur practica Ecclesiæ approbatio. Minor liquet, quia donatio Deo facta, quandiu Ecclesia non repudiat, et irritat illam, tenet, et intelligitur ab Ecclesia acceptari : ergo licet Ecclesia nullum actum habeat positive approbantem, et acceptantem, possunt vota substantialia, et traditio ad exercitium, et praxim reduci. Sic olim fœminæ, quæ absque licentia, et benedictione Episcopi velamen sacrum sibi imponebant, ipso Episcopo non resistente, religiosæ censebantur, et cogebantur habitum non dimittere, ut constat ex Concil. Tribur. *cap.* 25, et Tolet. X, *cap.* 5. Concil. Tribur. Concil. Tolet.

Ultima denique assertionis pars etiam ostenditur ; quoniam Ecclesia posset irritare, et annulare vim votorum, et traditionis in ordine ad constituendum statum, sicut sæcularis princeps potest præscribere conditiones, quibus humanæ donationes fiant, ita ut eis non servatis, invalidæ sint : ergo ut vota, et traditio teneant, et constituant statum religiosum, opus est quod Ecclesia illa non repudiet ; in hoc autem consistit approbatio negativa, ut supra diximus : ergo ad statum religiosum requiritur negativa Ecclesiæ approbatio; cumque non desideretur ad ejus essentiam approbatio positiva speculativa, vel practica, sequitur quod negativa requiratur, et sufficiat.

Confirmatur primo eadem resolutio ; nam si approbatio positiva Ecclesiæ pro statu religioso requireretur, maxime ad approbandam, et confirmandam regulam talis status ; vota enim, et traditio independenter ab hujusmodi approbatione fieri queunt, ut proxime dicebamus : sed ad statum religiosum secundum substantiam acceptum non requiritur regula, ut dicemus *num.* 29. Ergo ad statum religiosum secundum substantiam acceptum non requiritur approbatio Ecclesiæ positiva. Confirmatio prima.

Confirmatur secundo ; nam si status religiosus secundum substantiam acceptus indigeret aliqua approbatione positiva, maxime Summi Pontificis, in quo primario residet authoritas, et potestas ecclesiastica : Secunda.

atqui non requiritur approbatio positiva summi Pontificis ad constituendum religiosum statum secundum substantiam : ergo, etc. Minor liquet ; nam olim fuerunt innumeri monachi, et veri religiosi sub disciplina D. Antonii, ut refert S. Athanasius in ejus vita : alii sub regula S. Pachomii, quam D. Hieronym. transtulit : alii sub regula Oresii, ut refert Gennadius *de Script. Ecclesiat. cap.* 9, alii sub regula S. Macharii, ut tradit Author vitæ S. Philiberti Abbatis, apud Surium *tom.* 4, et sic de aliis : et tamen nullam approbationem positivam habuerunt a Summo Pontifice, nec est qui illam designet. Addit etiam Lessius *lib.* 2, *cap.* 41, *dubit.* 1, *numero* 12, hæc : « Advertere tamen, non esse per se necessarium, ut hæc approbatio fiat immediate a Summo Pontifice : religiones enim SS. Antonii, Basilii, Augustini, Benedicti non videntur initio fuisse sic approbatæ, sed ab Episcopis, quibus tunc suberant, ipso usu admissæ sunt, non repugnante Summo Pontifice; deinde seorsim a Conciliis, et a Summo Pontifice laudatæ, et confirmatæ. » Unde Suarez *tom.* 3 *de Religione, lib.* 2, *cap.* 17, *numero* 7, vocat *singularem, et sine ullo fundamento cogitatam* sententiam Henriquez *lib.* 10 *de Sacrament. Ordin. cap.* 35, *numero* 3, affirmantis nullam unquam fuisse Religionem absque regula expresse approbata a Summo Pontifice. Videatur Marquez de origine Ordinis S. Augustini *cap.* 14, § 7, ubi erudite ostendit, quod olim non erat necessaria positiva, et expressa approbatio Romani Pontificis ad erigendum, et confirmandum Religiones.

Gennad. Surius. Lessius. Suarez. Henriq. Marqu.

25. Contrariam nostræ resolutioni sententiam defendunt Vasquez 1, 2, *disp.* 165, *cap.* 4. Suarez ubi proxime, *cap.* 15, et alii. Fundamentum Vasquez est, quoniam ad statum religiosum requiritur potestas clavium ; hæc autem non descendit ad Prælatos absque positiva Ecclesiæ concessione, et approbatione. Sed principium a Vasquio assumptum falsum est, ut *num. seq.* ostendemus.

Sententia opposita. Suarez. vasq. Motiva.

Diluuntur. Suarez vero probat, requiri approbationem positivam speculativam ; quia nequit dari status religiosus absque aliquibus specialibus observantiis, sicut neque substantia absque accidentibus : in designatione autem prædictarum observantiarum posset error committi : ergo ne detur, opus est, quod Ecclesia judicet de illis, et positive censeat talem statum honestum, ac rectum esse. Sed hoc fundamentum facile diruitur : tum quia modo non loquimur de statu religioso ut applicato, aut determinato ad hunc, aut illum vivendi modum ; sed de illo secundum essentiam considerato, quo pacto solum dicit vota, et traditionem in obsequium Dei, quæ nulla speculativa approbatione extrinseca indigent, cum sint approbata a Christo Domino. Tum etiam, quia falsum est, non posse dari statum religiosum absque designatione specialium observantiarum ; nulla quippe repugnantia apparet in eo, quod quis sit verus religiosus emittendo tria substantialia vota, et tradendo se in manibus Prælati absque designatione peculiarium observantiarum, cum solo proposito faciendi ea, quæ ad observanda tria vota necessaria videbuntur ; sicut de facto sunt aliqui veri Religiosi absque regula determinante ipsis jejunia, et alias asperitates corporales ; sed solum disponente, quod de his assumantur, quæ Prælatus, et subditus expedire judicaverint, ut constat ex dictis *tract. præced. disputat.* 5, *num.* 176.

Diluuntur.

Probat deinde Suarez requiri approbationem practicam, quia ut detur status religiosus, requiritur acceptatio ex parte superioris ; et ut hæc valida sit, debet superior habere potestatem acceptandi : hanc autem non habet, nisi ab Ecclesia : ergo requiritur ad statum religiosum, quod Ecclesia præbeat facultatem acceptandi vota religiosorum, quod absque approbatione practica non sit, ut ex se liquet.

Argumentum.

Sed neque hoc motivum valet, quoniam nec actus acceptandi religiosam professionem, nec ea, quæ ad illum per se sequuntur, petunt ecclesiasticam jurisdictionem, seu potestatem proprie dictam ; unde acceptare potest talem professionem fœmina, laicus, et excommunicatus, licet talem jurisdictionem non habeant, ut bene probant Basilius Pontius *lib.* 7, *de Matr. cap.* 15, *num.* 22, Sanchez *lib.* 5 *Summæ, cap.* 4, *num.* 78 *et* 79, Castro Palao *tom.* 3, *tract.* 16, *disp.* 2, *punct.* 3, *num.* 14, et alii. Unde ex vi illius motivi minime infertur, quod ad statum religiosum requiratur practica Ecclesiæ approbatio.

Solutio. Basil. Pont. Sanchez. Castro Palao.

26. Dicendum est secundo, ad statum religiosum secundum essentiam consideratum non requiri potestatem clavium. Sic docent tres Auctores proxime relati, et alii. Probatur ratione, quia status religiosus secundum essentiam consideratus constat tribus

Secunda conclusio.

Fundamentum. tribus votis essentialibus, traditione, et acceptatione Dei nomine facta: sed hæc omnia fieri valent absque potestate clavium: hæc ergo non est necessaria ad statum religiosum secundum essentiam consideratum. Probatur minor, quia si requireretur illa potestas, maxime ad acceptandam traditionem hominis; ad id autem non requiritur: tum quia ad id sufficit alia facultas, sicut ad acceptandum alias donationes; quæ facultas quantum ad hunc effectum potest dici utcumque spiritualis, et quia est ex approbatione Christi instituentis statum religiosum, et quia est in ordine ad spiritualem finem. Tum etiam, quoniam fœmina, laicus, et excommunicatus sunt capaces acceptandi traditionem, seu professionem religiosam; ii autem non habent potestatem clavium.

Confirmatio prima. Confirmatur primo, et declaratur amplius, quia pro tribus effectibus posset hujusmodi potestas desiderari ad statum religiosum. Primo, ut actu instituatur, et erigatur religio: secundo, ut homines in ea admittantur, ipsique incorporentur: tertio, ut religio gubernetur. Sed ad nullum horum est per se necessaria. Ergo potestas clavium non requiritur ad statum religiosum, si secundum essentiam consideretur. Probatur minor quoad omnes partes, quia in primis potest status religiosus erigi, et ad exercitium reduci absque ullo actu positivo Ecclesiæ, ut *num.* 24 statuimus, atque ideo absque actu sive exercitio potestatis clavium: ergo talis potestas non requiritur ad erectionem status religiosi. *Deinde*, actus acceptandi vota, et traditionem non est actus jurisdictionis ecclesiasticæ, sed alterius potestatis a Christo approbatæ, ut proxime dicebamus: ergo ad effectum acceptandi vota, et traditionem non requiritur potestas clavium. *Denique* ad gubernandum subditos religiosos non requiritur jurisdictio ecclesiastica, sed sufficit potestas dominativa, et œconomica, qualem habet pater in filios, et dominus in servos; ea quippe sufficit ad imperandum, coercendum, puniendum, et ad irritandum inferiorum vota; et hoc modo Abbatissæ gubernant de facto moniales: ergo ad gubernationem status religiosi potestas clavium non est necessaria.

Confirmatio secunda. Basil. Pont. 27. Confirmat secundo hanc resolutionem Basilius Pontius ex antiquo Monachorum more, et quia rem optime declarat, placet ejus verba transcribere. « Mere laicus potest esse Prælatus religionis, et olim ita erat; et aliunde vocabant presbyterum, qui sacra faceret, ut multis testimoniis confirmari posset: satis tamen sit allegasse Gregor. Magnum lib. 3, epist. 18, de quo iterum nonnulla statim. Cum ergo religionis status constare possit Prælato existente mere laico, cui pleno jure subjecti monachi sint, non est cur dicatur eam jurisdictionem derivari ex potestate clavium. Unde et in lege naturæ, quod multi concedunt, statum religionis esse posse, nihil est quod impediat. » Et post pauca addit: « Idque constat tum in moniales, quæ vere religiosæ sunt, et tamen earum Abbatissa potestatem excommunicandi non habet. Tum etiam, quia primis seculis Monachismus non constabat clericis, ut manifestissimum est: et D. Benedictum clericum non fuisse, sicut nec B. Franciscum, asseruit expresse D. Bonavent. in expositione reg. cap. 7, nec est aliquod fundamentum in regula D. Benedicti, unde oppositum colligatur. Quod enim aliquando propter delicta repellat a communione reliquorum Monachos, non ea excommunicatio est, quæ censura ecclesiastica censetur; sed separatio quædam a communione, et convictu, et mensa per aliquot dies: veluti si pater, ut filium puniat, ingressu cubiculi sui interdicat, cujusmodi multa reperies apud Basilium in animadversionibus ad Canonicos, et Canonicas. Nec vero obest Benedictum prædicatoris exercuisse munus; id enim divina revelatione factum est ob eximiam viri sanctitatem, ut asserit Augustinus Anconitanus in Summa de potest. Eccles. quæst. 99, art. 1, in corp. etc. » Hæc prædictus Author, quibus quantum attinet ad sacerdotium sanctissimi Patriarchæ Benedicti, non plane subscribimus (licet idem affirment Suarez *tom.* 4 *de Relig. lib.* 2, *cap.* 1, *num.* 3, et Bellarm. *lib.* 4 *de Sacram. Euch. cap.* 4), quia oppositum docte suadet S. Victores *lib.* 1, *cap.* 3, *præl.* 3. Sed principium, quod Basilius assumit (quidquid de exemplo sit), satis constat *ex cap. Hinc est*, 16, *q.* 1, ibi: « Monachos vero usque ad tempus Eusebii, Zozimi, et Syricii, Monachos simpliciter, et non Clericos fuisse, Ecclesiastica testatur historia. »

Suarez. Bellarm. S. Vict.

Sententia contraria. Suarez. Vasq. 28. Oppositam nostræ sententiæ opinionem docent Suarez *tom.* 3, *de Religione*, *cap.* 18, Vasquez 1, 2, *disp.* 165, *cap.* 4, et

Convelluntur ejus motiva.

alii. Motivum Suarez est, quoniam potestas clavium videtur requiri ad aliquem ex effectibus supra relatis, præsertim vero ad primam erectionem alicujus particularis status religiosi. Sed hoc motivum jam diruimus ostendendo prædictam potestatem nec pro illo, nec pro aliis effectibus requiri, si statum religiosum secundum essentiam præcise consideremus.

Fundamentum Vasquez est, quia religiosus status petit jurisdictionem ex parte Præsulis; omnis autem jurisdictio debet derivari a supremo Principe; nec enim possunt subditi eam pro suo arbitrio alteri conferre: ergo ad statum religiosum requiritur, quod Prælatus habeat aliquam jurisdictionem a Summo Pontifice, quæ profecto est potestas clavium. Et confirmatur, quia omnis alia potestas, quæ consensu partium acquiritur, potest eodem consensu dissolvi: at religiosus status nequit dissolvi partium consensu, sed sola voluntate Pontificis: ergo potestas ad illum requisita non quæritur Prælato immediato ex consensu partium, sed ex Pontificis concessione; atque ideo est potestas clavium.

Sed motivum est satis debile: tum quia ad statum religiosum non requiritur jurisdictio proprie dicta, sed sufficit potestas dominativa, et œconomica, ut jam supra ostendimus. Tum quia dato, quod requireretur jurisdictio proprie dicta, posset alicui conferri ex consensu partium, non contradicente Principe, ut a fortiori constat ex his, quæ docent Victoria *in relectione* 1, *et* 2, *de summo Pontifice*, et Salas *de legibus, disput.* 8, *sect.* 17.

Victor. Salas.

Diluitur aliorum motivum.

Nonnulli, qui relatæ opinioni suffragantur, ut Lessius, Pellizarius, et alii, eam probant; quia in statu religioso requiritur aliqua potestas spiritualis, et supernaturalis, alias prædictus status a sæculari statu non differret; potestas autem spiritualis pertinet ad jurisdictionem clavium.

Sed neque istud motivum valet; quoniam ad prædictum statum sufficit potestas dominativa Prælato quæsita per traditionem subditi, ejusque acceptationem; quæ potestas potest appellari spiritualis, et supernaturalis, saltem extrinsece, et quia approbata a Christo Domino religiosi status authore, et quia ordinatur ad spiritualem, et supernaturalem finem: unde plurimum differt a sæculari potestate, sicut ipsi status differunt inter se. Nec D. Thom. unquam distinxit statum religiosum a seculari per potestatem clavium, sed quia *Religiosi*, ut loquitur quæst. 184, art. 5, « se voto adstrinxerunt ad hoc, quod a rebus secularibus se abstineant, quibus licite uti poterant, ad hoc ut liberius Deo vacent. » Quod non habent seculares.

D. Tho.

Tertia conclusio. Lessius Suarez. Fundamentum

29. Dicendum est tertio, ad statum religiosum secundum essentiam consideratum non requiri regulam. Ita Lessius ubi supra, *num.* 9, Suarez *lib.* 6, *cap.* 12, *n.* 11, et alii. Probatur: tum quia essentia status religiosi consistit in tribus votis substantialibus cum traditione, et acceptatione, ut *dub.* 1 explicuimus: sed hæc omnia possunt dari absque regula scripta, vel tradita: ergo et status religiosus. Tum etiam, quia olim, ut bene observat Suarez, fiebat quis vere religiosus emittendo vota substantialia in manibus Episcopi sine ulla obligatione ad aliquam regulam, aut specialem religionem. Tum præterea, quia licet ad statum religiosum pertineat observare aliqua præter divina mandata, et vota; hæc tamen virtualiter continentur in ipsis votis, et mandatis: unde non est indispensabile, quod per certam regulam determinentur, sed sufficit quod quis sit in animæ præparatione ad præstandum illa, quæ pro observatione mandatorum visa fuerint necessaria. Tum denique, quia reliqua omnia, præter mandata, et consilia, si in se, et per se considerentur, sunt statui religioso accidentalia; unde videmus dispensari in vigiliis, choro, jejuniis, vestimentis, et similibus, manente essentia prædicti status: ergo cum regula ad horum determinationem præcipue deserviat, sequitur quod non sit necessaria ad constituendum statum religiosum secundum essentiam consideratum.

Melius tamen, et perfectius est, quod detur regula hujusmodi observantias determinans pro his, qui in communitate vivunt, ut late ostendimus *tract. præced. disp.* 5, *a num.* 165, et sic de facto fit in omnibus Religionibus.

Sententia contraria. Bordon.

30. Contra hanc assertionem sentit Bordonus *tom.* 3, *resolut.* 87, *a num.* 154, qui distinguens inter Ordinem, et Religionem affirmat, quod licet Ordo possit absque regula dari, non tamen Religio. Quod probat: tum quia Religio dicitur a regula: tum quia præcedentia inter Religiones attenditur secundum approbationem regularum: tum quia ita significatur *in cap. final. de relig. domibus*, et in Conc. Trident. *sess.* 25, *cap.* 1.

Conc. Trid.

Sed

Sed hæc motiva sunt satis debilia. Primum, quia sumitur ab etymologia, quod utplurimum non probat. Præsertim cum religio non dicatur a sola regula, ut ille falso supponit; sed habet alias, et notiores radices, ut optime declarat D. Thom. *in hac* 2, 2, *quæst.* 81, *art.* 1, his verbis: « Religiosus, ut ait Cicero, a religione appellatus est, qui retractat, et tanquam « relegit ea, quæ ad cultum pertinent. Et « sic religio videtur dicta a relegendo ea, « quæ sunt divini cultus; quia hujusmodi « sunt frequenter in corde revolvenda, secundum illud Proverb. 3: In omnibus « viis tuis cogita illum. Quamvis etiam possit intelligi religio ex hoc dicta, quod « Deum reeligere debemus, quem amiseramus negligenter, sicut August. dicit in « 10, de civit. Dei. Vel potest religio esse « a religando dicta. Unde August. dicit in « lib. de vera Relig. Religet nos religio uni « omnipotenti Deo. » Et juxta quamlibet ex his acceptionibus potest status dici vere religiosus quoad essentiam, licet regulam non habeat. Secundum nil valet, quia præcedentia non fundatur in essentia religionis, sed provenit ex jure ecclesiastico, quod potest sic, vel sic disponere, quidquid sit de origine Religionum, et approbatione regulæ. Unde etiam patet ad ultimum motivum.

D. Tho. — Religio unde dicatur.

Quarta conclusio. — 31. Dicendum est ultimo, ad essentiam status religiosi non requiri, quod religiosi vivant in communitate, aut eidem Prælato subdantur. Ita Suarez *tom.* 3, *de Relig. lib.* 2, *cap.* 4, S. Victores *prælud.* 6, *cap.* 1, et alii communiter. Probatur primo ex D. Thom. *quæst.* 188, *art.* 8, qui id evidenter supponit; nam inquirit: « Utrum perfec« tior sit religio in societate viventium, « quam agentium solitariam vitam? » Et resolvit: « Sicut id quod perfectum est, « præeminet ei quod ad perfectionem « exercetur: ita vita solitariorum, si de« bite assumatur, præeminet vitæ sociali. » Secundo, quia status religiosus essentialiter consideratus consistit in tribus votis essentialibus cum traditione, et acceptatione: sed hæc omnia salvari possunt independenter a vita in communitate, et ab ordine ad vivendum in communitate, ut ex se liquet: ergo et status religiosus. *Tertio*, quia juxta communem, et celebrem Patrum sententiam, status religiosus dividitur in *Cœnobiticum*, et *Anachoreticum*, et in quolibet eorum salvatur essentia divisi: sed cœnobiticus est eorum, qui in communitate vivunt; anachoreticus autem eorum, qui seorsim, et in solitudine: ergo vivere in communitate non est necessarium ad statum, religiosum. *Ultimo*, quia dubitari non debet, quod Paulus, Hilarion, et similes eremitæ sanctissimi fuerint veri religiosi; et tamen in communitate non vixerunt.

Suarez. S. Vict. D. Tho. Fundamentum.

Potest tamen opponi, quia ad essentiam status religiosi requiritur votum obedientiæ; hæc autem non habet locum in solitudine, sed in communitate, ubi plures uni obediunt: ergo vita in communitate requiritur ad essentiam status religiosi. — Occurritur objectioni.

Sed hoc optime diluit D. Thom. ubi proxime, *in resp. ad* 3, his verbis: « Dicen« dum quod actu obedire est necessarium « his, qui indigent exerceri secundum di« rectionem aliorum ad perfectionem ca« piendam. Sed illi qui jam perfecti sunt, « spiritu Dei sufficienter aguntur, ut non « indigeant actu aliis obedire. Habent « tamen obedientiam in præparatione « animi. » — D. Tho.

32. Quæ hactenus diximus, et per varias conclusiones explicuimus, procedunt attenta sola essentia, et substantia status religiosi. Sed quia ad ipsum requiruntur vota, traditio, et acceptatio, et Ecclesia potest hujusmodi actus invalidare, consequenter etiam potest statuere conditiones, quibus, et non aliter, prædicti actus legitime fiant, et re ipsa statum religiosum constituant. Quod de facto præstitit, ut bene (detegendo simul radicem hujus dispositionis) refert Bellarminus *lib. de Monachis*, *cap.* 4, his verbis: « Modus ille varius, quo « tria vota suscipi possunt, non ita pers« picue in Evangelio elucet, et non parum « ex prudentia, et directione humana pen« det. Quare Pontificis confirmatione indi« gere potest, et nunc re ipsa, propter jus « positivum novas religiones prohibens, « omnino indiget. Itaque Antonius, Basi« lius, Augustinus, Benedictus authores « Religionum fuerunt, nec ullam leguntur « a Pontifice approbationem quæsivisse, « propterea quod nondum extaret Jus Ec« clesiasticum id præcipiens. Condendi au« tem novi juris hæc fuit occasio. Ad an« num Domini circiter 1170, pauperes de « Lugduno ordinem quendam religiosum « instituerunt, sed multis admixtis supers« titionibus, et hæresibus. Quocirca a « Lucio III, Alexandri III successore hæ- — Limitatio, et declaratio assertionum. — Bellarm.

« reseos damnati fuerunt, et secta eorum « reprobata, ut scribit Abbas Urspergensis « in Chronico anni 1212. Illi vero postmo- « dum, idest tempore Innocentii III, Sedem « Apostolicam adeuntes diu institerunt, ut « idem Author ait, ut reconciliarentur, et « religio eorum confirmaretur; nec tamen « impetrarunt. Inde igitur factum est, ut « B. Franciscus, et B. Dominicus volentes « similiter novos ordines instituere, et « metuentes ne sibi accideret, quod vide- « bant accidisse Waldensibus, noluerunt « confidere suo judicio, sed a Pontifice « confirmationem petierunt, et impetra- « verunt. Paulo autem post in Concilio « Lateranensi Generali considerans Inno- « centius III, periculum, quod imminebat « Ecclesiæ, si unicuique liceret novam re- « ligionem excogitare, prohibuit ne dein- « ceps ullus novus Ordo institueretur, « nimirum sine approbatione Apostolicæ « Sedis, ut habemus cap. final. de relig. « domibus. Quod decretum renovavit Gre- « gorius X in Concilio Lugdunensi, ut ha- « bemus cap. unico, de relig. domibus in « Sexto. Atque hinc cœpit esse necessa- « rium, quod antea erat liberum. » Et quod nostra attinet, addit idem Cardinalis in sua Chronologia: « Ordo Carmelitarum « confirmatur ad Alexandro III, anno « 1180. Item ab Innocent. III, anno 1199, « Item ab Honorio III, anno 1216. » Quod adnotamus propter Bordonum *loc. cit.* ubi affirmat Ordinem Carmelitarum non obtinuisse confirmationem, nisi ab Honorio III, anno 1226, in quo vehementer fallitur. Sed de hoc iterum dicemus *disp.* 3, *num.* 140.

Bordon.

DUBIUM IV.

An, et quomodo differat professio per vota simplicia, et professio per vota solemnia.

Status quæstionis.

33. Quæstionem aggredimur obscuram, quam aliquorum prolixitas reddidit obscuriorem. Et a limite forsan Lector notabit, quod illam proponamus sub aliis terminis, quam proponi solet; communiter enim inquiritur, *In quo, aut qualiter differant vota simplicia, et solemnia.* Sed quod sic fecerimus, causa fuit nos in præsenti agere de votis, quatenus statum religiosum constituunt; vota autem simplicia sub hac tantum expressione non concernunt necessario religiosum statum, sed valent ab eo separari, sicut et a traditione. Professio autem utrumque concernit; unde difficultas comparans vota religiosorum, vividius proponitur sub professionis vocabulo. Præsertim cum juxta vulgarem loquendi modum, emissio trium votorum simplicium cum aliqua traditione dicatur *professio simplex*, et emissio trium solemnium votorum appelletur *professio solemnis*. Accedit etiam, quod si præcise fieret comparatio inter vota solemnia, et vota simplicia, nihil super ista addendo, facillima esset dubii resolutio; pervium quippe esset respondere, vota simplicia solum importare promissionem castitatis, paupertatis, et obedientiæ; solemnia vero addere traditionem personæ voventis factam Deo in religione; satisque ex hoc parte distingui, et alias originare differentias, et proprietates. Et sic antiquiores, qui vota simplicia constituentia statum religiosum non cognoverunt, facile illa distinxerunt a solemnibus, recognoscentes differre ex natura rei, sicut differunt promissio, et donatio. Sed post Constitutionem Gregorii XIII (cujus meminimus *num.* 8,) declarantis, et diffinientis emittentes tria vota simplicia in sacra Societate Jesu esse vere, et proprie religiosos, nequit ex illo capite differentia inter hæc vota assignari; quia vota simplicia emissa in Societate etiam important traditionem; aliter enim non constituerent vere religiosum, cum traditio necessario requiratur ad constituendum religiosum statum, ut cum Suario, et aliis statuimus *num.* 9.

Ratio dubitandi.

34. Et hinc oritur difficultas hujus dubii: si enim cum aliquibus antiquis dicatur, differentiam in eo constituendam esse, quod professio solemnis fit in publico, secus vota simplicia, facile refelletur; quia potest dari votum substantialiter solemne absque publica, et externa solemnitate, ut si duo tantum sint, unus promittens, et alter acceptans nomine Ecclesiæ, habensque ad id legitimam potestatem, ut constat *ex cap. Porrectam, de Regul.* Et e contra potest dari votum habens externam publicitatem, quod simplex sit, ut constat *ex cap. Per tuas, de voto.*

Si autem dicatur, distinctionem sitam esse in eo, quod vota solemnia fiunt cum quadam consecratione, seu benedictione, non autem simplicia, ut significare videtur D. Thom. *in hac* 2, 2, *q.* 88, *art.* 7, 9 et 11, facile etiam impugnabitur; quia ad constituendum solemniter professum, non requiritur

D. Th.

ritur ulla exterior, et ceremonialis consecratio, aut benedictio; unde in aliquibus Religionibus non fit. Quod si fiat in aliis, solum est invocativa, ut Deus profitenti specialiter assistat, ut cum Episcopus benedicit populum, aut mensam. Nec D. Thom. constituit solemnitatem professionis in hac ceremoniali benedictione, ut *num.* 95 videbimus.

Quod si dicatur, solemnia vota distingui a simplicibus per hoc, quod solemnia inhabilitant ad contrahendum matrimonium, ita ut subsequens post illa matrimonium nullum sit, qua vi destituuntur simplicia, minime satisfacit: tum quia cum hoc prædicatum sit negativum, debet ex parte votorum solemnium assignari aliud positivum, in quo fundetur, quodque sit ratio dirimendi matrimonium; et hoc investigamus. Tum quia dirimere matrimonium non est essentia, aut primum prædicatum voti solemnis, sed tantum effectus: qui effectus potest etiam attribui per Ecclesiam aliquibus votis simplicibus, ut de facto accidit in his, quæ emittuntur in Societate.

Si vero ad hæc superanda dicatur, professionem simplicem, et solemnem differre solum jure ecclesiastico, quatenus Ecclesia illi attribuit vim dirimendi sequens matrimonium, quem non dat omnibus votis simplicibus; et similiter determinat, quod professio solemnis dissolvat præcedens matrimonium ratum, non consummatum, quod nullis votis simplicibus etiam in Societate emissis hactenus attribuit: contra hoc est, quod vota solemnia jure divino dissolvunt matrimonium ratum non consummatum, ut ostendemus infra *a num.* 67, et eodem jure divino, et naturali dirimunt sequens matrimonium, ut *a num.* 77, dicemus; quod minime habent vota simplicia, ut omnes concedunt: ergo oportet, quod distinguatur plus quam jure ecclesiastico.

Denique si dicatur, hujusmodi vota, et professiones illis factas distingui ex natura rei aut jure divino: obstant Bonifacius VIII, *in cap. Unico, de voto in* 6, et Gregorius XIII, *in Const. Ascendente Domino,* qui palam affirmant, *solennitatem voti ex sola ecclesiastica constitutione esse inventam.* Ergo dici non valet, quod votum solemne distinguatur a simplici ex natura rei, aut jure divino.

Bonif. VIII. Greg. XIII.

Hæc sunt quæ præsentem quæstionem reddunt difficilem, in qua resolvenda, omissis pluribus dicendi modis obscuritatem materiæ addentibus, breviter, et perspicue (quantum fieri valet,) procedemus.

§ I.

Vera D. Thomæ sententia defenditur.

35. Dicendum est professionem per vota simplicia, et professionem per vota solemnia distingui ab intrinseco, ex natura rei, et jure divino. Ita D. Thom. locis infra referendis, et omnes antiquiores, qui asseruerunt eandem distinctionem inter vota simplicia, et solemnia; quia licet eorum tempore vota simplicia non deserviebant professioni in ordine ad constituendum religiosum statum; tamen eorum fundamentum fuit, quod in votis solemnibus religionis interveniebat omnino perfecta hominis traditio, quam non importabant vota simplicia: hujusmodi autem motivum etiam urget, facta comparatione cum votis simplicibus deservientibus statui religioso ex Ecclesiæ statuto; quia nulla vota simplicia important omnino perfectam hominis traditionem, ut infra declarabimus. Ex antiquis ergo (qui ante constitutiones Gregorii XIII scripserunt,) tenent cum D. Thom. hanc sententiam B. Albertus, quem refert, et sequitur Sylvester *verb. Votum* 4, *quæst.* 5, D. Bonavent. Durandus, et Richardus, quos refert Sanchez *lib.* 7, *de Matrimon. disp.* 25, *num.* 7, Capreol. *in* 4, *dist.* 33, *quæst. unica, art.* 1, ubi Deza *art.* 3, Turrecremata *in cap. Presbyteri, dist.* 27, Raynerius *verb. Votum, cap.* 8, § 1, *et verb. Continentia, cap.* 6, Victoria *in relect. de potest. Papæ, num.* 1 *ad* 1, Catharinus *lib.* 1 *annot. in Cajetanum, a fol.* 512, Petrus de Soto *lect.* 5, *de Matrim. circa finem,* Dominicus Soto *in* 4, *dist.* 38, *quæst.* 2, *art.* 1, *et* 2, *et lib.* 7, *de justitia, quæst.* 2, *art.* 5, et alii plures. Sed post illas Gregorii XIII constitutiones (ut omnis prorsus scrupulus amoveatur,) sic sentiunt ex recentioribus Ledesma *de matrimon. quæst.* 53, *art.* 2, *post* 6, *prob. et in resp. ad* 5 *et* 6, et latius *in Summa,* 2 *p. tract.* 10, *cap.* 6, *dub.* 1 *et* 2. Nuno *in addit. ad* 3 *p. quæst.* 9, *art.* 2, *dub.* 3, *concl.* 5, Texeda *lib.* 1, *tract.* 1, *controv.* 1, *et tract.* 3, *controv.* 12, Gravina *tom. ult. præscript. controv. ult. q.* 4, *artic.* 4, *a fol.* 297, Joannes a S. Thom. *in tract. de approb. doctr. D. Thom. disp.* 4, *art.* 3, *proposit.* 13,

Conclusio. D. Tho. B. Alb. Sylvest. D. Bon. Sanch. Capreol. Deza. Turrec. Rayner. Victor. Cajet. Soto. Ledesm. Texeda Gravina. Joan. à S. Tho.

Joannes Nicolai. et *in* 2, 2, *quæst.* 88, *disp.* 29, *artic.* 5, Joannes Nicolai *ad Raynerium loco supra citat.*
Coeffet. Nicolaus Coeffet. *contra Spalatensem de Republica Christ. part.* 1, *lib.* 2, *cap.* 12, Aragon.
Aragon. Sylvius. Valent. Henri. gon 2, 2, *quæst.* 88, *artic.* 7, *et* 11, Sylvius *ad eadem loca*, Valentia *disp.* 6, *quæst.* 6, *punct.* 5, *et disp.* 10, *de Matrimon. quæst.* 5, *punct.* 3, Henriquez *lib.* 12, *cap.* 5, *num.*
Cornejo. Joan. de la Cruz. 3, *et* 4, N. Cornejo *de Matrimon. tract.* 6, *disp.* 7, *dub.* 9, Joannes de la Cruz *de statu relig. lib.* 1, *cap.* 2, *dub.* 3, § *Ex dictis.*
Hurtado. Thomas Hurtado *tom.* 2 *Variar. tract. ultim. resolut.* 2, Martinez de Prado *tom.* 2
Martin. *Moral. cap.* 31, § 3, qui pro eadem sententia refert Lopez, Mirandam, Vegam, Sayrum, Man. Rodriguez, Hieronym. Rodriguez, Machado, Covarruviam, Mathienzo, Gutierrez, et Zunigam. Quibus addimus
Arauxo. Labat. Gonet. Illustriss. Arauxo *in selectis, tract.* 2, *quæstione* 19, *num.* 17. Labat *tom. ult. disp.* 6, *dub.* 8, Gonet *de Matrim. disp.* 5, *artic.* 4, *et disp.* 8, art. 2.

Probatio ab auctoritate. D. Tho. 36. Probatur primo ex D. Thom. *in hac* 2, 2, *quæstione* 88, *articulo* 7 *ad* 1, ubi ait : « Votum solemne habet fortiorem obliga« tionem apud Deum, quam votum sim« plex. » Et *in* 4, *dictinct.* 38, *quæstione* 1, *articulo* 1, *quæstiunc.* 2 *in corp.* inquit : « Divisio illa voti in privatum, et solemne, « est divisio totius potestativi in partes, « cujus perfecta virtus est in una suarum « partium ; in aliis autem quædam ipsius « participatio, sicut anima dividitur in ra« tionalem, sensibilem, et vegetabilem. « Virtus autem voti est obligatio, quæ qui« dem virtus est complete in voto solemni, « cujus obligatio in nullo casu irritari po« test ; sed est incomplete in voto privato, « cujus obligatio in aliquo casu irritatur. » Et *quodlib.* 3, *artic.* 18, postquam statuit, quod votum simplex, et solemne habent diversos effectus, subdit : « Hujus autem « diversitatis ratio est, quia votum solemne « habet promissionem cum quadam tradi« tione, etc. Votum autem simplex habet « promissionem sine traditione. » Et *quodlib.* 8, *artic.* 10, ait : « In voto simplici est « sola promissio. In voto autem solemni est « simul promissio, et collatio. » Et *respons. ad arg. unic.* addit : « Ratio in con« trarium adducta falsum supponit, scilicet « quod per votum simplex aliquis det cor« pus suum Deo ; non enim dat, sed pro« mittit. » Similia habet *quodlib.* 10, *artic.* 11, et *in hac* 2, 2, *quæstione* 189, *articulo* 2 *ad* 1, et aliis pluribus locis. Ex quibus palam constat, Angelicum Doctorem in ea fuisse sententia, quod vota simplicia, et solemnia distinguuntur non solum ex statuto Ecclesiæ, sed etiam per prædicata intrinseca, et ex natura rei, et jure divino : eadem autem est ratio de professione simplici, et professione solemni, quæ illis votis fiunt, ut ex dicendis constabit. Et quia Adversarii utplurimum id recognoscunt, ab eo amplius demonstrando supersedemus. Præsertim cum ea, quæ dubiis sequentibus dicemus, a fortiori convincent, quod ita senserit D. Thom.

Ratio fundamentalis. 37. Probatur secundo ratione, quia professio per vota simplicia, sive istorum votorum emissio, et professio per vota solemnia, habent ex natura sua, et jure divino effectus diversos : ergo hujusmodi professiones differunt ex natura rei, et jure divino. Consequentia est evidens, quoniam diversitas effectuum revocatur in diversitatem causarum, et principiorum ; atque ideo opus est, quod si principia ex natura sua, et jure divino inferunt effectus diversos, differant ex natura sua, et jure divino. Antecedens autem probatur : tum quia vota solemnia jure divino dissolvunt matrimonium ratum non consummatum, ut ostendemus *dub. seq.* quod minime habent vota simplicia : unde per vota simplicia, quæ alumni sacræ Societatis post biennium emittunt, non dissolvitur matrimonium ratum, quod prius contraxerant. Tum etiam, quia vota solemnia ex natura sua, et jure divino dirimunt subsequens matrimonium ; quod non convenit votis simplicibus, ut ex se constat. Et sic Vasquez 1, 2, *disput.* Vasq. 165, *cap.* 7, *num.* 74, inquit : « In nostra « Societate ante editam extravag. Gregorii « XIII, quæ incipit Ascendente Domino, ii « qui tria vota simplicia post biennium « emittebant, erant vere, et proprie reli« giosi traditi in jurisdictionem Prælati ; « et tamen eorum matrimonia postea inita « firma, et valida manebant, ita ut traditio « facta per tria illa vota dissolveretur, et « qui erat vere religiosus, deinceps fieret « per matrimonium vere secularis ; in ipsa « vero extravag. jure ipso Ecclesiæ præ« dicti religiosi ad matrimonium inhabiles « facti sunt, etc. » Tum denique, quis professio solemnis constituit religiosum in statu omnino immobili, ita ut nec Summus Pontifex possit in ejus votis dispensare, vel illum ad vitam secularem reducere, ut *dub.* 7 ostendemus ; quod non competere votis

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

votis simplicibus omnes concedunt. Habent ergo prædicta vota ex natura sua, et jure divino effectus longe diversos.

Confirmatio prima. Suarez. 38. Confirmatur primo; quia emissio votorum simplicium, etiam in Societate, non constituit personam incapacem dominii conservandi, et acquirendi, ut concedit Suarez *tom.* 3 *de Relig. lib.* 2, *cap.* 12, *n.* 15, et constat ex bulla Gregor. sæpe relata, in qua dicitur, alumnos Societatis post prima vota simplicia esse vere religiosos cum retentione dominii : sed professio solemnis ex natura sua, et jure divino constituit religiosum incapacem omnis dominii rerum temporalium : ergo professio simplex, et solemnis habent ex natura sua, vel jure divino diversos effectus. Minor, in qua poterat esse difficultas, probatur *ex cap. Cum ad monasterium, de statu monach.* ubi Innoc. III inquit : « Abdicatio proprietatis, « sicut et custodia castitatis, adeo est an- « nexa regulæ monachali, ut contra eam « nec Summus Pontifex possit licentiam « indulgere. » Posset autem Pontifex in voto paupertatis dispensare, si professio solemnis solo jure Ecclesiastico constitueret religiosum incapacem dominii retinendi, et acquirendi : ergo professio solemnis non solo jure ecclesiastico, sed divino etiam, et natura sua præstat illam incapacitatem.

Innoc. III.

Præcluditur evasio. Nec potest dici (et est verosimilior aliquorum responsio, relictis aliis palam falsis, aut improbabilibus), *in dicto cap.* per ly *proprietatis*, non intelligi dominium directum, sed utile, sive usum, et administrationem bonorum absque licentia Prælati. Tum quia *proprietas* secundum regulas juris significat dominium directum, *leg.* « Si procurator, fl. de acquirend. rer. do- « min. leg. Si tibi, vers. Dominium pro- « prietatis, ff. quibus modis ususfructus « amitt. » Unde Juristæ vulgariter docent *proprietatem* esse apud illum, qui habet dominium directum, non vero penes illum, qui habet dominium utile, ut videri potest apud Tuschum *practic. conclus. tom.* 6, *lit. P. conclus.* 918, et Barbosam *variar. appel.* 225, *num.* 3. Ergo in canone allegato *abdicatio proprietatis* perperam trahitur ad significandum usum præcise, vel administrationem bonorum. Tum etiam, quia Pontifex loquitur de voto solemni paupertatis, per quod aliquis fit omnino perfecte pauper; hujusmodi autem votum dicit abdicationem non solum administrationis independentis ab alio, sed etiam dominii directi, juxta illud Christi Domini, Matth. 19 : *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia, quæ habes, et da pauperibus.* Venditio enim, et donatio tollunt a vendente, et donante non solum usum licitum rei, sed etiam dominium ejus directum, illudque transferunt in emptorem, et donatarium, ut ex se constat. Ergo paupertatis votum, quando est omnino perfectum, sive solemne, importat abdicationem, non solum usus, sed etiam dominii directi. Tum denique, quia votum omnino perfectum, sive solemne paupertatis, de quo loquitur Pontifex, excludit a religioso denominationem veri domini, et præstat denominationem pauperis simpliciter talis; ad hujusmodi autem effectus non sufficit sola abdicatio usus, sive administrationis : sed insuper requiritur abdicatio dominii directi. Pupillus enim, quandiu sub tutore est, non habet liberam administrationem bonorum; et tamen non est vere pauper, sed dominus, ut dicitur *ad Galat.* 4, eo quod retinet directum dominium. Abdicatio ergo proprietatis, de qua agebat Pontifex, non solum dicit abdicationem liberæ administrationis independenter a voluntate superioris, sed etiam abdicationem dominii directi.

Matth. 19.

ab Gal. 4.

Confirmatio secunda. Confirmatur secundo, quia emissio simplicium votorum, sive professio simplex, talis naturæ est, ut per eam non extinguantur, sed ad summum suspendantur vota ante illam in seculo facta : e converso autem professio solemnis talis naturæ est, ut non tantum suspendat, sed etiam omnino extinguat omnia vota præcedentia : ergo hujusmodi vota habent ex natura sua, aut jure divino effectus valde diversos. Consequentia patet, et antecedens quoad primam partem concedit Suarez ubi supra *lib.* 6, *cap.* 14, *n.* 20, ubi ait : « An vero de facto « cætera vota in Societate per vota post « biennium emissa sint extincta, vel tan- « tum suspensa, in tract. ult. de Societate « dicemus. Nunc breviter supponimus non « extingui, sed manere tantum suspensa « ipso jure, juxta decretum 128 primæ « Congregationis. » Secundam vero ejusdem antecedentis partem docent communiter Doctores, D. Thom. *quæst.* 88, *artic.* 12 *ad* 1, *et quæstione* 189, *artic* 3 *ad* 3, Cajetan. *eisdem locis*, Sylvester *Votum* 3, *quæstione* 4, et *Votum* 4, *quæstione* 3 *et* 7, Covarruvias *in cap. Quamvis pactum*, 1 *part.* § 3, *num.* 4, Soto 7 *de justitia*, *quæstione* 4, *articulo* 3, et alii plures. Et facile

Suar.

D. Tho.

Cajetan. Sylvest. Covar. Soto.

ostenditur tum *ex cap. Scripturæ, de voto*, ibi : « Reus fracti aliquatenus non habetur, « qui temporale obsequium in perpetuam « noscitur religionis observantiam com- « mutare. » Tum etiam ratione Divi Thomæ, quia alia vota sunt de particularibus operibus, professio autem solemnis est de tota vita hominis absolute ; et ideo in illa cætera alia includuntur sicut particularia in universali, ita ut fiat eminens, et supereminens commutatio. Quod extendit Angelicus Doctor ad votum simplex religionis strictioris, commutatur enim, et extinguitur per professionem solemnem in minus perfecta religione, ut tradit *quæstione* 189, *articulo* 8 *ad* 3, his verbis : « Votum « solemne, quo quis obligatur minori reli- « gioni, est fortius votum, quam votum « simplex, quo quis astringitur majori re- « ligioni. Post votum enim simplex, si con- « traheret aliquis matrimonium, non di- « rimeretur, sicut post votum solemne. Et « ideo ille, qui jam professus est in minori « religione, non tenetur implere votum « simplex, quod emisit de intrando reli- « gionem majorem. » Cum ergo simplex professio, sive simplicium votorum emissio habeant ex natura sua, vel jure divino tam diversos effectus, sicut hactenus expendimus (omissis etiam aliis, qui expendi possent), sequitur quod prædictæ professiones differant ex natura rei, vel jure divino, et non præcise jure ecclesiastico.

Expenditur alia ratio.

39. Probatur tertio eadem assertio detegendo simul primam radicem hujus diversitatis, et effectuum qui illam supponunt, indeque oriuntur ; quoniam professio simplex, et solemnis habeant prædicata intrinseca, per quæ ex natura rei distinguantur : ergo sic differunt inter se, et non præcise jure ecclesiastico. Consequentia patet, et antecedens suadetur ; nam, ut supra *num.* 36 vidimus ex Divo Thoma, vota simplicia solum sunt promissio ejus, quod sub voto cadit ; professio autem solemnis supra illam promissionem addit donationem, et traditionem, qua homo se dat, et consecrat Deo in religione ; constat autem, quod promissio, et donatio, seu traditio differunt ex natura rei, et per propria prædicata intrinseca : ergo professio simplex, et solemnis habent prædicata intrinseca, per quæ ex natura rei distinguantur.

Effugium.

Respondebis, hoc argumentum ex æquivocatione procedere, et nihil evincere ; quoniam in præsenti non agimus de votis simplicibus secundum se acceptis, et præcisive a constitutione status religiosi, quo pacto solam promissionem important ; sed agimus de illis, quatenus statum religiosum constituunt, ut accidit in illis, quæ in Societate post biennium emittuntur : quo modo non solum dicunt promissionem, sed etiam traditionem ; aliter enim non constituerent statum religiosum, cum traditio de ejus essentia sit, ut constat ex dictis *num.* 9 *et* 33. Facta autem hoc modo comparatione, nihil est per quod vota simplicia, et vota solemnia ex natura rei in prædicatis intrinsecis distinguantur ; nam si in solemnibus interveniunt promissio, et traditio, etiam interveniunt in simplicibus.

Præcluditur.

40. Sed hæc responsio facile evertitur manifestando amplius robur rationis nostræ, et differentiam inter prædictas professiones, tam in ratione promissionis, quam traditionis ; quia promissio, quam importat votum, solemne, est promissio omnino absoluta, tam ex parte subjecti, quam ex parte objecti ; promissio vero, quam importat votum simplex, est limitata, et conditionata ex parte objecti ; unde etiam habet modum conditionatum ex parte subjecti respective ad objectum, quod promittit. Deinde in votis solemnibus adest perfecta, et absoluta acceptatio ex parte religionis, cui etiam commensuratur perfecta, et absoluta traditio ex parte religiosi : quod non sic accidit in votis, aut professione simplicibus, cum religio non acceptet hominem omnino absolute, et sine ulla prorsus conditione, sed cum restrictione ad rationabile placitum superiorum ; cui acceptationi proportionatur traditio ex parte religiosi, atque ideo non est omnino absoluta. Ergo sive professio solemnis comparetur ad vota simplicia secundum se accepta, sive ad eadem ut pertinent ad statum religiosum, semper occurrunt prædicata intrinseca satis diversa, per quæ ex natura rei distinguuntur. Consequentia manifeste deducitur ex præmissis : istæ vero, quantum ad id, quod dicunt de votis solemnibus, aut solemni professione, sunt certæ, et communes apud Theologos, et Canonistas. Et quantum ad id, quod dicunt de simplici professione, aut votis, patet ex his, quæ de facto contingunt in votis simplicibus nunc constituentibus statum religiosum, et refert Vasquez *disp. cit c.* 8, *n.* 84, his verbis : « Respon- « deo hæc nostra vota non esse solemnia, « non defectu solius externæ formæ in re-

Notitia votorum simplicium in sacra Societate.

Vasq.

gula

« gula præfinitæ, neque ex eo, quod non « fiant publice ; sed quia non emittuntur, « neque admittuntur ea intentione, ut sint « ex parte voventis, et acceptantis perpe- « tua. Idque confirmatur ex illa Extravag. « Ascendente Domino, n. 10, ante medium, « ubi de coadjutoribus temporalibus dici- « tur, eos admitti in gradu coadjutorum « formatorum per tria vota publica, non « tamen solemnia. Quare vero ea non sint « solemnia, licet sint publica, ostendit « Pontifex his verbis : sed tum ex consti- « tutionum præscripto, tum ex voventis, « et emittentis intentione simplicia. Atque « hoc est, quod dicitur in 5 part. nostra- « rum constitut. cap. 4, in declarat. litt. A, « nempe vota facta a coadjutoribus forma- « tis non esse solemnia, sed simplicia, licet « multi adsint quando emittuntur. Sub- « jungitur vera ratio hoc modo : Quando- « quidem intentio emittentis, et admitten- « tis juxta traditam a Sede Apostolica fa- « cultatem hæc est, ut neque emittantur, « neque admittantur ut solemnia. Hoc est, « sint solum perpetua ex parte voventis, « non autem ex parte Societatis admitten- « tis. Cumque perpetuitas ex utraque parte « requisita sit ad solemnitatem, ex hoc fit, « ut vota illa non sint solemnia, sed sim- « plicia. Nam si essent ex utraque parte « eodem modo perpetua, ut diximus, essent « sane solemnia. Nunc autem ita emittun- « tur vota ab scholasticis et coadjutoribus « nostris, ut sub conditione quadam in « nostris constitutionibus expressa, quæ « initio ingressus omnibus manifestatur, « emittantur, ideoque solemnia non sunt, « etc. » Deinde *numero* 86 addit : « Quare « quicumque emittunt tria vota schola- « rium, vel coadjutorum post biennium « probationis, ea intentione emittunt, ut « ea tria, quæ vovent, promittant se ser- « vaturos in Societate Jesu, et non abso- « lute, hoc est, solum quandiu fuerint in « Societate ipsa. Si vero postea aliqua ex « causa dimittantur, omnino extinguantur « prædicta vota eo ipso, quod e Societate « ipsi dimittuntur. Et ideo in formula vo- « torum dicitur : » Voveo paupertatem, castitatem, et obedientiam perpetuam in Societate Jesu ; *et deinde formula concludit :* Omnia intelligendo juxta ipsius Societatis constitutiones. « Nempe ut si ille, qui vo- « vet, postea dimittatur, ejus vota non « maneant. Id quod usque adeo verum est, « ut si Præpositus aliquem ex causa dimit- « teret, et vellet ut ille obligatus maneret « suis votis, revera non maneret ; quia sub « ea tacita conditione vovit, quandiu So- « cietas ipsum retineret. Quocirca Præpo- « situs dimittens aliquem e Societate non « dicitur relaxare ejus vota, sed tollere « conditionem, sine qua vota non subsis- « tunt. Ideoque Gregor. XIII in bulla con- « firmationis Instituti nostri data opera « dixit, per dimissionem e Societate vota « ipsa cessare. Non dixit relaxari, sed ces- « sare ; quia cessat conditio, sub qua nun- « cupata fuerunt. » Subdit præterea num. 90 : « Vota simplicia nostræ Societatis, quia « ex se non sunt perpetua ex utraque « parte, sed solum ex parte voventis quan- « diu manserit in Societate, extinguuntur « quidem cum quis dimittitur ex illa, et ad « sæculum redit, vel transit ad aliam reli- « gionem, non commutatione, aut dispen- « satione, sed re ipsa ; quia cessat con- « ditio, sub qua emissa sunt. Et ita supra « notavi non esse in manu Præpositi di- « mittentis aliquem ex Societate retinere « vota illius simplicia, quæ solum emisit « secundum nostras constitutiones pro eo « tempore, quo maneret in nostra Societate, « Adde etiam, neque in manu Pontificis « hoc esse ; quia nullus potest obligari ra- « tione voti, nisi prout ipse se voluit obli- « gare. » Denique concludit numero 91 : « Porro vota simplicia emissa in nostra « Societate, cum solum emittantur sub ea « conditione, quandiu ille qui vovet, man- « serit in ea, non dicuntur ex utraque parte « perpetua : fieri etenim potest, ut absque « superioris dispensatione, et commuta- « tione, ex sola intentione voventis eorum « obligatio extinguatur ; quia cessat condi- « tio, sub qua emissa fuerunt. Quod sane « est contra perpetuitatem ipsorum. » Hæc omnia Vasquez, cui tanquam docto, et pro- prii Instituti gnaro fides adhibenda est. Illa vere plane evincunt professionem, sive (ut proprius loquamur) emissionem votorum simplicium consideratam tam in ratione voti, seu promissionis, quam in ratione traditionis, non esse omnino absolutam, et undequaque perfectam ; sed limitatam, de- terminatam, et conditionatam juxta quali- tatem objecti promissi, et secundum inten- tionem se tradentium, atque acceptantium; unde habet, per quod intrinsece, et ex na- tura sua distingatur a professione solemni, quæ est absoluta, et perpetua ex omni parte, ut omnes concedunt.

Aperitur discrimen inter vota simplicia et solemnia.

41. Ex hac radice ipsis votis simplicibus, et solemnibus intranea provenit majori ex parte diversitas effectuum, quos supra recensuimus, quique recte considerati manifestant ipsius radicis indolem, et inter prædicta vota diversitatem. Quod enim solemniter professus sit incapax omnis dominii, et inhabilis ad matrimonium contrahendum, provenit ex eo, quod perpetuo, perfecte, et omnino absolute cum omnibus suis se tradiderit Deo in religione, ita ut holocausto, cujus nihil remanet, comparetur, ut ex D. Greg. recte observat D. Thom. *quæst.* 186, *art.* 7. Et ex contrario principio vota simplicia non sortiuntur plures effectus, qui proveniunt ex solemnibus. Unde matrimonium ratum non dissolvitur per vota simplicia in sacra Societate emissa, ut Henriquez ipsius alumnus tradit *lib.* 11, *cap.* 8, *num.* 7, affirmans *in marg. litt. D, id esse certum ex praxi Ecclesiæ.* Cum tamen dissolvatur per vota mantellatarum (vulgo *Beatas*, o *Terceras* vocant), quæ collegialiter vivunt, ut cum communi sententia docet Sanchez *lib.* 2, *disp.* 18, *num.* 4, imo et per vota matellatarum, quæ non collegialiter vivunt, ut docent Basilius Pontius *lib.* 9, *cap.* 8, *num.* 6, Leander *de Matrim. disp.* 5, *quæst.* 17, et alii. *Deinde* vota illa simplicia Societatis ante Gregorium XIII, non irritabant, seu dirimebant subsequens matrimonium, sed istud non obstantibus illis votis validum erat, ut refert Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 2, *cap.* 7, *n.* 15. Ipse vero Gregorius hoc impedimentum introduxit inhabilitando personas durante præcise voto, seu retentione in Societate, juxta ea quæ ex Vasquez proxime vidimus. Cum tamen vota solemnia dirimant subsequens matrimonium, non utcumque, sed jure naturali, et divino, ut Sanchez, Henriquez, Valentia Societatis alumni concedunt, et *dub.* 6 probabimus. *Denique*, ut alios prætermittamus, effectus ex illa radice provenit, quod emittentes simplicia vota in Societate retineant dominium directum rerum temporalium. Quod usque adeo verum est, ut si de prædictis rebus, inscio superiore, disponant testamento, aut donatione, aut renuntiatione, dispositio talis valida sit, ut ex eadem Societate affirmant Suar. *tom.* 4, *de Relig. tract.* 10, *lib.* 4, *cap.* 6, *n.* 12, Sanchez *lib.* 7 *Sum. cap.* 18, *n.* 28, Castro Palao *tom.* 3. *tr.* 16, *disp.* 3, *punct.* 2, *n.* 7, Layman *lib.* 4 *Sum. tract.* 5, *c.* 7. Et eorum ratio est, quia tales religiosi retinent dominium suarum rerum, et dispositio facta a vero domino tenet, nisi per aliquod jus irritetur. *Nullum autem*, inquit Castro Palao loc. cit. « est jus positivum, nec Ca- « nonicum nec Jesuiticum, quod talem « dispositionem irritam reddat. » Quod quam aliter se habeat in Religioso solemniter professo, evidenter constat ex dictis *num.* 38.

D. Tho

Henriq.

Sanchez.

Basil. Pont.

Leander

Suarez.

Suarez Sanchez. Castro. Palao. Layman.

Confirmatio.

42. Ad hæc, vota solemnia constituunt Religiosum vere, et simpliciter professum: sed vota simplicia non constituunt religiosum simpliciter professum: ergo hujusmodi vota habent per quod ex natura rei distinguantur. Major est certa, et minor ostenditur: tum quia votum solennizatur « per professionem expressam, vel tacitam « factam alicui de Religionibus per Sedem « Apostolicam approbatis, » ut determinat Bonifacius VIII, *in cap. unic. de voto*, et confirmavit Joannes XXII, *in sua extravagant. Antiquæ, de Voto:* atqui vota simplicia non sunt solemnia, ut ex terminis liquet; et sic Gregor. in duplici illa sua Constitutione relata *num.* 8, declaravit vota in Societate post biennium emissa, licet faciant vere, et proprie religiosos, esse simplicia: ergo simplicia vota non faciunt Religiosum simpliciter professum. Tum quia religiosissima Societas non vocat professos, nisi eos, qui ultima vota solemnia emittunt; et domos, ubi ipsi specialiter habitant, vocat domos professas, seu professorum: ergo signum est, quod alii emittentes vota præcise simplicia non sunt simpliciter professi.

Bonif. VIII Joan. XXII.

Objectio.

43. Sed objicies hinc sequi, quod emittentes vota simplicia in Societate, non sint vere, et proprie religiosi: consequens est omnino falsum: ergo et antecedens; atque ideo oportet dicere, quod Religiosus fiat simpliciter professus per vota simplicia. Sequela ostenditur, quia Sixtus V, in motu proprio super dubiis ex priori constitutione emergentibus de admittendis ad habitum, et professionem religiosam (apud Cherub. *in Bullar. tom.* 2, *pagina nobis* 458.) § 12, inquit: « Quod autem attinet ad professio- « nem, tam illegitimorum, quam eorum, « qui post sexdecimum ætatis annum ex- « pletum regularem habitum susceperunt, « quia tunc vere, et proprie religiosi effici « dicuntur, cum professionem emittunt: « declaramus, etc. » Quibus verbis significare videtur, non aliter fieri hominem vere, et proprie religiosum, quam emittendo professionem:

Cherub.

professionem : ergo si emittentes vota simplicia in Societate non faciunt professionem, saltem vere et proprie, sequitur quod talia vota emittentes in Societate non sint vere, et proprie Religiosi.

Greg. XIII. Respondetur negando sequelam, quia Gregorius XIII, in Constitutionibus *num.* 8 relatis diffinivit emittentes tria illa simplicia vota in Societate esse vere, et proprie Religiosos. Et ad sequelæ probationem responderi potest, Sixtum V loqui attento jure antiquo communi, attenta etiam natura ipsorum votorum solemnium, per quæ professio fit. Sed non negat, quod aliter possit quis fieri Religiosus. Cui responsioni co-

Martin. hærent quæ scribit Martinez de Prado *ubi supra, num.* 34, his verbis : « Referunt P. « Petrus de Ribadeneira de instituto Socie- « tatis, c. 17 ad 3, et P. Thomas Sanchez « tom. 2, lib. 5, in Decalog. c. 1, n. 23, « quod Cardinales Congregationis S. Inqui- « sitionis una cum Sixto V, decrevere subs- « tantiam Religionis consistere regulari- « ter in votis solennibus ; at posse Pontifi- « cem aliter indulgere, seu statuere. » Quod nos catholice fatemur recognoscentes eos, qui in sacra Societate emittunt tria vota simplicia, esse vere, et proprie Religiosos, sicut Gregorius XIII declaravit, et pro speciali assertione statuimus *num.* 8. Sic etiam

Arauxo. recognovit Illustriss. Arauxo, qui *loco citato, n.* 12, nonnullis contra hoc objectionibus occurrens, inquit : « Respondeo Je- « suitas cum hujusmodi tribus votis simpli- « cibus emissis esse non seculares simpli- « citer, nisi in actu primo, et potentia « velut remota, quia dimitti possunt a Re- « ligione, et ad seculum redire ; sed esse « vere Religiosos, etsi revocabiliter ads- « trictos, et obligatos obedientiæ, pauper- « tati, et continentiæ perpetuæ » (hoc est, illa perpetuitate, quam Vasquez *num.* 40 relatus nobis descripsit); « quos proinde « juste potuit Summus Pontifex inhabili- « tare ad matrimonium, si ad seculum ex « proprio motu redirent. Et licet habeant « proprium, illud quidem habent per do- « minium impeditum quoad usum, quod « sufficit ad salvandam veram rationem « Religionis in statu imperfecto, et veluti « in via, et tendentia ad perfectum. Abdi- « catio autem perfecta, scilicet dominii, ac « proprietatis, et non tantum quoad usum, « est de essentia status religiosi perfecti, « et consummati per professionem. » Sed de hoc infra iterum dicemus.

§ II.

Incidentis dubii decisio.

Incidens quæstio. 44. Ex dictis emergit difficultas circa qualitatem distinctionis inter professionem, sive emissionem votorum simplicium, et professionem solemnem. Ad quam difficultatem illi Authores, qui nobiscum sentiunt prædictas professiones distingui ex natura rei, et ab intrinseco, et jure divino, communiter respondent prædictam distinctionem esse essentialem, professionemque dividere in diversas species. Ita Soto, Aragon, Bartholomæus de Medina, Emmanuel Rodriguez, et Corduba, quos refert, et sequitur Martinez de Prado *loco* Martin. *supra relato, n.* 58. Quod probant tum ex diversitate effectuum, quos vota simplicia, et vota solemnia inferunt, et *a num.* 37 expendimus ; nam videntur manifestare diversitatem essentialem in causis, aut principiis, ex quibus sunt. Tum etiam, quia votum simplex solum est promissio ; in voto vero solemni intervenit traditio, seu donatio : constat autem promissionem, et actualem traditionem, seu donationem esse actus specie distinctos. Tum denique, quia ita docet Divus Thomas *in* 4, *distinct.* 38, D. Tho. *quæstione* 1, *articulo* 2, *quæstiunc.* 2, ubi ait : « Divisio illa voti in privatum, et « solemne, est divisio totius potestativi in « partes suas, cujus perfecta virtus est in « una suarum partium, in aliis autem « quædam ipsius participatio, sicut anima « dividitur in rationalem, sensibilem, et « vegetabilem. Virtus autem voti est obli- « gatio, quæ quidem est complete in voto « solemni, cujus obligatio in nullo casu ir- « ritari potest ; sed est incomplete in voto « privato, cujus obligatio in aliquo casu ir- « ritatur. »

Prima opinio.

Appendix relatæ opinionis. Ex qua doctrina valde consequenter inferunt Authores relati, violationem voti simplicis, et violationem voti solemnis esse peccata specie distincta. Quod satis constat ex principio, quod supponunt, nempe ipsa vota distingui essentialiter specifice. Et accedit, quod ille qui rem Deo præcise promissam in usus profanos converteret, et ille qui rem divino cultui actu donatam, et consecratam ad eosdem usus reduceret, committerent peccata specie distincta : constat autem, quod per votum simplex promittitur præcise homo : per vota autem solemnia Deo traditur, et consecratur : ergo transgressio-

nes prædictorum votorum sunt peccata specie diversa.

E converso autem omnes Authores *num.* 51 referendi, qui sentiunt vota simplicia, et vota solemnia non distingui ab intrinseco ex natura rei, aut jure divino, sed duntaxat jure ecclesiastico, consequenter negant distinctionem specificam inter prædicta vota, et inter peccata, quibus violantur. Quorum fundamentum est, quoniam utrumque votum secundum sua intrinseca consideratum tantum est promissio ; fit autem solemne per dispositionem Ecclesiæ, quæ aliquod votum solennizat dando ipsi vim ad dirimendum sequens matrimonium : sed hæc dispositio est quid accidentale, et extrinsecum, non varians, aut constituens species rerum : ergo nec prædicta vota differunt specie, neque peccata contra illa commissa ; et consequenter divisio voti in simplex, et solemne, non est divisio generis in species, sed subjecti in accidentia. Ad quam sententiam ex nostræ opinionis Authoribus nonnulli accedunt, ut Valentia, et Ledesma, qui inter prædicta vota non recognoscunt distinctionem essentialem, nisi ad summum desumptam ex subjecto, vel connotatis.

Observanda pro dubii resolutione.

45. Uterque autem dicendi modus, licet probabilis sit, videtur cum minori distinctione procedere, quam hic adhibere oportet, ut obscuritatem, et æquivocationem in re non parum gravi, et practica vitemus. Pro quo observandum est, plures comparationes fieri posse inter hæc vota ; nam in primis vota solemnia possunt comparari ad vota simplicia pure sumpta, id est, absque ulla actuali hominis traditione, quo pacto non constituunt statum religiosum ; ad hunc quippe requiritur traditio, ut statuimus *num.* 9, et satis palam supponit Gregor. XIII, *in Extravag. sæpe cit.* ubi docet emittentes tria vota simplicia in Societate esse vere, et proprie religiosos, *quia per ea se actu Religioni tradunt, seque divino servitio in ea dicant* Vel vota solemnia comparantur votis simplicibus adjunctis traditioni, et constituentibus religiosum statum ; cujusmodi sunt illa, quæ in prædicta Societate post biennium fiunt. Quæ comparatio potest adhuc bifariam fieri, videlicet vel comparando inter se utraque vota adæquate sumpta, tam in ratione promissionis, quam in ratione traditionis : vel comparando illa præcise in conceptu promissionis. Et hoc posterius dupliciter adhuc fieri valet : primo

Greg. XIII.

considerando nudum conceptum promissionis, et præscindendo ab omnibus, quæ concernere valet, saltem de connotato : secundo non ita præcisive, sed quatenus in obliquo dicit traditionem, sine qua prædicta vota statum religiosum non constituunt, ut sæpius diximus.

Difficultatis decisio.

46. Si ergo comparemus vota solemnia cum votis simplicibus nude sumptis, id est præcisis a traditione, et constitutione status religiosi, evidens, aut fere evidens nobis videtur, quod distinguantur specie essentiali. Et in hoc sensu primæ sententiæ *numero* 44 relatæ omnino subscribimus. Tum quia sic aperte docet D. Thom. loco ibidem citato ; loquitur enim de voto simplici, seu privato non constituente statum religiosum ; nam S. Doctoris tempore non erat in usu, quod quis fieret vere religiosus per vota simplicia ; sed id postea contigit in Instituto sacræ Societatis Jesu. Tum etiam, quia in votis simplicibus ita acceptis solum intervenit promissio ; in votis autem solemnibus adest simul traditio, qua quis se Deo donat in religione, et fit specialiter ejus, atque spirituale mancipium : sed actus traditionis est actus specie distinctus a nuda promissione, ut patet in matrimonio sponsalibus comparato : ergo vota simplicia, et solemnia distinguuntur essentialiter specifice.

Consectarium.

Hinc colligimus actus, quibus vota sic accepta violantur, esse peccata specie distincta. Quod facile constat ex proxime dictis, et explicatur amplius ; quoniam qui peccat contra votum simplex castitatis, peccat contra religionem, seu fidem Deo debitam ratione voti ; sed qui violat votum solemne, non solum agit contra religionem, sed etiam contra justitiam, quippe qui corpus Deo traditum et consecratum alteri tradit in turpem usum, sicut qui corpus per matrimonium uxori traditum dat meretrici ; utrobique enim intervenit violatio alieni juris, et specialis injuria. Quocirca censemus Religiosum solemniter professum peccantem contra castitatem minime suæ obligationi satisfacere in confessione, si dissimulans se esse vere religiosum, præcise dicat se peccasse contra votum castitatis ; sed debet explicare se religiosum esse, aliter enim non manifestabit totam malitiam specificam sui peccati. Nec in contraria opinione, si contra nostram assertionem sic explicatam sentiat, videmus ullam probabilitatem, saltem intrinsecam, cum

evidens

evidens sit traditionem esse actum specie diversum a promissione, et eum qui supposita ea traditione peccat, agere non solum contra fidelitatem, sed etiam contra jus, quod alter habet non solum ad rem, sed etiam in re sibi tradita, et speciali titulo sua.

Alia resolutionis pars.

47. Si autem vota solemnia comparemus cum votis simplicibus constituentibus statum religiosum, consideratis tamen præcise in ratione promissionis, dicendum etiam est, quod distinguantur specie. Et ratio patet ex proxime dictis; quia videlicet vota solemnia ut talia necessario important traditionem, quæ est actus specie diversus a promissione; atque ideo si vota simplicia statum religiosum constituentia considerentur præcise in ratione promissionis, nequeunt non specie distingui a votis solemnibus. Idemque dicendum est, si vota simplicia constituentia statum religiosum, sumpta adæquate prout important traditionem, comparentur cum votis solemnibus consideratis inadæquate in ratione solius promissionis, et præcisive a traditione sumpta etiam in obliquo, et de connotato. Et ratio est eadem, quia jam fit comparatio inter actus specie differentes, traditionem videlicet, et promissionem, ut facile consideranti constabit. Nec in hoc potest esse difficultas alicujus momenti, et præsertim in praxi; cum in exercitio non fiat præcisio, et religiosus peccans contra vota religionis, agat simul contra præcedentem promissionem, et traditionem. Unde solum restat, quod vota simplicia, et vota solemnia religionis comparentur vel in ratione promissionis, vel in ratione traditionis, vel denique adæquate in conceptu votorum constituentium statum religiosum, quo pacto utrumque conceptum, et promissionis, et traditionis necessario complectuntur, ut ex supra dictis supponimus.

Præcipua difficultas, et dubitandi ratio.

Et in hoc sensu videtur, quod prædicta vota specie distinguantur: tum proper motiva, quibus utitur prior opinio, *num.* 44 relata. Tum etiam, quia vota simplicia non sunt omnino absoluta, tam ex parte subjecti, quam ex parte objecti: sed ex parte istius important explicitam, vel implicitam conditionem, quandiu quis permanserit in tali statu; secus si ab eo dimittatur, ut ex Vasquez vidimus *num.* 40, e contra vero vota solemnia sunt omnino absoluta ex utraque parte. Similiter vota simplicia non important perpetuam omnino translationem, tam ex parte se tradentis, quam ex parte illum acceptantis; sed ex parte hujus sunt revocabilia, ut prædictus Author nos docuit *loc. cit.* quod non accidit in votis solemnibus, quia eorum obligatio, ut ex D. Thom. *n.* 44 vidimus, *in nullo casu irritari potest.* Cum ergo hujusmodi vota adæquate sumpta coalescant ex promissione, et traditione (sive hæc omnia importentur in recto, sive unum tantum in recto, et alterum in obliquo, quod ad præsentem considerationem parum, aut nihil interest) consequens videtur, quod specie differant. Idque magis convinci videtur ex diversis effectibus, quos inducunt, et a *n.* 37 expendimus.

Propria sententia.

48. Nihilominus censemus vota solemnia, et vota simplicia constituentia statum religiosum, atque ideo professiones (si emissio votorum simplicium professio saltem minus proprie, ut in hoc dubio supponimus, appellanda est) illis votis factas non distingui specie formali, sed solum quoad modos intrinsecos, sive quantum ad majorem, aut minorem statum perfectionis. Fundamentum est, quoniam ad omnia, quæ in præsenti componere oportet, sufficit, et requiritur distinctio modalis quantum ad majorem, aut minorem statum perfectionis inter prædicta vota; hujusmodi ergo distinctio, et non major inter talia vota constituenda est. Antecedens suadetur *primo;* nam quod vota simplicia, ut promissio sunt, importent aliquam conditionem, aut limitationem ex parte objecti, secus vero solemnia, solum probat, quod ista habeant quendam modum majoris perfectionis, et extensionis, sed non evincit distinctionem specificam inter utraque; idem enim specie actus potest magis, aut minus attingere objectum, et cum minori, aut majori extensione. Idemque apparet in traditione, ut facile consideranti constabit; nam quod traditioni ex parte tradentis perpetuæ correspondeat ex parte acceptantis acceptatio revocabilis, aut omnino irrevocabilis, non arguit diversitatem specificam in traditione, sed solum probat modum minoris, vel majoris firmitatis, qui quodammodo ex acceptatione, per quam completur, ad eam transfunditur. *Secundo,* quia ad salvandum, quod hujusmodi vota ex natura rei, et per prædicata intrinseca inferant diversos effectus, quos *num.* 37 recensuimus, sufficit diversitas modorum, sive statuum, ut *num. seq.* delarabimus. *Tertio,* quia D.

Thom. *num.* 44 relatus non docet oppositum, quia loquitur de votis simplicibus non importantibus traditionem, nec constituentibus statum religiosum, qualia erant omnia vota simplicia tempore S. Doctoris, ut *num.* 46 observavimus. *Quarto*, quia si vota simplicia constituentia statum religiosum, et vota solemnia distinguerentur specie, pariter status per illa constituti specie differrent, et consequenter etiam religiosi talia vota emittentes : ex quo ulterius fieret, eos qui in Societate vota simplicia emittunt, esse religiosos specie distinctos aliis ab ejusdem Societatis religiosis, qui emittunt vota solemnia : hoc autem, quidquid dicant Authores prioris opinionis, non est dicendum, cum dissolvere videatur unitatem specificam unicæ Religionis Societatis ; sicut e conversio nullum est inconveniens concedere, quod eadem Religio, imo et idem Religiosus habeant diversos modos, sive status perfectionis, ut infra magis explicabimus. *Quinto*, et ultimo (quod est motivum nobis magis familiare) quia hoc modo melius intelligitur, qualiter eadem substantialiter, et specifice Religio possit incipere cum votis simplicibus, et continuari deinceps cum votis solemnibus, quin ejus essentia interrumpatur, ut *disp.* 3, *num.* 122, videbimus.

Objectio. 49. Sed oppones : quoniam effectus specie diversi petunt procedere a diversis specie principiis, seu causis : sed vota simplicia, et vota solemnia inferunt effectus specie diversos : ergo prædicta vota distinguuntur specie. Probatur minor, quia vota solemnia dissolvunt matrimonium ratum non consummatum, quod minime præstant vota simplicia, nisi illis adjungatur accidentaria, et extrinseca Ecclesiæ dispositio.

Solutio. Respondetur, quod quando causæ sunt talis conditionis, ut una inferat effectum specie diversum, quem altera causa attingere non valet, et e converso, recte arguitur diversitas specifica inter illas, saltem in ratione causæ, et principii. Sed minime evincitur hæc diversitas, quando una causa nullum effectum infert, quem altera non inferat, licet non pertingat ad causandum omnes effectus, quos ista confert. Tunc quippe solum concluditur, quod habeant diversos modos, seu status perfectionis, ratione cujus potest una præstare, quod altera confert, et simul conferre, quod altera non præstat, licet in essentiali specie conveniant. Et sic accidit in præsenti ; nam nihil præstant vota simplicia, quod eminentius non præstent solemnia ; licet illa aliquid conferant, ad quod illa non pertingunt. Quod faciunt solemnia, non quia habeant essentiam, sive speciem differentem, sed quia important modum majoris perfectionis, seu consummationis, eo quod sunt omnino absoluta, et perpetua, tam ex parte subjecti, quam objecti, et tam ex parte tradentis, quam acceptantis. Potestque id exemplo declarari, et in naturalibus, et in moralibus. In his quidem ; nam matrimonium præcise ratum, et matrimonium consummatum sunt ejusdem speciei ; et tamen matrimonium consummatum est omnino indissolubile, secus ratum præcise, cum possit dissolvi per unius conjugis solemnem professionem : ad quam diversitatem sufficit, quod matrimonium consummatum habeat modum consummationis, quo caret matrimonium ratum præcise, seu matrimonium non consummatum, ut ipsæ voces per se significant. In naturalibus etiam idem apparet : nam infans, et vir sunt ejusdem speciei ; et tamen vir potest discurrere, et generare, quæ infans non valet ; ad quam differentiam sufficit, quod vir habeat essentiam eandem cum modo majoris perfectionis. Sic ergo quamvis vota simplicia constituentia essentiam status religiosi, et vota solemnia sint ejusdem speciei essentialis ; nihilominus solemnia et dissolvunt matrimonium ratum, et dirimunt ex natura sua subsequens matrimonium : quod non præstant vota simplicia, quia solemnia important perfectiorem modum, et statum ob absolutam, perpetuamque omni modo promissionem, et acceptationem. Et præstare prædictos effectus convenit votis substantialibus religionis, non utcumque sumptis, sed ut completis per hunc perfectionis, et consummationis modum : sicut generare est opus perfecti, et esse omnino indissolubile competit matrimonio consummato. Et in hunc nostrum dicendi modum collimasse videtur Arauxo, qui post verba *numero* 43 relata subdit : « Sicut licet puer, et vir con- Arauxo.
« veniunt univoce in ratione specificatio-
« nis, tamen puer habet statum imperfec-
« tum respectu status viri, quia non
« extenditur illius potentia ad eos actus,
« ad quos extenditur potentia istius : ita
« licet Religio Jesuitarum emittentium vo-
« ta simplicia univoce conveniat in ratio-
« ne generica cum aliis Religionibus professorum,

« fessorum, et sit eadem specie, et numero « cum Religione eorundem Jesuitarum « emittentium solemnem professionem ; « tamen est pro tunc in statu imperfecto, « et velut puerili, in via, et tendentia ad « sui consummationem per vota solemni- « zata, quæ proinde pro tunc votis simpli- « cibus, et abdicatione imperfecta domi- « nii duntaxat quoad usum contenta est.

Nota. 50. Juxta hunc dicendi modum (ut consectarium prioris opinionis *numero* 44 relatæ obiter attingamus), supposito quod non detur præceptum confitendi circunstantias notabiliter aggravantes, sed tantum eas quæ mutant speciem, consequenter dicendum est, religiosum Societatis solemniter professum peccantem contra castitatem, aut alia vota, non teneri manifestare in confessione se esse solemniter professum, sed satisfacere dicendo se esse religiosum; quia, ut diximus, vota simplicia constituentia statum religiosum, et vota solemnia sunt ejusdem speciei essentialis. Cæterum supposito, quod detur præceptum confitendi circunstantias notabiliter aggravantes, minime satisfaciet dicendo se esse religiosum, sed debet dicere se esse solemniter profes sum; quia licet vota solemnia non differant specie a simplicibus, nihilominus important modum intrinsecum majoris perfectionis, ratione cujus peccatum contra illa commissum notabiliter aggravatur, et majorem injuriam religioni infert. Quod eadem probabilitate dici potest de peccato adulterii commissi post matrimonium consummatum. Sed hæc moralia præsentem considerationem excedunt, et suis locis relinquenda sunt.

§ III.

Refertur opinio contraria, ejusque motiva eliduntur.

Opinio opposita. 51. Adversam nobis opinionem, asserentem vota simplicia, et solemnia non distingui ex natura rei per principia, seu prædicata intrinseca, sed solum ex dispo-

Scotus. Paluda. Hervæ. Suarez. sitione Ecclesiæ, tuentur Scotus *in* 4, *distinct.* 38, *quæst. unica, in fine*, Paludanus *ibidem, quæst.* 4, *articul.* 4, Hervæus *quodlib.* 11, *quæst.* 25, *disputat.* 25, *numero*, 24, Suarez *tom.* 3, *de Religion. lib.* 2, *cap.* 4,

Vasq. Basil. Pont. *cum seqq. et tom.* 4, *lib.* 3, *cap.* 3, Vasquez *ubi supra, cap.* 2, Basilius Pontius *lib.* 7, *de Matrimon. cap.* 7, *et quæst.*3 *Scholastica, cap.* 4, Lessius *lib.* 2, *cap.* 40, *dub.* 19, Castro Palao, *tom.* 3, *tract.* 16, *disputat.* 1, *punct.* 1, *num.* 6, Mendo *de Ordin. Militar. disp.* 3, *q.* 13, *numero* 135, Perez *de Matrim. disp.* 26, *sect.* 4, et alii plures.

Lessius. Castro Palao. Mendo. Perez.

Probatur primo principali hujus sententiæ fundamento, quo illam demonstrare censent nonnulli Authores; quoniam vota solemnia differunt a simplicibus ratione solemnitatis : atqui votorum solemnitas est ex sola institutione Ecclesiæ : ergo prædicta vota differunt inter se ex sola Ecclesiæ institutione, non vero ex natura rei, sive per intrinseca prædicata. Major videtur manifesta; nam distinctio inter hæc vota in eo consistit, quod quædam sunt simplicia, et alia solemnia; atque ideo ista differunt ab illis ratione solemnitatis. Minor autem probatur evidenter ex Bonifacio VIII, *in cap. unico de Voto, in Sexto*, qui Episcopo Bitterrensi respondit in hunc modum :

Primum argumentum.

Bonifac. VIII.

« Quod votum debeat dici solemne, nec ad « dirimendum matrimonium efficax, nos « consulere voluisti. Nos igitur attendentes, « quod voti solemnitas ex sola constitu- « tione Ecclesiæ est inventa, matrimonii « vero vinculum ab ipso Ecclesiæ capite « rerum omnium conditore, ipsum in pa- « radiso, et in statu innocentiæ instituente, « unionem, et indissolubilitatem accepe- « rit : præsentis declarandum duximus « oraculo sanctionis, illud solum votum « debere dici solemne, quantum ad post « contractum matrimonium dirimendum, « quod solennizatum fuerit per susceptio- « nem sacri Ordinis, aut per professionem « expressam, vel tacitam factam alicui de « Religionibus per Sedem Apostolicam ap- « probatis. »

Qualiter nonnulli explicent votorum solemnitatem. 52. Occasione hujus argumenti solent Authores disquirere, in quo consistat votorum solemnitas. Ad quam quæstionem respondentes Authores proxime relati, in duos principales dicendi modos dividuntur. Nam Suarez, cui plures alii adhærent, sentit solemnitatem votorum consistere in vi dirimendi subsequens matrimonium, quam cum vota religiosa ex se non habeant, capiunt ex jure humano ecclesiastico inhabilitante solemniter professum ad matrimonium contrahendum. Vasquez autem, quem non pauci sequuntur, docet solemnitatem votorum non consistere in illa vi, aut inhabilitate; sed in perpetua, et absoluta obligatione, quæ oritur ex perpetua, et absoluta profitentis traditione, et absoluta, atque

irrevocabili suscipientis acceptatione : unde infert, posse dari vota solemnia sine vi dirimendi sequens matrimonium, si Ecclesia votis solemnibus illam non adderet.

Refutantur. Sed uterque dicendi modus est insufficiens, et falsitatis convincitur. Prior quidem; nam vota etiam simplicia Societatis habent ex jure Ecclesiastico vim dirimendi subsequens matrimonium. *Præterea* vis illa dirimendi, sive inhabilitas personæ ad matrimonium contrahendum est effectus, aut quasi proprietas consequens essentiam votorum solemnium; prius enim intelligimus essentiam prædictorum votorum, quam vim illam, sive inhabilitatem personæ; et ideo hæc causalis est : « Quia ista vota « sunt solemnia, ideo possunt dirimere « sequens matrimonium, et inhabilitant « religiosum ad illud contrahendum. » Ergo essentia votorum solemnium non consistit in illa vi, aut inhabilitate, sed aliquid antecedens pro ea constituenda assignandun est. Præsertim cum inhabilitas personæ sit prædicatum negativum, quod in aliquo positivo fundari debet. *Denique* vis dirimendi sequens matrimonium est quid commune votis solemnibus Religionis, et voto solemni annexo Ordinibus sacris, imo et votis simplicibus Societatis, imo etiam pluribus impedimentis dirimentibus matrimonium; et tamen hæc omnia habent diversas rationes, et solemnitates essentiales intrinsecas : ergo solemnitas votorum solemnium religionis non recte declaratur per vim dirimendi sequens matrimonium, sive per inhabilitatem personæ ad illud contrahendum.

Posterior etiam modus refellitur, nam quod quis se tradat traditione omnino absoluta, et perpetua, atque irrevocabili, non est denominatio extrinseca proveniens ab Ecclesiæ dispositione, sed est prædicatum intrinsecum conveniens actibus, quibus fit solemnis religiosorum professio, ut supra *num.* 39 magis declaravimus : ergo si solemnitas votorum in hujusmodi traditione consistit, nequit consistere in solo jure humano ecclesiastico, ut Vasquez cum Auctoribus supra relatis affirmat, atque ideo inconsequenter procedit. Aliunde vero consectarium, quod infert, posse scilicet dari vota solemnia, quæ matrimonium non dirimant, est omnino falsum, et contra id, quod Bonifacius VIII *in cap. relato* supponit tanquam communem omnium sensum.

Suar. Unde Suarez *tom* 3 *cit. lib.* 6, *cap.* 11, merito dixit, prædictam Vasquii opinionem esse *singularem, et contra omnes Doctores.*

Aliorum Authorum explicatio. 53. Sed his dicendi modis relictis (ex quorum insufficientia, et falsitate non parum roboratur veritas nostræ assertionis) Authores nobiscum sentientes communiter distinguunt in solennibus votis duplicem solemnitatem : aliam essentialem consistentem in actibus, quibus homo se absolute, et perpetuo tradit Deo in religione, ab illaque eodem modo acceptatur in ordine ad observandum ea, quæ vovet : alteram accidentem, consistentem in modo, et circunstantiis, quibus hæc traditio, et acceptatio, ut sint legitimæ, fieri debent ex Ecclesiæ statuto. Prior convenit votis solemnibus ab intrinseco, et jure divino; posterior vero accidentaliter juxta variam juris ecclesiastici dispositionem. Quo supposito, ad argumentum respondent, Pontificem loco citato loqui de secunda solemnitate. Et in hoc sensu concessa majori, et distinguendo minorem juxta præmissa, negant absolute consequentiam, quoniam vota solemnia distinguuntur a simplicibus non solum ratione solemnitatis accidentalis, sed potissimum ratione solemnitatis essentialis, cum ista conveniat illis ab intrinseco, et jure divino : et propterea ab intrinseco, et jure divino distinguuntur a simplicibus, quidquid sit de solemnitate accidentali, quam cum Pontifice concedunt ex sola Ecclesiæ constitutione esse inventam.

Qualiter Bonifacem exponant. Quod si his Authoribus opponatur, Pontificem loqui de solemnitate essentiali, siquidem illam considerat, ut diffiniat quodnam votum debeat dici solemne in ordine ad dirimendum subsequens matrimonium, et hæc vis non solemnitati accidentali, sed essentiali attribuenda est : Si id, inquam, objiciatur, facile respondent, quod licet ex solemnitate accidentali non desumatur argumentum ad diffiniendum, quodnam votum dirimat matrimonium, tanquam ab essentia; bene tamen tanquam a signo manifestativo essentialis solemnitatis. Cum enim solemnitas accidentalis ex usu, et dispositione Ecclesiæ non interveniat in votis simplicibus, sed in solemnibus, recte declarat, quodnam votum sit solemne, et vim habeat dirimendi matrimonium. Unde legitimus, inquiunt, et verus sensus responsionis Bonifacii hic est : inquiris, quodnam votum sit solemne, et matrimonium dirimat? Et

nos

nos considerantes signa declarativa voti solemnis esse ex institutione Ecclesiæ, quæ hujusmodi signa adhibet in duobus tantum votis, in illis videlicet, quæ Ordini sacro annectuntur, et in eis, quæ in professione religiosa fiunt; propterea declaramus hæc duntaxat vota esse solemnia, et dirimere matrimonium.

Melior responsio.

54. Verum hac responsione in sua probabilitate relicta, melius, facilius, et magis ad mentem Pontificis respondemus concedendo absolute, et absque ulla distinctione solemnitatem votorum ex sola Ecclesiæ constitutione esse inventam; sed negamus consequentiam, quoniam aliud est solemnitas voti, aliud voti solemnis essentia. Solemnitas enim actuum humanorum consistit in formula, qua, et non aliter ex dispositione superioris fieri debent, ut sic, et non aliter teneant, et sint legitimi, ut cum pluribus tradunt Joan. Guttierrez 3 *pract. quæst.* 15, *num.* 28, et Escobar *de utroque foro, art.* 2, *num.* 1, at prædictorum actuum essentia aliquid aliud est ab ea formula, vel solemnitate. Sic ad solemnitatem matrimonii post Concilium Tridentinum pertinet, quod celebretur coram Parocho, et testibus; sed matrimonii invariabilis essentia in hac formula non consistit, sed in mutua corporum traditione, aut aliquo alio. Idem apparet in testamentis, vendicationibus, donationibus, et aliis actibus, contractibusque humanis; nam hæc omnia, ut valida sint, fieri debent observata formula, aut solemnitate, quam Princeps, et leges decernunt : cæterum eorum essentia in ea formula non consistit, sed in aliquo alio, quod talis formula præcedit, aut comitatur. Cujus signum est, quod cum ea formula, seu solemnitas sit de jure positivo, et quandoque varietur; nihilominus obligatio ex talibus actibus, aut contractibus resultans est utplurimum de jure naturali, et essentia prædictorum eadem semper manet, licet solennitas, prout Reipublicæ convenit, mutetur. Hoc ergo modo dicimus, solemnitatem votorum Religionis esse ex institutione Ecclesiæ, quia Ecclesia disponit formam, et circunstantias, quibus concurrentibus, et non aliter, possit homo absolute, et perpetuo se tradere Religioni, ab eademque eodem modo acceptari; sicut disponit, quod detur annus probationis, et quod profitentes habeant talem ætatem Sed essentia professionis solemnis in his formaliter non consistit, sed in votis, et donatione quibus homo perpetuo, et absolute se dat, consecrat, et devovet Deo in Religione, connotando similem omnino acceptationem ex parte illius. Et quia hæc omnia conveniunt intrinsece, et ex natura rei actibus, quibus professio solemnis fit, secus vero votis simplicibus etiam constituentibus statum religiosum; propterea colligimus, prædicta vota distingui ab intrinseco, et ex natura rei, et non ex sola Ecclesiæ dispositione, ut § 1 fusius ostendimus. Sicut matrimonium et alii contractus supra relati differunt ab aliis, non solum ratione solemnitatis, sub qua, et cum qua fiunt, sed etiam, et magis ratione propriæ essentiæ, et per prædicata intrinseca; quanquam non ponerentur in rerum natura, nec valerent, nisi præmissis, aut comitantibus solemnitatibus, quas leges præscribunt. Unde concedimus cum Bonifacio solemnitatem, et totam solemnitatem votorum esse ex Ecclesiæ constitutione; et tamen dicimus vota solemnia, idest, omnino perpetua, et absoluta (quæ a solemnitate denominantur) distingui ex natura rei ab omnibus votis simplicibus; quia præter solemnitatem, quæ est quid extrinsecum, habent prædicata intrinseca, per quæ differunt ab illis. Et profecto Angelicus Doctor, qui nobiscum sentit, docens vota solemnia ex natura sua esse indispensabilia, et dirimere sequens matrimonium, plane concedit eorum solemnitatem esse ex constitutione Ecclesiæ, profunde videns hæc duo inter se optime cohærere, aliudque esse votorum solemnitatem, et aliud essentiam. Unde *in hac* 2, 2, *quæst.* 88, *art.* 9, inquit : « Quia « solemnitas voti in quadam spirituali be- « nedictione, et consecratione consistit, « quæ fit per ministerium Ecclesiæ; ideo « solemnizatio voti sub dispensatione Ec- « clesiæ cadit. » Et *quæst.* 189, *art.* 5, inquit : « Aliud est votum solemne, quod « facit monachum, vel religiosum; quod « quidem subditur ordinationi Ecclesiæ « propter solemnitatem, quam habet an- « nexam. » Et longe clarius *in* 4, *dist.* 38, *q.* 1, *art.* 2, *quæstiunc.* 3, ait : « Tunc votum « solemnizatur, quando aliquis præsentia- « liter se dat Deo, divinis servitiis manci- « pando : quod quidem fit per sacri ordinis « susceptionem, et professionem certæ re- « gulæ debito modo factam, scilicet in « manibus ejus, qui debet recipere, et aliis « circunstantiis, quæ secundum jura deter- « minantur; alias non esset votum so-

Joan. Gutt. Escobar.

Aliud solemnitas voti, aliud voti solemnis essentia.

D. Tho.

« lemne, quantumcunque quis profitere-
« tur, quia ex tali professione non fieret
« sub potestate eorum, qui Religioni
« præsunt. »

Secundum argumentum Greg. XIII.

55. Arguitur secundo (et est replica contra doctrinam nostræ responsionis), quoniam Gregorius XIII, reprobans interpretationes illorum, qui contra præcedentem suam constitutionem editam anno 1582, ausu temerario dicebant alumnos Societatis emittentes simplicia vota non esse vere, et proprie religiosos, edidit anno 1584, aliam bullam, quæ incipit, *Ascendente Domino*, in qua illos coarguit assumens Bonifacii propositionem, his verbis : « Non conside-
« rantes voti solemnitatem sola Ecclesiæ
« constitutione inventam esse, triaque hu-
« jusmodi Societatis vota, tametsi simpli-
« cia, ut substantialia Religionis vota ab
« hac Sede fuisse admissa, illaque emit-
« tentes in statu Religionis vere constitui,
« quippe qui per ea ipsa se Societati dedi-
« cant, atque actu tradunt, seque divino
« servitio mancipant. » Sentit ergo Pontifex, quod vota solemnia non habent per quod a simplicibus distinguantur, nisi solemnitatem ex sola Ecclesiæ constitutione inventam; aliter enim insufficienter coargueret illos, qui negabant alumnos Societatis emittentes sola vota simplicia, esse vere, et proprie religiosos, eo quod, ut ipsi putabant, ad statum religiosum requiruntur vota solemnia.

Diluitur.

Respondetur negando consequentiam, quæ inepte infertur ex verbis Pontificis nostræ doctrinæ minime contrariis; concedimus enim alumnos Societatis emittentes tria substantialia vota esse vere, et proprie religiosos, sicut ipse Gregorius diffinit. Illius itaque diffinitio contra illos dirigitur, qui oppositum asserebant, existimantes solemnitatem votorum esse de essentia status religiosi. Quorum assertionem, et fundamentum evertit Pontifex verbis relatis. Fundamentum quidem, nam solemnitas inventa est ex Ecclesiæ constitutione, et sine illa potest salvari conceptus essentialis status religiosi, ut statuimus *num.* 8, *et num.* 24. Et hæc impugnatio continetur in illis verbis, *Non considerantes, etc.* Assertionem vero, quia prædicti alumni emittebant tria vota substantialia, et se tradebant Religioni; et in hac votorum emissione, et donatione personæ consistit essentia prædicti status, ut hactenus, et præcipue locis citatis ostendimus. Et hæc impugnatio continetur in illis verbis : *Quippe qui per ea, etc.* Sed hæc minime attingunt nostram doctrinam, quæ omnes propositiones a Pontifice assertas sincere, et absque distinctione, vel alia tergiversatione concedit. Ex eis vero minime concluditur, essentiam votorum solemnium, sive (et in idem redit), simpliciter absolutorum, et perpetuorum, tam ex parte se tradentis, quam acceptantis, consistere in solemnitate, sive in formula observanda, ut legitime fiant. Sed hac supposita, aut comitante, prædicta essentia aliquid aliud importat, ut supra explicuimus, per quod, et non per solam extrinsecam solemnitatem vota solemnia a simplicibus distinguuntur. Sicut solemnitas matrimonii, venditionis, et similium aliud est ab eorum essentia : unde inter se differunt non per solas solemnitates, sed per prædicata intrinseca.

Replica

56. Sed replicabis : nam ex præmissis propositionibus colligit Pontifex, alumnos Societatis emittentes vota simplicia esse vere, et proprie religiosos, non *secus ac ipsos tum Societatis, tum aliorum regularium Ordinum professos*. Sed hæc diffinitio non cohæret cum nostra doctrina : ergo, etc. Probatur minor : nam si vota simplicia constituentia statum religiosum, et vota solemnia differunt ex natura rei, opus est, quod emittentes simplicia, et emittentes solemnia vota aliter, et aliter sint religiosi, atque ideo non omnino æqualiter; quod est contra prædictam diffinitionem : nam ly *non secus*, idem valet, ac *sicut*, et æqualitatem significat.

Respon-sio.

Respondetur nil minus intendere Pontificem in prædicta diffinitione, quam constituere omnimodam æqualitatem inter cunctos religiosos. « Nec enim, » inquit Arauxo ubi supra, num. 14, « Summus Pontifex
« vult in illa bulla omnes Religiones ab
« Ecclesia approbatas esse ejusdem atomæ
« speciei, et professionis essentialis, cum
« certum sit secundum jura alias esse aliis
« perfectiores, et religiosos professos unius,
« scilicet imperfectioris, posse de jure com-
« muni ad aliam perfectiorem transire.
« Imo neque vult intra eandem Religio-
« nem Societatis esse omnimodam æquali-
« tatem status, quin potius distinguit in
« illa tres, vel quatuor gradus, per quos
« gradatim ascendendo ejus alumni quasi
« euntes de virtute in virtutem, de minus
« perfecto transeunt ad perfectiorem. »
Quod exemplis explicat, et concludit :

Arauxo.

Quapropter

« Quapropter dum sunt in primo, et se-
« cundo statu, minus perfecti sunt, non
« solum quam professi aliarum religionum,
« sed etiam quam professi ejusdem Socie-
« tatis. » Hæc Aràuxo. Et non absimilia Valentia. scribit Valentia ejusdem sacræ Societatis alumnus; nam *in hac* 2, 2, *disput.* 10, *quæst.* 4, *puncto* 2, *vers. Quod autem attinet*, inquit :« Religio nostræ Societatis per
« Paulum III, et Julium III, et alios Sum-
« mos Pontifices quoad totam ejus vivendi
« normam, et rationem ita est approbata,
« ut inter cætera, qui absoluto tempore No-
« vitiatus emittunt modo consueto coram
« aliis tria hæc vota simplicia, desinant
« jam eo ipso esse novitii, atque ideo sint
« vere, et proprie in statu hujus Religionis
« coaptati, nimirum in quendam ejus gra-
« dum, quamvis non etiam in illum ulte-
« riorem, et perfectiorem, quem obtinent
« hujus Religionis professi, qui scilicet vota
« etiam solemnia emiserunt. » Ex quibus liquet, nec debere, nec posse constitui omnimodam æqualitatem inter religiosos emittentes præcise vota simplicia, et religiosos solemniter professos.

Propositionis Gregorii sensus. 57. Propositio autem illa a Pontifice asserta dupliciter potest exponi. Nam in primis Authores *num.* 44 relati, qui sentiunt vota simplicia, et solemnia constituentia statum religiosum distingui essentialiter specifice, consequenter dicunt, quod per ly *non secus, etc.* significatur æqualitas, aut univocatio in conceptu generico religiosi, quem emittentes vota simplicia vere, et proprie participant; cum quo tamen cohæret, quod specie differant a solemniter professis, et sint specifice imperfectiores. Sicut cum dicimus, quod leo est *vere, et proprie anima, non secus ac homo,* significamus utriusque æqualitatem, et univocationem in conceptu animalis, quem leo vere, et proprie participat; sed non significamus æqualitatem specificam, nec quod leo sit animal ita perfectum ac homo; hæc enim aliter se habent, ut de se constat. Sic etiam dicimus, spem esse *vere, et proprie virtutem theologicam, non secus ac charitatem;* et matrimonium esse *vere, et proprie sacramentum, non secus ac Eucharistiam.* Per quæ tamen solum significamus univocam participationem conceptus generici, minime vero æqualitatem perfectionis in conceptu specifico.

Sed juxta ea, quæ *a n.* 48 diximus, respondetur, ly *non secus,* significare etiam æqualitatem, et univocationem in conceptu specifico, præsertim si vota simplicia, et solemnia ejusdem Religionis Societatis comparentur inter se. Per quod non tollitur, quod differant quoad modos intrinsecos, et diversos status perfectionis, quod satis est ad veritatem nostræ assertionis, ut loco citato ostendimus. Unde prædicta propositio exponenda est, sicut ista : *Infans est vere, et proprie homo, non secus ac vir,* per quam significatur infantem, et virum habere eandem essentiam specificam hominis, sed non excluditur, quod viro conveniat modus, et status perfectior habendi eandem essentiam, ut *n.* 49 adhibito etiam alio exemplo, explicuimus. Sic etiam emittens vota simplicia in Societate est vere, et proprie religiosus, non secus ac solemniter professi; quia participat eundem conceptum specificum religiosi, habetque omnia illius prædicata essentialia. Sed cum hoc componitur, quod differant in modo intrinseco minus, aut magis perfecto habendi illa. Et hæc responsio est omnino consona menti Pontificis intendentis redarguere audaciam eorum, qui negabant emittentes vota simplicia in sacra Societate, esse vere, et proprie religiosos.

58. Arguitur tertio, quia essentia votorum Tertium argumentum. solemnium in eo consistit, quo posito pronuntur vota solemnia, et quo ablato, auferuntur : sed posito statuto Ecclesiæ, vota redduntur solemnia, et eo ablato, solemnia non sunt : ergo essentia votorum solemnium consistit in dispositione, sive statuto Ecclesiæ; et consequenter vota solemnia distinguuntur a simplicibus, non per aliqua prædicata intrinseca, et ex natura rei, sed solum ex jure ecclesiastico. Cætera constant, et minor est certa; quia si Ecclesia disponeret, quod vota in nostra v. g. Religione emissa non essent solemnia, profecto solemnia non forent, nec haberent vim irritandi subsequens matrimonium, nec alios effectus supra relatos : e converso autem, quia Ecclesia aliter disponit, solemnia sunt, et tales effectus sortiuntur : ergo posito statuto Ecclesiæ, vota fiunt solemnia, et eo secluso, talia non sunt.

Confirmatur primo, quia si secludatur Confirmatio prima. ea Ecclesiæ dispositio, non habent vota solemnia per quod distinguantur a simplicibus : ergo signum est, quod prædicta vota solo jure Ecclesiastico differunt. Suadetur antecedens, quia illo statuto secluso, in votis solemnibus solum remanent duo con-

ceptus promissionis, et traditionis; sed iidem conceptus inveniuntur in votis simplicibus constituentibus statum religiosum, siquidem et sunt promissio, et traditio, aliter enim religiosum statum non constituerent, ut constat ex dictis *dub.* 1; ergo secluso statuto Ecclesiæ, non habent vota solemnia per quod differant a simplicibus.

Secunda. Confirmatur secundo, quia votum solemne castitatis annexum Ordini sacro non distinguitur ex natura rei a voto simplici ejusdem castitatis : atqui solemne castitatis votum in religione emissum est ejusdem prorsus rationis cum solemni ejusdem castitatis voto emisso in susceptione Ordinis sacri. Ergo votum solemne castitatis in religione non distinguitur ex natura rei a voto simplici castitatis; eadem autem ratio est in aliis votis : ergo, etc.

Tertia. Confirmatur tertio, quia si vota simplicia, et solemnia distinguerentur ex natura rei, peccata contra illa commissa eodem modo differrent, atque ideo unum esset altero gravius. Consequens est falsum : ergo prædicta vota non distinguuntur ex sua natura, sed solum ex dispositione Ecclesiæ. Minor probatur *ex c. Rursus, qui clerici,* Cælest. III. *vel vovent.* ubi Cœlestinus III affirmat, *votum simplex non minus obligare apud Deum, quam solemne :* ergo gravius non est peccare contra vota solemnia, quam contra simplicia.

Quarta. Confirmatur ultimo, quia ante tempora Cœlestini III, *in cap. proxime relato,* et Alexand. III, *in cap. Insinuante, et cap. Meminimus, eod. tit. qui clerici, vel vovent.* non est audita in Ecclesia distinctio inter vota solemnia, et simplicia : ergo signum est, quod discrimen inter illa inventum, et dispositum est per jus positivum ecclesiasticum, et consequenter, quod prædicta vota non differunt ex natura rei, et per prædicata intrinseca.

Occurritur argumento 59. Ad argumentum respondetur in forma distinguendo majorem : *Essentia votorum solemnium in eo consistit, quo posito ponuntur, et quo ablato auferuntur;* quo posito tanquam *constitutivo, aut parte essentiali,* concedimus; quo posito tanquam *conditione antecedente, aut comitante,* negamus. Et similiter distinguenda est minor : *Posito statuto Ecclesiæ, vota redduntur solemnia, etc.; posito statuto Ecclesiæ tanquam constitutivo, aut parte votorum solemnium,* negamus minorem, et suppositum; *posito statuto Ecclesiæ tanquam conditione,* concedimus. Et deinde negamus absolute consequentiam. Quoniam essentia, et prædicata intrinseca votorum solemnium consistit in perfecta, absoluta, et perpetua promissione, et traditione, connotando similem acceptationem ex parte superioris, vel religionis; et his positis, ponitur essentia prædictorum votorum, seu professionis solemnis, ut hactenus explicuimus. Sed quia Ecclesia potest hos actus reddere invalidos, et illegitimos ad prædictum effectum, nisi observetur formula, sive solemnitas, quam ipsa Ecclesia decernit; propterea solemnitas ab Ecclesia inventa est conditio de facto necessaria, ut fiant vota solemnia, et ea non concurrente non valent. Sed inde minime colligitur, quod essentia prædictorum votorum, sive professionis solemnis in eo statuto consistit. Sicut inepte colligeretur, essentiam matrimonii consistere in statuto Ecclesiæ, si quis eundem discursum conficeret: « Servatis quæ statuit « Tridentinum, ponitur verum matrimo- « nium, et eis non servatis, non ponitur : « ergo matrimonii essentia in eo statuto « consistit, » ut facile consideranti constabit; plura quippe solent requiri (præsertim circa actus humanos ex Reipublicæ. aut Ecclesiæ dispositione), ut rerum essentiæ in rerum natura ponantur; quæ tamen ad tales essentias non pertinent, nec eas intrinsece constituunt. Et diximus solemnitatem ab Ecclesia inventam, *esse conditionem de facto necessariam, etc.* quia si essentia status religiosi, et votorum omnino absolutorum, traditionisque perfectæ, et perpetuæ secundum se consideretur, talem dispositionem, aut aliam positivam approbationem non requirit, sed posset absque illa salvari cum sola approbatione negativa, seu non repugnantia, aut contradictione Ecclesiæ, ut explicuimus *a num.* 24. Quod magis evincit essentiam professionis solemnis non consistere in solemnitate Ecclesiastica. Per quæ satis patet ad minoris probationem. Not

Ad primam confirmationem negamus antecedens, quia præter extrinsecam Ecclesiæ dispositionem, habent vota solemnia, et simplicia prædicata intrinseca diversa, per quæ distinguantur ex natura rei, ut explicuimus *a num.* 40. Et ad antecedentis probationem, quam urget Suarez, concedimus in votis simplicibus constituentibus statum religiosum inveniri promissionem, et etiam traditionem; sed dicimus hæc ipsa distin- Dilui pri con mat

gui

gui a promissione, et traditione propriis professionis solemnis, ut *loco citato* exposuimus, et tradunt alii, ut refert ipse Suarez *lib.* 2, *cap.* 7, *num.* 16, his verbis: « Alii vero ejusdem instituti » (nempe sacræ Societatis) « defensores, ut antiquam « opinionem Theologorum » (quæ ad statum religiosum traditionem requirit) « quam « expendimus, cum dicta institutione Societatis concordent, duplicem traditionem religiosam distinguunt: unam perfectissimam, et ex omni parte consummatam; aliam minus perfectam, et (ut ita dicam) aliqua ex parte claudicantem: et priorem aiunt ex se, et ab intrinseco reddere personam inhabilem ad matrimonium, et ita solennizare votum castitatis, non vero posteriorem: et hujus posterioris modi dicunt esse traditionem illam Societatis. Unde ad argumentum negant consequentiam, quia traditio, quæ fit a Religiosis Societatis non professis est alterius rationis a traditione, quæ fit a professis, tam ejusdem Societatis, quam aliarum Religionum approbatarum. Nam in professione solemni fit traditio perfecta, et simpliciter perpetua ex utraque parte; quia et religiosus ita se tradit, ut se perpetuo privet dominio sui corporis; et religio etiam illam acceptat ut irrevocabilem, et ita se obligat religioso, ut non possit illum dimittere quoad vinculum, nec professionem, aut traditionem semel factam dissolvere. Traditio vero illa, quæ vel ab scholaribus, vel coadjutoribus Societatis fit, licet ex parte religiosi sit perpetua, et ideo cum tribus votis sufficiat ad statum religiosum constituendum; nihilominus ex parte religionis non est ita perpetua, quia ex certis causis potest religiosum liberum dimittere, et repudiare donationem sibi a religioso factam. Et hinc fit, ut hæc traditio non ita solemnizet votum sibi annexum, sicut prior. Hanc distinctionem refert Sancius supra, num. 11, et tradit Vasquez disp. 165, cap. 8, responsum prædictum approbando. Et idem sentit Valentia tom. 4, disp. 10, q. 5, punct. 3, et late, ac docte Basilius in lib. variar. disp. quæst. 3, cap. 5, et est sententia satis probabilis. » Cui nos (adjunctis supra traditis,) subscribimus: licet ipse Suarius contradicat *loco citato a num.* 17, cujus fundamenta innitentia majori ex parte bullæ Gregorii XIII superius convulsa reliquimus.

Suarez.

60. Ad secundam confirmationem (quidquid sit de veritate majoris) neganda est minor; quia in voto solemni religionis datur perfecta traditio, quæ non intervenit in voto solemni Ordinibus sacris annexo, ut etiam recognovit ipse Suarez *loco proxime citato, num.* 14, his verbis: « Verumtamen hoc exemplum parum urget, quia « de voto Clericorum etiam D. Thomas, et « alii fatentur esse solemne quasi per accidens; quia castitas non est per se conjuncta ordinationi sacræ, sicut statui religioso, sed ex Ecclesiæ institutione; et « ideo impedimentum illius voti non esse « vi traditionis, sed ex institutione Ecclesiæ. Et ratio est, quia illa traditio non « est ita perfecta, nec ejusdem ordinis cum « illa, quæ in professione religiosa fit. » De quo iterum sermo redibit *num.* 111. Diximus *Quidquid sit de veritate majoris*, ut præscindamus a quæstione hic non necessaria, quam attingit Arauxo ubi supra, *num.* 24, ubi cum Paludano, Petro de Ledesma, et aliis resolvit, initiatum Ordine sacro, si contra castitatem peccet, debere in confessione explicare se esse ligatum voto solemni castitatis, nec satisfacere, si præcise dicat se peccasse contra castitatis votum; quia votum illud solemne, et votum simplex castitatis, differunt (inquit ille) saltem in genere moris ob aliqualem traditionem, et novi status immobilis assumptionem. De quo alias.

Satisfit secundæ.

Suarez.

Ad tertiam respondetur concedendo sequelam, et negando minorem. Cujus probationem recte diluit D Thom. *quæst.* 88, *art.* 7, his verbis: « Votum solemne habet « fortiorem obligationem apud Deum, « quam votum simplex, et gravius peccat « qui illud transgreditur. Quod autem dicitur, quod votum simplex non minus « obligat apud Deum, quam solemne, intelligendum est quantum ad hoc, quod « utriusque transgressor peccat mortaliter. » Et *in* 4, *distinct.* 38, *quæst.* 1, *art.* 3, *quæstiunc.* 3 *ad* 1, ait: « Dicendum quod « votum simplex quoad Deum dicitur non « minus obligare, quam solemne in his, « quæ ad Deum spectant, sicut est separatio a Deo per peccatum mortale; quia « mortaliter peccat frangens votum simplex, sicut solemne, ut sic comparatio in « genere accipiatur, non in determinata « quantitate reatus. » Unde patet sensus prædictæ Decretalis; solum enim constituit æqualitatem inter votum simplex, et so-

Dissolvitur tertia.

D. Tho.

lemne in participando conceptum genericum obligandi ad culpam gravem. Cum quo tamen recte cohæret, quod transgressiones prædictorum votorum vel differant specie essentiali, ut docent Authores relati *num.* 44, vel distinguantur notabiliter intra eandem speciem, ut loquendo de votis simplicibus constituentibus statum religiosum diximus *num.* 50.

Ex quibus magis roboratur interpretatio, quam *numero* 75 adhibuimus propositioni Gregorii XIII, asserentis, quod emittentes vota simplicia in Societate sunt vere, et proprie religiosi, *non secus* ac alii religiosi professi. Nam sicut D. Thom. et alii graves Authores propositionem Cœlestini III dicentis votum simplex *non minus* obligare apud Deum, quam solemne, ita glossant, ut solum significetur æqualitas obligationis in genere, cum qua cohæret excessus vel in specie, vel saltem in circunstantia notabiliter aggravante; ita quando Gregorius affirmat, *non secus, etc.* significatur æqualitas vel in participando conceptum genericum religiosi, vel æqualitas in habendo eandem essentiam specificam; sed cum hac æqualitate componitur inæqualitas vel in specie, ut Authores *num.* 44 relati affirmant; vel in modo, et statu magis, aut minus perfecto habendi eandem specificam essentiam, ut *num.* 48 *et* 57 explicuimus.

Ultima satisfit D. Basil.

61. Ad ultimam confirmationem respondetur negando antecedens, quia ante Cœlestinum III, qui vivebat anno 1191, et ante Alexandrum III, qui vivebat anno 1160, D. Basilius Magnus, qui floruit quarto seculo, expresse meminit voti solemnis; nam *in regul. fus. disputat. reg.* 14, inquit: « Apostatam in Deum peccare, quem pro« fessionis suæ testem adhibuerit, cuique « solemni se voto obligarit. » Voti autem simplicis fit mentio in Decreto, *cap. Si vir simplex votum*, 27, *quæst.* 1. Edidit vero Decretum, sive Concordiam discordantium Canonum Gratianus, qui claruit tempore Eugenii III, ad annum 1145, et Trithemius affirmat composuisse illud opus anno 1127. Unde satis liquet, quod ante Cœlestinum III, et Alexandrum III, nota erat distinctio inter vota simplicia, et solemnia.

Respondetur secundo omittendo antecedens, et negando consequentiam; nam argumentum est pure negativum. Licet enim antiqui Doctores usi non fuerint vocibus voti solemnis, et simplicis, nec eorum expressam mentionem fecerint; minime infertur, quod vota per has voces significata non fuerint, et multo minus quod non distinguantur ex natura rei. Et simile argumentum communiter contemnitur in aliis difficultatibus. Sic vox *Transsubstantiatio*, non invenitur apud veteres Doctores; et tamen hæreticum esset negare rem per illam vocem significatam. Hoc etiam complexum, *Scientia media*, ignotum fuit Theologis ante Fonsecam, et Molinam ejus Authores; et nihilominus illorum discipuli volunt, quod res per illud significata fuerit ab æterno.

DUBIUM V.

Quo jure professio solemnis dissolvat matrimonium ratum non consummatum.

Quæ de natura professionis solemnis *dubio præcedenti* statuimus, ex discussione hujus, et sequentium difficultatum non parum roborabuntur. Præsens vero unum supponit, et aliud investigat. Et pro utriusque intelligentia

§ I.

Aliqua prælibantur.

Not

62. Primo observandum est, quod triplex communiter distinguitur matrimonium; nam aliud dicitur præcipue *legitimum*, videlicet quod juxta leges fit; quo nomine specialiter appellari solet infidelium matrimonium, quod jure naturæ contrahitur, et valet. Deinde *ratum*, quod a baptizatis contrahitur, vel quod susceptione Baptismi firmatur; inde enim habet indissolubilitatem firmiorem. Tandem *consummatum*, nempe quod carnalis copula consummavit. Præsens autem difficultas non præcise respicit matrimonium legitimum, nec se extendit ad consummatum; sed ratum attingit, ad illudque restringitur, licet de consummato non nihil occasione argumentorum dicemus. Quid vero sit solemnis professio, et in quo a votis simplicibus differat, satis constat *ex præcedenti dubio*. Et præsens dubium non procedit de votis simplicibus constituentibus etiam statum religiosum; sed de illis determinate omnino perfectis, et absolutis, quibus adjuncta simili traditione, solemnis professio fit.

Tri ma mon usu pati

63. Deinde supponendum est, matrimonium

nium ratum dissolvi per sequentem professionem solemnem. Hæc suppositio est de fide, et probatur : tum quia ita diffiniunt Summi Pontifices Alexander III, *in cap.* 2, *de conversione conjugatorum*, et Innocentius III, *cap.* 14, *eodem titulo*, Joannes XXII, *in Extravag. Antiquæ, de voto.* Idemque jam pridem docuerat Eusebius Papa, et Martyr, ut refertur *in cap. Desponsatam*, 24, *quæst.* 2. Tum ex diffinitione Concilii Tridentini *sess.* 24, *can.* 6, ubi dicitur : « Si quis dixe-« rit matrimonium ratum non consumma-« tum per solemnem religionis professio-« nem alterius conjugum non dirimi, « anathema sit. » Tum quia communiter id docent, aut supponunt Patres, dum laudant exempla Sanctorum, qui matrimonio contracto, et non consummato, conjugem reliquerunt, ut perpetuam continentiam servarent, et fierent religiosi. De quo S. Ambros. *lib.* 2, *de Virgin.* D. Epiphanius *hæresi* 78, D. August. *lib.* 8, *confess. cap.* 6, D. Gregor. *lib.* 3, *dialogor. cap.* 14 *et lib.* 6, *epist.* 20, Metaphrast. *in vita S. Ceciliæ, et S. Alexii, et S. Euphrasiæ*, et alii. Immo Alexander III, *in appendice ad Concilium Lateranense sub ipso celebratum, part.* 5, *cap.* 3, affirmat S. Joannem Evangelistam a Christo Domino vocatum fuisse a nuptiis celebratis Canæ ad vitam Apostolicam, et religiosam. Licet aliqui dubitent de exemplo, quod parum refert ubi alia occurrunt. Unde omnes Catholici defendunt hanc traditionem.

Accedit etiam congruentiæ ratio, qua utitur D. Thom. *in* 4, *distinct.* 27, *quæst.* 1, *art.* 3, *quæstiunc.* 2, et alibi : etenim duplex vinculum datur in matrimonio, alterum spirituale ex solo consensu ortum, alterum carnale natum ex copula : carnale autem dissolvitur per mortem corporalem : ergo spirituale solvitur per mortem spiritualem : sed talis est professio solemnis, qua homo mundo moritur : ergo matrimonium ratum non consummatum dissolvitur per professionem solemnem.

64. Contra hanc catholicam traditionem sentiunt Erasmus *in cap.* 7 *primæ ad Corinth.* Kemnitius *contra Trid. loco cit.* Magdeburgenses *cent.* 1, *lib.* 2, *cap.* 12, et communiter hæretici nostri temporis, et plura opponunt. *Primo*, quia per matrimonium ratum vir dat uxori potestatem corporis sui : sed res uni tradita non potest eo invito auferri, et tradi alteri : ergo vir post matrimonium ratum nequit se tradere religioni, nec præcedens vinculum solvere. *Secundo*, quia matrimonium ratum est vere sacramentum significans indissolubilem unionem Christi cum Ecclesia : ergo nequit dissolvi per professionem, aliter enim non esset juxta illam significationem indissolubile. *Tertio*, quia matrimonium ratum est ejusdem prorsus essentiæ, et rationis cum matrimonio consummato ; carnalis quippe copula est quidam actus conjugii, sed ejus essentiam non intrat, neque constituit : atqui matrimonium consummatum non dissolvitur per professionem solemnem : ergo neque matrimonium ratum non consummatum. *Quarto*, quia votum solemne castitatis ordini sacro annexum non dissolvit matrimonium ratum : ergo idem dicendum est de voto solemni religionis. *Quinto*, nam vota simplicia, et solemnia non differunt essentialiter, atque ideo nequeunt habere effectus essentialiter diversos : atqui vota simplicia, illa etiam quæ emittuntur in societate, et statum religiosum constituunt, non dissolvunt matrimonium ratum : ergo neque vota solemnia religionis. *Sexto*, et ultimo, quia ut dicamus matrimonium ratum dissolvi per professionem solemnem, nullum habemus fundamentum in Scriptura.

65. Ad primam objectionem respondetur, minorem solum esse veram per se loquendo, et nisi Deus præbeat facultatem ad oppositum ; Deus autem hoc privilegium concessit professioni solemni, ut ex dicendis constabit. Præsertim cum uxor debeat consentire in dissolutionem matrimonii rati non consummati, quia potest absque ullo incommodo ; et ideo esset irrationabiliter invita, si virum impediret a perfectiori statu capessendo. Diluitur prima.

Ad secundam respondetur solum probare, quod matrimonium ratum sit ex natura sua indissolubile ; minime vero, quod non possit dissolvi ex privilegio Dei solemni professioni faventis, de quo inferius. Adde sacramentum matrimonii triplicem habere significationem : significat enim conjunctionem Christi cum anima per gratiam : significat etiam conjunctionem Christi cum Ecclesia per charitatem : significat denique unionem verbi cum humana natura. Ex quibus significationibus matrimonium ratum solum habet primam, quæ sufficit ut matrimonium ratum sit sacramentum : sed non sufficit, ut omnino sit insolubile ; nam Solvitur secunda.

conjunctio Christi cum anima aliquando solvitur, ut ex se liquet. Unde locus relinquitur, ut matrimonium ratum aliquando dissolvatur, saltem per solemnem professionem. Sic respondent Innocent. III, *in cap. Debitum, de bigamis*, et D. Thom. *in 4, dist. 27, q. 1, art. 3, quæst. 2 ad 1.*

Innoc. III. D. Tho.

Occurritur tertiæ.

Ad tertiam respondetur, non defuisse qui senserint, matrimonium consummatum dissolvi per processionem religiosam; sic enim decrevit Justinianus *in leg. final. Cod. de Episcopis, et Clericis*, eamque legem refert D. Greg. *lib. 9, epist. 39.* Potestque confirmari exemplo Theonæ Abbatis, qui per quinquennium cum uxore vixerat, et illa invita matrimonium solvit, et monachus factus est, ut refert Cassianus *collat. 21, cap. 9*, addens non posse hoc factum reprehendi, quia Theonas postea claruit miraculis, et a Patribus laudatus est.

Justinianus. D. Greg.

Cassianus.

Sed prædicta sententia est error contra fidem : tum quia verba Christi Domini, Matth. 19 : *Quos Deus conjunxit, homo non separet :* et, *Qui dimiserit uxorem, facit eam mœchari*, in aliquo matrimonio verificantur, atque ideo saltem in consummato. Tum quia ita sentiunt communiter Patres. Divus Gregor. *loco citato*, D. Hieronym. *epistola 14, ad Celantiam*, D. August. *epistola 45, ad Armentarium*, Nicolaus I, *in epistola ad Carolum regem*. Tum quia id statuunt Pontificum, et Conciliorum decreta apud Gratianum, 27, *quæstione 3*, et *in Decretal. titulo de conversione conjugator*. Nec movere debet factum Theonæ, quia ut recte inquit Bellarmin. *in lib. de Monachis, cap. 38*, « exemplum illud est unum ex his factis « Sanctorum, quæ sunt admiranda, non « imitanda. Credendum enim est peculiari « Spiritus sancti admonitu id factum esse, « præter communem ordinem, et legem, « quandoquidem ille tot claruit postea si- « gnis, et virtutibus. »

Matth. 19.

D. Hier. D. Aug.

Nicola.

Gratian.

Bellarm.

Differentia in hac parte inter matrimonium ratum et consummatum.

Unde ea sententia relicta, respondetur negando consequentiam ; quia professio solemnis habet ex privilegio Christi dissolvere matrimonium; hoc autem privilegium fuit respectu matrimonii rati præcise, non vero respectu matrimonii consummati. Cujus diversæ dispositionis ratio potest aliqualiter assignari. *Primo*, quia ex eo, quod matrimonio præcise rato, relinquatur mulier, nullum ipsi per se loquendo incommodum accidit : sed si matrimonio consummato relinqueretur, et ipsa, et proles damnum subiret. *Secundo*, quia matrimonium ratum solum significat conjunctionem Christi cum anima per gratiam, quæ unio dissolvitur per peccatum : sed matrimonium consummatum significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, et Verbi cum humanitate, quæ nunquam solvitur ; et ideo matrimonium consummatum est magis indissolubile, quam matrimonium ratum. *Tertio*, « quia ante carnalem copulam, » inquit D. Thomas 3 part. in suppl. quæstione 61, articulo 2 ad 2, « non est omnino translatum « corpus unius sub potestate alterius, sed « sub conditione, si interea alter ad frugem « melioris vitæ non convolet : sed per car- « nalem copulam completur dicta trans- « latio, quia tunc intrat uterque in corpo- « ralem possessionem sibi traditæ potesta- « tis. » Denique quia, cum in matrimonio consummato interveniat vinculum corporale, nequit dissolvi solâ morte spirituali, qualis est professio solennis. Unde patet, quod major objectionis est absolute falsa. quia licet matrimonium ratum, et matrimonium consummatum sint ejusdem speciei essentialis, differunt tamen quoad modum ; unum enim est consummatum, et aliud non, ut ipsæ voces exprimunt ; quod satis est, ut differentes effectus habeant, ut supra diximus *n. 49.*

D. T

66. Ad quartam, concesso antecedenti (quod diffinivit Joannes XXII, *in Extravag. Antiquæ, de voto*, dicens nec jure divino, nec per sacros Canones statutum reperiri, quod votum solemnizatum per sacri Ordinis susceptionem dirimat matrimonium) negamus consequentiam. Quia hoc privilegium non est concessum cuilibet voto solemni, sed ei solum, quo quis fit religiosus. Et ratio differentiæ ad hanc Christi Domini institutionem est : tum quia emittens votum castitatis in susceptione sacri Ordinis non moritur spiritualiter, cum non emittat vota obedientiæ, et paupertatis ; faciens autem professionem solemnem spiritualiter mundo moritur, cum omnia ejus absolute, et in perpetuum repudiet. Tum etiam, quia voto in susceptione sacri Ordinis emisso non annectitur traditio saltem perfecta ; in voto autem solemni religionis perfecta, atque absoluta hominis traditio intervenit, et absque illa votum solemne non esset, ut constat ex dictis § *præcedenti*.

Dirui quar Joan XXI

Ad quintam Basilius Pontius *lib de Matrim. cap. 6*, respondet negando minorem ; sentit enim, quod vota simplicia in Societate emissa dissolvunt matrimonium ratum

tum, quia prædicta vota constituunt hominem vere, et proprie religiosum, ut Gregor. XIII diffinivit.

Sed hæc opinio est valde singularis, et contra communem sententiam aliorum Theologorum, etiam ipsius Societatis, ut videri potest apud Vasquez 1, 2, *disp.* 165, *cap.* 10, Henriquez *lib.* 11, *cap.* 8, *n.* 7, Suarez *tom.* 4, *de Relig. lib.* 4, *cap.* 2, et alios. Ex quibus Perez *disp.* 20, *de Matrim. sect.* 4, *num.* 2, inquit : « Communiter omnes « nostræ Societatis viri docti partem ne- « gantem defendunt: » Additque numero 12, « multa esse in Societate, quæ prædicto « effectui matrimonium ratum dirimendi « manifeste repugnant. Tum quia in illa « sæpius declaratur hæc vota esse simplicia. « Tum quia nulla fit ejus effectus mentio « in Bullis Pontificum, aut constitutioni- « bus. Tum denique, quia in illis expresse « dicitur, dicta vota simplicia non habere « eam absolutam perpetuitatem in utroque « capite, quæ ad illum effectum secundum « morem Ecclesiæ necessaria est. » Et profecto, quidquid sit de aliis motivis, minus quid est dirimere sequens matrimonium, quam dissolvere matrimonium ratum præcedens : sed vota simplicia Societatis ex natura sua non dirimunt sequens matrimonium, et ideo ante secundam Bullam Gregorii XIII *Ascendente Domino* (in qua novum hoc impedimentum dirimens introductum est), non dirimebant ; unde si tali tempore aliquando contigit matrimonium contrahi, dissolutum non est, sed ratum permansit : ergo ex natura sua non habent dissolvere matrimonium ratum præcedens ; aliunde vero non datur jus Ecclesiasticum (et forte nec dari potest, ut *n.* 68 dicemus) quod matrimonium ratum per illa simplicia vota dissolvat : ergo vota simplicia in sacra Societate emissa non dissolvunt matrimonium ratum.

Vasq. Henriq. Suarez. Perez.

Nota.

Unde ad objectionem, omissa majori, et concessa minori, negamus consequentiam ; nam privilegium, seu vis dissolvendi matrimonium ratum, non convenit statui religioso generice sumpto, aut etiam secundum essentiam considerato ; sed quatenus importat determinatum modum perfectionis per professionem solemnem, et sic loquuntur testimonia *num.* 63 allegata ; non enim dicunt, solvi matrimonium ratum per statum religiosum, sed per solemnem professionem, ut liquet ex canone Tridentino. Emittentes autem simplicia vota in Societate, licet sint vere religiosi, nihilominus non sunt simpliciter professi, ut constat ex dictis *numero* 42. Et hæc differentia (ex quocumque jure proveniat), revocatur congruenter in diversa prædicata istorum votorum ; nam emissio votorum simplicium non importat omnino absolutam, et perpetuam hominis traditionem ; solemnia vero illam afferunt, ut fusius *a numero* 40 explicuimus. Recolantur etiam quæ diximus *numero* 49.

Ad ultimam respondetur nihil convincere ; quia non oportet, quod omnes fidei veritates habeamus per Scripturam, saltem explicitam ; sed plures habemus per verbum Dei traditum, sive per Apostolicas traditiones, ut inductive patet in adoratione sacrarum imaginum, in Baptismo parvulorum, in Ordinibus minoribus, etc. Hujusmodi autem est veritas, quam in præsenti supponimus ; nam quod universalis Ecclesia tenet, et non habet initium in aliquo decreto Concilii, vel Pontificis, profecto Apostolica traditio est ; aliter enim nec robur, nec communem Ecclesiæ acceptationem haberet, ut optime docet D. August. *lib.* 4, *contra Donastistas*, *cap.* 24. Quod autem matrimonium ratum dissolvatur per solemnem professionem, tenet omnis Ecclesia Catholica, ut constat ex testimoniis relatis *numero* 63, quorum nullum novum jus introducit, sed omnia prædictam veritatem supponunt, ut eisdem testimoniis liquet, et late ostendit Basilius *loco cit. cap.* 5, atque ideo prædicta veritas est traditio Apostolica. Et hæreticis, quibus hæc non videntur sufficere, bene occurrit Bellarminus *ubi supra*, his verbis : *Et si adversarii ea* (Ecclesiæ scilicet testimonia) *non recipiunt, tamen cum nulla ipsi in contrarium adferant, recta ratio docet potius credendum esse tot sanctis Pontificibus, et uni generali Concilio, quam simplici inficiationi paucorum hominum.* Adde, impiorum, hæreticorum, et de sanctitate professionis religiosæ pessime judicantium.

Diruitur sexta.

D. Aug.

Bellarm.

Hac catholica suppositione, præmissa videamus jam quo jure professio solemnis matrimonium ratum dissolvat, quod est præsentis difficultatis scopus.

§ II.

Vera sententia aliquibus assertionibus explicatur.

Prima conclusio.

67. Dicendum est primo, quod vota solemnia dirimunt matrimonium ratum non ex solo jure Ecclesiastico. Ita Paludanus *in* 4, *distinct*, 27. *quæst.* 3, *art.* 3, Sotus *ibi*, *quæst.* 1, *artic.* 4, Martinus de Ledesma 2, *part.* 4, *quæst.* 55, *artic.* 2, Victoria *de potest. Papæ*, *part.* 1 *ad* 1, Petrus de Ledesma *in addit. ad* 3 *part. quæst.* 61, *art.* 2, *conclus.* 1, Sylvius *ibidem*, *in resp. ad argument.* N. Cornejo *disput.* 6, *de Matrimon. dub.* 2, *conclus.* 2, Joannes de la Cruz *quæst.* 5, *de Matrimon. dub.* 8, Candidus *de Matrimon. disquisit.* 28, *articul.* 4, *dub.* 2, *conclus.* 5, Gonet. *disput.* 5, *art.* 4, *concl.* 3, et communiter Thomistæ. Quibus adhærent Durandus *in* 4, *dist.* 27, *quæst.* 2, *num.* 8 *et* 9, Scotus *dist.* 31, *quæst.* 1, Abulens. 1. *Reg. cap.* 8, *quæst.* 98, *et quæst.* 113, Bellarminus *ubi supra*, § *Dices rursum*, Covarruvias *in* 4, *Decret.* 2 *part. cap.* 7, § 4, Decanus Lovaniensis *art.* 18, *contra hæreses*, Basilius Pontius *ubi supra*, Rebellus *part.* 2, *lib.* 3, Leander *de Matrim. disp.* 5, *quæst.* 11, et alii plures.

Paludan. Scotus. Ledesm. Martin. de Ledesm. N. Corn. Joan. à Cruce. Candid. Gonet. Durand. Scotus. Bellarm. Abulens.

Fundamentum.

Probatur, quia nullum jus humanum potest dissolvere matrimonium ratum : ergo quod professio solemnis matrimonium ratum dissolvat, non est ex solo jure ecclesiastico. Consequentia patet, et antecedens ostenditur, quia matrimonium ratum est indissolubile jure naturali, et divino : sed ea quæ jure naturali, et divino sunt indissolubilia, nequeunt dissolvi per solum jus humanum : ergo nullum humanum jus potest dissolvere matrimonium ratum. Probatur major ex verbis Christi Domini, Matthæi 19 : *Qui fecit hominem ab initio, masculum, et fœminam fecit eos, et dixit : propter hoc dimittet homo patrem, et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una.* Unde intulit ipse Salvator : *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Quæ procedunt de matrimonio rato, etsi nondum consummato ; nam priora verba prolata sunt ante copulam primorum parentum. Ergo matrimonum ratum est indissolubile jure, seu præcepto divino, ut plane docet Bonifacius VIII *in cap. unico de Voto, et voti redempt. in* 6, affirmans matrimonii vinculum ab ipso rerum conditore in Paradiso, et in statu innocentiæ indissolubilitatem accepisse. Et hinc facile ostenditur, quod si etiam indissolubile jure naturali, sive ex natura ipsius, supposita ejusdem institutione ; quia ut communiter docent Theologi, omnia præcepta, quæ Deus Adamo in Paradiso imposuit, fuerunt præcepta naturalia, excepto unico præcepto positivo de non edendo fructu ligni scientiæ boni, et mali : ergo cum matrimonium fuerit a Deo tunc institutum indissolubile, sequitur quod ex natura sua indissolubile sit. Accedit quod matrimonium ex natura sua ordinatur ad filiorum procreationem, et educationem ; sed hic finis poscit, quod matrimonium non solvatur ; aliter quippe nec filiorum legitimæ procreationi, nec rectæ eorum educationi provideretur, ut facile consideranti constabit : ergo matrimonium ex natura sua, et antecedenter ad copulam est indissolubile.

Matth. 19.

Bonif. VIII.

Et hæc procedunt vel considerato præcise matrimonio, ut est institutum in officium naturæ. Quod si consideretur, quatenus Christus illud evexit ad rationem sacramenti, majorem adhuc indissolubilitatem importat ; sicut enim elevatur in aliis muneribus, evehitur etiam in isto. Unde Apostolus in lege gratiæ promulgat 1, ad Corinth. 7 : « Præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere, etc. « Et vir uxorem non dimittat, etc. »

1 ad Cor. 7.

Effugium.

68. Nec refert si huic argumento occurras negando antecedens. Et ad probationem dicas, Summum Pontificem posse dispensare in his, quæ sunt de jure naturali, et divino. Unde admisso, quod matrimonium ratum sit utroque jure indissolubile, non infertur, quod nequeat ex Pontificia dispensatione dissolvi. Imo de facto aliqui Pontifices in matrimonio rato dispensarunt, ut referunt Covarruvias *ubi supra*, Navarrus in Summa, *cap.* 22, Suarez *tom.* 3 *de Relig. lib.* 9, *c.* 24, et alit. Hoc ergo modo potuerunt in favorem professionis solemnis disponere, quod matrimonium ratum per illam dissolvatur.

Navarr. Suarez.

Præcluditur.

Non, inquam, satisfacit hæc responsio ; nam incertum est, et speculative minus probabile, Pontificem posse dispensare in eo, quod aliquod, vel particulare matrimonium ratum dissolvatur : oppositum enim docent communiter Theologi cum Magistro *in* 4, *disp.* 27. Nec contraria exempla urgent ; quia, ut inquit Ledesma *in addition. ad* 3, *quæst.* 67, *art.* 2, *pag.* 681, ex facto Pontificum in aliquibus casibus particularibus

Ledesm.

ribus non sumitur efficax argumentum. Præsertim cum possint sequi opinionem suo judicio probabilem. Observat autem idem Author *pag.* 679, quod « usque ad « tempora Martini V, nunquam audita est « talis dispensatio, cum tamen in præteri- « ritis temporibus fuerint multa matrimo- « nia maxime odiosa. Imo post tempora « Martini V, multi Pontifices sanctissimi « non sunt ausi dispensare in matrimonio « rato. Et ita Innocentius VIII respondit « cuidam Principi, se non posse dispensare « in matrimonio rato, ut refert Panormit. « in cap. *Ex publico*, et Adrianus VI, vir « doctissimus noluit concedere talem dis- « pensationem, et similiter Pius V. »

Expenditur vis argumenti.

Sed dato, et non concesso, quod Pontifex in aliquo casu particulari valeat matrimonium ratum per suam dispensationem dissolvere, minime potest dici, quod generalis vis, qua omnis professio solemnis dissolvit matrimonium ratum, sit ex dispensatione Pontificis. *Primo*, quia licet Pontifex queat in casibus extraordinariis dispensare in his, quæ sunt de jure naturali, et divino ; nequit tamen condere generalem legem, qua illis deroget, alias posset substantialem Ecclesiæ statum mutare : indissolubilitas autem matrimonii rati est de jure naturali, et divino, ut supra ostendimus : ergo Pontifex nequit generalem legem condere, qua per professionem solemnem dissolvatur. *Secundo*, quia si hoc concederetur, pariter posset disponere, quod dissolvatur per vota simplicia constituentia statum religiosum, cujusmodi sunt quæ in Societate emittuntur ; hoc autem est inauditum. Et profecto valde credibile apparet, quod si fieri posset, dispositum jam fuisset a Gregorio XIII, in favorem illius sacri Instituti, sicut ipse novum condidit jus, quo prædicta vota dirimunt sequens matrimonium, quod ex se non habent. *Tertio*, quia si ex sola Ecclesiastica lege est, quod vota solemnia matrimonium ratum dirimant, pariter poterit Ecclesia disponere, quod non inducant talem effectum ; idque magis consonum erit matrimonii naturæ, et institutioni divinæ, ex quibus habet, quod indissolubile sit, ut supra vidimus : nemo autem concedet, quod Pontifex possit impedire transitum a matrimonio rato ad Religionem, cum prædictus transitus firmetur tot exemplis Sanctorum, tam excellentibus Patrum præconiis, et antiqua adeo traditione, sicut § præcedenti ostendimus : ergo quod solemnis professio dissolvat matrimonium ratum, non est ex sola Ecclesiastica institutione. *Quarto*, et urgentius, quia si dissolutio matrimonii rati est ex dispensatione Pontificis, oportet designare canonem, aut Concilium, in quo Pontifex id decreverit : sed hæc designari non valent : ergo. Probatur minor, quia primus Pontifex, quem invenimus hanc materiam attigisse, est Eusebius Papa et Martyr, qui Ecclesiam regebat anno 309, et cujus hoc decretum refert Gratianus *cap. Desponsatam*, 26, quæst. 2. *Desponsatam puellam non liceat parentibus alii viro tradere ; licet tamen illi monasterium, si voluerit, eligere.* In quo canone non nova aliqua lex statuitur, sed quæ in Ecclesia jam vigebat, proponitur ; id quippe denotat verbum *licet*, ut ex usu aliorum Canonum constat. Grat an.

Secunda conclusio.

69. Dicendum est secundo, professionem solemnem non dirimere matrimonium ratum jure naturæ, sive ex natura, et efficacia ipsius professionis. Sic ex Authoribus *num.* 67 relatis docent Ledesma *concl.* 2, Gonet *concl.* 1, Cornejo *concl.* 1, Sanchez, Basilius, et alii fere omnes, exceptis his, quos *num.* 74 referemus. Idem tuentur omnes, qui docent professionem solemnem dissolvere matrimonium ratum ex solo jure ecclesiastico, ut vidimus *num.* 72. Ledesm. Gonet. Cornejo Sanchez. Basil.

Fundamentum.

Probatur, quia si matrimonium ratum dissolveretur jure naturæ per professionem solemnem, non esset ex natura sua indissolubile : consequens est falsum, ut liquet ex dictis *num.* 67. Ergo matrimonium ratum non dissolvitur per professionem solemnem naturali jure, sive ex natura, et efficacia ipsius professionis. Probatur sequela, quia illud vinculum ex natura sua non est indissolubile, quod potest per aliquid aliud ex natura sua dissolvi : ergo si professio solemnis ex natura, et efficacia sua dissolvit matrimonium ratum, sequitur quod istud non sit ex natura sua indissolubile. Et declaratur exemplo ; nam si matrimonium ratum dissolveretur naturali jure, sive ex natura rei, per hæresim, aut fornicationem, non esset jure naturali indissolubile, siquidem haberet causas, per quas naturaliter dissolveretur : ergo idem dicendum est, si per professionem solemnem dissolvitur jure naturali, sive ex natura, et efficacia ipsius professionis.

Confirmatio.

Confirmatur, quia ut professio solemnis ex natura sua dissolveret matrimonium ratum, opus erat, quod inter matrimonium

ratum, et subsequentem professionem solemnem daretur aliqua oppositio ex natura utriusque, quatenus attentis eorum naturis, non possent simul in eodem subjecto conjungi : atqui talis oppositio non datur : ergo professio solemnis ex natura, et efficacia sua non dissolvit matrimonium ratum. Probatur minor, quia inter matrimonium consummatum, et sequentem professionem solemnem non datur oppositio ex natura rei, quinimo prædicta duo recte in eodem subjecto componuntur, ut patet quando conjuges post matrimonium consummatum ex mutuo consensu profitentur religionem ; non enim per professionem solemnem dissolvunt vinculum matrimonii : ergo nec inter matrimonium ratum, et perfectionem solemnem datur oppositio ex natura rei. Patet consequentia, tum a paritate ; quippe matrimonium ratum, et matrimonium consummatum sunt ejusdem speciei. Tum a fortiori ; matrimonium enim consummatum est aliquo modo majus vinculum ; quod tamen componitur cum perfecta traditione, quæ fit in professione solemni.

Tertia conclusio.

70. Dicendum est tertio, matrimonium ratum dissolvi per solemnem professionem jure divino, sive ex concessione Christi Domini, qui in favorem professionis solemnis disposuit quod matrimonium ratum per eam dissolveretur. Pro hac conclusione merito referuntur qui primam assertionem tuentur, ut vidimus *numero* 67. Nam etsi eorum aliqui doceant, matrimonium ratum dissolvi ex natura rei per professionem solemnem, nemo tamen eorum negat, quod hujusmodi professio prædictum effectum habeat etiam ex institutione Christi Domini

Fundamentum.

Probatur breviter ex hactenus dictis : quoniam professio solemnis dissolvit matrimonium ratum, ut est certum apud omnes Catholicos, et § 1 ostendimus : sed hunc effectum non habet ex jure ecclesiastico, ut constat ex prima assertione ; nec ex jure naturali, ut ex secunda liquet : ergo id habet ex jure divino, sive ex Christi Domini authoris institutione. Probatur consequentia a sufficienti partium enumeratione; nam prædictum effectum debet habere ex aliquo jure, vel ecclesiastico, vel naturali, vel divino.

Confirmatio prima.

Confirmatur primo ; nam quod professio solemnis dissolvat matrimonium ratum, est traditio Apostolica, idest derivata a Christo Domino per Apostolos ad Ecclesiam, ut constat ex dictis § 1. Ergo vis, et efficacia, quam professio solemnis habet, ut matrimonium ratum dissolvat, est a Christo Domino authore.

Secunda.

Confirmatur secundo ; nam olim in lege Mosaica libellus repudii dissolvebat vinculum matrimonii ; id autem non fiebat ex lege aliqua humana, nec ex jure naturali, sed ex dispositione divina : ergo pariter ex institutione divina est, quod in lege gratiæ professio solemnis matrimonium ratum dissolvat.

Objectio.

71. Sed oppones : Christus Dominus est Author status religiosi, ut statuimus *dub.* 2. Sed status religiosus in sua communi ratione non habet, quod matrimonium ratum dissolvat : ergo professio solemnis, qua prædictus status constituitur, non habeat dissolvere matrimonium ratum ex institutione Christi. Probatur minor, quia status religiosus potest constitui per vota simplicia, ut supra *num.* 8 statuimus : atqui vota simplicia non dissolvunt matrimonium ratum, ut liquet ex dictis *num.* 66 ; ergo status religiosus in sua communi ratione non habet, quod matrimonium ratum dissolvat.

Respondetur concedendo præmissas primi syllogismi, et negando consequentiam, quia licet Christus Dominus sit Author status religiosi, qui vel contrahitur per species, vel determinatur per diversos modos votorum simplicium, et professionis solemnis ; nihilominus privilegium dissolvendi matrimonium ratum non concessit statui religioso in ea communitate considerato, sed determinatæ speciei, vel modo status religiosi per professionem solemnem ; quia hic est status religiosus perfectissimus, alter vero non est ita perfectus, ut diximus *num.* 48, *cum seq.* Quod autem sic disposuerit, innotescit nobis ex ipsa traditione et praxi Ecclesiæ ; nam professio solemnis dissolvit matrimonium ratum, secus vero vota simplicia, ut constat ex dictis § *præced.*

Enriq.

Adde ex Enriquez *lib.* 12, *capite* 5, *numero* 3, *et in Glossa littera N*, Christum Dominum expresse, et exercite instituisse statum religiosum perfectissimum, qualis consurgit per professionem solemnem. Idque liquet primo ex ipsius verbis : *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia, quæ habes, et da pauperibus :* quibus significavit abdicationem dominii, et proprietatis, quam non important vota simplicia, etiam in sacra Societate emissa, sed sola solemnis professio.

professio. Liquet deinde ex eo, quod decebat primos illos, quos Dominus ad statum religiosum vocabat, Apostolos videlicet, esse perfectissime religiosos, quales sunt solemniter professi. Sub hoc autem gradu potuit Ecclesia, authoritate ipsius Christi, cum votis simplicibus non importantibus perfectissimam hominis traditionem, quosdam facere veros religiosos, quin prædicta vota dissolvant præcedens matrimonium ratum, sicut nec excludunt proprietatem. Idque exemplo declarat prædictus Author, ad quem Lectorem remittimus, ne in re non multum necessaria immoremur.

§ III.

Referuntur sententiæ contrariæ.

Opinio opposita. Hostiensis. Joan. Andre. Anton. de Butrio. Medina. Suarez Vasq. Lessius. Hurtado Ochaga. Perez.

72. Adversus primam, et ultimam assertionem sentiunt plures Authores, qui docent matrimonium ratum solo jure ecclesiastico dissolvi per professionem solemnem. Ita Hostiensis, Joannes Andreas, et Antonius de Butrio *in cap. Ex publico, de convers. conjug.* Medina *de continentia sacror. homin. lib* 5, *cap.* 86, Suarez *tom.* 3, *de Relig. lib.* 9, *cap.* 23, *num.* 20, Vasquez 1, 2, *disput.* 165, *cap.* 7. Lessius *lib.* 2, *c.* 41, *dub.* 8, Gaspar Hurtado *disp.* 8, *de Matrim. difficult.* 4, *num.* 17, Ochagavia *tract.* 1, *quæst.* 5, *num.* 8, Perez *disp.* 20, *sect.* 3, *num.* 10, et alii plures ex Recentioribus. Pro qua sententia, suppositis hactenus dictis in hoc Tractatu, pauca, parumque urgentia occurrunt, quæ diluamus.

Primum argumentum.

Arguitur tamen principali hujus opinionis motivo, quia professio solemnis dirimit matrimonium ratum, quatenus est votum solemne, vel ratione solemnitatis : atqui solemnitas est de jure ecclesiastico, utpote invecta ex Ecclesiæ institutione, sicut Bonifacius VIII, et Gregorius XIII diffinierunt locis *num.* 51 *et* 55, relatis : ergo quod professio solemnis dirimat matrimonium ratum, est ex solo jure ecclesiastico.

Confirmatio prima.

Confirmatur primo, quia professio solemnis, et vota simplicia constituentia religiosum statum jure divino sunt ejusdem prorsus rationis, et solum differunt penes diversos effectus, quos habent ex Ecclesiæ constitutione : sed vota simplicia constituentia statum religiosum non dissolvunt jure divino matrimonium ratum, alias istud dissolveretur per vota simplicia emissa in Societate, quod est omnino falsum, ut constat ex dictis *num.* 66. Ergo vota solemnia non dissolvunt matrimonium ratum ex jure divino, sed ex ecclesiastica constitutione.

Secunda.

Confirmatur secundo ; nam jus divinum a tempore Christi Domini mansit omnino immutatum. Sed hoc, quod est matrimonium ratum solvi per vota religionis, non mansit omnino immutatum : ergo signum est quod dissolutio matrimonii rati per vota religionis, quæcumque illa sint, non est ex jure divino. Probatur minor ex facto D. Theclæ, Alexii, et aliorum, qui fuerunt solemniter professi ; et tamen per votum continentiæ dissolverunt matrimonium ratum, quod aliter nunc in Ecclesia contingit : ergo, etc.

Tertia.

Confirmatur ultimo, quia nullum tale jus divinum extat in Evangelio, aut in alia Scriptura canonica ; ergo sine fundamento dicitur, quod professio solemnis dissolvit matrimonium ratum jure divino.

Satisfit argumento.

73. Ad argumentum respondetur recolendo doctrinam traditam *dub.* 4, et præsertim *num.* 54, ubi diximus aliud esse solemnitatem, aliud essentiam professionis, quæ ab illa denominatur solemnis. Illa est formula, ut ista legitime fiat ; quam formulam Ecclesia instituit, potestque mutare : sed professio consistit in votis omnino absolutis, et completis per traditionem perfectissimam ex parte se tradentis, et per acceptationem alicujus superioris Dei nomine acceptantis, ut loco citato fusius ostendimus. Quo supposito, negamus majorem ; quia professio quæ denominatur solemnis, non habet dissolvere matrimonium ratum ratione solemnitatis, aut denominationis passivæ ; sed per privilegium Christi concessum talis professionis essentiæ, nempe votis omnino absolutis, et traditioni omnino perfectæ, quibus homo se Deo offert, et consecrat in Religione. Et sic concesso absolute, et absque distinctione, solemnitatem votorum esse ex Ecclesiæ institutione, ut Bonifacius VIII, et Gregorius XIII pronuntiant, negamus quod professio solemnis dissolvat matrimonium ratum ex solo jure ecclesiastico. Declaraturque, et firmatur hæc responsio exemplo matrimonii; hujus enim solemnitatem, seu formulam, qua legitime fit, Ecclesia de facto instituit ; et tamen illa major indissolubilitas, quam habet matrimonium, prout a Christo Domino est elevatum ad rationem

Sacramenti, non est ex jure ecclesiastico, sed ex institutione divina.

Occurritur primæ confirmationi. Ad primam confirmationem negatur major ; oppositum enim constat ex dictis *dub.* 4, ad quod Lectorem remittimus, ne actum agamus.

Diluitur secunda. Ad secundam negamus minorem ; nunquam enim in Ecclesia auditum est, quod matrimonium ratum non dissolvatur per professionem solemnem, vel quod dissolvatur per sola vota simplicia, ut liquet ex dictis § 1. Nec minoris probatio urget, quia sine fundamento dicitur, D. Theclam, D. Alexium, et similes non fuisse religiosos perfectissime, hoc est solemniter professos ; quid enim obstat, ne dicamus fuisse religiosos eo modo, quo Apostoli religiosi fuerunt ? Præsertim cum ex natura rei ad talem statum necessarium non sit vel vivere in aliqua communitate, vel profiteri certam regulam, vel habere positivam, et expressam Ecclesiæ approbationem, ut liquet ex dictis *dub.* 3, per totum. Unde longe verosimilius est, Theclam ab Apostolo Paulo a nuptiis vocatam duxisse religiosam vitam eo perpetuitatis, et firmitatis vinculo, quo illam sectabantur Apostoli, juxta ea quæ diximus *num.* 71. Idemque de S. Alexio, et quibusdam aliis, extraordinario Spiritus sancti motione a nuptiis ad vitam religiosam attractis dicendum est.

Respondetur ad tertiam. Ultima confirmatio nihil evincit, et favet hæreticis impugnantibus sacras traditiones ; unde his, et illi respondemus, plura a Christo per Apostolos fuisse Ecclesiæ revelata, quæ non continentur in verbo Dei scripto, ut constat ex dictis *num.* 66, et negat nemo Catholicorum.

Alia opinio contraria. 74. Contra secundam nostram assertionem sentiunt Durandus, Covarruvias, Bellarminus, Soto, Paludanus, Decanus Lovaniensis, et quidam alii ex Authoribus relatis *num.* 67; sentiunt enim, quod matrimonium jure naturali, sive ex natura rei dissolvitur per professionem solemnem. Et probatur ; nam solemnis professio ex natura sua habet efficaciam ad dissolvendum matrimonium: istud ergo per illam dissolvitur jure naturali. Consequentia patet, et antecedens suadetur *primo ;* quia professio solemnis est mors spiritualis, et civilis : ergo habet efficaciam ad dissolvendum spirituale animorum vinculum, quale est matrimonium ratum ; sicut mors corporalis habet efficaciam ad dissolvendum carnale vinculum matrimonii consummati, ortum ex copula.

Motiva. *Secundo*, quia matrimonium ratum solum est contractus, non vero traditio, et possessio rei ; hæc enim fit per copulam : e contra vero in professione solemni intervenit perfecta hominis traditio, qua se Deo donat in religione : atqui subsequens rei traditio habet efficaciam ad rescindendum contractum præcedentem, in quo traditio non intercesserat, ut patet in contractu venditionis ; si enim res uni vendita alteri postea vendatur, et tradatur, prior venditio rescinditur : ergo professio solemnis ex natura sua evacuat statum minus profectum: sed per professionem solemnèm constituitur status perfectior, quam per matrimonium ratum : ergo illa habet efficaciam ad istud dissolvendum. *Tertio*, quia status perfectus evacuat ex natura sua statum minus perfectum: sed per professionem solemnem constituitur status perfectior, quam per matrimonium ratum: ergo illa habet efficaciam ad istud dissolvendum. *Quarto*, quia solemnis professsio pugnat ex natura sua cum usu, et actibus matrimonii : ergo pariter et cum ipso matrimonio ; atque ideo semel posita in rerum natura habet efficaciam, ut illud destruat. *Quinto*, et ultimo, quia professio solemnis ex natura sua habet efficaciam ad dirimendum subsequens matrimonium : ergo illam habet ad dissolvendum matrimonium præcedens ; id quippe paritatis ratio convincere videtur.

Diluitur primum. 75. Respondetur negando antecedens, ad cujus primam probationem dicendum est, in ea quidem assignari congruentiæ rationem ad hoc, quod Christus Domínus disposuerit matrimonium ratum dissolvi per professionem solemnem, ut ex D. Thom. vidimus *n.* 63. Sed prædicta ratio, seclusa voluntaria Christi dispositione, per se solam non convincit : tum quia licet ex suppositione, quod quis sit spiritualiter mortuus, sive ab omnibus mundanis alienatus, nequeat licite vivere quoad usum matrimonii; tamen posset vivere quoad vinculum, sicut apparet quando post matrimonium consummatum solemnem professionem emittit ; adest enim spiritualis professionis mors, quæ vinculum spirituale (cui accidit simul carnale) matrimonii non dissolvit. Tum, et urgentius, quia si matrimonium ratum, et professio solemnis secundum sibi propria considerentur, professio non compararetur per modum mortis ad matrimonium, sed istud potius per modum impedimenti irritantis compararetur ad illum.

D. Tho.

Res

Res enim uni tradita nequit valide alteri tradi sine consensu prioris ; per matrimonium autem homo se tradit uxori, et e converso : unde attenta natura matrimonii, non posset valide se religioni tradere, nec spiritualem professionis mortem subire. Quod ergo professio solemnis sit mors spiritualis in ordine ad dissolvendum matrimonium ratum, non habet ex suis propriis præcise consideratis, sed ex constitutione, aut dispensatione divina, ut supra explicuimus.

Solvitur secundum. Ad secundam probationem negamus majorem, quia matrimonium ratum non est mera promissio, sed etiam traditio ; copula quippe non importat primam traditionem, sed usum rei traditæ, et sub dominio existentis, alias licita non foret. Unde matrimonium ratum, quantum est ex natura sua, posset impedire ne homo ab illo resiliret tradendo se religioni, nisi Deus huic faveret illius indissolubilitatem solvendo, ut proxime dicebamus. Imo vero fieri posset, quod simul cum matrimonio rato consisteret, sicut stat cum matrimonio consummato, ut ostendimus *num.* 69

Enodatur tertium. Ad tertiam respondetur, quod major non est universaliter vera : tum quia fieri potest, quod per statum minus perfectum sit alteri jus acquisitum, et consequenter quod præcludatur via ad statum perfectiorem : qua ratione servus nequit absque consensu domini statum religiosum profiteri, ut decrevit Gelasius Papa *Epist.* 9, § *Generalis etiam querelæ*. Et hoc modo, attentis naturis rerum, matrimonium ratum, quo uxori acquiritur jus in virum, impediret istius professionem, nisi Deus dispensasset solvendo præcedens vinculum. Tum quia fieri valet, quod status minus perfectus cohæreat simul cum perfectiori ; sicut status Religiosi cum statu Episcopi, et status matrimonii consummati cum statu religionis.

Gelas.

Dissolvitur quartum. Unde etiam patet ad quartam ; nam attentis naturis rerum, matrimonium ratum impediret solemnem professionem, atque ideo et inhabilitatem, quæ professionem consequitur in ordine ad actus matrimonii. Quod si consentiente uxore, vir profiteretur, redderetur quidem illicitus matrimonii usus in ordine ad copulam, propter castitatis votum ; sed tamen perseveraret matrimonii vinculum, sicut modo contingit quando post matrimonium consummatum vir, consentiente uxore, religionem profitetur. Unde quod aliter in matrimonio rato nunc contingat, non est ex præcisa ratione naturæ professionis, sed ex dispositione, et dispensatione divina.

Ad ultimam constabit ex dicendis dubio sequenti, et præcipue *num.* 85.

DUBIUM VI.

Quo jure solemnis professio dirimat sequens matrimonium.

Suppositio. Supponit præsens difficultas, professionem solemnem non solum impedire, sed etiam dirimere sequens matrimonium, sive (et in idem redit) efficere quod sequens matrimonii contractus sit et illicitus, et nullus. Quæ suppositio est de fide ; nam Concilium Tridentinum *sess.* 24, *can.* 9, sic diffinit : « Si quis dixerit, Clericos in « sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos « posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege « ecclesiastica, vel voto, anathema sit. » Quod olim jam statuerant Alexander III, *in capite Meminimus*, et Innocentius III, *in cap. fin. qui Clerici, vel voventes*, et Bonifacius VIII, *in cap. unico, de voto in* 6. Et similia, atque antiquiora decreta reperiuntur apud Gratianum 27, *quæst.* 1. Imo vero religiosi, qui post solemne castitatis votum contrahunt matrimonium, præterquam quod graviter peccant, et nihil efficiunt, sunt ipso facto excommunicati, ut decernitur in Clementina unica de affinitate, et consanguinitate, *part.* 1, quam explicat Cajet. *in Summa, verbo Excommunicatio, cap.* 47.

Conc. Trid.

Alex. III. Innoc. III. Bonif. VIII. Gratian. Cajet.

Punctus difficultatis. Sed dubium est (præcedenti satis affine), quo jure in hoc casu dirimatur matrimonium? Consulto autem in titulo utimur illo complexo, *professio solemnis:* tum ut considerationem determinemus ad votum constituens religiosum statum, præscindendo a voto solemni sacris Ordinibus superaddito : tum ut denotemus aliquid præter votum castitatis, traditionem videlicet perfectam, sine qua professio solemnis minime consistit, quæque voce voti non sic exprimitur, sicut vocabulo professionis. His suppositis

§ I.

Vera Divi Thomæ sententia defenditur.

Prima conclusio.

76. Dicendum est primo, professionem solemnem non solo jure Ecclesiastico dirimere sequens matrimonium. Hanc assertionem docent omnes Authores *num.* 77 referendi, illamque non obscure insinuat Concilium Tridentinum canone proxime relato, ubi affirmat, Clericos constitutos in sacris Ordinibus, et Regulares solemniter professos invalide contrahere matrimonium, obstante lege Ecclesiastica, vel voto; ubi lex Ecclesiastica refertur ad Clericos, et votum ad regulares: hoc autem additamentum superfluum foret, si Regulares sola lege Ecclesiastica redderentur inhabiles ad matrimonium, sicut et Clerici; tunc quippe isti, et illi eadem, unaque lege Ecclesiastica impedirentur: sensit ergo Concilium vim professionis solemnis ad dirimendum sequens matrimonium derivari ex altiori radice.

Fundamentum ex Concil. Trident.

Ratio.

Deinde probatur ratione, quia professio solemnis ex eodem jure habet dissolvere præcedens matrimonium ratum, et dirimere sequens matrimonium: sed dissolvit præcedens matrimonium non solo jure Ecclesiastico: ergo non ex hoc præcise jure habet dirimere sequens matrimonium. Consequentia patet, et minor constat ex dictis *n.* 67. Major autem est certa apud Adversarios, qui dicunt, professionem solemnem sortiri utrumque illum effectum ratione solemnitatis.

Confirmatur.

Confirmatur, et declaratur; nam majus quid est, quod professio solemnis dissolvat præcedens matrimonium ratum, quam quod dirimat sequens matrimonium: ergo si primum illud habet non ex sola extrinseca lege Ecclesiæ sic disponentis, sed aliunde, ut loco citato statuimus, idem dicendum est de secundo effectu. Consequentia patet, et antecedens facile ostenditur: tum generali inductione, quippe difficilius est rem existentem, atque in se confirmatam destruere, quam primam ejus productionem impedire. Tum exemplo voti solemnis castitatis sacris Ordinibus adjuncti, quod dissolvit sequens matrimonium; et tamen non dissolvit matrimonium prius contractum. Majus ergo est, quod professio solemnis dissolvat matrimonium præcedens, quam quod subsequens dirimat.

Fulcitur amplius.

Ad hæc, si professio solemnis dirimit sequens matrimonium ex sola Ecclesiastica lege, oportet designare primam hujus legis existentiam: id autem fieri non valet, quippe ante omnem Pontificiam legem a temporibus Apostolorum vis hæc matrimonium dirimendi convenit professioni solemni. Quod satis expresse significatur *in cap. Si quis sacro*, 27, *quæst.* 1, ubi contrahentes post votum solemne, *verbo Domini* separantur. Et *in cap. Ne aliqua, eadem causa, et quæst.* sic contrahens vocatur *adulter Christo*. Sed quia veritas hujus assertionis a fortiori constabit ex his, quæ pro sequenti dicemus, idcirco immorari non oportet in ea magis confirmanda.

Secunda conclusio.

77. Dicendum est secundo, professionem solemnem dirimere sequens matrimonium jure naturali divino, hoc est fundato in ipsa natura solemnis professionis, ab eaque exacto. Sic docet Angelicus Præceptor *in* 4, *dist.* 38, *quæst.* 1, *artic.* 2, *quæstiunc.* 3, *et artic.* 3, *quæstiunc.* 3, *et quodlib.* 3, *artic.* 18, *et quodlib.* 10, *art.* 11 *ad* 1, *et in hac* 2, 2, *quæst.* 88, *art.* 7, 9 *et* 11, cui subscribunt Capreolus *in* 4, *distinct.* 33, *articulo* 1, *conclus.* 2 *et* 3, *et artic.* 3 *ad* 1. *Scoti contra* 2, Deza *ibidem*, *art.* 3, *notab.* 4, Turrecremata *in cap. Presbyteris, distinct.* 27, *et in cap. Sicut bonum*, 27, *quæst.* 1. Cajetanus (contra ea, quæ prius scripserat *in hac* 2, 2, *quæst.* 88, *artic.* 11), *in opusc. quæst.* 24, disputans an Papa possit dispensare cum Sacerdote Occidentalis Ecclesiæ, et Sylvester *verbo Votum* 4, *quæst.* 5, Soto *in* 4, *distinct.* 38, *quæst.* 2, *art.* 2, Petrus Soto *lect.* 5, *de Matrim.* Joannes a S. Thom. *in hac* 2, 2, *disputatione* 29, *artic.* 15 *et* 19, Gonet *de Matrim. disput.* 9, *artic.* 2, Labat *in eodem tract. disput.* 6, *dub.* 8, Ledesma *in addit. ad* 3 *part. quæst.* 53, *artic.* 2, Sylvius *ibidem*, *dub.* 2, Joannes de la Cruz *quæst.* 4 *de Matrim. artic.* 3, *dub.* 5, Candidus *disquisit.* 28, *artic.* 4, *dub.* 2, N. Cornejo *de Matrim. disput.* 7, *dub.* 9, Aragon 2, 2, *quæst.* 88, *art.* 7, et alii Thomistæ, quibus suffragantur D. Bonavent. *in* 4, *dist.* 38, *artic.* 1, *quæstione* 2, Durandus *eadem dist. quæst.* 1, *num.* 9, Thomas Sanchez, ut *num.* 87 videbimus, Henriquez *lib.* 12, *de Matrim. cap.* 5, *num.* 3, Valentia 2, 2, *disp.* 6, *q.* 6, *punct.* 5, § *Est igitur*, et § *Altero igitur modo*, et *in* 3 *part. tract. de Matrim. disputatione* 10, *quæst.* 5, *punct.* 93, Torreblanca *lib.* 2, *pract. cap.* 13, *sect.* 2, Leander *de Matrim. disp.* 12, *quæst.* 2, et alii.

D. Tho. Capreol. Scot. Deza. Turrecrem. Cajet. Sylvest. Soto. Joan. à S. Tho. Gonet. Labat. Ledesm. Joan. de la Cruz. Candid. Cornejo. Aragon. D. Bon. Durand. Sanchez. Henriq. Valent. Torrebl. Lenad.

Probatur

Ratio fundamentalis ex D. Tho.

Probatur ratione D. Thom. locis proxime relatis; quia homo per professionem solemnem se Deo perfecte tradit in religione: ergo professio solemnis ex natura sua reddit hominem inhabilem, ut se uxori tradat in matrimonio. Antecedens constat ex dictis *num.* 9 et 39, cum sequentibus. Et consequentia facile ostenditur; quia res uni perfecte tradita, et sub ejus dominio existens, nequit alteri valide donari, et in ejus dominium venire. Quod declaratur exemplo; nam ideo matrimonium ratum jure naturali divino dirimit sequens matrimonium, quia homo per primum matrimonium se tradit uxori, atque ideo inhabilis redditur, ut alii uxori se tradat per alterum matrimonium: atqui homo per professionem solemnem se Deo perfecte tradit in religione: ergo ex hoc ipso fit inhabilis jure divino naturali, ut se tradat uxori per matrimonium, et consequenter solemnis professio ex natura sua dirimit matrimonium post eam contractum.

Explicatur ulterius ex dictis *dub. præcedenti;* quia si non intervenisset privilegium Christi Domini faventis professioni solemni, sed hæc, et matrimonium ratum in sua præcise natura relinquerentur, matrimonium ratum præcedens dirimeret jure naturali sequentem professionem, quia per matrimonium ratum præcedens traderetur homo uxori, et subinde non posset se alteri tradere contra jus uxori quæsitum. Constat autem, quod homo per professionem solemnem se Deo perfecte in religione tradit, et cum ipso contrahit quasdam spirituales nuptias. Ergo professio solemnis antecedens ex natura sua reddit hominem inhabilem ad postea contrahendum matrimonium, illudque dirimit. Si enim matrimonium, ratum antecedens, quia traditio hominis est, dirimeret ex natura sua sequentem professionem solemnem sibi relictam, quare solemnis professio præcedens, cum traditio hominis sit, non dirimeret ex natura sua subsequens matrimonium?

Effugium.

78. Respondebis, quod licet professio solemnis sit aliqua hominis traditio, non tamen omnimoda, et totalis; unde ex natura sua locum relinquit, ut homo utatur facultate naturali ad contrahendum valide matrimonium. Sicut servus, sive emptitius, sive voluntarius, traditur Domino, manetque sub ejus potestate; et tamen potest matrimonium contrahere. Et similiter (quod magis accedit ad rem præsentem) in susceptione Ordinis sacri homo traditur Deo, et ad cultum ejus consecratur per solemne castitatis votum; quo non obstante, si Ecclesiastica lex non adesset, posset contrahere matrimonium.

Confutatur.

Sed contra hoc est, et explicatur amplius robur rationis D. Thomæ; quoniam res uni tradita, et sub ejus dominio existens nequit alteri tradi, nec sub eadem ratione, nec secundum rationem præcedenti traditioni, atque dominio contrariam; id quippe repugnat naturali juri consequenti traditionem, et dominium. Unde quia servus, sive emptitius, sive voluntarius, traditur Domino, et est sub ipsius potestate quoad opera, ita ut Dominus possit eo uti quantum ad omnem usum prudentem, et sibi utilem; propterea servus nequit se alteri tradere in ordine ad hæc eadem opera, nec in ordine ad aliquod aliud, quod legitimum domini jus impediat in ordine ad prædictum usum; idque ratio naturalis dictat, supposita servitutis introductione. Constat autem, quod homo per professionem solemnem traditur Deo, non utcumque, sed in ordine ad servandam omnimode castitatem, cujus perpetuum votum in ipsa professione includitur: constat etiam, quod traditio in matrimonio facta concedit uxori jus in corpus hominis ad usum professioni religiosæ contrarium. Ergo homo solemniter professus ex natura ipsius professionis redditur inhabilis ad contrahendum valide matrimonium; et consequenter prædicta professio jure naturali illud dirimit. Per quod facile diluuntur exempla in contrarium adducta; nam quod servus se tradat uxori ad usum, et finem matrimonii, non est contrarium præcedenti traditioni in ordine ad opera servilia, unde una traditio non dirimitur per aliam: quod aliter, ut diximus, contingit in professione solemni, et subsequenti matrimonio. In susceptione etiam Ordinis sacri solum fit traditio hominis ad cultum Dei, quæ ex natura rei cohæret cum alia traditione ad finem, et usum matrimonii, ut patet in Sacerdotibus veteris legis; et votum castitatis tali ordinationi superadditur ex sola extrinseca Ecclesiæ constitutione. At essentia professionis solemnis intrinsece importat traditionem hominis perfectam, factam Deo determinate in ordine ad custodiam castitatis firmatam perpetuo voto in eadem professione essentiali-

ter incluso. Unde non relinquit in homine facultatem, ut traditionem per matrimonium valide exercere possit.

Alia evasio. Suar.

79. Respondebis secundo ex doctrina Suarii *tom.* 3, *de Relig. lib.* 2, *cap.* 8, *num.* 9, jus contrahendi matrimonium non tam esse individui, quam totius naturæ, cum ordinetur ad conservationem totius speciei. Et ideo licet homo queat pro sua voluntate matrimonium non contrahere, nec illo uti, idque solemni voto firmare; nihilominus non valet facultatem contrahendi matrimonium a se penitus excludere sine authoritate publicæ potestatis. Hæc autem est penes Ecclesiam, præsertim supposita elevatione matrimonii ad rationem Sacramenti. Unde inhabilitas hominis solemniter professi ad contrahendum matrimonium non est ex natura ipsius professionis, sive ex jure in ea fundato; sed provenit ex dispositione, sive statuto Ecclesiæ.

Præcluditur.

Cæterum hæc responsio facile corruit; fatemur equidem, quod si Ecclesia nollet acceptare perfectam hominis traditionem Deo in religione factam, prædicta traditio, et professio minime subsisterent, neque effectum dirimendi sequens matrimonium haberent. Sed dicimus, quod supposita prædicta acceptatione (ad quam ex natura rei non requiritur positiva, et explicita approbatio Ecclesiæ, sed sufficit negativa, sive non reprobatio, juxta superius dicta *n.* 24), ipsa professio solemnis ex suis intrinsecis habet dirimere sequens matrimonium, licet alia adventitia, et ulterior Ecclesiæ dispositio non superaddatur. Unde exclusa etiam omni lege Ecclesiastica (quæ tamen essentiam prædictæ traditionis perfectæ in rerum natura relinqueret), adhuc professio solemnis haberet ex natura sua vim ad dirimendum matrimonium, ob rationem superius traditam. Id vero, quod in hac responsione dicitur de facultate ablegandi a se potestatem absolutam ad contrahendum matrimonium, nullius roboris est. Tum quia, si convinceret, eodem modo probaret hominem non posse privare seipsum facultate ad licite contrahendum; quod tamen est omnino falsum, et contra fidem: nam hæc docet eum, qui votum castitatis vel simplex emisit, peccare si matrimonium contrahat. Tum etiam, quia consideratio prædictæ responsioni inserta procedit ex principiis pure naturalibus, juxta quæ forsan non oporteret consulere omnimodam castitatem, sed magis vacare speciei conservationi, et augmento; quod ultronei arripiunt hæretici, ut votum perpetuæ castitatis impugnent. Sed fides, quæ in altiorem, et supernaturalem finem collimat, altius quid docet, expedire videlicet in ordine ad prædictum finem, quod quis voto castitatis perpetuæ se castret propter regnum cœlorum; idque præstat homo excludendo a se potestatem contrahendi matrimonium, et se Deo tradendo perfecte ad servandam castitatem. Tum denique, et ad hominem contra Suarium, quia si ut ipse vult, potestas hæc dirimendi matrimonium per sequentem professionem convenit Ecclesiæ ex Dei concessione (nec enim pure naturalis, aut civilis, sed supernaturalis est), cur non ipse Deus, et homo Christus Jesus Author religiosi status non concessit hanc vim perfectæ omnino traditioni in religione, sive professioni solemni? Profecto potuit, et fecit utique consulendo statum religiosum, et collaudando eunuchos spirituales; hi quippe, si omnino perfecte tales sint, privant se non solum actuali matrimonii usu, et non solum facultate illud licite contrahendi, sed etiam potestate absoluta, ut sic habeant majorem similitudinem cum eunuchis, qui vel tales nati sunt, vel tales facti sunt ab hominibus. Unde professio solemnis secundum sua intrinseca, supposita Christi approbatione, et institutione, habet dirimere sequens matrimonium independenter ab alia Ecclesiastica lege superaddita, et sibi de novo convenienti.

Confirmatio

80. Confirmatur ratio superius facta ex hactenus dictis; quoniam ita comparatur solemnis professio ad sequens matrimonium, sicut comparatur votum simplex castitatis ad sequentia sponsalia: sed hæc jure divino naturali dirimuntur per votum simplex castitatis antecedens: ergo illud etiam jure divino naturali dirimitur per solemnem professionem antecedentem. Consequentia patet a paritate. Et minor est certa; nam cum supposito voto simplici castitatis, nequeat homo licite contrahere matrimonium, ex hoc ipso redditur inhabilis ad promittendum matrimonium futurum; nemo quippe potest promittere, et se obligare ad rem sibi illicitam; sponsalia autem sunt promissio futuri matrimonii. Præsertim cum facta collatione inter duas promissiones, prior, et facta Deo debeat prævalere contra secundam creaturæ factam. Et ita docet D. Thom. *in addit. ad* 3 D. Th *part.*

part. quæst. 53, *art.* 1 *ad* 1. Major autem ex sola terminorum explicatione facile constat; etenim votum simplex, et sponsalia ex una parte conveniunt in ratione promissionis; et ex alia parte professio solemnis, et matrimonium conveniunt in ratione traditionis : ergo traditio facta per professionem solemnem ita comparatur ad traditionem sequentem per matrimonium, sicut promissio facta per votum simplex castitatis comparatur ad promissionem factam per sponsalia.

Objectio. 81. Sed objicies : nam si professio solemnis, quia traditio perfecta est, pugnat ex natura sua cum traditione sequentis matrimonii, illudque propterea dirimit, sequitur quod etiamsi illa traditio fiat absque speciali castitatis voto, dirimat matrimonium : consequens est falsum : ergo ratio Divi Thomæ, quam hactenus expendimus, non convincit. Minor, seu falsitas consequentis facile apparet, quia prædicta vis dirimendi matrimonium non convenit cuilibet professioni, sed soli professioni constituenti statum religiosum : atqui traditio facta sine speciali castitatis voto, non constitueret religiosum statum, cum ad istum tria vota substantialia necessaria sint, ut docent communiter Theologi, et supra statuimus *num.* 6. Ergo traditio facta absque speciali castitatis voto non dirimet sequens matrimonium. Sequela autem ostenditur : nam si traditio perfecta pugnat cum sequenti matrimonio, et illud dirimit, ideo erit, quia per illam homo privat se sui dominio, illudque transfert in Deum, aut religionem : constat autem ad hujusmodi abdicationem, et dominii translationem non requiri votum, sed sufficere voluntatem se tradendi; hæc quippe si prodeat in actum externæ traditionis, et a donatario acceptetur, sufficiens est ad transferendum dominium, ut in aliis donationibus liquet : ergo si professio solemnis, quia traditio perfecta est, dirimit sequens matrimonium, sequitur quod licet absque speciali castitatis voto fiat, habeat eundem effectum.

Diluitur. Respondetur negando sequelam, et suppositum illius, nempe quod possit dari traditio perfecta absque speciali castitatis voto; fieri enim non potest, quod quis se perfecte omnino tradat ad cultum Dei sine obligatione perpetua ad tria specialia consilia, obedientiæ, castitatis, et paupertatis, ut supra *n.* 5 *et* 6, ex communi Patrum, et Theologorum sententia statuimus. Porro obligatio ad perpetuo servandam castitatem provenit ex voto illius, vel explicito, vel implicito (quæ differentia parum, aut nihil refert), unde fieri non valet, quod homo se Deo perfecte tradat, quin traditio hæc speciale castitatis votum includat. Et hinc facile constat ad sequelæ probationem, quia traditio dirimens matrimonium debet esse omnino perfecta, et in ordine ad servandam perpetuo castitatem; atterius quippe rationis traditio, et in ordine ad alium finem non pugnat cum matrimonio, ut patet in servo, qui cum traditus sit, et constitutus sub domini potestate, valide tamen matrimonium contrahit, ut diximus *num.* 78. Obligatio autem servandi perpetuo castitatem necessario claudit explicitum, vel implicitum illius votum. Unde conditionalis illa, *Si homo se perfecte Deo traderet, et ab illo acceptaretur absque voto speciali castitatis, etc.*, complicatoria est, et se destruens.

Adde, traditionem non esse perfectam, nec transferre dominium, nisi acceptetur, ut etiam in humanis contingit. Christus autem Dominus Author status religiosi non acceptat, nec Ecclesiæ dedit potestatem acceptandi traditionem aliter factam, quam emissione trium votorum substantialium. Unde si traditio fieret absque hujusmodi votis, non haberet vim dirimendi matrimonium, quippe quæ sine illis facta nec perfecta esset, nec efficaciter transferret dominium. Et ita de facto contingit. An autem possit Deus aliter disponere statuendo, quod traditio utcumque facta, et non acceptata, dirimeret sequens matrimonium, difficultas est diversa, et hic non necessaria. Ad quam affirmative respondendum est : sed tunc traditio non dirimeret matrimonium jure divino naturali, hoc est fundato in natura ipsius traditionis, id enim ipsa non exigeret; sed jure divino positivo, quo Deus supra traditionis exigentiam disponeret per eam dirimi subsequens matrimonium, sicut *dub. præced.* explicuimus, quod solemnis professio matrimonium ratum dissolvit.

§ II.

Satisfit argumentis opinionis adversæ.

Sententia opposita. 82. Professionem solemnem dirimere subsequens matrimonium, non jure naturali, aut divino, sed sola constitutione Ecclesiastica, docent Altisiodorensis *lib.* 3 Altisiod.

Scot. Palud. Gabr. Gerson. Henric. Azor. Basil. Pesant. Less. Suarez Bonacin. Villalob. Perez.

Summæ, tract. 28, *cap.* 2, *quæst.* 3, Scotus *in* 4, *dist.* 38, *quæst. unica*, ubi Paludanus *quæstione* 4, *artic.* 2, Supplementum Gabr. *art.* 2, Gerson *tract. de Matrim.* 1 *part. Alphabet. lib. I*, Henricus *quodlib.* 5, *quæst.* 28 *et* 38, Azor. *tom.* 1, *lib.* 12, *cap.* 6, *quæstione* 1, *cum sequent.* Basilius Pontius *lib.* 7 *de Matrim. cap.* 22, *num.* 4, et *in lib. variar. quæst.* 3, *scholastica, cap.* 4 *et* 5, Pesantius *in addit. ad* 3 *part. quæst.* 53, *disput.* 1, Lessius *lib.* 2, *cap.* 40, *dubit.* 19, Suarez *tom.* 3 *de Relig. lib.* 2, *cap.* 10, Bonacina *de Matrimon. quæstione* 3, *punct.* 4, Villalobos *tractat.* 14, *difficult.* 7, Perez *disputat.* 26, *sect.* 6, et alii plures.

Primum argumentum.

Pro qua sententia arguitur primo : quia professio solemnis dirimit matrimonium, quatenus solemnis est : sed solemnitas professionis solo jure Ecclesiastico inventa est, ut Bonifacius VIII, et Gregorius XIII, sæpius allegati diffinierunt : ergo vis dirimendi sequens matrimonium convenit professioni solemni ex solo jure Ecclesiastico.

Confirmatio.

Confirmatur, quia solemnitas voti consistit in vi dirimendi sequens matrimonium : ergo si solemnitas solo jure Ecclesiastico inventa est, sequitur quod eo tantum jure professio solemnis dirimat matrimonium.

Satisfit argumento.

Respondetur argumento majorem solum verificari, si ly *quatenus solemnis*, reduplicet essentiam professionis consistentem in perfecta traditione, et votis omnino perpetuis, et absolutis, quæque de facto *solemnis* denominatur a legitima formula, qua fit, per Ecclesiam introducta; hujusmodi enim professionis essentia vi sua dirimit sequens matrimonium. Secus vero, si ly *solemnis*, reduplicet formulam ab Ecclesia de facto præscriptam, sub qua professio fieri debet; hæc enim formula non est ratio formalis dirimendi matrimonium, sed conditio, ut professio legitime fiat, et in rerum natura constituatur. Quo supposito, ipsa professio per suam essentiam, sive intrinseca prædicata habet matrimonium dirimere. Et deinde concessa minori, negamus consequentiam absolute.

Diluitur confirmatio.

Ad confirmationem negamus antecedens, quia nec vis professionis solemnis est solemnitas, nec solemnitas professionis in hujusmodi vi consistit, sed solemnitas est conditio requisita ad existentiam talis professionis; importat enim formulam legitimam, secundum quam professio fieri debet; et ea supposita, consequitur, aut quasi consequitur ad talis professionis essentiam, quod habet matrimonium dirimere. Et hujus responsionis terminos, et doctrinam in ea inclusam superius jam exposuimus *num.* 52, *cum seqq.* et *n.* 73, quæ loca recolat Lector, ne in eisdem explicandis actum agamus. Videantur etiam Ledesma *ubi supra, in resp. ad* 1 *et* 3, et Gonet *in resp. ad* 3, *et ad ultimum*, qui licet huic argumento aliter, aut aliis vocibus satisfaciant, nonnullis tamen objectionibus, quæ adversus nostram responsionem fieri possent, recte occurrunt, et declarant quæ fuerit illorum Pontificum sententia. Ledes Gone

83. Arguitur secundo : quia si ob aliquam rationem votum solemne religionis, seu professio dirimeret ex natura sua matrimonium, maxime quia importat hominis traditionem factam Deo in religione : sed hæc ratio est nulla : ergo professio, sive solemne religionis votum non dirimit ex natura sua matrimonium, sed solo jure Ecclesiastico. Major constat ex dictis § *præced.* Minor autem ostenditur : tum quia votum, licet solemne sit, solum est promissio : ergo votum solemne non habet matrimonium dirimere ex eo, quod traditio sit. Tum etiam, quia emittentes simplicia vota in Societate se tradunt Deo, et religioni, ut declaravit Gregorius XIII *in Extravag. Ascendente Domino*, aliter quippe religiosi vere non essent, ut idem Gregor. diffinit; et tamen eorum vota, adjuncta etiam traditione, non habent ex natura sua dirimere matrimonium, nec illud ante Gregorianam constitutionem dirimebant : ergo ex eo, quod professio solemnis traditionem importet, non sequitur quod ex natura sua possit subsequens matrimonium dirimere. Secundum argumentum Greg. XIII.

Confirmatur, quia omnia vota absoluta, et perpetua castitatis sunt ejusdem speciei, cum respiciant idem objectum, et sub eodem motivo, sive sit votum simplex, sive votum solemne sacris Ordinibus annexum : sed certum est, quod alia vota non dirimunt ex natura rei sequens matrimonium : ergo idem dicere oportet de voto solemni religionis. Confirmatio

Respondetur argumento concedendo sequelam intellectam de traditione perfectissima cum votis trium consiliorum, qualem solemnis professio importat; et negando in eodem sensu minorem : hujusmodi quippe traditio ex natura sua reddit hominem inhabilem, ut se ulterius uxori tradat ad usum matrimonii. Prima autem minoris Occurritur argumento

ris probatio non urget, sed ex æquivocatione procedit, quia modo non loquimur de voto solemni, ut præcise votum est, nec illi sic præcisive considerato vim dirimendi matrimonium attribuimus ; sed loquimur de voto solemni, ut est votum solemne religionis : quo pacto non importat solam promissionem, sed etiam perfectissimam traditionem, et utrumque vividius significatur per vocem, *solemnis professio*, qua potius ob hanc rationem, quam voce *votum solemne*, in his dubiis communiter utimur. Recolantur superius dicta *a num.* 4.

Ad secundam probationem negamus consequentiam, quia traditio, quam emittentes simplicia vota in Societate faciunt, non est perfectissima, sed limitata, et conditionata, ut diximus *loc. cit.* et *n.* 66. Unde ex natura rei non reddit sic voventes inhabiles ad contrahendum matrimonium ; sed quod de facto illud dirimat, provenit ex novo jure Ecclesiastico per Constitutionem Gregorii XIII sæpe allegatam. Videantur quæ diximus *num.* 41.

issol-
vitur
nfir-
atio.

Ad confirmationem, omittendo præmissas, negamus consequentiam ; quia etsi omnia perpetua castitatis vota sint ejusdem speciei in ratione voti præcisive considerata (quod difficultati permittimus) ; nihilominus possunt differre, et de facto differunt penes modos differentis perfectionis sibi intrinsecos, et secundum hos diversos modos possunt ex natura rei sortiri diversos effectus, ut declaravimus *a num.* 48. Nam votum simplex solum est promissio, non vero traditio ; et si fuerit votum simplex constituens statum religiosum, ut in Societate accidit, non importat omnimodam traditionem, sed limitatam, et conditionatam : quocirca sicut secum permittit, ac retinet proprietatem, seu dominium directum rerum temporalium, ita et potestatem absolutam, et proximam contrahendi ; et quod de facto dirimat matrimonium, solum est ex Ecclesiæ favore sibi supra propriam exigentiam accidentaliter superaddito, ut constat ex dictis *a num.* 40. Votum etiam solemne castitatis sacris Ordinibus annexum nec convenit necessario ordinatorum statui, posset quippe eorum proprius status sine tali voto consistere ; nec importat omnimodam eorum traditionem, cum retineant dominium : quocirca, quantum est de se, non dirimeret matrimonium, nisi Ecclesia sic ordinatos, et voventes redderet inhabiles ad contrahendum. Cæterum in solemni religionis voto, sive in professione religiosi status, non solum datur votum, seu promissio castitatis, sed etiam intervenit hominis traditio, eaque perfectissima, et absolutissima, atque eodem modo a Deo per Ecclesiam, sive visibilem superiorem acceptata ; et utrumque (nempe promissio castitatis, et traditio hominis ita absolutæ, et perfectæ), convenit essentialiter professorum statui ; quidquid enim horum auferatur, jam destruitur conceptus professionis, et solum relinquitur emissio quædam inferior votorum, qualem in Societate faciunt voventes post biennium, et non sunt absolute professi, licet religiosi sint, ut constat ex dictis *num.* 42. Hic ergo major, et intrinsecus perfectionis modus repertus in professione, seu solemnibus religionis votis sufficiens est, ut talis professio ex propriis, et sibi intrinsecis habeat vim dirimendi sequens matrimonium, ut § *præcedenti* ostendimus, licet prædicta professio in conceptu specifico voti conveniat cum aliis votis. Nam eadem species cum diversis modis intrinsecis potest habere ex natura rei diversos effectus, ut exemplis explicuimus *num.* 49. Quibus alia addimus : etenim fœmina, et vir sunt ejusdem speciei ; et tamen vir ob majorem intra eandem speciem perfectionem potest esse principium activum generationis, quod fœminæ non competit. Lux etiam existens in sole, et lux in aere existens specie conveniunt : et nihilominus certum est, quod habent differentes modos, et effectus. Sic ergo in proposito ad confirmationem dicendum est.

84. Sed replicabis ; nam sicut homo potest per actum exteriorem se tradere Deo cum voto castitatis, ita potest se tradere, et in ejus speciale dominium venire per actum pure interiorem. Sed traditio hoc posteriori modo facta non dirimit ex natura sua matrimonium : ergo nec dirimit, licet fiat priori modo, et consequenter professio solemnis in tali traditione consistens non habet ex propriis, et intrinsecis talem effectum, sed ex sola Ecclesiastica institutione. Utraque consequentia recte infertur ex præmissis : et minor est certa, quia traditio, et promissio pure interiores remanent in ratione voti simplicis ; ubi enim fiunt absque formula, sive solemnitate extrinseca (quam Ecclesia invenit, ut docent Bonifacius VIII, et Gregorius XIII, sæpius relati), nequeunt dici professio, aut votum solemne.

Replica.

ut ex se liquet: votum autem simplex ex natura sua non dirimit sequens matrimonium. Major autem probatur; nam quod homo se Deo tradat, et consecret hoc aut illo modo, pendet ex ejus arbitrio; Deus vero potest eodem modo acceptare prædictam traditionem, sive fiat per actum exteriorem, sive per actum pure internum; et sive traditio fiat immediate ipsi Deo, sive fiat mediante Ecclesia, vel Religione, hæc quippe diversitas nihil facit ad veram traditionem, et specialem dominii translationem, atque ad veram ejus acceptationem: ergo sicut homo potest se Deo tradere per actus exteriores, ita etiam potest per actus internos.

Et urgetur; nam si homo potest immediate Deo vovere et Deus potest immediate votum acceptare; quare homo non poterit se immediate tradere, et ab ipso acceptari, in ejusque speciale dominium venire, licet nulla exterior solemnitas nullaque acceptatio Ecclesiæ interveniat?

Respon-sio. Ad hanc replicam (quæ est motivum Scoti ubi supra contra fundamentum D. Thomæ), respondetur negando majorem, quia traditio, seu donatio non transfert efficaciter dominium in donatarium, nisi ab eo acceptetur; est enim quidam contractus, qui proinde absque mutuo donantis, et donatarii consensu non perficitur: Deus autem hujusmodi donationes non acceptat, nisi per suos ministros visibiles; et ideo nequit fieri traditio hominis, de qua agimus, quin Ecclesia, aut aliquis visibilis superior illam acceptet. Porro Deum ita se gerere, constat: tum quia Deus non suscipit peculiarem curam gubernandi aliquam personam; quod tamen faceret si acceptaret traditionem hominis sibi immediate factam, sicut eam de facto suscipit superior religionis. Tum quia Deus nec indiget, nec utitur immediate his rebus exterioribus absque interventu causarum secundarum: unde donationem hominis, quæ sibi immediate fieret, ut otiosam, aut vanam repudiaret. Tum denique, nam si quis vellet transfere immediate in Deum vineam suam, triticum, aut alias res exteriores, absque interventu ministrorum Ecclesiæ, qui bona Dei administrant, nihil ageret, nec talia sub speciali Dei dominio constitueret; alioquin prædicta bona nullius essent, nec in talium ablatione furtum committeretur, quæ sunt omnino absurda: eadem autem proportionalis ratio est de donatione sui ipsius absque ulla visibili Ecclesiæ, vel superioris acceptatione. Unde fieri non valet, quod homo per actus pure internos se Deo efficaciter tradat, et sui in eum transferat speciale dominium. Per quod satis patet ad majoris probationem. Augmentum vero difficultatis non urget ob manifestam disparitatem; nam votum solum est promissio Deo facta, quæ eo ipso, quod illi placeat, habet proprium effectum, nempe obligare promittentem ad faciendum quod promisit, quin Deus ex tali promissione habeat novum, aut speciale jus in re, licet obligare possit promittentem, ut votum adimpleat. Traditio vero, aut donatio, si vere talis, et efficax est, transfert actu dominium rei in donatarium, constituendo illam sub speciali ipsius regimine; cumque Deus hanc specialem regendi hominem curam non subeat, sed visibili Ecclesiæ regimine utatur, nequit homo se Deo tradere, nec ab illo acceptari, nisi mediante Ecclesia aut alio legitimo, et visibili superiore. Videantur Sanchez *lib.* 7, *de Matrimon. disput.* 25, *num.* 13, et Suarez *tom.* 3, *de Religion. lib.* 2, *cap.* 4, qui hanc communem Theologorum doctrinam, et responsionem fusius confirmant.

Sanc Sua

Addimus, quod licet prædicta objectio convinceret non repugnare hujusmodi traditionem per actus pure interiores (qua suppositione admissa, consequenter dicendum esset hominem per eos fieri perfectissime religiosum, et inhabilem ad matrimonium contrahendum): nihilominus de facto, et secundum præsentem providentiam rerum naturis magis connaturalem, qua Christus Dominus instituit statum religiosum, aliter omnino contingit: neque enim Deus hominem acceptat ad prædictum statum, nisi obedientiam alicui superiori promittat, in eoque, aut eo mediante se tradat ipsi Deo, et acceptetur ab illo. Idque plane constat ex ipsa praxi, et communi Ecclesiæ sensu, quin aliud judicium, aliamve rationem opus sit investigare, et adjicere.

A Sól

85. Arguitur tertio, quia vinculum solemnis professionis, et vinculum matrimonii non habent inter se repugnantiam, sed sunt compossibilia: ergo solemnis professio ex natura sua non repugnat matrimonio, nec illud dirimit, sed id præstat ex sola constitutione ecclesiastica. Consequentia patet, et antecedens probatur, tum ex dictis *dub. præced.* ubi statuimus, quod professio solemnis non dissolvit naturali jure

Ter a me

matrimonium

matrimonium ratum præcedens ; quod necessario faceret, si haberet repugnantiam, aut incompossibilitatem cum illo. Tum ex communi, et certa sententia ; nam conjuges post matrimonium consummatum possunt ex communi consensu solemnem professionem emittere, et constitui vere, et proprie in statu religionis, retento vinculo matrimonii : quod satis evincere videtur, vincula matrimonii, et professionis nullam inter se repugnantiam habere.

onfir-atio. Confirmatur, quia si professio solemnis naturali jure repugnaret matrimonio, illudque dirimeret, in nullo eventu liceret religiosis matrimonium contrahere : atqui potest esse non solum licitum, sed etiam debitum, quod matrimonium contrahant, et generationi incumbant : ergo professio solemnis non pugnat naturali jure cum matrimonio. Probatur minor ; nam si species humana ad eas angustias redigeretur, ut in mundo solum remanerent Monachi, et Sanctimoniales, deberent matrimonia contrahere, et procurare prolem ; individua quippe humanæ naturæ tenerentur ad eam sic conservandam, ubi aliter ipsi subveniri non posset.

Satisfit argu-mento Respondetur argumento distinguendo, et explicando antecedens ; et si sermo, aut comparatio fit inter matrimonium antecedens, et subsequentem professionem, admittendum est ; negari vero debet, si fiat comparatio inter professionem antecedentem, et subsequens matrimonium. Nam sicut impotentia, quæ matrimonium præcedit, illud dirimit ; impotentia vero, quæ post matrimonium succedit, illud non dissolvit : ita proportionabiliter professio solemnis dirimit subsequens matrimonium, sed non dissolvit ex natura sua matrimonium antecedens. Et ratio disparitatis est, nam contrahens matrimonium tradit corpus uxori, obligando se ad reddendum debitum, et ad simul cohabitandum ; qui autem supponitur solemniter professus, sive Deo perfecte traditus ad caste vivendum, nequit illam traditionem facere, nec talem intentionem habere ; atque ideo nequit valide contrahere, et jus Deo acquisitum auferre : et consequenter fieri non valet, quod vinculum præcedentis professionis cohæreat cum vinculo subsequentis matrimonii. Cæterum ubi matrimonium supponitur ratum, aut etiam consummatum, fieri potest quod unus conjugum ob crimen adulterii amittat jus exigendi debitum, vel quod ambo ex communi sensu cedant juri illud petendi, et simul cohabitandi ; in quo eventu nihil est, quod impediat, ut ex pari etiam consensu vitam religiosam solemniter profiteantur ; et per consequens fieri valet, quod vinculum matrimonii antecedentis componatur cum vinculo subsequentis professionis. Idemque proportionabiliter accidit in exemplo proxime allato impotentiæ comparatæ matrimonio antecedenti, et subsequenti, ut facile consideranti constabit. Probationes autem antecedentis hanc tantum partem, quam concedimus, evincunt ; nam in eis fit comparatio professionis ad matrimonium antecedens, quod contractum, et ratum jam supponitur. Per quod etiam patet ad difficultatem quam *n.* 75 solvendam hoc loco reliquimus.

Diruitur confir-matio. Ad confirmationem concedimus sequelam, si sermo fiat secundum præsentem, et connaturalem rebus providentiam, et Deus non dispenset in vinculo professionis, in quo sensu negamus minorem. Ad cujus probationem desumptam ex eventu adeo metaphysico, potest admitti, quod in tali casu tenerentur solemniter professi contrahere matrimonium, et gignendæ proli incumbere ; sed hoc ideo esset, quia Deus per prius dispensaret in votis solemnibus præcedentibus, vel ea irritaret ; constaretque illis religiosis talis dispensatio, vel irritatio ex eisdem angustiis, ad quas Deum redigere naturam humanam cernerent. Unde non infertur, quod solemnis professio præcedens, et perdurans queat cum sequenti matrimonio componi ; sed infertur, quod possit, Deo sic disponente, cessare, et matrimonium non impedire.

Vel potest secundo, et forsan melius, responderi negando, quod in eo eventu deberent, aut possent solemniter professi contrahere, et dare operam generationi ; nam sicut qui totam suam substantiam dedit pauperibus, non tenetur, nec potest in casu extrenæ necessitatis eis subvenire, supponitur enim nihil habere, per quod subveniat : ita qui se Deo perfecte tradidit per solemnem professionem, non obligatur, nec potest in casu extremæ necessitatis speciei humanæ illi per generationem succurrere ; quippe qui supponitur non esse suus, sed Dei potius, mundo mortuus, et spiritualis ennuchus. Quam responsionem tuentur Durandus, et Paludanus *in* 4, *distinct.* 36, *quæst.* 2, et Ledesma *in addit. ad* 3 *part. quæst.* 41, *artic.* 2, *dub. unic. in resp.* ad 9. Durand. Palud. Ledesm.

Bellarm. In eamque inclinat Bellarminus *lib.* 2 *de Monachis*, cap. 32, ubi aliam affert rationem his verbis : « Ex quo intelligimus, « non esse certam opinionem eorum, qui « dicunt, si soli essent in mundo Monachi, « et Sanctimoniales, debere eos conjungi « matrimonio ad speciem conservandam ; « possent enim ejusmodi credere mundi « finem adesse, ac proinde non tenerentur « votum violare, ut speciem propaga- « rent. » Per quod solvitur motivum priori responsioni insertum. Quamvis, ut verum dicamus, nec istud Bellarmini motivum, quo jam Durandus, efficax sit ; quia adhuc in illo eventu non valerent homines certo judicare, quod instaret mundi finis ; de illo quippe die nemo scit, neque filius hominis ad revelandum ; possentque proinde dubitare, an prædestinatorum numerus (quem tempora expectant), foret completus, an per ipsos complendus.

Quartum argumentum. 86. Arguitur quarto, quia in antiquis Ecclesiæ temporibus votum solemne Religionis non dirimebat sequens matrimonium : ergo signum est, quod illud non dirimit jure naturali divino, sed solum ecclesiastico post antiquiora illa tempora introducto. Consequentia est manifesta, et antecedens ostenditur ; nam priscis illis temporibus Monachi contrahentes matrimonium excommunicabantur quidem, sed

Concil. Chalced. non separabantur, ut constat ex Concil. Chalcedonensi, *act.* 15, *can.* 16, ubi dicitur : « Virginem, quæ se Deo consecravit, « similiter et Monachum non licet nuptia- « lia jura contrahere ; quod si hoc inventi « perpetrantes, excommunicantur. » Et paria decernunt Concil. Ancyranum *can.* 10, et Neocæsareense *can.* 1. Ergo antiquis temporibus licet matrimonia solemniter professorum fuissent illicita, tamen non erant nulla.

Dissolvitur. Respondetur negando antecedens ; oppositum enim satis constat ex testimoniis al-

D. Basil. legatis *n.* 76, quibus addimus D. Basilium *in epist.* 1, *ad Amphilochium*, ubi ait : *Canonicorum* (hoc est, Religiosorum) *fornicatio pro matrimonio non reputetur, sed eorum conjunctio omnino divellatur.* Et D.

D. Chrys. Chrysostom. *epist.* 6, *ad Theodorum lapsum*, ubi inquit : « Honorabiles nuptiæ, sed te « jam servare non convenit privilegia « nuptiarum, quamvis frequenter hoc ip- « sum nuptias voces. Ego tamen adulterio

Concil. Turone. « illud pejus existimo. » Et Concil. Turonense II, ante mille annos celebratum, *cap.* 16, ubi statuit : « Si qui in monaste- « rio conversi sunt, nullatenus exinde ha- « beant licentiam vagandi, nec (quod ab- « sit) ullus eorum conjugem ducere ; et si « uxorem duxerit, excommunicetur, et « uxoris male sociatæ consortio, etiam ju- « dicis auxilio separetur. » Antecedentis vero probatio nihil evincit, quia continet argumentum pure negativum ; siquidem testimonium Concilii Chalcedonensis, quod allegat, docet quidem Regulares contrahentes excommunicandos fore ; sed non negat, quod sint etiam separandi, sicut neque affirmat, quod eorum matrimonia sint valida. Unde prædictum silentium nihil contra nostram sententiam probat, quæ aliunde habet testimonia sibi positive faventia. Alia autem duo Concilia, quæ referuntur, non sunt ad rem ; quia non agunt de Religiosis, sed de Sacerdotibus, ut ex eorum lectione constat ; sicut et quod alia sit ratio professionis religiosæ, et alia voti solemnis sacræ ordinationi adjuncti, ut vidimus *numero* 83.

Quin arg ment Arguitur ultimo ; nam si professio solemnis jure naturali dirimeret matrimonium, non posset Papa dispensare cum solemniter professo, ut matrimonium contraheret : consequens est falsum, siquidem Papa circa hoc non semel de facto dispensavit : ergo, etc.

Solut Respondetur concedendo sequelam, si sermo sit de dispensatione, ut solemniter professus conservans statum solemniter professi ducat uxorem ; est enim talis status inconjungibilis ex natura rei cum sequenti matrimonio, ut supra vidimus : quod sufficit, ut solemnis professio naturali jure illud dirimat. Sed uberior hujus difficultatis discussio petit speciale dubium, et fiet in sequenti.

§ III.

Observatio appendix ad tria dubia præcedentia.

Qua sent lian tenue Thom Sanc 87. Thomas Sanchez scriptor gravis est, et in rebus moralibus habens non contemnendam authoritatem : unde oportet scire, in qua fuerit opinione circa præcedentia dubia, in quibus essentiam, atque effectus professionis solemnis expendimus. Suarez enim locis supra relatis, et qui eum sequuntur, illum pro se referunt contra nos ; et quidem merito, si ad quædam verba

verba ejus operibus assuta attendatur. Sed quod Sanchez cum Thomistis in hac parte senserit, et quod contraria opinio ejus libris inserta fuerit arte, aut malitia vel typographi, vel alicujus alterius correctoris veritati Thomisticæ prave affecti, ex eisdem libris evidenter, ut credimus, ostendi potest. Quod hic breviter præstare curabimus.

Igitur prædictus Author *lib. 7 de Matrimon. disp.* 25, inquit : « Quæ sit differen-« tia essentialis inter votum simplex, et « solemne professionis, et in quo solemni-« tas illa consistat ? » Et summarium disputationis sic habet :

Refertur duplex sententia, n. 1 et 2.
In quo consistat solemnitas voti juxta secundam sententiam, n. 3.

In hoc autem numero sic habet : « Se-« cunda sententia ait, votum solemne, et « simplex ejusdem materiæ minime dif-« ferre per se, et essentialiter, ex ipsius « voti natura, et ratione, nec jure divino, « sed solum accidentaliter, et extrinsece ex « sola Ecclesiæ constitutione decernentis « per votum solemne dirimi matrimonium « subsequens, non autem per votum sim-« plex. » Et hæc est opinio Suarii, et aliorum D. Thomæ contraria. Prosequitur summarium :

An in voto simplici sit traditio juxta secundam sententiam, num. 4.
An sit tanti vinculi votum simplex, quanti solemne, juxta eandem sententiam, n. 5.
An differant specie, retenta eadem sententia, num. 6.
Proponitur sententia Authoris, n. 7.

Sanchez docuit vota simplicia et solemnia distingui ex natura rei.

Videamus ergo, quæ sit sententia *in prædicto num. 7*, relata. Sic habet : « Tertia « sententia ait, votum solemne religionis « consistere essentialiter in traditione ac-« tuali dominii sui ipsius in manus Dei, et « manus eorum, qui vicem Dei tenent ; ac « in eo distare a voto simplici. » Pro qua refert D. Thomam, et alios plures. Hæc igitur est sententia Authoris. Tum quia sic constat ex summario. Tum quia etiam constat ex perpetuo, et uniformi stylo prædicti Authoris : semper enim suam sententiam proponit ultimo loco. Tum quia illam sententiam latissime confirmat, quod non præstat pro secunda. Unde verba, quæ in calce prædicti numeri conglutinantur, *Quamvis autem, etc.*, ejus non sunt, sed alterius volentis ipsum corrigere, prout sua referre putavit. Prosequitur summarium :

Castitas, paupertas, et obedientia sunt essentialiter annexa religioni, n. 8.
Desideratur ad statum religiosi, ut hæc tria voto aliquo firmentur, n. 9.
Exigitur quoque, ut in religione approbata, etc., num. 10.
Duplex est traditio, num. 11.
Essentia professionis consistit in traditione, et acceptatione, estque professio contractus ultro, citroque obligatorius, num. 12.
Acceptatio voti simplicis fit immediate a Deo, secus de solemni, n. 13.
Explicatur, ac probatur, qualiter traditio sit de voti solemnis essentia ; et circumstantiæ adjectæ ab Ecclesia sint conditiones, sine quibus non, num. 14.
Qualiter qui in Societate Jesu simplicia biennii vota emiserunt, sint veri, et ex natura rei religiosi, et in illis reperiatur traditio, num. 15.
Essentia voti solemnis est de jure naturali, et divino : at solemnitas quoad circumstantias est de jure Ecclesiastico. Et explicatur cap. unic. de Voto in 6, n. 16.
In votis simplicibus, demptis Societatis Jesu, non est traditio, licet fiant in manu alicujus, num. 17.
Non tanti vinculi est votum simplex, quanti solemne religionis, n. 18.
Votum simplex, et solemne religionis differunt specie, num. 19.

Magis manifestat suam mentem.

Consideret prudens Lector hoc summarium, in quo Author repræsentat ordinem, et doctrinam illius disputationis : et vel cæcus erit, vel liquido recognoscet alienum prorsus fuisse a sententia illa, quam pittacium, seu additamentum *num. 7*, a malo resartore insertum ipsi attribuit. Quod evidentius adhuc constat ex ultima summarii parte, quæ sic habet :

Solvuntur argumenta, et enodatur cap. Rursus, qui clerici vel voventes, n. 24.

Et tamen in prædicto numero nec solvuntur argumenta, nec ulla mentio, aut

insinuatio fit capitis *Rursus*. Quod manifestat doctrinam Thomæ Sanchez in eo numero abrasam esse, et adulterinum partum ei subrogari. Sed vitium hoc latere non potuit, quippe corrector ille improvidus fuit parcendo aliis, ex quibus evidenter deprehenditur, quod Sanchez in hac disputatione tenuit communem Thomistarum sententiam asserentem vota simplicia, et vota solemnia distingui ex natura rei, et non ex sola constitutione Ecclesiastica. Nam in eodem opere, *lib.* 8, *disput.* 8, inquirit : « An Pontifex valeat in impedimento voti « solemnis castitatis, Ordinis sacri, vel Re- « ligionis matrimonium dirimenti dispen- « sare? » Et quoad utramque partem tenet opinionem affirmativam. Sed pro sententia, quæ negat posse Pontificem dispensare in voto solemni religionis (quam *num.* 6, refert), inter varia argumentum quintum opponit hoc modo : « Quia juxta veriorem « sententiam a nobis probatam libro præ- « cedenti, disput. 25, num. 14, essentia « hujus voti consistit in traditione facta « Deo. » Ecce qualiter fatetur se probasse veriorem sententiam eo loco, quem supra expendimus, et quem turpiter emendator vitiavit. Et in responsione ad illud argumentum prædictam sententiam non negat, nec retractat, sed respondet *gratia communis boni posse rem traditam auferri*. Et *num.* 7 occurrens his, quæ obstare videntur, ne Pontifex valeat in impedimento voti solemnis dispensare, inquit : « Nec similiter tra- « ditio, in qua vere solemnitas voti consis- « tit, huic dispensationi obstat, etc. » Quæ plane evincunt, quod Sanch. *in disput.* 25, *supra cit.* firmaverit, ac tenuerit communem Thomistarum doctrinam.

88. Sed age, regrediamur ad eundem locum, ubi immediate proponit disputationem 26, et inquirit : « Quo jure votum « solemne in professione religionis emis- « sum matrimonii contractum postea ini- « tum dirimat? » Et summarium sic habet.

Matrimonium subsequens est irritum post solemnem professionem, num 1.
Refertur sententia asserens id esse ex jure Ecclesiastico, num. 2.
Refertur alia sententia, num. 3.
Proponitur Authoris sententia, num. 4.

Firmatur eadem veritas.

Ibi autem inquit : « Tertia sententia ait, « votum solemne professionis religionis ex « vi sua, ac jure naturali divino vim ha- « bere matrimonium postea initum irri- « tandi, secluso quocumque jure Ecclesias- « tico. » Quam sententiam valide confirmat, et denique addit : « Concluditur « igitur, suapte natura, secluso quocumque « jure Ecclesiastico, professionem præce- « dentem impedire valorem matrimonii « subsequentis. Et ideo hanc partem tuen- « tur D. Thomas, etc. » Hanc igitur sententiam tenuit ipse Sanch. Tum quia ita dicitur in summario. Tum quia juxta communem ejus methodum semper tuetur sententiam, quam ultimo loco proponit. Tum quia si ejus sententia fuisset professionem dirimere matrimonium solo jure Ecclesiastico, quod defendit opinio *num.* 2 relata, diceretur in summario : *Proponitur Authoris sententia, num.* 2. Unde liquido apparet, quam frivole emendator ille in calce disputationis conglutinaverit : *Ex his sententiis prima omnino tenenda est, etc.* Et cum summarium promittat, *Solvuntur argumenta, num.* 5, responsiones illæ ablatæ sunt. Sed hanc emendatoris malitiam revincunt præter dicta, alia quæ Sanchez in eodem opere habet, et palam demonstrant ipsius sententiam fuisse, quod professio solemnis non ex sola Ecclesiæ constitutione, sed jure naturali divino dirimit matrimonium ; nam *eodem lib.* 7, *disputatione* 78, inquirit : *An sacer ordo dirimat matrimonium subsequens, et quo jure?* Et *num.* 9, proponit sententiam asserentem, quod jure divino. Pro qua arguit in hunc modum : « Quia cap. unico de voto in 6, æquiparan- « tur votum solemne ordinis sacri, et « professionis. Hoc autem dirimit jure di- « vino, ut diximus disputatione 26, num. 4. « Et confirmatur, quia in ordine sacro est « traditio, sicut in professione, etc. » Ubi palam concedit, se loco citato, quem proxime expendebamus, docuisse professionem dirimere jure divino matrimonium. Idque magis liquet ex responsione, quam *num.* 14, proponit his verbis : « Ad 1, dic, æqui- « parari quoad matrimonii dissolutionem, « non autem quoad jus, quo id competit. » (Si autem professio dirimeret solo jure Ecclesiastico, æquipararentur etiam quoad jus). « Ad confirmationem constat ex dictis « disputatione præcedenti, num. 17, ubi « diximus, non esse » (scilicet in ordine sacro) « traditionem quoad castitatem ser- « vandam. » In qua traditione ponit differentiam intrinsecam inter votum solemnis professionis, et alia vota. Liquet etiam

ex

ex responsione ad motiva secundæ sententiæ asserentis, Ordinem dirimere jure divino matrimonium, non quidem ratione Ordinis, sed ratione solemnitatis voti : quæ in hunc modum diluit num. 14. « Ad ar- « gumentum, et confirmationem secundæ « sententiæ propositæ num. 10, dic eviden- « ter concludere, si id votum esset vere, « et per se solemne, instar voti professio- « nis. At est tantum per accidens solemne, « atque ideo neque id votum habet ex se « dirimere. » Si autem Sanchez censet esse evidens, quod Ordo sacer dirimeret matrimonium, non ex solo jure Ecclesiastico, si votum ei annexum esset per se solemne, ad instar voti professorum ; quomodo potuit sentire, quod votum solemnis professionis non dirimit ex natura rei, et quod solum differt ab aliis votis ex Ecclesiæ constitutione, ut corrector ille per ipsius opera spargere ausus est ?

Alia fundamenta.

Verum adhuc occurrunt non minus evidentia hujus falsificationis signa. Inquirit Sanchez *lib.* 8, *disputatione* 8, an Pontifex possit dispensare in voto solemni Religionis ? Et respondet affirmative. Sed suæ resolutionis occasione excitat aliam difficultatem *num.* 10, his verbis : « An dispensa- « tio Pontificia in voto solemni professionis « absque causa concessa sit valida, ac « proinde matrimonium illius professi sit « firmum, ac liceat illi petere, et reddere ? » Et refert statim affirmativam aliquorum opinionem. Sed ipse subdit : « Verum doc- « trina hæc mihi displicet, quatenus ait « matrimonium illud fore legitimum ra- « tione bonæ fidei contrahentium, quod « bona fides a culpa eximat, non tamen « reddat dispensationem validam. Et cum « dispensatio hæc sit in jure naturali diri- « mente matrimonium impedimento, erit « irrita concessa absque causa, ac subinde « matrimonium erit irritum. » Sentiebat ergo hic Author, professionem solemnem esse impedimentum naturali jure dirimens matrimonium : tum quia manifeste asserit dispensationem illius esse dispensationem in jure naturali : tum quia si ita non esset, dispensatio valida foret, et firma ; siquidem notum est, dispensationem superioris in jure a se condito tenere, etiamsi fiat sine causa. Unde ipse Sanchez (quod est aliud evidens suæ mentis signum) statim addit : « Potest tamen doctrina hæc valde proba- « biliter sustineri innitendo alii funda- « mento (alii, inquit, non suo) ; nimirum « quia valde probabile est, impedimentum « hoc jure solo humano dirimere, ut ex « multis retulimus libro præcedenti, dis- « putatione 26. » Non dixit, « ut cum « multis diximus, aut statuimus ; sed, ex « multis retulimus, » ut magis significaret, hanc secundam responsionem priori contrariam non esse juxta ejus sententiam, aut principia, sed juxta aliorum opinionem valde probabilem, palam exprimens, sententiam suam, quam statu erat *lib.* 7, *disputatione* 26, esse, quod professio solemnis non solo jure Ecclesiastico, sed jure etiam naturali divino dirimit subsequens matrimonium, quidquid emendator ille ipsi voluerit impingere.

89. Hæc sufficere videbantur, ut Lector evidenter censeret, Sanchez tenuisse principalia asserta, quæ in hac materia statuimus, nempe votum solemne professionis distingui ab intrinseco, et non solo jure Ecclesiastico a voto, tam simplici, quam solemni sacræ ordinationi annexo ; et votum solemne professionis dirimere jure naturali divino, et non solo jure Ecclesiastico subsequens matrimonium. Sed potest id amplius confirmari ostendendo propriam hujus Authoris mentem, et correctoris falsitatem. Inquirit lib. 7, disputatione 27 : « An ordini sacro sit jure divino annexa « continentia, et obligatio ad illam sit ex « voto annexo, an ex sola Ecclesiastica « lege : et in quo essentialiter voti illius « solemnitas consistat ? » Hanc præ aliis disputationem adulteravit correctoris manus, quia in ea præ aliis Author expressius loquebatur conformiter ad ea, quæ dixerat *disputatione* 25 *et* 26, immediate præcedentibus, ut superius vidimus. Et cum omnia fere in ea disputatione invertantur, resecentur, abradantur, adhuc infelix deprehenditur labor in decipiendo. Nam sic post alia habet summarium Auctoris.

Confirmatio.

« An votum solemne Ordinis consistat « in vera traditione, et sit per se, et ex na- « tura sua solemne ? Refertur opinio num. « 16. » Et in hoc *num.* 16, proponitur opinio affirmans, quod votum solemne Ordinis convenit in specie cum voto solemni professionis, et quod hæc vota solum differunt secundum dispositionem Ecclesiæ. Sed prosequitur summarium.

« Proponitur sententia Authoris, num. « 17, et ibi enodatur cap. unicum, de Voto « in 6. » Et sententia, quæ hoc numero refertur, est communis Thomistarum asse-

rentium, prædicta vota distingui ex natura rei, et non sola Ecclesiastica constitutione. Caput vero unicum, *de Voto in* 6, cujus explicatio, aut enodatio promittitur, est illud maximum, ut Adversarii putant, suæ opinionis fundamentum; quippe in eo dicitur, solemnitatem sola Ecclesiastica constitutione esse inventam. Unde Sanchez opus non haberet ipsum exponere, aut enodare, si fuisset in prima opinione. Sed videat Lector correctoris audaciam. Sustulit ab eo numero prædicti capitis enodationem, et in calce opinionem, quam voluit, inseruit ab illis verbis: *Cæterum retenta nostra sententia, etc.* Infeliciter tamen, ut diximus in decipiendo insudavit; oppositum enim liquido apparet tum ex dictis, tum ex summario, quod sic prosequitur.

Solemne ordinis differt specie a solemni professionis, non autem a voto simplici, nec ex natura rei, num. 18.

Initiatus ordine sacro fornicans est reus sacrilegii, ac tenetur eam circunstantiam fateri, num. 19.

Et post alia, quæ ad rem non faciunt:

Professus fornicans non satisfacit, si se votum emisisse dicat, n. 27.

Nec si sit simul Sacerdos, et dicat se esse Sacerdotem, num. 28.

Nec si dicat se fecisse votum solemne, sed debet se professum dicere, n. 29.

Satisfacit dicens se esse, sacerdotio tacito, professum, num. 30.

Sacerdos non professus fornicans satisfacit dicens se esse Ordinis sacri, n. 31.

Imo sat est dicere se contra votum deliquisse, num. 32.

Nec Episcopus, aut Prælatus religionis fornicans tenetur, secluso scandalo, circunstantiam dignitatis fateri, n. 33.

Si religiosus Societatis Jesu nondum solemniter professus fornicetur, satis fatetur dicendo se peccasse contra votum castitatis, num. 34.

Ex his satis constat, quantam Sanchez recognoverit distinctionem inter votum solemne professionis, et alia vota, tam solemnia Ordinis, quam simplicia statum religiosum constituentia, cujusmodi sunt illa, quæ post biennium emittuntur in sacra Societate. Sed adulterator omnia pervertit inserendo, et seminando in disputationis corpore assertiones summario prorsus contrarias. Nec hæc videntur, imo nequeunt esse solius typographiæ vitia, quoniam in erroribus non datur studiosa adeo consequentia, qualem hic cernimus. Nec prodest recurrere ad Summam, in qua Sanchez *lib.* 5, *cap.* 1 *et* 2, tuetur opiniones nobis in hac parte contrarias; nam prædictum opus prodiit post Authoris mortem; et qui ejus scripta hactenus relata, ipso vivente adeo vitiavit, facilius potuit ejus Summæ ingerere quidquid sua interesse censuit.

Urgens alia confirmatio.

90. Confirmatur nostra non tam suspicio, aut conjectatio, quam evidentia, ex his, quæ scribit Basilius Pontius *lib.* 7, *de matrimonio*, quem orditur his verbis: « Cum « agendum sit de impedimento voti solem- « nis dirimente, placet a capite rem istam « exordiri, et arduam, involutam, et per- « difficilem materiam de voti monastici « solemnitate exacte, quantum in me fue- « rit, discutere, in unum colligens ea, quæ « de hoc argumento variis in locis scripsi. « Pœnitet enim me dum lego Sancium in « ista disputatione, quod Theologus, et e « Societate Jesu tam parum feliciter de hoc « argumentó, quod tamen maxime ad So- « cietatis institutum illustrandum attinet, « disputaverit. » Profecto non potuit Basilius hanc infelicitatem deplorare in eo, quod Sanchez hanc materiam minus luculenter tractaverit; uberrime quippe, et perdocte illam versat, sicut quasvis alias difficultates. Nec potuit in eo pœnitere, quod elegerit opiniones judicio Basilii falsas, si Sanchez vere docuit quas ei corrector impingit; nam easdem tenet Basilius, nempe votum solemne professionis distingui ab aliis solo jure ecclesiastico, et eodem tantum jure dirimere matrimonium. Et rursum supposita hac opinionum electione, quam emendator detulit Sancio, nihil in eo videret Basilius, quod displiceret ob minorem aliquam in sacram Societatem, cujus Sanchez erat, reverentiam, ut Basilius significare videtur; nam prædictæ opiniones sunt illi Instituto maxime affines, sicut oppositæ, quas tuemur, censentur (licet falso) non satis cum eo cohærere. Vìdit ergo Basilius, quæ nos videmus, et quæ omnes non cæci videre possunt, docuisse videlicet Sanchez distinctionem ex natura

Basil. Pont.

rei

rei inter votum solemne professionis, et alia vota, illudque vi sua dirimere subsequens matrimonium. Quod Basilio minus gratum fuit, putavitque fore Societati. Et propterea dixit prædictum Authorem in hac materia parum feliciter laborasse. Et forsan Basilius ante illius operis impressionem jam viderat proprias sententias Sancii in codicibus manuscriptis, quas ipse scholasticis aut dictabat, aut concedebat: familiare quippe est viris doctis hæc cupere, procurare, et transcribere præveniendo aliorum studia, et typographiæ divulgationem. Hæc sufficiunt (ut judicaturum speramus Lectorem), ne Sanchez pro contraria opinione recenseatur, sed possimus pro præcedentibus nostris assertionibus tam gravem Authorem referre.

DUBIUM VII.

An Summus Pontifex possit dispensare cum solemniter professo, ut contrahat matrimonium.

Si verum esset, professionem solemnem solo jure Ecclesiastico subsequens matrimonium dirimere, ut docent Authores relati *num.* 82, facile constaret pars affirmativa in præsenti difficultate; quippe certum est, quemlibet superiorem posse dispensare in jure a se condito. Quinimo ex eodem principio inferretur, dispensationem, ut solemniter professus contraheret, datam etiam sine justa causa tenere, et validam esse. Sed quia cum veriori sententia docuimus contrarium, scilicet professionem solemnem jure naturali divino dirimere matrimonium, idcirco obligamur rem hanc discutere, ut argumento proposito *num.* 86, plenius satisfiat. In qua difficultate aliqui Authores nobiscum in dubio præcedenti sentientes quasi appendicem suæ resolutionis existimant, quod Pontifex nequeat prædictam dispensationem concedere; ducuntur enim contrario principio, nempe Papam non posse dispensare in jure a se non condito, quale est jus naturale divinum. Sed principium istud sic generaliter sumptum rem non evincit, quia certum est, Pontificem posse in jure divino dispensare, ut patet cum dispensat in votis simplicibus, quæ semel facta jure divino obligant; sive dispensatio pontificia sit relaxatio in parte juris divini, sive subtractio materiæ sub voto cadentis, sive cessio Dei nomine facta, quæ præcedentem acceptationem deponit, et obligationem remittit. Unde nonnulli ex Authoribus, qui docent sententiam nostram *num.* 77 statutam, simul tuentur posse Pontificem cum solemniter professo dispensare, ut contrahat matrimonium, subscribuntque quantum ad hoc Authoribus relatis *num.* 82. Et ideo oportet dubium istud specialiter discutere, et decidere. Quod procedit data, et facta suppositione resolutionis dubii præcedentis, ne circa motiva jam sæpius convulsa iterum implicemur, aut detineamur.

Status quæstionis.

§ I.

Eligitur negativa sententia, et authoritate D. Thomæ firmatur.

91. Dicendum est, Summum Pontificem non posse dispensare cum solemniter professo, ut contrahat matrimonium. Sic docet Angelicus Præceptor locis statim referendis, cui subscribunt communiter discipuli. Capreolus *in* 4, *distinct.* 33, *quæst. unica, immediate ante solut. ad* 1, *Aureoli*, Deza *ibidem, quæst. unica, art.* 3, *notab.* 3 *et* 5, Sotus *distinct.* 38, *quæst.* 2, *artic.* 2, *concl.* 2 *et lib.* 7, *de Justit. quæst.* 4, *art...* Turrecrem. *cap.* 1, *n.* 27, *q.* 1, Sylvester *verbo Votum* 4, *quæst.* 5, Bergomensis *dub.* 1208, Bartholom. de Ledesma *de Matrim. dub.*33, *in fine*, Petrus de Ledesma *in* 2, *part. Summæ, tract.* 10, *de Voto, cap.* 8, *pagina nobis* 648, Ludovicus Lopez 1 *part. Instruct. cap.* 49 *et* 2 *part. ubi de matrim. cap.* 48, Joannes Nicolaï *in additionibus ad Summam Raynerii, tom.* 1, *verbo Continentia, cap.* 6, *et tom.* 3, *verbo Votum, cap.* 8, *et in scholiis ad* 2, 2, *quæst.* 88, *art.* 11, Sylvius *in addit. ad* 3 *part. art.* 2, *dub.* 2, *in fine*, Martinez de Prado *tom.* 2, *cap.* 41, *de Voto, quæst.* 14, § 2, *num.* 10, Joannes a S. Thoma 2, 2, *disp.* 29, *art.* 19, Gonet *de Matrim. disp.* 9, *art.* 2, § 4, Labat *eodem tract. dub.* 8, § 1, Aragon 2, 2, *quæst.* 88, *art.* 11, et alii plures. Idem etiam tuentur B. Albert. *in* 4, *dist.* 38, *artic.* 16 *et* 18, Estius *ibidem*, § 6, Abulensis *cap.* 30, *Numer. quæst.* 109, Altisiodorensis *lib.* 3 *Summæ, tract.* 28, *cap.* 1, *quæst.* 2, Almainus *de potestate Papæ, cap.* 15, Viguerius *lib. Institut. cap.* 5, § 5, *versic.* 14, Turrianus *lib. de votis monast. fol.* 37, Glossa *in cap. Cum ad monasterium, verb. Abdicatio, de statu monach. et in cap. Sunt quidam, verb. Apostoli*, 25,

Conclusio.

D. Tho. Capreol. Beza. Sotus. Turrecrem.

Bergom. Barthol. Ledesm. Petrus Ledesm.

Ludovic. Lopez. Rayner.

Sylvius. Martin. de Prado. Joan. à S. Tho.

Gonet. Labat. Aragon. B. Alb. Abulens. Altisiod.

Viguerii. Turrian. Glossa.

Tabien. Armilla. *quæst.* 1, Tabiena *verb. Dispensatio, quæst.* 7, Armilla *verb. Dispensare, numero* 12, et alii plures.

Probatur ex D. Tho. Probatur primo authoritate D. Thom. *in hac* 2,2, *quæst.* 88, *articulo* 11, ubi hæc habet : « Non potest facere aliquis Ecclesiæ « Prælatus, ut id quod est sanctificatum, « sanctificationem amittat, etiam in rebus « inanimatis ; puta quod calix consecratus « desinat esse consecratus, si maneat integer. Unde minus potest hoc facere aliquis « Prælatus, ut homo Deo consecratus, « quandiu vivit, consecratus esse desistat. « Solemnitas autem voti consistit in quadam consecratione, seu benedictione voventis, ut dictum est. Et ideo non potest « fieri per aliquem Prælatum Ecclesiæ, « quod ille, qui votum solemne emisit, desistat ab eo, ad quod est consecratus ; « puta quod ille, qui est Sacerdos, non sit « Sacerdos, licet possit Prælatus ob aliquam « causam exequutionem ordinis inhibere. « Et simili ratione Papa non potest facere, « quod ille qui est professus religionem, « non sit religiosus ; licet quidam Juristæ « ignoranter contrarium dicant. Est ergo « considerandum, utrum continentia sit « essentialiter annexa ei, ad quod votum « solemnizatur ; quia si non est ei essentialiter annexa, potest manere solemnitas « consecrationis sine debito continentiæ ; « quod non potest contingere, si sit essentialiter annexa ei, ad quod votum solemnizatur. Non est autem essentialiter « annexum debitum continentiæ Ordini « sacro, sed ex statuto Ecclesiæ. Unde videtur, quod per Ecclesiam possit dispensari « in voto continentiæ solemnizato per susceptionem sacri Ordinis. Est autem debitum continentiæ essentiale statui religionis, per quem homo abrenuntiat sæculo, « totaliter Dei servitio mancipatus. Quod « non potest simul stare cum matrimonio, « in quo incumbit necessitas procurandæ « uxoris, et prolis, et familiæ, et rerum « quæ ad hoc requiruntur. Unde Apostolus dicit 1, ad Corinth. 7, quod qui est « cum uxore, solicitus est quæ sunt mundi, « quomodo placeat uxori, et divisus est. « Unde nomen monachi ab unitate sumitur « per oppositum ad divisionem prædictam. Et ideo in voto solemnizato per « professionem religionis non potest per « Ecclesiam dispensari. » Hæc Divus Thomas. In quibus adeo aperte tradit assertionem nostram, ut vel illi qui in sui patrocinium alia Sancti Doctoris testimonia torquere solent, aut eludere, hic palam fateantur se agere contra illum.

Interpretatio Cajetan. 92. Sed Cajetanus, ne D. Thomam deserere, aut impugnare videatur, respondet resolutionem in verbis proxime relatis contentam non esse Authoris sententiam, sed opinionem, quatenus a Decretali, *Cum ad monasterium*, de statu monachorum (quam ille sic intellexit) dependet. *Unde*, inquit Cajetanus, *statim post Decretalem subdit : Ideo aliter videtur dicendum.* Quæ verba sunt loquentis tantum opinative.

Refellitur. Hæc vero interpretatio dum S. Doctorem ab electione prædictæ opinionis excusare videtur, majoris delicti, ut sic dicamus, accusat imponendo ipsi, quod non recte intellexerit Decretalem, quam pro sua resolutione allegat. Sed Cajetanus nec est, nec intellexit supra magistrum : legitimus enim Decretalis sensus est illemet, quem S. Doctor expendit, ut ex dicendis constabit. Aliunde vero motivum, cui Cajetani suspicio hæret, ut dicat D. Thom. loqui non ex propria sententia, sed opinative, minime subsistit : tum quia D. Thom. sub illis verbis, *videtur dicendum*, solet suas sententias proponere. Tum quia absque ullo additamento difficultatem resolvit in fine corporis, dicens : « Et ideo in voto solem- « nizato per professionem religionis non « potest per Ecclesiam dispensari. » Tum denique, nam ex opposito fieret, S. Doctorem difficultatem adeo gravem a se propositam non resolvisse ; sed opiniones tantum recitasse : quod alienum prosus est ab illo magistrali, et resolutorio modo, quem in omnibus scriptis observat.

Alia evasio. 93. Arauxo autem, et quidam alii, cum videant S. Doctorem in loco proxime relato tam aperte tenere nostram sententiam, ut eum eludere queant, non curant illum exponere, sed fatentur se recedere ab illo in prædicto loco, sequi autem ipsius sententiam *in* 4, *distinct.* 38, *q.* 1, *artic.* 4, *quæstiunc.* 1 *ad* 3, ubi relatis motivis asserentium nullum posse in voto solemni dispensare, eisque impugnatis, subdit : « Et ideo « alii dicunt probabilius, quod si commu- « nis utilitas totius Ecclesiæ, aut unius « regni, vel provinciæ exposcerent, posset « convenienter et in voto continentiæ, et « in voto religionis dispensari, quantum- « cunque esset solemnizatum. Non enim « per votum potest se homo deobligare ab « eo, in quo tenetur alteri, ut dictum est.

Unde

« Unde talis posset imminere necessitas,
« quod posset alicui juste prohiberi, ne
« continentiam, aut religionem voveret.
« Et eadem necesitate manente, potest
« etiam in voto dispensari jam acto.»

Confutatur. D. Tho. Verum hæc responsio majus robur addit nostræ assertioni ; quia si D. Thom. ut respondens supponit, docuit *in* 4, votum solemne religionis dispensari posse, non desereret prædictam opinionem, nisi aliquo urgenti motivo ejus intellectum convincente opprimeretur : at illam deseruit, et nostram docuit in posteriori scripto, nempe loco supra allegato *ex* 2, 2. Sensit ergo S. Doctor longe probabilius esse, quod nemo potest in solemni religionis voto dispensare. Qui discursus probat non solum D. Thomam pro nobis esse, sed urgentiora etiam esse nostræ assertionis motiva.

Diximus, *ut responsio supponit*, quia revera D. Thom. illam sententiam eo loco non docuit. Refert quidem S. Doctor opinionem negantium, posse in tali voto dispensari, et fundamenta quibus aliqui utuntur, illaque respuit, non quia inferant falsum, sed quia media inefficacia sunt ad conclusionem. Unde subdit, quod *alii dicunt probabilius*, non quidem absolute ; sed attentis illis præcise rationibus, quas Authores utriusque opinionis expendunt. Et ideirco non dixit, ut solet, *Respondeo dicendum*, vel *Ad* 3, *dicendum* ; sed duntaxat, *Alia dicunt probabilius*, comparatione facta ad rationes allatas pro priori dicendi modo. Quod vero S. Doctor oppositum absolute *in eodem* 4 *libro* tenuerit, liquet *ex eadem distinct. et quæst. articulo* 2, *quæstiunc.* 2, ubi ait : « Virtus voti est obligatio,
« quæ quidem virtus est complete in voto
« solemni, cujus obligatio nullo casu po-
« test irritari, etc. » Non enim est credibile, quod in duobus illis articulis tam immediatis docuerit sententias contrarias.

Bergom. Unde Bergomensis utrumque locum conferens *dub.* 1208, recte observavit, quod *in* 4, *Sentent.* « loquitur secundum opinionem
« aliorum ; ideo dicit, quod alii dicunt
« probabilius : unde ibi respondet argu-
« mentis ad utramque partem. In 2, 2, ve-
« ro loquitur secundum propriam senten-
« tiam.

Addimus D. Thomam in eo loco difficultatem hanc obiter occasione argumenti attigisse, et tantum pronuntiasse sententiam circa probabilitatem, quam motiva ibi tantum expensa fundabant ; sed nec suam mentem aperuisse, nec omnia motiva explicasse. Et eodem modo se gessit *in* 4, *ad Annibaldum*, *dist.* 38, *quæst. unica*, *artic.* 2, *in respons. ad* 2, proponit enim aliqua argumenta pro una, et altera parte, sed nihil resolvit. Quo loco impressio Romana edita jussu Pii V, habet in margine : « Hanc pri- Nota.
« mam sententiam (quæ negat posse in so-
« lemni professione dispensari) S. Doctor
« amplectitur 2, 2, quæstione 88, articulo
« 11. Cardinalis autem Cajetanus minus pie
« contra Doctorem S. cum secunda sentire
« maluit, ut patet ibi in ejus comment. »
Et idem (quidquid tergiversentur), dicito de Arauxo, et quovis alio Thomista tenente opinionem nostræ assertioni contrariam.

§ II.

Expenditur ratio fundamentalis Doctoris Angelici.

Ratio Divi Thomæ. 94. Secundo probatur ratione D. Thomæ ; quoniam Pontifex nequit dispensando efficere, vel quod solemniter professus perseverans in statu religiosi possit matrimonium contrahere ; vel quod talem statum exuat, et religiosus non sit : ergo Pontifex nequit cum solemniter professo dispensare, ut contrahat matrimonium. Consequentia est manifesta, quia non est excogitabilis alius modus, quo dispensari possit cum religioso ad contrahendum ; quippe assignati important extrema contradictionis, scilicet perseverare religiosum in statu talis, et non perseverare religiosum in tali statu. Antecedens autem quoad primam partem facile ostenditur ; nam Pontifex nequit sua dispensatione mutare rerum essentias, sive (et idem est) variare prædicata rebus essentialia ; sed ad statum religiosum essentialiter pertinet votum castitatis, ut constat ex supra dictis *dub.* 1, *n.* 5 *et* 6. Ergo Pontifex efficere non valet, quod religiosus maneat religiosus sine voto castitatis : sed dispensando ut religiosus manens religiosus contraheret illud, absolveret ab obligatione et voto servandi castitatem : ergo Pontifex nequit dispensando efficere, quod religiosus perseverans in statu religiosi possit contrahere matrimonium. Et hanc partem ad minus evincit textus *in cap. Cum ad monasterium*, *de statu monach.* ubi Innocentius III inquit : « Nec existimet Abbas, Innoc. III.
« quod super habenda proprietate possit
« cum monacho aliquo dispensare, quia ab-

« dicatio proprietatis, sicut et custodia cas-
« titatis adeo est annexa regulæ monacha-
« li, ut contra eam nec Summus Pontifex
« possit licentiam indulgere. » Significat enim Pontifex abdicationem proprietatis, et custodiam castitatis esse adeo intima statui monachali, ut oppositum indulgeri non possit, componendo scilicet, et conjungendo in eodem supposito, quod ex una parte sit vere religiosus, et ex altera sit liber a vinculo paupertatis, et castitatis. Quem sensum contrariæ opinioni favorabiliorem, ne prædicta decisione percelli videatur, eligunt communiter ejus Authores, Durandus, Paludanus, Cajetanus, Azor, Valentia, Sanchez, Lessius, Basilius, et alii, quos
Barbosa. refert, et sequitur Barbosa *de jure Ecclesiastico, lib.* 1, *cap.* 2, *num.* 132. Unde Adversarii communiter hanc antecedentis partem concedunt. Nec adversus illam potest objectio alicujus momenti formari, nisi desumatur ab exemplo aliquorum religiosorum militarium, qui uxores ducunt. Sed hos non esse vere, et proprie religiosos, constat ex supra dictis *num.* 13. Unde in hac parte amplius roboranda non oportet immorari, quam etiam Divus Thomas in suo discursu tanquam per se notam supponit.

Continuatio argumenti. Posterior vero antecedentis pars, in qua est difficultas, probatur ; nam homo per professionem solemnem consecratur Deo : sed id quod Deo est consecratum, quandiu manet in rerum natura, nequit non esse consecratum : ergo per nullam Pontificis dispensationem fieri valet, quod si semel est Deo consecratus, seu religiosus, quandiu in rerum natura manet, desinat esse Deo consecratus, sive religiosus ; et consequenter nequit Pontifex hac via per suam dispensationem efficere , quod religiosus possit contrahere matrimonium. Hæc secunda consequentia patet ex prima, quia statui religiosi essentialiter convenit obligatio servandi castitatem, unde fieri non valet, quod sit religiosus, et simul liber ab illa obligatione, ut proxime dicebamus ; atque ideo si Pontifex nequit efficere, quod homo consecratus Deo in religione desinat esse consecratus, seu religiosus ; pariter nequit efficere, quod religiosus valeat matrimonium contrahere. Prima vero consequentia recte infertur ex præmissis. Majo-
D. Tho. D. Dion. rem autem docet, et probat Divus Thomas *articulo* 7, *quæstione* 88, tum ex D. Dionys. 2, *cap. Ecclesiast. hierarch.* tum ex eo, quod solemnitas professionis tunc adest, quando homo se totaliter Deo tradit ad ejus cultum in religione : hujusmodi autem traditio consecratio est ; ergo homo per solemnem professionem Deo consecratur. Minor denique probatur primo ex illo Levit. 27: « Ani- Levit. 27.
« mal quod immolari potest Domino, si
« quis voverit, sanctum erit, et mutari
« non poterit, nec melius malo, nec pejus
« bono. » Secundo probatur inductive in aliis rebus Deo consecratis ; nam calix semel consecratus, quandiu manet, nequit non esse consecratus: aqua semel benedicta, quandiu conservatur, nequit non esse benedicta, et sic de aliis.

Confirmatio. Confirmatur, quia si consecrationi, sive ordinationi Sacerdotis esset essentialiter annexum votum castitatis, nullo modo posset Pontifex dispensare cum Sacerdote ad contrahendum matrimonium ; quippe qui nec posset facere, quod ille homo non esset consecratus in Sacerdotem, nec posset absolutionem a voto cum statu Sacerdotis componere : atqui consecrationi, quæ intervenit in professione solemni, et qua homo fit religiosus, essentialiter annectitur votum continentiæ perpetuæ : ergo Pontifex nequit cum solemniter professo dispensare ad contrahendum matrimonium. Probatur consequentia a paritate ; militat enim eadem ratio, siquidem cum statu religioso nequit componi status matrimonii, ut supra ostendimus; et aliunde fieri non valet, quod si semel consecratur Deo, quandiu vivit, non sit consecratus.

Effugium. 95. Respondebis primo, falso in hoc discursu supponi, quod solemnis professio sit hominis consecratio ; nam certum est, nec solemnitatem, nec essentiam professionis solemnis in consecratione, aut benedictione consistere : potest enim solemnis professio fieri, et in pluribus Religionibus fit absque ulla benedictione, ut supra diximus *num.* 34.

Adde ex Cajetano, et Arauxo, duas posse distingui classes rerum consecratarum, seu benedictarum, sicut et duplex genus benedictionis. Nam quandoque benedictio est constitutiva rei, utpote illam formaliter sacrans, et inhabilitans ad profanos usus, et hoc modo se habet consecratio Calicis, Sacerdotis, et Episcopi, et res ita consecratæ nequeunt, quandiu manent, consecrationem amittere. Quandoque autem benedictio non est constitutiva, sed tantum invocativa, per quam scilicet invocatur Deus, ut talibus rebus utenti opem ferat ; quo pacto

pacto solent benedici Mensa, navis, Imperator, et alia hujusmodi. Quæ vero sic benedicuntur, aut consecrantur, non fiunt inhabilia ad humanos usus, nec habent indelebilem consecrationem, ut ex se liquet. Et hujus rationis est consecratio, seu benedictio, si quæ intervenit in professione. Unde non est inconveniens, quod solenniter professus talem consecrationem amittat.

Præcluditur. Sed hæc responsio procedit ex sinistra, et valde abjecta intelligentia D. Thomæ, quasi S. Doctor senserit, essentiam professionis solemnis consistere in aliqua exteriori cæremonia superaddita tribus votis substantialibus, et traditioni perfectæ, utputa in ligno crucis, aut in aspersione aquæ benedictæ supra religiosum. Quod alienum est ab ejus mente, et facile convincitur falsitatis ex non usu aliquarum Religionum. Sed legitimus ejus sensus est, traditionem hominis perfectam ad servandum tria vota substantialia esse intransitive, et absque alio accidentali superaddito hominis consecrationem ad cultum Dei. Nam ipse homo, dum se Deo tradit, se Deo sacrat, et superior ex approbatione explicita, vel tacita Ecclesiæ illum Dei nomine acceptat, Deoque offert et consecrat. Quæ duo sicut requiruntur, et sufficiunt ad professionem solemnem, ita et in eodem sensu sufficiunt, et requiruntur ad solemniter professi consecrationem. Unde eo ipso, quod quis solemniter profiteatur, fit Deo consecratus.

Solemnis professio est hominis consecratio. Quam doctrinam non primo invenit Angelicus Doctor ad suæ doctrinæ patrocinium, sed illam e Patribus se antiquioribus hausit, qui professionem consecrationem appellant. Sic D. Ignatius epistola ad Antiochenses : *Virgines*, inquit, *agnoscant cui se consecraverunt*. Eusebius *lib.* 4, *de vita Constantini*, ait : *Castitatem, virginalemque modestiam amplexatæ quædam, corpus, et animam consecravere Deo.* D. Athanasius *in lib. de Virginitate*, ait : *Postquam continentiam professa es, corpus tuum sanctificasti.* D. Basilius *in proœmio constitut. monastic. inquit : Qui a mundi vinculis liber esse cupit, nuptias velut pedicas quasdam fugit ; his autem relictis, vitam suam Deo consecrat, et castitatem profitetur.* Sulpitius in vita S. Martini, agens de Arborio filiam virginem Deo offerente ait : *Neque ab alio eam, quam a Martino, habitu virginitatis imposito, pas-sus est consecrari.* D. Ambrosius *lib.* 3, *de Virgin. ante medium*, inquit : *Discite quantas Alexandrina, totiusque Orientis, et Africana Ecclesia quotannis sacrare consueverint : pauciores hic homines prodeunt, quam illic virgines consecrantur.* Idem frequenter occurrit apud alios Patres, ex quibus D. Dionys. (quem D. Thom. allegat,) *Ecclesiastic. hierarch. cap.* 6, *part.* 1, ex professo declarat formam monasticæ consecrationis. Eodem modo loquuntur etiam sacri Canones *in cap. Nec aliqua, cap. Viduas, cap. Si quis facto, cap. Sciendum, cap. Virgines, dist.* 27. Ut videant nonnulli, quibus se opponant, dum eum loquendi modum in D. Thoma sugillant.

D. Ignat. Euseb. D. Atha. D. Basil. Sulpitius. D. Amb. D. Dion. Sacri canones.

Ex iis pariter corruit additamentum Cajetani ; nam consecratio in professione solemni non est mere invocativa, sed constitutiva hominis in esse religiosi, quippe quæ non differt a solemni professione, per quam religiosus fit. Unde ex eadem Cajetani distinctione vires reassumit argumentum ; nam res consecrata per consecrationem *constitutivam*, quandiu perseverat, nequit non esse consecrata, ut patet in calice : atqui homo in professione solemni consecratur Deo per consecrationem, non pure invocativam, sed constitutivam, ut explicuimus : ergo talis homo, quandiu manet, nequit non esse consecratus, ac subinde nequit non esse religiosus.

Instauratur argumentum.

96. Respondebis secundo cum Suar. duplex esse genus consecrationis ; nam quandoque res Deo consecrantur per deputationem ad aliquem ejus cultum pacto, aut promissione firmatam : quandoque vero per solam actionem sacram, quæ circa talem rem fit. Interest autem differentia, quod primo modo licet præcesserit actio sacrans, nihilominus res non denominatur sacra, nisi mediante obligatione in ea relicta ad sacrum cultum, vel usum ; quippe tunc consecratio non consistit in actione præterita ut præterita, sed in eadem quatenus in obligatione relicta mortaliter perseverat. Unde si obligatio potest rescindi, consequenter consecratio potest auferri, ut patet in voto simplici virginitatis, quod etiam suo modo personam sacrat ; et tamen sicut per dispensationem tollitur ejus obligatio, ita et consecratio personæ. Posteriori autem modo res non denominatur consecrata, nisi ex habitudine ad actionem præteritam ; et quia fieri non valet, quod actio jam non præcesserit, fieri etiam non potest, quod res sic consecrata, quandiu manet, non sit consecrata, et sic contingit in Calice, in Altaribus, et similibus. Et quia religiosus

non denominatur consecratus hoc posteriori modo, sed priori, quippe qui ex professione solemni obligationem continendi in se reliquit, a qua immediate consecratus denominatur, idcirco potest et esse, et denominationem consecrati deponere, tollente Pontifice per dispensationem obligationem prædictam.

Hæc tamen responsio non satisfacit, sed multipliciter refellitur. *Primo*, quia si habitudo Calicis ad præteritam actionem sacrantem sufficit, ut calix de præsenti denominetur consecratus, pariter habitudo hominis ad præcedentem professionem sacrantem, sufficiet, ut de præsenti consecratus appelletur; quippe habitudo illa non amittit vim sic denominandi ex eo, quod illi adjungatur obligatio, ut patet in eodem exemplo; licet enim calix esset capax alicujus obligationis, illamque subiret, adhuc tamem denominaretur consecratus per respectum ad consecrationem præteritam. *Secundo*, quia falsum est, hominem denominari consecratum ab obligatione ex præcedenti consecratione relictam: obligatio enim consecratio non est, sed effectus consecrationis. Et idcirco hæc est vera: *Quia homo est consecratus Deo ad continendum, ideo debet continere*; et non e converso: *Quia debet continere, ideo consecratus est.* Præsertim cum possit dari obligatio continendi absque consecratione per professionem, ut ex se liquet. *Tertio*, quia ita se habet consecratio præcedens, et obligatio ex ea relicta, sicut in sententia Suarii, se habent actus peccati mortalis præteritus, et reatus ad pœnam ex eo in homine relictus: constat autem hominem non denominari peccatorem a reatu, sed in opinione Suarii talem denominari ab actu illo physice præterito, et moraliter permanenti: ergo similiter religiosus non denominatur sacratus ab obligatione in eo relicta, sed ab actibus præcedentis consecrationis. Unde sicut in hoc exemplo non posset homo deponere denominationem peccatoris, nisi per destructionem actus peccaminosi moraliter permanentis, et consequenter nec reatum subeundi pœnam, licet posset illam actu non pati; ita in nostro casu, non potest tolli denominatio consecrati ad continendum, et consequenter nec continendi obligatio nisi destruatur ipsa consecratio præcedens, et actu denominans consecratum. Quare qui nequit consecrationem tollere, nequit illam obligatio nem auferre. Pontifex autem nequit efficere, quod res consecrata, quandiu manet, consecrata non sit, ut patet in calice: ergo Pontifex non valet hominem consecratum Deo per professionnen reddere non consecratum, nec ab illo auferre continendi obligationem.

Major impugnatio.

97. Ad hæc, stat bene, quod actio præcedens sacrans reliquat in homine aliquam obligationem, potestatem, aut quid simile, in quo dicatur moraliter permanere, et quod nihilominus Pontifex nequeat denominationem consecrati destruere, nec illam obligationem, aut potestatem auferre: ergo ex eo, quod professio solemnis hominem Deo sacrans relinquat in eo obligationem continendi, obediendi, etc. minime infertur, quod Pontifex possit a tali homine auferre denominationem consecrati, et obligationem continendi. Consequentia constat, tum a paritate, tum ex destructione principiorum, quæ Suarez assumit. Antecedens vero posset probari exemplo consecrationis per sacros Ordines, quæ relinquit in homine aliquam obligationem, et potestatem. Nec multum prodesset recurrere ad characterem indelebilem, quia si semel Pontifex posset tollere a religioso statum religiosi extraordinaria quadam potestate et propter urgentem aliquam necessitatem boni communis, ut discurrunt Adversarii, non facile assignabunt rationem, cur Pontifex ex eadem extraordinaria potestate, et ob eandem necessitatem, aut majorem non possit a consecrato per sacrum Ordinem tollere consecrationem, et ipsummet characterem; curque, vel unde constet, quod a Christo acceperit extraordinariam ad unum, et non ad aliud.

Solenniter professus nequit non esse Deo consecratus.

Sed aliunde probatur antecedens, quia actio sacrans, qua homo consecratur in Episcopum, relinquit in eo aliquos effectus, utputa specialem potestatem, et obligationem; et tamen ab homine, qui semel in Episcopum consecratus est, nequit Pontifex tollere denominationem consecrati, nec effectus talis consecrationis, quantumcunque deponatur, aut degradetur etiam ob notoriam hæresim: ergo stat bene, quod actio sacrans relinquat in homine consecrato aliquem effectum, aut obligationem, et quod nihilominus Pontifex non valeat tollere ab eo denominationem consecrati, nec effectus, aut obligationem ortam ex tali consecratione. Nec hic valet recursus ad characterem; nam consecratio Episcopi illum de novo non imprimit, quippe quæ non

non est Sacramentum distinctum a Sacerdoti, ut docent plures, et meliores Theo-
D. Tho. D. Bern. B. Alb. Scotus. Richard. Capreol. Abulen. Turrec. Ferrara. Ledesm. Azor. Joan. A.S Tho. Hurtad.
logi, Magister, Divus Thomas, D. Bonaventura, B. Albertus, Scotus, Richardus, Capreolus, Abulensis, Turrecremata, Ferrara, Ledesma, et Azor, apud Casalas *in candore Lilii*, § 63, Alensis, S. Antoninus, Abbas, Covarruvias, Franciscus Leo, Paludanus, Sylvester, Philiarcus, Reginaldus, Comitolus, Molsesius, Bonacina, Villalobos, Nuno, Sanchez, et alii apud Leandrum *tom.* 2, *de Sacram. disp.* 1, *quæst.* 10. Imo Vasquez, qui acriter impugnaverat sententiam negantem Episcopatum esse Sacramentum Ordinis, re maturius considerata recognovit in consecratione Episcopi nec imprimi characterem novum, nec præexistentem extendi characterem Sacerdotii, ut constat ex *tom.* 3 *in* 3 *p. disp.* 240, *cap.* 5, adjuncta *disp.* 239, *cap.* 6. Videantur Joannes a S Thoma *in approbat. doctrinæ D. Thomæ, disp.* 2, *art.* 3, *prop.* 9, et Thomas Hurtado *tom.* 2 *resolut. moral. tract. ult. res.* 3, qui egregie istam sententiam defendunt.

Addimus præterea aliud exemplum ; etenim in prima tonsura intervenit aliqua hominis consecratio, non quæ imprimat characterem, cum tonsura illa Sacramentum non sit, ut tradit Suarez *de Sacrament. disp.* 1, *sect.* 2, *de Religione, lib.* 4, *cap.* 9, § 5, sed quæ in subjecto relinquit capacitatem, sive dispositionem passivam ad Ordines : unde qui tonsuratus denominatur, non solum habet respectum ad benedictionem præteritam, sed etiam aliquem moralem effectum præsentem, in quo præcedens consecratio potest dici moraliter permanere; et tamen certum est, Pontificem non posse a tonsurato hujusmodi consecrationem auferre, alias prima tonsura posset reiterari, quod est omnino falsum : ergo ex eo, quod solemniter professus denominetur consecratus a consecratione præterita, quæ aliquam obligationem in eo reliquit, non sequitur quod Pontifex valeat consecrati denominationem ab illo tollere, atque ideo nec obligationem continendi illi consecrationi essentialem, sicut nec illam posset auferre ab Episcopo, nec a tonsurato, si talis obligatio Episcopatui, et tonsuræ essentialiter conveniret. Exemplum vero virginis per simplex votum consecratæ, a Suario allatum statim diluemus *num.* 99.

Suarez.

Objectiones.

98. Nec refert, si contra rationem D. Thom. opponas *primo*, quia quamvis calix sit consecratus, tamen potest urgens adeo necessitas occurrere, ut liceat illum adhibere ad usum non sacrum, utputa si quis moreretur, nisi ex calice biberet : ergo quamvis religiosus Deo sit consecratus, potest nihilominus necessitas tam magna occurrere boni commnis, ut ei liceat matrimonii actus. *Secundo*, quia omnis religiosus est Deo consecratus, siquidem nullus est religiosus, qui se Deo non tradat, ut sæpius supra diximus, et in hac traditione illam consecrationem constituimus ; et tamen certum est, Pontificem posse dispensare cum aliquibus religiosis, ut contrahant matrimonium, cum illis videlicet, qui tales sunt emittendo tria simplicia vota in Societate : ergo idem indulgere poterit solemniter professis, licet consecrati sint. *Tertio*, quia Sacerdotes sunt Deo consecrati ; et tamen potest Papa cum Sacerdote dispensare, ut uxorem ducat : ergo et cum religioso, licet consecratus sit. *Quarto*, quia si ratio D. Thomæ convinceret, probaret nec Deum posse facere, quod religiosus non sit religiosus, sive ipsi consecratus ; quod tamen est plane absurdum. Sequela ostenditur ; nam religiosus denominatur consecratus per habitudinem ad professionem præteritam ; Deus autem efficere non potest, quod professio non præterierit, cum ad præteritum non detur actio : ergo si discursus D. Thom. aliquid valet, probat etiam quod sicut Pontifex, ita et Deus non possit efficere de religioso, et consecrato non religiosum, et non consecratum.

Diluitur prima.

Eæ, inquam, objectiones non referunt. Ad primam, concesso antecedenti, negamus consequentiam quæ si legitime inferretur, fieret quod sicut calix manens consecratus, et conservans consecrationem potest in aliquo casu raro deservire usui non sacro : ita religiosus manens religiosus, et conservans statum religiosi posset contrahere matrimonium : quod est plane falsum ; siquidem votum continentiæ est essentiale tali statui, quippe qui absque tali obligatione dari non potest, ut supra ostendimus *num.* 94, et concedunt communiter Adversarii. Disparitas ergo inter illud exemplum, et rem præsentem est, quod actus bibendi ex calice in extrema aliqua necessitate, licet sacer non sit, tamen nec est calicis consecrationi contrarius, cum nec destruat ejus formam, nec afferat aliquam indecentiam habituali consecrationi repugnantem, ut ex se liquet. Usus vero, aut actus matri-

monii nequit esse licitus, nisi supposito quod homo contraxerit matrimonium, et habeat statum uxorati. Quod cum statu præcedenti religiosi cohærere non potest, ut diximus *num. citato*. Aliunde autem prædictus religiosi status importat consecrationem, quæ per nullum actum humanum auferri valet, ut hactenus ostendimus, et exemplo calicis constat. Unde fieri non valet, quod religioso solemniter professo reddatur licitus usus matrimonii ; nec enim potest consecrationem deponere, neque obligationem continendi illi consecrationi essentialem a se excludere, neque cum tali consecratione, ac obligatione componere statum, in quo liceat actus matrimonialis. Et in hoc stat robur rationis Doctoris Angelici.

Satisfit secundæ. 99. Ad secundam, omittendo præmissas, negamus consequentiam, quæ etiam, si bene inferretur, probaret non esse necessariam dispensationem Pontificis, ut solemniter professus desineret esse religiosus, et posset uxorem ducere, quod Adversarii minime admittent. Sequela patet ; nam qui in sacra Societate fiunt religiosi emittendo tria simplicia vota, non indigent dispensatione Pontificis, ut desinant esse religiosi ; sed non religiosi fiunt per hoc, quod a Prælatis Societatis dimittantur, et sic dimissi absque alia dispensatione possunt matrimonium contrahere, ut constat ex dictis *a num.* 40. Si ergo similitudo aliquid valet, probat utique solemniter professum posse absque dispensatione Pontificis exuere statum religiosi, et uxorem ducere. Discrimen itaque est, et quidem maximum inter religiosum per tria vota simplicia, et religiosum per professionem solemnem, quod ille non se dat, nec sacrat Deo omnino absolute, sed conditionate, quandiu videlicet non dimittatur a Superioribus ; nec isti illum acceptant omnino absolute, et in perpetuum, sed præcise quandiu ipsis placuerit illum in Societate conservare, ut supra *num.* 20 vidimus ex Vasquez. Unde consecratio ibi interveniens non est absoluta, nec perpetua, sed conditionata, et ad tempus permanentiæ in Societate; et consequenter mirum non est, quod deficiente conditione deficiat. Oppositum autem concurrit in solemniter professo ; nam et se omnino absolute, atque in perpetuum Deo consecrat ad servandum tria vota ; et omnino absolute, atque in perpetuum a Superioribus Dei nomine acceptatur ad talem finem. Quocirca prædicta consecratio est omnino absoluta, perpetuaque, ac subinde semel facta nequit per illum hominem aboleri.

Et hinc a fortiori constat ad exemplum illud virginis Deo consecratæ per simplex virginitatis votum, quo utebatur Suarez, ut vidimus *n.* 96. Nam prædictum votum minus consecrare valet, quam tria vota simplicia emissa in Societate, et constituentia religiosum. Sed addimus prædictum votum nullam proprie loquendo importare consecrationem, quia per illud non fit actualis donatio, et sacratio, sed sola promissio. Unde Pontifex dispensans in tali voto nullam proprie loquendo tollit consecrationem.

Occurritur tertiæ. Ad tertiam negamus consequentiam, quæ si legitime ex præmissis deduceretur, convinceret quod sicut Papa potest dispensare, ut Sacerdos manens Sacerdos et retinens talis status consecrationem uxorem ducat; ita posset dispensare, quod religiosus perseverans religiosus, et consecrationem talis status conservans traheret matrimonium. Quod quam falsum sit, constat ex dictis *num.* 94. Imo vero ex hac objectione magis firmatur nostra sententia ; nam si consecrationi sacerdotali essentialis esset obligatio continendi, Pontifex non posset dispensare, ut Sacerdos contraheret matrimonium, quippe qui tollere non valet consecrationem sacerdotalem, cui obligatio continendi essentialis foret. Cum ergo consecrationi religiosæ sit essentiale votum castitatis, et Pontifex nequeat facere, quod semel Deo consecratus exuat consecrationem, ut hactenus ostendimus, sequitur quod non possit dispensare cum religioso professo, ut uxorem ducat. Unde Abulensis *loco supra citato*, § *Sed adhuc*, inquit : « Nemo dubitare debet, « quin Papa posset cum quolibet Presbytero « dispensare, quod accipiat uxorem, vel « ministret in sacris; quia ex sola Ecclesiæ « constitutione hoc » (nempe quod uxores non habeant), « factum est. Cum autem « dicunt plurimi Doctores Canonistarum, « quod obligatio ad continentiam in pro- « fessis provenit ex solemnitate Ecclesiæ, « errant; quoniam non factum est per ali- « quam constitutionem Ecclesiæ, sed pro- « venit ex substantia regulæ monachalis. « in substantialibus autem Papa non potest « dispensare, quia includit contradictio- « nem, quod aliquis sit talis, qualis deno- minatur,

Abule

No

minatur, et careat substantia rei, quæ « eum talem facit, scilicet quod sine albedine sit albus, cum per albedinem quis « albus sit. Ita monachum esse oportet, « quod aliquid includat substantialiter, id « est, quod habeat aliquid substantialiter « requisitum ad hoc, quod sit monachus, « quia quælibet res habet aliquid substantiale sibi ; sed nullum alterum est substantiale monacho, per quod differat a non « monachis, nisi per obligationem ad continentiam, et abdicationem proprii, et « obedientiam : ergo non poterit Papa dispensare faciendo, quod aliquis sit monachus, et careat aliquo istorum. Istam rationem assignat manifeste Papa in allegato cap. Cum ad monasterium, ubi cum « dicitur, quod Summus Pontifex non potest super continentia, et paupertate licentiam indulgere, et subditur causa, « non dicitur ibi hoc esse, quia votum solemnizatum est, sed quia ista annexa « sunt regulæ monachali. Ordini autem « sacro non est annexa continentia, et ideo « potest dispensare in Presbyteris secularibus, et non in religiosis, ut supra dictum est. Occasio autem errandi Juristis « est, quia vident, quod votum simplex « continentiæ non dirimit matrimonium « contractum, votum autem solemne dirimit : putant ergo, obligationem voti esse « ex solemnitate ejus. Sed falsum est, « quoniam potius est ex substantia religionis. »

Dissolvitur quarta.

100. Ad quartam, et ultimam respondetur, diluendam etiam esse ab Adversariis, si ab eis inquiramus, an Deus facere possit, quod calix semel consecratus, et retinens formam calicis, desinat esse consecratus? Et ipsi nos docebunt modum occurrendi eorum objectioni. Si enim non reputant inconveniens, quod Deus id efficere non valeat, nec inconveniens reputare debent, quod nequeat non religiosum efficere eum, qui semel consecratus est per professionem solemnem. Si vero dicant, posse Deum efficere illud prius, non obstante quod calix sit permanenter consecratus per habitudinem ad consecrationem præteritam, quæ nequit non esse præterita, idem responsum habebunt circa solemniter professum ; militat enim eadem similitudo, ut ex se liquet. Et hæc posterior responsio verosimilior videtur, quia non apparet contradictio in eo, quod Deus titulo supremi dominii destinet habitualiter calicem consecratum usibus non sacris, in quo casu destrueret ejus consecrationem ad sacrum usum, quippe non cohæret, quod calix sit habitualiter destinatus ad actiones sacras, et ad actiones non sacras, cum inter hujusmodi habituales destinationes detur virtualis contradictio. Et ex eodem dominio poterit solemniter professum destinare, et obligare ad vitam secularem, et sic destruere præcedentem ejus consecrationem ad vitam religiosam. Nec hinc infertur, quod Pontifex valeat consecrationem religiosi sua dispensatione destruere : tum quia oppositum constat exemplo calicis ; licet enim possit Deus consecrationem ab eo amovere, conservata ejus substantia, et figura ; nihilominus Pontifex nullam habet potentiam, ut calix semel consecratus, quandiu calicis formam conservat, desinat esse calix destinatus ad sacros usus : idemque dicendum est de solemniter professo, ut similitudo evincit. Tum quia Pontifex nequit religiosum obligare ad vitam secularem, aut matrimonialem cum statu habitualiter consecrati incompossibilem ; atque ideo nequit in eo ponere statum, aut formam, per quæ habitualis consecratio excludatur. Unde nullo modo efficere valet, quod religiosus non sit religiosus.

§ III.

Duplex aliud motivum pro vera D. Thomæ sententia.

Secunda assertionis ratio.

101. Secundo probatur eadem assertio alia ratione desumpta ex D. Thom. *in* 4, *dist.* 38, *quæst.* 1, *art.* 2, *et art.* 3 *ad* 3, quæ potest sic formari : quia Pontifex rem alicui traditam, et sub ejus dominio existentem nequit ab illo auferre. Sed religiosus per professionem solemnem Deo perfecte traditur, et sub ejus speciali dominio constituitur : ergo Pontifex nequit cum eo dispensare, ut contrahat matrimonium. Consequentia patet ex præmissis, quia si talis dispensatio subsisteret, religiosus semel Deo traditus auferretur a Deo, desineretque esse sub ejus speciali dominio. Minor vero constat ex supra dictis *a num.* 39. Major etiam liquet inductive ; nam Pontifex nequit rem Petri, sub ejusque dominio existentem ab illo auferre, utputa domum, vineam, vestem, etc., nec ad hoc accepit potestatem a Christo, alias Pontifex non posset

committere furtum auferendo aliorum bona, quod est falsum, et ridiculum.

Effugium. 102. Nec refert si dicas majorem hujus argumenti verificari per se loquendo, secus vero si occurrat ratio boni communis; tunc quippe potest princeps superior rem unius particularis ab eo auferre, et in alterum transferre, ut patet in præscriptionibus; earum quippe leges dominium unius transferunt in alium propter bonum publicum, scilicet ad vitandas lites, et ne rerum dominia maneant incerta. Sic ergo Pontifex, si magnum immineat boni communis periculum, nisi religiosus contrahat, poterit illum a religionis statu extrahere, et tradere in dominium uxoris validum matrimonium.

Præcluditur. Hoc, inquam, minime satisfacit; quia Princeps superior ob bonum commune potest rem unius in alium transferre, quando uterque est sub ejus jurisdictione, et ad talis boni communis conservationem obligatur; tunc quippe quilibet particularis tenetur cedere juri proprio, atque ideo nulla in tali ablatione intervenit injuria, aut injustitia, quippe cum res non auferatur a domino rationabiliter invito. Secus contingeret, si persona, a qua res aufertur, non subderetur jurisdictioni talis Principis, nec obligaretur ad bonum commune, cui ille providet; nam in eo casu res non posset ab eo auferri absque injuria, et injustitia; imo vero nulla esset in tali Principe potestas ad similem ablationem, ut satis ex se liquet. Religiosus per solemnem professionem traditur perfecte Deo, et constituitur sub speciali dominio ipsius, et certum est Deum non subdi jurisdictioni Pontificis, nec aliqua lege obligari ad cedendum proprio juri ob aliquod bonum commune, quippe qui est super omnem legem est ratione boni a se distincti. Unde Pontifex nullam habet potestatem ad extrahendum religiosum ab illa traditione, et continentia speciali sub Dei dominio; quod faceret si sua dispensatione de religioso redderet non religiosum. Et hoc faciendo injuriam, et injustitiam committeret contra jus speciale, quod Deo per professionem quæsitum est: sicut eodem modo peccaret Princeps, qui a non sibi subdito, et non obligato ad finem, cui ipse providet, rem auferret.

Alia evasio. 103. Nec satisfacit, si iterum dicas hæc convincere, quod Pontifex illum effectum præstare nequeat ex potestate humana, et ordinaria, secus vero potestate extraordinaria, et divina accepta a Christo Domino illis verbis, *Pasce oves meas;* per quæ intelligitur recepisse facultatem ad omnia, quæ necessaria sunt pro bono communi totius Ecclesiæ. Contingens autem est, pro illius conservatione requiri, quod religiosus contrahat matrimonium, utputa si aliter periclitaretur fides catholica alicujus regni. Unde in tali casu, cum Pontifex dispensat, Deus cedit speciale illud jus quod ex religiosi professione acquisierat; atque ideo nulla ipsi fit injuria, vel injustitia. Quæ responsio juvatur exemplo votorum simplicium; nam per illa adquiritur Deo aliquod speciale jus, sicut per quamlibet promissionem acquiritur promissario; et tamen certum est apud Catholicos, posse Pontificem dispensare in votis simplicibus.

Non, inquam, hoc satisfacit; quia cum certum sit religiosum per professionem selemnem Deo perfecte tradi, et sub speciali ejus dominio constitui, ut Pontifex posset illum a tali dominio extrahere, opus erat, quod certo constaret de tali potestate; alioquin dispensando injuriam, et injustitiam faciet contra jus alterius sub ejus jurisdictione non constituti. Quod autem hanc potestatem habeat, non certo constat. Non quidem ratione; nam hactenus proposita potius suadet contrarium. Nec etiam traditione Ecclesiæ, quia non datur talis traditio, cum major, et melior pars Theologorum neget Pontifici talem potestatem. Nec tandem ex Scriptura; nam illa verba Christi Domini sicut non evincunt, quod Pontifex habeat potestatem ad immutandum materias, et formas Sacramentorum, nec ad dispensandum in matrimonio consummato; ita neque probant, quod possit dispensare cum solemniter professo, et illum extrahere ab speciali dominio Dei. Sicut enim ad bonum commune Ecclesiæ apparet aliquando necessarium, quod religiosus ducat uxorem vel pro pace regnorum, vel pro fide in eis conservanda: ita etiam apparet necessarium, quod Rex qui contraxit, et consummavit matrimonium cum uxore, cui supervenit impotentia, contrahat matrimonium cum alia, ex qua habeat filios: apparet etiam necessarium, quod in remotissimis regionibus, in quibus non reperitur panis triticeus, nec vinum, nec oleum, conficiatur Eucharistia in alia materia, et Extrema unctio fiat cum alio liquore: hujusmodi quippe Sacramenta sunt valde necessaria ad conservandam fidem in quolibet

libet regno. Et tamen licet Christus verbis relatis commiserit Pontifici curam Ecclesiæ, non intelligitur ei dedisse potestatem ad tales effectus : ergo idem dicendum est in nostro casu. Et ratio utrobique est eadem, quia sicut in Sacramentis, et matrimonio contracto possessio stat institutione Christi, a qua non licet recedere : ita etiam in nostro casu possessio stat pro jure certo, quod Deo per religiosi professionem a Christo approbatam, et institutam adquisitum est. Et Christus satis providit Ecclesiæ præveniendo ea, quæ sunt per se : illi autem casus sunt raro contingentes, et per accidens ; unde ut eis occurratur, alia remedia quærenda sunt.

Exemplum oppositum infirmatur.

Nec exemplum votorum simplicium, quo fulciebatur responsio, urget : tum quia quod Pontifex possit in eis dispensare, constat ex communi traditione Ecclesiæ Catholicæ, per quam traditionem Deus nobis manifestat solvere eorum vinculum dispensante Pontifice : talis autem, vel similis traditio non datur circa dispensationem in professione solemni. Tum ob disparitatem satis notam; nam vota simplicia tantum sunt promissio, per promissionem autem non extrahitur res a dominio promittentis : unde sicut promittens manet sub jurisdictione Pontificis, ita et res ab illo promissa ; atque ideo potest Pontifex rem voto promissam a promittentis dominio extrahere, aut ordinare ad alium finem, quo supposito promittens manet liber a voti adimpletione. At professio solemnis non est sola promissio, sed perfecta profitentis traditio sub speciali dominio Dei; et res semel Deo tradita, et sub ejus dominio constituta, nequit per ullam creatam potestatem ab illo auferri, ob superius dicta.

Objectio.

104. Sed objicies : cum homo ordinatur Sacerdos, se Deo tradit ad ejus cultum : sed hoc non obstante, potest Pontifex cum eo dispensare, ut ducat uxorem : ergo idem indulgere poterit solemniter professo, licet se Deo tradiderit.

Et confirmatur ; nam illi qui in Societate fiunt religiosi per tria vota simplicia, se tradunt Deo ; et nihilominus certum est, posse Pontificem cum eis dispensare ad contrahendum matrimonium : ergo idem quod prius.

Respondetur objectioni negando consequentiam, quia Pontifex dispensando cum Sacerdote, ut ducat uxorem, non destruit priorem traditionem per consecrationem ordinis sacri ; sed tantum aufert obligationem continendi, quæ non est essentialis tali traditioni, sed per jus ecclesiasticum illi traditioni annexa ; in quo jure Pontifex dispensare potest ut ex se liquet. At votum castitatis est de essentia traditionis perfectæ per solemnem professionem; unde sicut Pontifex non potest efficere, quod solemniter professus non sit Deo traditus, et sub ejus speciali dominio ; ita nec efficere valet quod non sit ligatus illo voto, ac subinde nec quod possit contrahere matrimonium. Sicut non posset dispensare cum Sacerdote ad contrahendum matrimonium, si votum continentiæ esset de essentia ordinis sacerdotalis.

Ad confirmationem constat ex sæpius dictis: nam religios is acræ Societatis per simplicia vota non se tradunt Deo ad illa vota servanda omnino absolute, sed restricte, et sub conditione, videlicet ad servandum illa in Societate, et quandiu ab illa non dimittantur. Unde nec indigent dispensatione Pontificis ad contrahendum matrimonium; sed per hoc, quod a Societate dimittantur, manent liberi a votis, et possunt uxores ducere, ut ex Vasquez vidimus *num* 40. Alia autem ratio est votorum solemnis professionis; per hæc enim religiosus absolute, et perfectissime traditur Deo, et constituitur sub ejus dominio ad servandum tria consilia, paupertatis, castitatis et obedientiæ : quod dominium nulla potestas creata violare potest, applicando ad usus humanos, quæ sub ea sunt, ut constat ex dictis.

Tertium assertionis motivum.

105. Probatur ultimo assertio nostra alio fundamento nam strictius vinculum importat professio solemnis, quam matrimonium ratum non consummatum : sed Pontifex nequit dispensare, ut dissolvatur vinculum matrimonii rati non consummati : ergo dispensare non valet ut dissolvatur vinculum professionis solemnis, et ut ille, qui sub eo fuerat, maneat liber, et aptus ad matrimonium contrahendum. Consequentia videtur manifesta ; nam qui non habet potestatem ad minus, nec habet ad majus. Minor vero probatur ex verbis Christi Domini, Matthæi 19 : *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet :* quibus declaravit vinculum matrimonii non esse dissolubile per potestatem humanam. Major denique constat ex dictis *dub.* 5, ubi ostendimus, professionem solemnem jure divino dis-

Matth. 19.

solvere matrimonium ratum non consummatum ; id vero quod aliud dissolvit, fortius eo est.

Effugium. 106. Huic argumento quidam occurrunt negando minorem; quia censent Pontificem posse dispensare, ut dissolvatur matrimonium ratum non consummatum, non quidem humana, et ordinaria potestate, sed extraordinaria, et divina, concessa specialiter a Christo Domino, ubi occurrerit necessitas aliqua magna boni communis eam dissolutionem exigentis. Et ad verba Christi Domini respondent, vel referenda esse ad matrimonium consummatum, vel negari separationem per potestatem humanam.

Confutatur. Sed hæc responsio, quæ frequentior est apud Canonistas, quam apud Theologos, refellitur : tum quia non habet solidum fundamentum; sicut enim potest apparere necessarium ad bonum commune, quod dissolvatur matrimonium ratum; ita et quod dissolvatur consummatum, ut facile consideranti constabit : et sicut Pontifex dicitur posse dissolvere ratum per potestatem extraordinariam, ita etiam potestate extraordinaria posset dissolvere consummatum : ergo vel datur fundamentum ad utrumque, vel ad neutrum. Atqui certum est, Pontificem nullo modo posse dissolvere matrimonium consummatum : ergo nec potest dissolvere ratum; vel si hoc potest, cur non poterit illud? Unde aliqui Canonistæ hoc argumento oppressi concedunt quod Papa possit matrimonium consum-
Covarr. Enriq. matum dissolvere, ut referunt Covarruv. 4 *decret.* 2 *p. cap.* 7, § 4, et Enriquez *lib.* 11, *de matrimonio, cap.* 2, *num* 3, *in comment. litt. T.* Sed errant vehementer in re gravissima, ut contra hæreticos ostendit
Bellarm. Bellarm. *lib.* 1, *de matrim. cap.* 15. Tum etiam, quia quod matrimonium ratum sit jure naturali, et divino indissolubile, certo
Conc. Trid. nobis constat, et satis aperte docet Trid. *sess.* 24, *in principio*, illis verbis · « Matri-
« monii perpetuum, indissolubilemque ne-
« xum primus humani generi parens divini
« Spiritus instinctu pronuntiavit, cum di-
« xit : Hoc nunc os ex ossibus meis. » Quæ verba divit Adamus ante carnalem conjunctionem cum uxore. Unde possessio, et præsumptio stat pro indissolubilitate matrimonii rati respective ad quamlibet potestatem creatam, nisi oppositum constet ex Dei verbo vel scripto, vel tradito. Pontificem vero posse illud dissolvere, nec docet Scriptura, vel designetur locus ; nec firmat traditio, cum plures, et meliores Theologi doceant oppositum. Ergo sine fundamento dicitur, quod Pontifex valet matrimonium ratum dissolvere. Tum denique, quia fini matrimonii magis opponitur ejus dissolutio, quam pluralitas uxorum ; illa enim opponitur ipsum destruendo, hæc vero opponitur aliam uxorem addendo sine exclusione prioris; et sicut pro bono communi apparet aliquando necessarium, quod matrimonium ratum dissolvatur; ita apparet necessarium, quod rex, v. g. post consummatum matrimonium cum una, ex qua non suscipit filios, ducat simul alteram, ex qua filios habeat; quo non obstante, certum est, Pontificem non posse dispensare in pluralitate uxorum : ergo nec dispensare valet, ut dissolvatur matrimonium ratum. Si enim non obstante, quod uxorum pluralitas non sit adeo contra matrimonii finem, et quod hoc remedium videatur aliquando interesse ad commune bonum; nihilominus non habemus fundamentum, ut dicamus Christum per illa verba, *Pasce oves meas*, delegasse Pontifici extraordinariam quandam potestatem, ut in tali eventu dispensaret circa pluralitatem uxorum; nullum profecto adest fundamentum, ut dicatur demandasse illi potestatem, ut quandoque dissolveret matrimonium. Cætera quippe paria sunt, et aliunde naturæ, et fini matrimonii elevati per Christum ad rationem Sacramenti magis adversatur dissolubilitas per potestatem creatam, quam uxorum pluralitas per eandem potestatem. In quo non amplius immoramur, quia pertinet ad tractatum de Matrimonio. Sed pro majori hujus veritatis confirmatione videantur Covarruv. *loco cit.* Gutierrez *lib.* 1, *quæst.* Gutierr
can. cap. 17, Cano *lib.* 6, *de locis, cap.* 8, Cano. Lopez.
Lopez 2 *p. Instruct. de matrimon. cap.* 54, Ledesma *in addit. ad* 3, *part. quæst.* 67, Ledesm
art. 2, *dub.* 1, ubi affirmat oppositum esse improbabile. Quod nos ea nota non percellimus quia illud tuentur plurimi Canonistæ, et non pauci Theologi, quos refert, et sequitur Sanchez *lib.* 2 *de matrim. disp.* 14, Sanch
a n. 2. Sed pro majori probabilitate assertionis, quam tuemur, sufficit quod principium in hoc argumento assumptum sit longe probabilius, ut revera est.

107. Confirmatur primo, quia si Pontifex Confirmatio præcedenti motivi potest dispensare cum religioso solemniter professo ad contrahendum, fieri potest quod idem homo simul habeat plures uxores. Verbi gratia, Petrus post matrimonium ratum

ratum cum Maria solemniter profitetur : rursus dispensante Papa fit liber a professione, et uxorem ducit Antoniam : habebit utique duas uxores. Imo fieri poterit, quod eandem mulierem sæpius ducat in uxorem, et cum ea repetat Sacramentum matrimonii; dispensatus quippe poterit sicut cum Antonia, ita et cum Maria contrahere. Hæc autem non parvam præseferunt absurditatem, ut ex se constare videtur.

Subterfugia et eorum impugnatio.

Et si Adversarii respondeant, quod sicut hoc non esset inconveniens, si Petrus moreretur, et resurgeret; ita neque est absurdum, si idem contingat in solemniter professo; quia ipsa professio est quædam spiritualis mors in ordine ad dissolvendum matrimonium ratum. Id, inquam, si respondeant, ex ipsa sua responsione confutandi sunt; nam si professio solemnis est mors hominis in ordine ad secularia, quomodo Papa potest solemniter professum resuscitare in ordine ad matrimonium? Profecto si responsio aliquid valet, non magis curandum est de solemniter professo, ut per ejus matrimonium provideatur alicui necessitati, quam de realiter mortuo : unde ad alia media oportet recurrere, et non ad dissolvendum professionem.

Et si addant, posse hanc resurrectionem fieri authoritate Pontificis, quia ipsa mors spiritualis in professione solemni interveniens, et præteritum matrimonium ratum dissolvens, ejus authoritate fit, quippe qui professionis solemnitatem introduxit. Hoc, inquam, si addant, confutatur ex dictis *dub.* 5, ubi ex professo ostendimus vim illam, qua solemnis professio dissolvit matrimonium, non esse ex jure ecclesiastico, sed ex divino, sive ex institutione Christi Domini. Unde sicut Pontifix non induxit hanc spiritualem mortem, ita nec illam potest dispensando excludere. Et id quod dicitur de solemnitate professionis, nihil valet; quia professio non dirimit matrimonium ratum per solemnitatem, formulam, aut cæremoniam, sub qua Pontifex instituit illam fieri; sed per essentiam, et privilegium, quæ non habet a Pontifice, sed a Christo Domino, ut sæpius in dubiis antecedentibus explicuimus.

Firmatur idem motivum.

108. Confirmatur secundo, et augetur vis argumenti, quia non est minus firmum vinculum professionis solemnis, quam vinculum matrimonii consummati : sed hoc nequit dissolvi per dispensationem Pontificis : ergo nec illud. Minor, et consequentia constant. Major autem probatur : tum quia per se loquendo, et cæteris paribus, non est minus firmus perfectior, quam imperfectior, cum firmitas conducat ad perfectionem. Sed status professionis solemnis est perfectior, quam status matrimonii consummati, ut fides docet : ergo vinculum professionis solemnis non est minus firmum, ac vinculum matrimonii consummati. Tum etiam, quia possibile est aliquod vinculum spirituale ita firmum, ac vinculum carnale matrimonii consummati : sed professio solemnis est perfectissimum vinculum spirituale, cum homo per illam se totaliter tradat Deo, et se transferat in ejus dominium, abdicando a se cuncta tali traditioni contraria : ergo vinculum professionis tantam firmitatem importat, quantam vinculum matrimonii consummati.

Solutio ex Suario.

Nec satisfacit disparitas, quam Suarius assignat, nempe in matrimonio consummato inveniri specialem rationem indissolubilitatis, tum propter perfectam significationem unionis Christi cum Ecclesia, tum propter damnum, quod redundaret in uxorem, et prolem. Quæ ratio non reperitur in professione solemni, et aliunde ejus perfectio non diminuitur ex hoc, quod dissolubilis sit per subordinationem ad extraordinariam Pontificis potestatem, ubi communis aliqua necessitas imminet.

Refellitur.

Non, inquam, satisfacit hæc disparitas; sed potius omnia, quæ affert, sunt insufficientia, possuntque efficaciter refelli. *Primo*, quia ut matrimonium consummatum perfecte significet unionem Christi cum Ecclesia, satis est quod ex sua natura, et secundum providentiam ordinariam sit vinculum indissolubile, nec refert quod absolute possit dissolvi per extraordinariam potestatem Pontifici concessam; sicut certum est, posse dissolvi de potentia Dei absoluta. Cur ergo occurrente gravi illa necessitate, in qua Adversarii dicunt Pontificem posse dissolvere professionem solemnem, non poterit dissolvere etiam matrimonium consummatum? Præsertim cum ab intrinseco, et ex natura sua non sit vinculum magis firmum. *Secundo*, quia occurrente tali necessitate, fieri posset, quod ex dissolutione matrimonii consummati nulla injuria inferretur uxori, aut proli : huic, quia forte non esset : illi vero, quia in talem dissolutionem consentiret, aut consentire deberet propter bonum commune; consentienti autem non fit injuria.

Tertio, quia si non diminuit perfectionem professionis solemnis, quod sit dissolubilis, non quidem per se, et ex natura rei, sed per subordinationem ad extraordinariam, et divinam quandam potestatem Pontificis; pariter non diminuet perfectionem matrimonii consummati, quod sit dissolubile, non quidem per se, et ex natura rei, sed per subordinationem ad eandem extraordinariam, et divinam Pontificis potestatem. Profecto ex parte utriusque vinculi eædem rationes proportionabiliter apparent, et utriusque dissolutio videtur aliquando necessaria ad succurrendum bono communi, ut facile consideranti constabit. Ergo dicendum est, Pontificem vel nullo modo posse dissolvere vinculum professionis solemnis, vel posse dissolvere vinculum matrimonii consummati : cumque hoc posterius sit omnino falsum, imo et erroneum, oportet tenere illud prius, et fateri, quod Pontifex in nullo potest dispensare cum solemniter professo, ut contrahat matrimonium.

§ IV.

Refertur opinio contraria, ejusque fundamenta diruuntur.

Sententia opposita.

109. Oppositam sententiam tuentur communiter Juristæ, Joannes Andreas, Cardinalis, Abbas, Hostiensis, Baldus, Felinus, Ancharanus, Tiraquellus, Navarrus, Gregorius Lopez, Antonius Gomez, Menochius, Menchaca, et alii plurimi, quos refert, et sequitur Sanchez *lib.* 8 *de Matrimon. disp.* 8, *num.* 7. Idem ex Theologis defendunt Durand. *in* 4, *dist.* 38, *quæst.* 2, *num.* 8, ubi Richardus *art.* 9, *quæst.* 1 Supplement. Gabriel. *quæst.* 1, *art.* 5, *dub. penult.* Gandavensis *quodlibet.* 5, *quæst.* 28, Medina *de sacrorum hominum continentia, cap.* 21, Henriquez *lib.* 12, *de Matrimon. cap.* 5, *num.* 7, Valentia *in hac* 2, 2, *disp.* 6, *quæst.* 6, *punct.* 7, Azor. *lib.* 12 *Instit. moral. cap.* 7, *quæst* 1, Basilius Pontius *lib.* 7, *de Matrimon. cap.* 10, *num.* 2, Suarez *tom.* 3, *de Relig. lib.* 6, *cap* 16, *num.* 5, et alii plures apud illos, et apud Dianam *part.* 8, *tract.* 1, *resol.* 73. Eidem etiam opinioni suffragantur ex Thomistis Paludanus *in* 4, *dist.* 28, *q.* 4, *art.* 4, *concl.* 11, Hervæus *quodl.* 11, *q.* 3, Cajetanus *in hac* 2, 2, *q.* 88, *art.* 11, et Arauxo *in decis. canonic. tract.* 2, *quæst.* 19, *num.* 40. Præcipua hujus opinionis fundamenta consistunt in evasionibus, et responsionibus, quibus nostra motiva diluere conatur, et jam præclusimus. Sed alia supersunt, quibus satisfacere oportet.

Canon. Sanch. Durand. Richard. Gabr. Medina. Henriq. Valent. Azor. Pontius. Suarez. Palud. Herv. Cajet. Arauxo

Primum argumentum.

Arguitur primo : Quia Pontifex de facto dispensavit cum solemniter professis, ut contraherent matrimonium : ergo potest in hoc dispensare. Consequentia patet, quia factum Superioris, et præsertim Summi Pontificis, cui assistit Spiritus sanctus ad gubernandam Ecclesiam, censetur legitimum, ut constat *ex cap. Ad aures, de tempor. ordinand. et cap. Quid culpatur*, 23, *quæstione prima* : ergo si Pontifex in aliquo dispensat, potest in eo dispensare. Antecedens vero ex variis historiis probatur ; nam ut refert Anchar. *consil.* 339, Pontifex dispensavit cum Ramiro monacho, et Sacerdote ex stirpe regum Aragoniæ, ut propter defectum successoris uxorem duceret, ex qua habuit filium, qui successit in regno. Alexander III, ut inquit Surius statim referendus, vel Cœlestinus III, ut ait Cajetan. *ubi supra*, dispensavit cum Constantia filia Regis Siciliæ, ut nuberet Henrico filio Imperatoris Friderici Barbarosæ. Surius etiam *tom.* 1, *die* 8 *Januarii*, refert ex Bernardo Justiniano *in vita S. Laurentii Justiniani, cap.* 1, Alexandrum III, dispensasse cum Nicolao monacho de familia Justinianorum, ut uxorem duceret, ut familiam illam bello fere extinctam repararet. Alii ex Martino Chromero *lib.* 4, *de rebus gestis Polonorum*, referunt, quod Benedictus IX ad eorum petitionem dispensavit cum Casimiro filio Regis Poloniæ, et monacho Cluniacensi, ut posset uxorum ducere. Et tandem Suarez *ubi supra, num.* 6, addit : *Denique nostris etiam temporibus aliquando hoc factum esse dicitur.*

Anchar. Surius. Mart. Chrom.

Urgetur vis hujus argumenti ; nam istæ dispensationes fuerunt validæ, aut non fuerunt validæ? Si eligatur hoc ultimum : ergo non stamus facto, et sententiæ Summi Pontificis contra canones allegatos Si vero eligatur primum : ergo ex ipso facto Summi Pontificis manet veritas hujus sententiæ approbata, et diffinita.

Respondetur huic argumento negando antecedens, ad cujus probationem respondemus cum Sylvestro, Soto, Joanne Nicolaï, et Gonet ubi supra *numero* 91, negando omnes illas historias, quæ facile convincuntur falsitatis, aut saltem maximæ incertitudinis

Respon-sio.

titudinis. De Ramiro (quem quidam dicunt fuisse Abbatem S. Facundi, deinde Episcopum, primum Burgensen, deinde Pampilonensem, et tandem Balbastrensen,) nulla certa notitia est apud graves Historiographos, et multo minus quod obtinuerit dispensationem a Pontifice. Videantur Joannes Nicolai, et Abraham Bzovius *anno* 1186, *num.* 5.

Bzovius.

Baron. De Constantia inquit Baronius ad annum 1186 : « Quod autem ex recentioribus plures asserunt Constantiam moniales fuisse, scias fabulosum esse, atque commentum fortasse inde excogitatum, quod ipsa asservata fuisset in Monasterio, ut si defuisset Regibus mascula proles, spes esse potuisset nubendi Regi cum dote regni. » Sicut aliæ puellæ ob eundem finem in monasteriis constitui solent ; et modo in Lusitania apud nostras Moniales asservatur Domina Maria soror Regis.

Historiam etiam de Nicolao Justiniano monacho refellit idem Baronius : ex quo Gonet observat Authorem hujus historiæ duo inter se pugnantia scripsisse; ait enim Alexandrum III, cum Nicolao Justiniano dispensasse, et B. Laurentium Justinianum ejus filium claruisse tempore Eugenii IV, et ab eo Episcopali infula insignitum fuisse. Quæ duo inter se pugnant, quandoquidem Alexander III Eugenium plusquam ducentis annis præcessit. Prior enim obiit anno 1181, posterior vero creatus est anno 1431.

Ut Casimirus relinqueret monasterium, necesseria non erat dispensatio, quia ipse non erat vere professus, sed coactus fuerat in monasterio vivere, ut observant Gonet ex Longino, et Joannes Nicolaï ex libro inscripto *Gallia Christiana*.

Id quod addit Suarez, ex ipso modo, quo refertur, significat quandam famam incertam, et vagam, qualis spargi solet, quæque nullam fidem meretur. Unde augmentum difficultatis nihil premit, cum id quod supponit, non subsistat. Possemus autem falsitatem prædictarum historiarum operosius, apertiusque detegere, et ostendere inconstantiam, contrarietatemque Authorum in designando Pontifices, quos dicunt sic dispensasse ; sed nolumus in re non Theologica diutius immorari, remittentes Lectorem ad Authores allegatos.

Aperitur infirmitas argumenti. 110. Addimus prædictas historias, licet admittantur, non extorquere nisi assensum probabilem aut fidei humanæ fallibilis. Unde tantum evincunt hanc modalem : *Probabile est, et credibile fide humana fallibili, quod Pontifex aliquando dispensavit cum solemniter professis ad contrahendum matrimonium.* Ex qua non recte infertur : *Ergo Pontifex de facto dispensavit;* sed tantum colligitur hæc modalis : *Probabile est, quod Pontifex de facto sic dispensavit.* Hoc vero admisso, adhuc non infertur, quod absolute possit dispensare, sed duntaxat sequitur, esse probabile, et credibile fide humana fallibili, quod Pontifex possit talem dispensationem conferre. Id vero minime negamus, sed plane concedimus contrariam nobis opinionem probabilem esse, saltem ab extrinseco, ob tot Authorum ipsi subscribentium multitudinem. Diximus, *fide humana fallibili*, ut significaremus prædictas historias non fundare fidem habenten moralem infallibilitatem, et certitudinem, quali fide credimus esse Romam, aut Indos ; quia omnes homines sic affirmant, nemine contradicente. Hujusmodi quippe fides non debetur illis historiis ob oppositam rationem, ut ex se liquet.

Alia argumenti solutio. Quod si alicui visum fuerit, eas historias, et antecedens, pro quo suadendo referuntur, admittere, adhuc non opprimetur argumento ; nam concesso Pontificem de facto dispensasse cum solemniter professis, non necessario colligitur, posse absolute sic dispensare, sed posse probabiliter. Ut enim Pontifex licite, et prudenter se gerat in dispensando, sufficit quod sequatur dictamen opinionis probabilis, qualis est affirmans, posse Pontificem cum professis solemniter dispensare : nec requiritur, quod evidenter, aut certo cognoscat se habere potestatem ad id, quod facit. Idque inductive potest manifestari in dispensationibus, et dispositionibus Pontificiis circa alias materias in quibus solent concurrere opiniones contrariæ probabiles. Nam potest quamlibet sequi, eamque sequens non diffinit, nec damnat contrariam. Sic dicitur aliquos Pontifices dispensasse in matrimonio rato, quia in praxi sequuti sunt opinionem probabilem asserentem posse Papam sic dispensare : alii vero non ausi sunt in matrimonio rato dispensare, qui judicarunt speculative esse certius, quod Papa non habet talem potestatem, ut vidimus *n.* 68. Ad probationem autem consequentiæ respondendum erit, aliud esse Pontificem facere de facto, aliud diffinire,

quod ita possit fieri; et ex primo non colligitur posterius, alias omnia facta Pontificum essent fidei diffinitiones, quod est absurdum ab eisdem minime intentum. Unde majoris authoritatis est actus Pontificis docentis, quam Pontificis facientis. Et ob hanc causam, inquit Soto *loco supra citato ex lib. de Justitia*, § *Quin age*, D. Thomas Innocentii potius canonem amplexus est, quam Cœlestini factum sequutus. Quod factum, si vere contigit, non poterat D. Thom. latere: tum ob notorietatem et majestatem personarum : tum quia non multis annis ante S. Doctorem accidisset. Soto.

Hinc qui prædictas historias admittit, augmento difficultatis occurret eligendo secundam dilemmatis partem, nempe tales dispensationes fuisse invalidas coram Deo, quia Pontifex non habet potestatem ad sic dispensandum, ut supra ostendimus. Nec impugnatio hujus partis urget; nam sic docentes adhuc stant facto, et sententiæ Pontificis; quippe fatentur Pontificem tuto, et prudenter sic dispensare, et dispensatos secure, ac bona fide contrahere matrimonium; sufficit enim ad utrumque sequi opinionem probabilem, qualem recognoscunt sibi oppositam.

Secundum argumentum.

111. Arguitur secundo : quia Pontifex potest dispensare in omnibus aliis votis, sive sint pure simplicia, sive simplicia constituentia statum religiosum, sive solemnia annexa ordini sacro : ergo pariter poterit dispensare in voto continentiæ emisso in professione solemni. Probatur consequentia; nam quod votum continentiæ emissum in professione solemni esset indispensabile per Pontificem, vel provenit ex eo, quod sit promissio Deo facta, et obligans jure divino ; et hoc commune est omnibus votis : vel proveniret ex eo, quod in tali voto datur traditio ; et hæc etiam intervenit in votis simplicibus constituentibus religiosum : vel denique proveniret ex eo, quod in tali voto intervenit aliqua consecratio ; et hæc etiam, majorque intervenit in ordinatione sacra. Si ergo Pontifex potest alia vota dissolvere, pariter poterit votum continentiæ emissum in solemni professione.

Confirmatio.

Confirmatur, quia si ex aliqua parte prædictum votum esset indispensabile, maxime ratione solemnitatis : sed hæc non obest, ut in eo dispensetur : ergo est dispensabile. Probatur minor : tum quia votum continentiæ emissum in sacra ordinatione etiam est solemne, unde habet, quod dirimat matrimonium ; et tamen in eo dispensari potest. Tum quia solemnitas professionis est de jure Ecclesiastico, et per Ecclesiam inventa, ut docent Bonifacius VIII, et Gregorius XIII, relati *n.* 51, *et* 55, Pontifex autem potest dissolvere ea, quæ sunt de jure Ecclesiastico : ergo poterit auferre solemnitatem, votumque reducere ad conditionem voti simplicis, quod dispensabile est.

Satisfit argumento.

Ad argumentum, concesso antecedenti, negamus consequentiam, cujus probationem supra diluimus. Nam in votis pure simplicibus sola reperitur promissio, quæ rem non extrahit actu a dominio promittentis : unde fieri potest, quod justa interveniente causa, convertatur ad alios usus sine injuria promissarii, præsertim cum traditio catholica doceat Pontificem posse in his votis dispensare. Solemnis autem professio importat traditionem, et translationem dominii in Deum, quæ proinde Pontificia potestate dissolvi nequeat, maxime cum nec Scriptura, nec traditio doceat dari hujusmodi potestatem. Quam disparitatem jam supra assignavimus *num.* 103. Porro vota simplicia constituentia statum religiosum aliquam traditionem dicunt, sed non omnino perfectam, nec absolutam; quia et dominium radicale in subjecto relinquunt, et solum obligant dependenter a conditione manendi in Societate juxta beneplacitum Superiorum : unde non solum cum dispensatione, sed etiam absque illa dissolvi valent. Professio vero solemnis importat perfectissimam traditionem, qua homo constituitur simpliciter sub speciali Dei dominio; quocirca nequit ab illo extrahi per aliquam potestatem creatam. Quam differentiam supra explicuimus *n.* 40, *et n.* 104. Denique in ordinatione sacra aliqua consecratio intervenit, quam proinde Pontifex auferre non valet : cæterum tali consecrationi non annectitur essentialiter continentiæ votum, sed ex præcepto Ecclesiæ, atque ideo, manente consecratione, potest Pontifex illud auferre. In professione autem solemni datur quædam consecratio, sive sacratio, et traditio ad perfectum cultum Dei, cui consecrationi est esssentiale votum continentiæ : quocirca sicut Pontifex nequit illam traditionem, et consecrationem auferre, ita nec votum castitatis ip si essentiale. Quod discrimen inter utramque consecrationem fusius expendimus *num.* 99.

Ad

Diluitur confirmatio. Ad confirmationem negamus majorem ; nam quod professio solemnis, et votum continentiæ in ea emissum nequeant per Pontificis dispensationem dissolvi, non provenit formaliter ex solemnitate, quæ est formula, seu modus, quibus talis professio fieri debet, sed provenit immediate, et formaliter ex ipsa essentia professionis, quæ hominem Deo perfecte tradit, et consecrat. Sicut quod matrimonium sit indissolubile, non provenit formaliter ex solemnitate ab Ecclesia præscripta, sed ex ejus essentia, quæ consistit in mutua conjugum traditione. Potest quidem Ecclesia statuere solemnitatem, seu formulam qua, et non aliter, matrimonium celebretur, et promissio fiat, eamque de facto præscripsit. Sed prædicta formula, sive solemnitate præcedente, aut comitante, tam matrimonium, quam professio suam essentiam aliunde habent, sortiunturque proprietates, et effectus, qui ad talem essentiam consequuntur, cujusmodi est indissolubilitas per potestatem creatam. Unde semel facta nequeunt dissolvi, quamvis postea Ecclesia aliter circa eorum solemnitatem disponat, Recolantur quæ diximus locis in hac confirmatione relatis.

Tertium argumentum. 112. Arguitur tertio, quia tunc datur sufficiens causa dispensandi in voto, quando est majoris boni impeditivum, ut tradit D. Th. *q.* 88, *art.* 10. Sed votum solemne castitatis potest aliquando esse impeditivum majoris boni : ergo in tali casu poterit Pontifex illud per dispensationem dissolvere. Probatur minor, quia bonum commune est majus, quam bonum unius particularis : sed votum solemne est bonum particularis unius, et potest impedire matrimonium personæ, ex quo sequatur bonum commune multitudinis, v. g. pax alicujus regni : ergo votum solemne castitatis potest aliquando impedire majus bonum.

Confirmatio prima. Confirmatur primo ; nam id quod si a principio adesset, impediret ne fieret votum, est causa sufficiens, si superveniat, ut dispensetur in illo, ut communiter docent Theologi : sed si a principio adesset necessitas boni communis, qualis in argumento describitur, impediret ne fieret votum solemne continentiæ ; ea quippe necessitate occurrente teneretur quis contrahere matrimonium ad impediendum bella : ergo si eadem necessitas superveniat, est causa sufficiens, ut Pontifex in tali voto dispenset.

Secunda. Confirmatur secundo, quia in voto solemni clauditur quantum ad perpetuitatem conditio, nisi obstet bonum commune, et Papa dispenset : ergo occurrente gravi necessitate, potest Pontifex in eo voto dispensare. Consequentia est manifesta. Et antecedens suadetur ; nam votum est lex particularis, quam sibi homo imponit : sed in omni lege particulari intelligitur conditio, nisi obstet bonum commune, et Princeps superior aliter disponat : ergo in perpetuitate voti solemnis clauditur prædicta conditio.

Tertia. Confirmatur tertio, quia nemo potest se ab obligatione juris naturalis eximere : sed jure naturali obligatur homo contrahere matrimonium, si hoc sit necessarium ad conservandum bonum commune : ergo ubi occurrit talis necessitas, non eximitur religiosus ab obligatione contrahendi matrimonium, et ob eandem rationem poterit Papa dispensare, ut illud contrahat.

Occurritur argumento. Ad hoc argumentum, et confirmationes respondetur optime concludere, si applicentur voto simplici, quod tantum est promissio, remque relinquit sub dominio promittentis, de qua proinde potest Princeps superior pro exigentia boni communis aliter disponere. Sed inefficacia sunt prout applicantur solemni professioni, in qua non tantum fit promissio, sed homo totaliter Deo traditur, et sub ejus dominio constituitur, ipsique consecratur ; nam quod sic est Dei, per nullam potestatem creatam, et ob nullum bonum commune potest ab illo auferri, usui seculari applicari, aut consecrationem amittere, ut in prima, et secunda ratione fusius expendimus. Quocirca de tali homine in ordine ad contrahendum matrimonium, et ut per illud bono communi provideat, discurrendum est sicut si non esset in rerum natura, sed fuisset physice mortuus. Quod magis constabit singulis occurrendo. Argumentum optime diluit D. Thom. *art.* 11, *in resp. ad* 1, his verbis : D. Tho.

« Dicendum, quod periculis rerum humanarum est obviandum per res humanas, non autem per hoc, quod res divinæ convertantur in usum humanum. Professi autem religionem mortui sunt mundo, et vivunt Deo. Unde non sunt revocandi ad vitam humanam occasione cujuscumque eventus. » Atque ideo, quod aliquod bonum commune impediatur ex perseverantia voti solemnis, est per accidens ; sicut posset etiam impediri, si homo

fuisset factus impotens physicè ad matrimonium ; similem enim impotentiam habent, qui se perfecte castraverunt propter regnum cœlorum. Unde sicut in tali casu opus esset recurrere ad alia media, ita in præsenti.

Diluitur prima confirmatio.

113. Ad primam confirmationem respondetur, maximam in illa assumptam tenere in voto simplici, quod solum est promissio, secus in solemni, quod importat traditionem, et translationem dominii ; plura quippe sufficiunt ad rescindendam promissionem, quæ nequeunt donationem rescindere, ut patet in sponsalibus, et matrimonio. Unde quæ si a principio adessent, impedirent et promissionem, et traditionem, si post factam traditionem superveniant, traditionem semel factam non rescindunt. Profecto si antequam contraheretur matrimonium, imminerent ex eo contractu publica, et communia damna, teneretur homo non contrahere, adessetque urgens, ne matrimonium fieret, impedimentum ; sed si post contractum matrimonium illa mala immineant, aut superveniant, minime illud dissolvitur, nec ulla dispensatione dissolvi valet. Sic in nostro casu, potest ante professionem aliquod bonum commune occurrere, quod eam impediat ; sed ea semel facta, nullum est, quod eam dissolvat, aut præstet causam legitimam dissolvendi ; est enim perfecta traditio, spiritualeque matrimonium, quod nulla potestate creata dissolvi valet. Unde vane quæritur dispensandi causa, sed prius probanda est potestas, quam Pontifici ad prædictum effectum negamus. Si enim talem potestatem haberet, non dubitamus posse occurrere causas legitime dispensandi cum solemniter professo ; sicut etiam possent occurrere ad dissolvendum matrimonium, si posset Pontifex ipsum dissolvere.

Infirmatur secunda

Ad secundam negatur antecedens ; nam professio solemnis nullam talem conditionem includit, sed absolutissime tradit hominem Deo, et constituit sub ejus speciali dominio ; sicut matrimonium non importat talem conditionem, sed dicit mutuam, et absolutam conjugum traditionem. Imo vero si vota in professione emissa talem conditionem dicerent, solemnia non essent, sed simplicia, ad instar eorum, quæ in sacra Societate post biennium emittuntur. Utraque enim promitterent tria consilia, non absolute, neque in perpetuum, sed sub conditione illa, quandiu Superiori placuerit hominem in Religione retinere ; et de materiali esset, quod iste Superior foret Papa, vel Prælatus religiosus. Id autem falsum est, et contra id, quod supponimus ex dictis *dub.* 4, ubi statuimus prædicta vota distingui ab intrinseco, et ex natura rei. Ad probationem antecedentis respondemus, quod sicut matrimonium est lex particularis, quam homo sibi imponit, et tamen celebratur absque conditione, nisi obstet bonum commune, et Papa dispenset ; ita etiam professio solemnis absque illa conditione fit, licet sit particularis lex, cui homo se subdit. Et ratio est, quia aliæ leges particulares sunt pure ex voluntate hominis, et quoad institutionem et quoad applicationem ; unde subjacent dispositioni Principis superioris, eamque conditionem includunt. Sed leges matrimonii, et professionis solemnis sunt ex institutione divina : unde licet homo illis voluntarie se subdat, non oportet quod aliam conditionem addat, sed sequatur institutionem Dei, qui et matrimonium, et professionem instituit omnino absoluta. Unde licet Pontifex possit statuere conditiones, quibus, et non aliter, matrimonium, et professio fiant (quod *solemnitatem* vocamus) ; nihilominus semel legitime facta nequit ulla ratione dissolvere.

Ad tertiam respondetur, jus naturale non obligare religiosum professum ad contrahendum matrimonium, quia solum obligat ad consulendum bono communi per media possibilia, et licita. Ex suppositione autem, quod quis se Deo perfecte tradiderit ad vitam religiosam, jam matrimonium est tali homini medium illicitum ad procurandum commune bonum, quia importat violationem juris divini, seu Deo quæsiti per professionem. Unde sicut in simili necessitate ille qui contraxit, et consummavit matrimonium cum muliere, ex qua non habet filios, non teneretur, nec posset aut illam dimittere, aut alteram ducere ; quia in tali medio clauditur violatio divini juris, quod ipsa ratio naturalis servandum dictat : ita in præsenti materia dicendum est, atque ideo non magis posset Pontifex in ea dispensare, quam in exemplo proposito.

Quartum argumentum.

114. Arguitur quarto : quia non est magis inseparabilis professio ab homine professo, quam consecrato : sed a calice consecrato, manente eodem subjecto, potest consecratio auferri per hoc præcise, quod destruatur

destruatur artificialis ejus figura : ergo ab homine professo, manente eodem subjecto, potest separari professio, in quo eventu talis homo erit habilis ad contrahendum matrimonium.

Confirmatur. quia sicut homini accidit esse album, ita et esse religiosum ; unde non minus accidentalis est hæc prædicatio, *Petrus est religiosus*, quam ista, *Petrus est albus* : ergo sicut albedo est separabilis a Petro, manente eodem subjecto, ita et status religiosus.

Diluitur argumentum. Ad argumentum respondetur, vel negando minorem, vel omittendo præmissas et negando consequentiam ; quia licet figura calicis sit accidentalis argento, est tamen constitutiva calicis in esse calicis ; unde nequit calix perseverare sine tali figura, licet perseveret argentum calicis. Unde quod destructa illa figura, cesset calicis consecratio, non probat eam consecrationem a calice separari, sed calicem destrui, et consequenter ejus consecrationem. Ex quo potius infertur, quod calix consecratus, quandiu manet, nequeat non esse consecratus. Et producta similitudine ad præsentem materiam, infertur quidem, quod religiosus desinat esse religiosus per mortem ; sic enim destruitur subjectum per solemnem professionem Deo consecratum. Sed dum vivit, manet idem subjectum, quod non constituitur per aliquam accidentalem formam, sicut calix, sed per formam substantialem, atque ideo nequit exuere consecrationem, sicut neque calix, quandiu manet calix.

Solvitur confirmatio. Ad confirmationem respondetur negando consequentiam : tum quia fieri potest, quod aliquod prædicatum sit accidentale essentiæ rei consideratæ secundum se, et quod nihilominus semel positum, aut impressum nequeat ab ea separari per potestatem creatam. Unde hæc prædicatio est accidentalis, *Petrus est cæcus*, et ista, *Petrus est gibbosus* : et nihilominus cæcitas, et gibbus nequeunt ab illo per naturam auferri. Tum etiam, quia licet Petro absolute accidat esse religiosum, non tamen accidit Petro tradito perfecte ad cultum Dei per professionem : unde licet hæc sit accidentalis, *Petrus est religiosus* ; hæc tamen est necessaria, *Petrus Deo traditus per professionem est religiosus*. Et quia in præsenti supponitur Petrum se Deo per professionem tradidisse, merito affirmamus, quod prædicatum religiosi nequit a Petro per humanam potestatem auferri. Et profecto argumentum, et confirmatio possunt in eadem forma applicari matrimonio, et denominationibus ex eo provenientibus; accidit enim homini esse maritum, et hæc prædicatio est absolute accidentalis, *Petrus est maritus* : et tamen per nullam humanam potestatem fieri potest, quod ex suppositione Sacramenti matrimonii conjuges, quandiu vivunt, desinant esse conjuges : non recte igitur similis argumentandi forma evincit, quod ab homine, qui se Deo per professionem tradidit, possit quandiu vivit, status religiosus auferri.

Quintum argumentum. 115. Arguitur quinto, quia statui religioso non minus convenit votum paupertatis, quam castitatis votum : sed Pontifex potest dispensare cum solemniter professo in voto paupertatis ; ergo et in voto castitatis, atque ideo potest illum constituere habilem, et liberum ad contrahendum matrimonium. Major et utraque consequentia constant. Minor autem probatur, quia clerici sæculares assumpti ad Episcopatum acquirunt verum dominium bonorum Ecclesiasticorum, utputa reddituum, decimarum, et fructuum ad Episcopum pertinentium : sed monachi assumpti ad Episcopatum eodem modo assumuntur, ac clerici sæculares, eodemque tenore verborum eis adjudicatur bonorum illorum portio, ut patet ex Bullis Pontificum, in quibus conceditur illis plenaria cura, et administratio fructuum, ac reddituum ad mensam Episcopalem pertinentium. Ergo fiunt veri illorum domini, sicut alii clerici ad Episcopatum assumpti : constat autem, quod votum paupertatis in solemniter professo non componitur cum vero dominio, et administratione bonorum : ergo Pontifex potest dispensare, et de facto dispensat cum solemniter professo in voto pauperatis.

Confirmatio. Confirmatur, quia si solemniter professus ad Episcopatum assumptus non esset verus dominus bonorum ad mensam Episcopalem pertinentium, sequeretur quod male dispensans talia bona non solum peccaret graviter contra sui officii debitum, sed etiam contra justitiam, et teneretur ad restitutionem. Consequens est falsum : ergo solemniter professus factus Episcopus habet verum dominium bonorum Episcopalium ; atque ideo non ligatur paupertatis voto, sed manet in eo dispensatus. Falsitas consequentis ostenditur ipsa experientia ; nam compertum est, quod post mor-

tem Episcoporum religiosorum nulla restitutio fit illorum etiam bonorum, quæ constat male ab illis fuisse distributa.

Retorquetur argumentum.

116. Respondetur hoc argumentum, quod late expendit Arauxo ubi supra, *n.* 45, retorquendum esse in Adversarios. Tum quia ipsi docent Pontificem non posse dispensare cum solemniter professo in voto castitatis, nisi ex urgentissima causa, et ob bonum publicum ; quod adeo verum censent, ut asserant hujusmodi dispensationem aliter factam non solum esse illicitam, sed invalidam, ut videre est apud Sanchez *lib.* 8 *de Matrim. disp.* 8, *n.* 10. At Pontifex dispensat, ut ipsi autumant, frequentissime in voto paupertatis, toties videlicet, quoties solemniter professos ad Episcopatum assumit : ergo aliter philosophari oportet de his votis, vel inconsequenter procedunt. Tum et urgentius, quia tria vota sunt adeo essentialia statui religioso, ut quolibet deficiente, minime subsistat ; quia de causa concedunt satis communiter Adversarii, non posse Pontificem dispensare, ut religiosus manens religiosus sit liber a voto castitatis, ut supra diximus *n.* 94. Ergo si Pontifex, dum religiosos assumit ad Episcopatum, vere dispensat cum eis in paupertatis voto, constituitque illos in dominio bonorum Episcopalium, plane infertur, quod per hanc assumptionem destruat in eis veram essentiam status religiosi, et consequenter, quod omnes religiosi assumpti ad Episcopatum desinant esse religiosi. Hoc autem est evidenter absurdum, et contra communem sensum Theologorum, qui manifeste recognoscunt utrumque statum, et religiosi, et Episcopi, posse in eadem persona conjungi. Id quod evidenter liquet a posteriori ; nam si Episcopus, qui prius fuerat religiosus, a dignitate Episcopali deponatur, manet absque nova professione in statu religiosi ; quod minime contingeret, si prædictus status per assumptionem ad Episcopatum fuisset destructus. Sicut ergo per talem assumptionem non fit dispensatio in statu religiosi, ita neque in voto paupertatis, quod ad prædictum statum essentialiter spectat.

Sanch.

Solutio argumenti. D. Tho.

Unde ad argumentum negamus minorem cum D. Thom. *quæst.* 88, *art.* 11, *in respons. ad* 4, ubi ait : « Dicendum quod « religiosus, qui fit Episcopus, sicut non « absolvitur a voto continentiæ, ita neque « a voto paupertatis ; quia nihil habet tan« quam proprium, sed sicut dispensator « communium bonorum Ecclesiæ. » Et similia tradit infra *quæst.* 186, *art.* 8 *ad* 3, *et in* 4, *distinct.* 38, *quæst.* 1, *art.* 4 *ad* 3, *et ad* 5. Idemque tuentur Aragon *art.* 11, *cit. in respons. ad* 3, Petrus de Ledesma *in tract. de statu Episcop. cap.* 3, *pag. nobis* 36, Navarrus et alii Canonistæ, quos refert Suarez *tom.* 3, *de Relig. lib.* 8, *cap.* 14, *num.* 2. Et facile constat *ex cap. Cum ad monasterium. de statu monach.* ubi asserit Innocentius III, abdicationem proprietatis esse adeo annexam regulæ monachali, ut contra eam non possit Summus Pontifex licentiam indulgere ; per hoc autem, quod monachus fiat Episcopus, non desinit esse monachus, ut proxime dicebamus ; atque ideo nec desinit esse ligatus paupertatis voto, sine quo essentia monachatus non consistit. Ad probationem autem in contrarium respondemus, nihil evincere ; quia per illa verba bullarum concedit Pontifex religiosis ad Episcopatum assumptis id, quod potest, et cujus religiosi sunt capaces : ii autem non sunt capaces dominii, bene autem administrationis factæ nomine Prælati superioris, videlicet ipsius Pontificis ; quocirca ex prædictis Bullis non consequuntur verum dominium bonorum ad Episcopalem mensam pertinentium, sicut consequuntur Clerici prædicti dominii capaces. Quia prædicta verba operantur quod possunt, et juxta mentem Pontificis, quem certum est non intendere saltem de facto, quod religiosus factus Episcopus desinat esse religiosus, cum hi status quoad substantialia non sint incompossibiles. Quam doctrinam extendimus cum Aragon ad religiosum, qui fieret Papa ; licet enim haberet pleniorem usum, sive administrationem bonorum Ecclesiasticorum ; non tamen proprietatem, seu dominium, quia adhuc conservaret essentiam et statum religiosi quoad substantialia ; atque ideo maneret voto paupertatis ligatus, absque quo illa essentia non salvatur. Cujus signum est, quod si renuntiatione, vel alia via desineret esse Pontifex (ut contigit S. Petro Cœlestino,) absque nova professione permaneret religiosus, et sicut ad castitatem, et obedientiam, ita obligaretur ad paupertatem ; quod non accideret, si paupertatis votum prius fuisset dissolutum. Et si inquiras, apud quem maneat eo tempore dominium bonorum Ecclesiasticorum, cum non resideat penes Episcopum, aut Papam ? Respondetur, manere apud Ecclesiam,

Aragon. Ledesm. Navar. Suarez.

clesiam, sicut remanet cum Papa, et Episcopus moriuntur.

Diruitur confirmatio. Ad confirmationem respondetur concedendo sequelam, quæ nullum continet absurdum, sed veram doctrinam ; religiosus enim factus Episcopus, qui male distribuit redditus Ecclesiasticos, peccat non solum contra debitum sui officii (quod aliis Episcopis non religiosis commune est), sed etiam contra justitiam, cum illorum bonorum non sit Dominus : et contra votum paupertatis, cum adhuc sit religiosus. Unde per se loquendo tenetur ad restitutionem prædictorum bonorum. Diximus, *per se loquendo* ; quia per accidens ad id non obligatur. Tum quia potest ita se gerere sequens opinionem probabilem, quam Arauxo supra relatus tuetur, juxta quam cum assumitur ad Episcopatum, absolvitur a voto paupertatis, et fit vere Dominus Ecclesiasticorum proventuum. Tum quia Pontifex ad vitandas lites et animarum laqueos, potuit sic distribuentes, et ea bona recipientes deobligare ab onere restitutionis. Et possumus sic interpretari ex communi praxi ; quia nunquam videmus hujusmodi restitutiones ad exequutionem reduci.

Nota. Quæ de voto paupertatis diximus, applicari debent voto obedientiæ, cum religiosus fit Episcopus, aut Papa ; manet enim eo ligatus, licet per accidens non habeat superiorem, cui obediat. Et ita docet D. D.Tho. Thom. ubi supra ; nam post verba relata, subdit : « Similiter etiam non absolvitur « a voto obedientiæ, sed par accidens obe- « dire non tenetur, si superiorem non ha- « beat, sicut nec Abbas monasterii, qui ta- « men non est a voto obedientiæ absolutus. » Quod liquet ubi absolvitur a gubernandi munere. Et *quæst.* 86, *art.* 8 *ad* 3, ait : « Dicendum quod Papa in voto obedientiæ « non potest sic cum religioso dispensare, « ut nulli Prælato teneatur obedire in his, « quæ ad perfectionem vitæ pertinent. Non « enim potest eum a sua obedientia exi- « mere. Potest tamen eum eximere ab in- « ferioris Prælati subjectione, quod non « est in voto obedientiæ dispensare. »

Incidens quæstio. Suarii responsio. 117. In calce hujus dubii oportet videre, quid censendum sit de sententia Divi Thomæ, quam hactenus defendimus. Ad quod respondet Suarez *tom.*3, *de Relig. lib.* 6, *cap.* 17, *num.* 24, sic : « Aliqui existimant, licet « tempore Divi Thomæ, qui Bonifacium « præcessit, ejus opinio probabilis fuerit, « tamen a tempore Bonifacii VIII, qui de- « claravit solemnitatem voti esse de jure « Ecclesiastico, oppositam sententiam longe « probabiliorem fuisse, nunc autem tan- « quam certam, et indubitatam tenendam « esse propter constitutionem Gregorii XIII, « in qua et confirmat dictam sententiam « Bonifacii, et auget illam diffiniens posse « esse statum vere, ac proprie religiosum « sine illa solemnitate, ut de facto est in « gradu Scholarium approbatorum, et coad- « jutorum Societatis Jesu. Item (quod con- « sequens est,) posse per Ecclesiam fieri, « ut is qui est vere, ac proprie religiosus, « desinat esse religiosus ; et is qui ratione « talis status erat inhabilis ad matrimo- « nium, per Ecclesiam fiat habilis, sicut « de facto jam fit. Quæ omnia videntur « repugnare directe cum doctrina Divi « Thomæ, et ejus fundamento. Unde cum « illa jam sint omnino certa, videtur « opinionem Divi Thomæ non posse defendi « sine errore. Respondeo mihi quidem non « videri nunc opinionem illam multum « probabilem, in quo nulla fit Divo Tho- « mæ injuria, quia successu temporis potuit « hæc res magis, ac magis declarari, maxi- « me interveniente Summorum Pontificum « authoritate, ad quos magis spectat judi- « cium de sua potestate, quam ad ullum « Doctorem. »

Refellitur. Sed hi Authores, quos suppresso nomine refert Suarez, excedunt profecto in sua censura contra manifestam D. Thom. sententiam, ut discutiendo eorum motiva constabit. Illi ergo *aliqui* moventur, quia Bonifacius VIII declaravit solemnitatem voti esse de jure Ecclesiastico. Sed quid inde ? Sicut in matrimonio, sic in professione aliud est solemnitas, aliud essentia : utrobique solemnitas est de jure Ecclesiastico, essentia de jure divino : et sicut præeunte solemnitate Ecclesiastica, matrimonium per suam essentiam habet, quod dirimat aliud sequens matrimonium, et sit indissolubile per Ecclesiasticam potestatem ; ita et professio, ut supra diximus *num.* 111, et locis ibi relatis. Addunt illi *aliqui*, suam sententiam post constitutionem Gregorii XIII, esse certam, et indubitatam. Unde ? Quia Gregorius XIII diffinivit, et posse dari statum religiosum sine illa solemnitate, atque ideo fieri per Ecclesiam posse, ut ille, qui est vere, et proprie religiosus, desinat esse religiosus ; et is qui ratione talis status erat inhabilis ad matrimonium, per Ecclesiam fiat habilis, ut patet in Scholaribus

et coadjutoribus sacræ Societatis. Sed quid hæc contra Divi Thomæ sententiam evincunt? Profecto nihil. Agimus de professis, qui eo ipso quod tales sint, se Deo perfecte atque absolute sacrarunt, et sub ejus speciali dominio absque ulla conditione, sed utrinque absolute, ac perpetuo sunt constituti. Et de his professis agebat Divus Thomas, eosque præcise nomine Religiosorum significavit; quia S. Doctoris tempore illi tantum erant religiosi, qui erant professi, nec altera species, vel quasi species religiosorum cognoscebatur in Ecclesia, ut constat *ex cap. Religiosi*, § *Quamvis, de sententia excommunicationis, in* 6, *ibi* : « Quamvis « autem is, qui religionem ingreditur, re- « ligiosus cum effectu censeri non possit, « donec sit tacite, vel expresse professus. » Unde secundum jus antiquum nulli erant religiosi, nisi professi, ut ex communi Jurisperitorum, et Summistarum sententia observat Azor, *lib.* 11, *cap.* 24, *quæst.* 3. Illi autem, de quibus agit Gregorius, religiosi quidem sunt, sed non professi, nec Deo omnino absolute se tradiderunt : unde etiam independenter a dispensatione Pontificis frequenter desinunt esse religiosi, ut constat ex dictis *n.* 40, *et num.* 104 *et* 111. Et falso dicitur, istos ratione status esse inhabiles ad matrimonium; nam licet tales ante novum jus introductum per Gregorium XIII, fuerint vere religiosi, nihilominus ubi contrahebant, eorum matrimonia erant valida ; unde illorum inhabilitas ad matrimonium non provenit ab essentia status, sed ex constitutione ecclesiastica, ut supra diximus *num.* 41 *et* 83.

Azor.

118. Videat nunc prudens Lector, quam valida sint fundamenta illorum *aliquorum*, ut eorum sententia post decreta prædictorum Pontificum sit adeo certa, et indubitata, ut videatur sententiam D. Thomæ non posse defendi sine errore. Et convulsis his fundamentis, quid relinquitur Suario, ut dicat opinionem D. Thomæ non videri sibi nunc multum probabilem? Quasi nunc destituatur motivis, quæ olim habuit; vel contraria adsint nova, urgentia, ac indissolubilia argumenta, quæ S. Doctor sub oculis non habuerit. Plane cum plura videamus, in quibus sententia D. Thomæ contraria emineat, in uno tantum recognoscimus excedi, nempe in multitudine Juristarum, qui oppositæ suffragantur. Sed hoc levissimum motivum est, ut Suarius tam exiguam probabilitatem deferret in hac causa S. Doctori : tum quia ipse solus plus authoritatis habet, quam quinquaginta, aut centum ex communibus Scriptoribus. Tum quia licet in his, quæ sunt de jure positivo ecclesiastico magnam authoritatem habeant Canonistæ; majorem tamen habent Theologi in his, quæ sunt de jure naturali divino, sive in rerum naturis immediate fundato : nam ad ipsos potius quam ad Canonistas spectat contemplari rerum naturas, et proprietates. Et hujusmodi est difficultas præsentis materiæ, quæ naturam professionis investigat, ut de ejus indissolubilitate rectum judicium fiat. Sed ne rem propositam absque aliorum censura relinquamus, oportet Suario eorum dicta reponere, quibus temperet sententiam. Doctrinam ergo, ac resolutionem D. Thomæ in hac parte sic approbant Sotus (qui scripsit post Bonifacium) *lib.* 7, *de Justit. quæst.* 4, *art.* 2, ubi ait : « Quocirca Altissiodoren- « sis, et D. Albertus in 4, distinct. 37, ar- « tic. 17, et Alexander Alensis in 3 part. « et S. Bonavent. in 4, in fine dist. 38, « atque alii hujus classis pro constitutis- « simo semper habuerunt. » Et post Constitutiones Gregorii XIII, Aragon *ubi supra*, *fol.* 1035, ait : « Propter hæc argumenta « dico longe probabiliorem sententiam D. « Thomæ, quæ asserit Papam non posse « dispensare in voto solemni, quamvis nec « etiam contraria opinio sua careat proba- « bilitate. » Petrus de Ledesma *ubi supra*, *pag.* 649, ait doctrinam D. Thomæ in hac tam gravi materia esse veram, et solidam : et *pag.* 651, subjungit : « Anado una pala- « bra, y es que en nuestros tiempos parece « que tiene un saborzillo de error Luthe- « rano, el dezir que el estado Monachal « no tiene obligacion alguna de derecho « divino, sino que es invencion de los hom- « bres. » Magister Joannes a S. Thom. *ubi supra*, § *Quarto probatur, in fine*, ait : « Propter hæc argumenta sententia Theo- « logorum sine dubio est certa, vel saltem « probabilior. » Et § *Ad ultimum*, inquit : « Concludimus ergo, quod cum magis in « decorem Reipublicæ Christianæ cedat « non dispensari in voto solemni religiosi, « quam econtra, sententia Theologorum, « quæ partem tuetur negativam, probabi- « lior erit, et securior. » Arauxo (licet in præsenti resolutione nobis contrarius) 2, 2, *q.* 1, *art.* 10, *dub.* 3, *num.* 12, refert aliquos Pontifices docuisse ipso dispensandi facto, votum solemne Religionis esse dispensabile,

Melior quæstionis decisio.

Sotus.

Aragon.

Ledesm

Joan. a S. Thom

Arauxo

pensabile, et addit : « Quæ tamen doctrina « non fuit communiter recepta ab Ecclesia, « cum major numerus Theologorum cum « D. Thoma in loco allegato oppositam « censeat probabiliorem. » Similia aliorum Theologorum judicia omittimus, id tantum asserentes, D. Thomæ sententiam, quam hactenus defendimus, esse prorsus securam, ab omnique, vel levi censura immunem, olimque, ac nunc probabiliorem contraria; cui tamen non negamus sufficientem probabilitatem, saltem ab extrinseco. Et hæc de essentia status religiosi in communi.

DISPUTATIO II.

De perfectione status religiosi in communi.

Perfectio cujusvis rei apprehenditur quasi accidens, aut proprietas consequens ipsius naturam. Unde postquam explicuimus, in quo consistat essentia status religiosi, recto ordine progredimur ad exponendam ejus perfectionem. In quo tamen non multum immorabimur; nam quæ ad theologum scholasticum pertinent haud obscure colliguntur ex dictis; quæ vero ad considerationem moralem spectant, omittemus tanquam extranea a nostro instituto.

DUBIUM PRIMUM.

An status religionis sit status perfectus, et Ecclesiæ utilis.

Hæc quæstio solum excitatur propter hæreticos, qui pessime sentiunt de religiosorum statu. Et propterea breviter proponemus ejus resolutionem, Lectorem remittendo ad Controversistas, qui ex proposito contra hæreticos agunt. Prius autem recolat, quæ *disp.* 1, *a num.* 1, diximus, explicantes proprias conditiones status : recolat etiam quæ *dub.* 1 *et* 3, ostendimus requiri, aut non requiri ad statum religiosum.

§ UNICUS.

Defenditur veritas catholica.

1. Dicendum est primo, statum religionis esse statum perfectum, hoc est, honestum, nullaque reprehensione dignum. Assertio est de fide, ut constabit ex dicendis. Probatur ratione; nam status, quem Christus Dominus consuluit, et instituit, nequit non esse perfectus, honestus, atque indignus reprehensione : sed Christus Dominus consuluit, et instituit statum religiosum, ut ostendimus *disp. præcedenti, dub.* 2. Ergo status religiosus est status perfectus, et honestus, nullamque meretur reprehensionem. Prima conclusio.

Explicatur magis vis hujus rationis : nam cuncta quæ constituunt statum religiosum, sunt honesta, et valde perfecta : ergo prædictus status est status perfectus. Consequentia patet, et antecedens probatur; nam essentia status religiosi consistit in eo, quod homo se tradat Deo ad observanda tria principalia consilia, paupertatis, castitatis, et obedientiæ, ad quæ per vota se obligat : hæc autem omnia honesta sunt, et valde perfecta; nihil enim reprehensibile apparet, sed potius omni laude dignum, in eo quod homo se consecret ad serviendum specialiter Deo; aut in eo, quod intendat servare opera perfectiora, qualia sunt quæ cadunt sub consilio; aut in eo, quod ad hoc studium se astringat votorum vinculo; cum potius tale studium accipiat majorem firmitatem, capiatque specialem rectitudinem virtutis religionis, a qua elicitur actus vovendi : ergo cuncta quæ statum religiosum constituunt, sunt honesta, et valde perfecta. Nec id negari potest, nisi negando aliquod principium ex illis, quæ fides docet. Fundamentum

Declaratur ulterius, quia non solum perfectum, sed perfectius etiam est exequi Dei voluntatem, non præcise in præceptis, sed etiam in consiliis : constat autem in hoc præsertim distingui statum religiosum a communi fidelium statu, quod isti ex obligatione solum observant præcepta, illi vero præcepta, et consilia, maxime vero tria illa nobilissima, castitatis, paupertatis, et obedientiæ, ad quæ per votum (quod est actus virtutis religionis, et voluntatem firmat circa bonum) se sponte obligant : ergo status religiosus est status valde perfectus. Roboratur.

Ad hæc, perfectio hominis consistit in eo, quod Deo inhæreat faciendo ipsius voluntatem: sed per statum religiosum homo inhæret Deo exequendo non solum quæ Deus præcipit, sed etiam quæ consulit, et quasi desiderat; ad idque se firmiter consecrat per vota, unde fit quasi spirituale holocaustum: ergo status religiosus confert ad magnam perfectionem, estque proinde valde perfectus.

Confirmatio prima. 2. Confirmatur primo ex Conciliis, quæ institutum vitæ religiosæ multum laudant, et commendant, quod non facerent, nisi status religiosus esset status perfectus. Sic in Concilio Chalcedonensi *act.* 15, *cap.* 6, in Gangrensi *cap.* 9, in Ancyrano *cap.* 18, in Carthaginensi IV, *cap.* 11, in Toletano X, *cap.* 5, in Turonensi II, *cap.* 21, in Constantiensi *sess.* 8, ubi specialiter condemnatur error Wiclephi impugnantis sacras Religiones. Et denique in Conc. Trident. *sess.* 25, *cap.* 1, *de reformatione.*

Cp. C. Chalc. Conc. Gang. Conc. A. c. Conc. Carth. Conc. Tolet. Conc. Turon. Conc. Const. Conc. Trid.

Confirmatur secundo ex Sanctis Patribus, qui statum religiosum summis laudibus celebrant, quos prolixum esset recensere. Videantur tamen D. Dionysius *lib. de Ecclesiastica Hierarchia, cap.* 6, *et in epist. ad Demophilum Monachum*, D. Athanasius *in vita S. Antonii*, D. Hieronymus *in epist. ad Heliodorum, et Rusticum, et epist.* 25, *ad Blesillam*, et *in lib. de viris illustribus, in Philone:* D. Augustinus *lib.* 1, *de moribus Ecclesiæ, cap.* 31, *et lib.* 3, *contra litteras Petiliani, cap.* 40, D. Chrysostomus *libris tribus contra vituperantes religion.* et *homil.* 8, *in Matth.* D. Basilius *lib. de laudibus Eremi*, et in variis opusculis *de instit. Monach.* Tertullianus *in lib. de velandis virginibus*, et *in lib. de habitu virginum;* Ruffinus *lib.* 11, *cap.* 8, Eusebius *lib.* 1, *de demonstratione Evangelic. cap.* 8, Theodoretus *in historia religiosa Sanctorum Patrum*, D. Bernardus *lib. de vita solitaria, et lib. de dispensat. et præcepto, sub finem.* Divus Thomas *in hac* 2, 2, *quæstione* 186, *et opuscul.* 17 *et* 18, et specialiter *opuscul.* 19, *contra impugnantes Religiones:* D. Bonaventura *in opusc. de eodem argumento*, et alii.

Secunda. D. Dion. D. Atha. D. Hiero. D. Aug. D. Chry. D. Basil. Tertul. Ruffinus. Eusch. Theodo D. Bern. D. Tho. D. Bon.

Secunda conclusio. 3. Dicendum est secundo, statum religiosum esse Ecclesiæ valde utilem. Hæc conclusio etiam est de fide, et probatur eisdem motivis, quibus fulcitur præcedens; quia Ecclesiæ valde utilis est status a Christo Domino institutus, in Conciliis commendatus, a Patribus laudatus, et in quo magna perfectio resplendet; neque enim credibile est, has excellentias continere quidquid non cedit in magnam utilitatem Ecclesiæ: talis autem est status religiosus, ut constat ex proxime dictis: ergo hujusmodi status est Ecclesiæ valde utilis.

Fundamentum. Confirmatur; nam cum Ecclesia sit congregatio fidelium, nequit non esse valde utile Ecclesiæ, quod magnam utilitatem affert omnibus fidelibus, sive Ecclesiæ membris, tam actualibus, quam possibilibus: sed his omnibus affert magnam utilitatem status religiosus. Ergo et Ecclesiæ. Minor declaratur, et probatur; nam in primis status religiosus plurimum prodest fidelibus, qui in tali statu constituuntur; eos quippe instruit, fovet, nutritque in exercitio virtutum, perducitque ad perfectionem, cum habeat plurima media ad hunc finem utilissima. Aliis etiam fidelibus non religiosis magnum emolumentum facit; quia religiosi pro eis orant, illosque exemplo virtutum ad perfectionem excitant: quæ munia non sic exequi valent sæculares temporalibus solicitudinibus occupati. Denique multum prodest infidelibus (qui sunt membra Ecclesiæ in potentia), quia ut experientia, et effectibus compertum est, religiosi huic muneri specialiter incumbunt, nullaque est mundi pars, quæ prædicatione, et zelo religiosorum lucem evangelicam non receperit, aut viderit.

Accedit, religiosos fuisse, qui summum Ecclesiæ splendorem pepererunt sanctitate, miraculis, zelo, prædicatione, doctrina, nempe Antonium, Hilarionem, Basilium, Augustinum, Cyrillum, Gregorium, Benedictum, Bernardum, Angelum, Dominicum, Franciscum, Thomam, Bonaventuram, Albertum, Ignatium, aliosque tam multos, ut non immerito dixerit Bellarminus in præfatione ad librum de Monachis: « Exceptis sacris Martyribus, rari « omnino in numerum Sanctorum relati « leguntur, qui ex Monasteriis non pro« dierint. » Videatur, vel audiatur vox turturis Gravinæ, quæ suaves cantus edit in omnium sacrarum Religionum, et præsertim antiquarum commendationem. Bellar.

Sententia hæretica. 4. Contra nostras assertiones sentiunt (et est pro illis urgens veritatis assertio), soli, et omnes fere hæretici. Nam olim Ariani vehementer persequuti sunt religiosos, ut constat ex Ruffino *lib.* 11 *Hist., c.* 3.

3. Idem studium arripuerunt Circumcelliones, ut refert D. Augustinus *in Ps.* 132. Quanto odio eos insectati fuerint Valens Imperator Arianus, et Imperator Constantinus Copronymus, facile constat ex Hist. Ecclesiastica. Et ad proximiora secula descendendo, Wiclephus ita debacchabatur in statum religiosum, ut dixerit a Diabolo fuisse instructum in Ecclesiam, et Augustinum, Benedictum, Bernardum, et similes Patriarchas condemnatos ad infernum fuisse, nisi pœnitentiam egerint, quod talem vivendi formam professi fuerint, et aliis proposuerint sequendam, ut refertur in Concilio Constantiensi loco supra citato. Wiclephi autem maledicentiam et errores imbiberat Joannes Hus, ut constat ex eodem Concilio, qui cum videret Venerabilem N. Thomam Waldensem Wiclephi errores detexisse, diruisse, et acriter dissipasse, frequenter clamabat ad suos : *Cavete a Carmelitis.* Prolixum nimis foret aliorum sectariorum, Lutheri, Calvini, Bezæ, Melanchthonis, Magdeburgensium, et similium odia, rabiem, et convitia contra sacras Religiones expendere. Nam inimici crucis Christi, qui carnis desideriis se tradiderunt, vellent omnes sibi assimilari, ut in turpitudinis societate solatium haberent : unde pessime ferunt sacros Ordines, quorum tenor in puritate, et virtutibus ipsos practice reprehendit, evidentiusque eorum vitia propalat, præsertim cum in sacris Religionibus videant castra Dei, ex quibus fortiora contra hæresim tela intorquentur. Capitalia autem motiva hæreticorum sunt. *Primum*, quod nulla est mentio votorum, et religiosi status in scriptura novi Testamenti. *Secundum*, quod temerarium est vovere cum periculo omittendi sacrilege rem promissam. *Tertium*, quod non dantur consilia, sed omnia bona sunt a Deo præcepta. *Quartum*, quod fideles post Christum debent habere libertatem evangelicam, et se non subjicere jejuniis, psalmodiæ, et aliis hujusmodi, quæ magis pertinere videntur ad servitutem, et ceremonias legis antiquæ. *Quintum*, quod in Monasteriis gravia, el enormia crimina contingunt; unde ipse Papa extinxit aliquas Religiones. Clemens V, Ordinem Templariorum. Bonifacius VIII, Ordinem Fraticellorum, et Pius V, ordinem Humiliatorum.

D. Aug.

Radix odii in Religiosos.

Motiva hæreticorum.

Sed hæc minime urgent. *Ad primum* respondetur, parum referre, quod illæ voces non reperiantur in novo Testamento, si reperitur res per illas significata, præsertim accedente communi sensu, et traditione Ecclesiæ Catholicæ, ut constat ex dictis *in hoc dubio, et disp.* 1, *dub.* 2. Ad *secundum* dicendum, eis qui pie vovent, adesse gratiam sufficientem, ut vota adimpleant ; unde nullam temeritatem pie voventes committunt. Quod vero vota aliquando violentur, est ex fragilitate, aut malitia superveniente, sicut etiam accidit in præceptis Dei, quæ tamen nequeunt appellari nociva. Aliunde vero opera bona facta ex voto sunt meliora, et magis meritoria, ut constat ex dictis *tract. præced. disp.* 5, *dub.* 3, § 13. Ad *tertium* respondetur, falsum esse quod omnia bona sint præcepta, ut patet ex Apostolo, qui virginitatem non præcipit, sed consulit. *Ad quartum* dicimus, libertatem Evangelii eximere nos a servitute legis, sed habenas non laxari ad indulgendum carnis affectibus; magis autem exposcere, quod qui sunt Christi, carnem crucifigant per imitationem Christi in asperitatibus corporalibus, ut fuse expendimus *tract. præced. disp.* 5, *dub.* 3, § 11. Ad *ultimum* admittimus, quod quandoque in Monasteriis gravia crimina contingant. Hæc autem non debent reduci in institutum, aut regulam, quæ sancta sunt ; sed in hominum defectum, qui in quolibet statu possunt ea committere. Et quid hoc mirum, cum Deus in Angelis repererit pravitatem? Quod vero Ecclesia extinxerit aliquas Religiones, potius probat puritatem Ecclesiæ Catholicæ, et laudabile aliarum Religionum (quas nunc approbat, et conservat), institutum, earumque pro omnibus fidelibus utilitatem. Unde obiter refellendi sunt nonnulli politici in sacros Ordines non bene affecti, qui Religiones causantur Regnis incommodas, ex earumque progressu rerum, et hominum penuriam dimetiuntur. Timeant hi, ne boni communis sub speciosa larva faveant hæreticis, illorumque agantur spiritu. Profecto id præsensit sanctus ille Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus, et gloriosus Christi Martyr Petrus (in cujus die hæc scribimus), qui ex eo sibi exploratum habuit Lucium quendam Episcopum, non catholicum, sed lupum, et hæreticum esse, quod Monachos non adhibuerit, qui ipsum ad Pontificale solium comitarentur, et deducerent; quippe tam insignem Ecclesiæ partem credebat Sanctus ille esse Monachos, ut non

Nota.

Dissolvuntur.

Catholicum suspicaretur, eum, quem videbat Monachis non favere, ut refert Theodoretus *lib.* 4 *Histor.* cap. 10.

Theodo.

Verum quia Theologum scholasticum agimus, non possumus in hac controversia dogmatica diutius immorari, sed Lectorem remittimus ad Authores, qui ex professo, et pro meritis eam discutiunt, D. Thomam *opuscul.* 19, *contra impugnantes Religiones*, Albertum Magnum *in defensorio Mendicantium*, N. Waldensem, *lib.* 3 et 4, *de Doctrina fidei, et de Sacramentalib. tit.* 9, Castro *in lib. contra hæreses, verbo Mendicitas*, et *verbo Monachus* et *verbo Votum*, Franciscum Orantium *lib.* 5, *de locis catholicis*, Jacobum Latomum *lib. de Monachorum institutis, et votis*, Jodocum Clictovæum *lib.* 3 *Antilutheri*, Matthæum Galenum *de origine Monastices*, Lindanum *lib.* 4 *Panopliæ, cap.* 98, Bellarminum, et Gravinam *locis supra relatis*, Turrianum *duobus libris de votis monasticis*, Valentiam *in præsenti, disp.* 10, *quæst.* 4, *puncto* 1, et alios qui disputant contra hæreticos.

D. Tho. Alb. Mag. Walde. Castro. Franc. Orant. Jacob. Lat. Jodoc. Clict. Matth. Gal. Linda. Bellarm. Gravina. Turr. Valent.

DUBIUM II.

Utrum status religiosus sit aliis statibus perfectior.

5. Succedit, ut religiosum statum cum aliis Ecclesiæ statibus conferamus, et videamus an illos excedat in perfectione. Pro cujus resolutione observandum est, quod status bifariam accipitur : *Primo late*, et generaliter pro qualibet vitæ conditione, in qua homo ad tempus, vel perpetuo manet; et sic vulgo recensentur status justitiæ, et status peccati ; status hujus vitæ, et status futuræ; status incipientium, proficientium, et perfectorum, aliique status. *Secundo* sumitur stricte, et specialiter pro modo vivendi cum aliqua obligatione firma, quæ communiter oritur ex voto, vel contractu, ut jam explicuimus *disp.* 1, *dub.* 1, *a n.* 1. Et relictis aliis divisionibus, quas loco citato recensuimus, status in hac proprietate acceptus potest generali divisione dividi in statum conjugatorum, qui ex mutuo consensu obligantur ad socialem matrimonii vitam; et in statum Ecclesiasticorum, qui ex voto, ordinatione, aut contractu obligantur ad aliquem specialem cultum Dei. Cæteri vero fideles non dicuntur statum habere, sed posse statum eligere, ut patet ex communi modo concipiendi, et loquendi. Porro in statu ecclesiastico sunt Episcopi, et Religiosi, et (ut præsenti controversiæ demus locum) sunt etiam alii Prælati inferiores habentes curam animarum, ut Archidiaconi, Parochi, et alii. Et quidem si comparemus statum religiosorum cum conjugatorum statu, certum omnino est, illum esse isto perfectioren, ut satis constat ex dictis *disp. præced.* præsertim cum conjugatorum status non sit status perfectionis; licet enim conjuges possint esse perfecti, et observare non solum præcepta, sed etiam consilia ; ad hoc tamen studium ex vi status non obligantur, aliud quippe est esse perfectum, et aliud esse in statu perfectionis, ut optime observavit D. Th. *q.* 184, *art.* 4. Unde præcluditur locus comparandi statum religiosorum cum statu conjugali; comparatio quippe hic intenta supponit utrumque extremum esse statum perfectionis. Quocirca solum restat, ut religiosum statum conferamus cum aliis statibus ecclesiasticis. Sed claritatis gratia prius fiet comparatio cum Episcopis, et deinde cum aliis Prælatis inferioribus.

Observatio.

Punct diffe tatis D. Th

§ I.

Statuitur prima conclusio.

6. Dicendum est primo, statum Episcoporum esse perfectiorem statu religiosorum. Ita D. Th. *q.* 184, *art.* 7 *et q.* 185, *art.* 8 *et opusc.* 18, *c.* 17, *cum sequent.* Cui subscribunt communiter Theologi. Videatur Cajet. *ad prædictos articulos*, Suar. *tom.* 1, *de Relig. lib.* 1, *c.* 1, *et c.* 15 *et* 18, Valentia *disp.* 10, *q.* 2, *puncto* 4, Ledesma *de statu perf. c.* 1, *conclus.* 9, et alii. Probatur primo ex amplissimis titulis, quibus Concilia, et Patres extollunt dignitatem Episcopalem super alia officia, et status. Nam in Concilio Ephesino in multis epistolis, et in Chalcedonensi in principio, Episcopi appellantur *Sanctissimi Christi Legati, Spirituales Patres, Columnæ Ecclesiæ*. Et Tridentinum *sess.* 23, *c.* 4, *et canon.* 6 *et* 7, docet Episcopos esse successores Apostolorum, et in hierarchico ordine *præcipuos*. D. Dionysius, Areopag. *cap.* 5 *de Ecclesiastica Hierarch.* inquit : « Pontificum ordo sacratior, primus « est divina speculantium ordinum, idem« que et summus, et ultimus. » D. Ignatius *ep.* 10, *ad Smyrnenses*, ait : « Episcopo nihil « majus est in Ecclesia, quia Deo conse« cratur pro totius mundi salute. » D. Ambrosius,

Prim assert D. Th

Sua Vale Ledes

Con Cha

Fun ment

Con Tr D.

Are

D. I

D. Amb. brosius, *lib. de dignitate sacerdotali, cap.* 2, *Honor, et sublimitas Episcopalis nullis poterit comparationibus adæquari.* D. Athanasius *in epist. ad Felicem tomo,* 1. *Concilior.* Episcopos appellat *columnas, quia Ecclesiam sustinere, et propriis humeris portare debent.*

D. Ath.

D. Chr. D. Chrysostomus *in orat. de Philogonio,* agens de dignitate Episcopali, ait : « Nul- « lum officium hoc Deo charius est. » Et eadem elogia repetunt alii Patres. Hæc autem nequeunt in eodem gradu applicari religiosis, ut ex se liquet : ergo istorum status est minus perfectus, quam status Episcoporum.

Ratio D. Thomæ. Deinde probatur ratione D. Thomæ *locis supra relatis;* nam licet Episcopi, et Religiosi sint in statu perfectionis, sive (et in idem redit), ad perfectionem obligentur; aliter tamen, et aliter : Episcopi enim se habent ut perfectores, et Doctores aliorum; Religiosi autem ut perfectibiles, qui studio comparandæ perfectionis incumbunt : constat autem quod agens est nobilius patiente, et actus quam potentia : ergo Episcoporum status est perfectior, quam religiosorum status.

Explicatur amplius; nam cum status perfectionis importet firmam vitæ conditionem cum obligatione ad opera laudabilia, ille status erit perfectior, qui obligat ad opera perfectiora : sed opera ad quæ obligantur Episcopi, sunt perfectiora illis, ad quæ obligantur Religiosi : ergo illorum status est perfectior, quam istorum. Probatur minor; nam opera, ad quæ Religiosi ex generali sui status conditione obligantur, sunt quæ præcipue deserviunt ad perfectionem comparandam, et præsertim observatio votorum : his autem longe præferuntur illa, ad quæ tenentur Episcopi; sunt enim opera egregia, quæ perfectionem supponunt, nempe docere fidem, interpretari Scripturam, illuminare Ecclesiam, defendere gregem, diligere oves, mori pro illis, ad quæ excellens charitas, et patientia, cæteræque virtutes necessariæ sunt. Unde in Concilio Toletano XI, *cap.* 2, dicitur : « Quanto quis præcelsi culminis « obtinet locum, tanto necesse est, ut præ- « cedat cæteros gratia meritorum, ut in eo, « quod præsidet singulis, singulariter orne- « tur eminentia sanctitatis, habens semper « in ore gladium veritatis, et in opere effi- « cientiam luminis. »

Conc. Tolet.

Prima objectio. 7. Sunt tamen contra hanc communem assertionem objectiones aliquæ, quibus oportet occurrere. Objicies ergo primo; nam status importat conditionem firmam, et immobilem : sed majorem firmitatem, et immobilitatem importat status religiosorum, quam status Episcoporum : ille ergo est isto perfectior. Probatur minor, quia status religiosorum solemniter professorum est adeo firmus, et stabilis, quod nec Summus Pontifex potest illum commutare absolvendo religiosum ab obligatione illius, ut statuimus *disp. præced. dub. ult.* potest autem Pontifex absolvere Episcopum ab onere, et cura regiminis pastoralis, absolvitque quando renunciationem Episcopatus admittit : ergo firmior, atque immobilior est status Religiosorum, quam status Episcoporum.

Respondetur, sæpe contingere in compa- Respon- ratione aliquorum, quod unum excedat sio. aliud secundum rationem genericam, et excedatur ab eo secundum rationem specificam, atque adeo simpliciter. Et sic contingit in præsenti; nam status in communi solum explicat immobilem conditionem personæ; sed specifice acceptus importat obligationem ad has, vel illas actiones. Unde quod status religiosus sit immutabilior, quam Episcoporum status, solum evincit illum esse isto perfectiorem secundum rationem genericam. Sed quia opera, ad quæ Episcopalis status obligat, sunt perfectoria operibus, ad quæ obligat status religiosus, propterea ille est isto perfectior secundum speciem. Et quia excessus simpliciter talis attenditur secundum rerum species, ideo status Episcoporum est simpliciter, et attentis omnibus perfectior, quam status religiosorum. Sicut homo est simpliciter perfectior sole, licet ab isto excedatur in communi ratione corporis; et charitas est simpliciter perfectior fide, quanvis ab ea excedatur in communi ratione virtutis, sicut declaravimus *tract. præced. disputatione* 7, *dub.* 2. Et profecto si objectio convinceret, etiam suaderet, statum conjugatorum esse perfectiorem statu Episcopali; nam ille est firmior, et immutabilior, nequitque dissolvi authoritate Pontificis.

Secund objectio 8. Objicies secundo : nam si status Episcoporum esset simpliciter perfectior, quam status religiosorum, sequeretur eum qui vovit ingredi religionem, satisfacere huic voto, ab ejusque obligatione liberari acceptando Episcopatum : Consequens est falsum : ergo Episcopalis

status non est perfectior statu religioso. Sequela videtur manifesta, quoniam in tali casu homo amplecteretur majus bonum, seque obligaret ad opera perfectiora, atque ideo extingueret obligationem voti religionis, sicut qui vovit ingredi religionem minus perfectam, satisfacit ingrediendo perfectiorem. Falsitas autem consequentis constat *ex cap. Per tuas, extra de voto, et voti redemptione*, ubi Papa quendam, qui promiserat religionem, et ea neglecta acceptaverat Episcopatum, monet ut eo derelicto adimpleat.

Aliquorum solutio. Ad hanc objectionem posset responderi concedendo sequelam ob probationem, qua suadetur, et videtur nostram assertionem magis firmare. Et ad consequentis improbationem posset dici, Pontificem in eo canone consulere, quod melius esset, non vero, quod foret absolute necessarium.

Abbas. Quam doctrinam tuentur Abbas. et quidam alii Canonistæ ad prædictum caput *Per tuas.*

Henriq. Rodrig. Henriquez *lib.* 10 *de Sacrament. Ordinis, c.* 32, Rodriguez *in summa, tom.* 2, *c.* 2, *num.* 6, et alii.

Non approbatur. Sed displicet hæc responsio, quia est contra mentem Pontificis; monet enim Episcopum ingredi religionem, *si tuam*, inquit, *sanare desideras conscientiam;* quibus verbis supponit Episcopum habere conscientiam læsam ob non adimpletionem voti, et consulit remedium necessarium; judicavit ergo religionis votum non extingui per assumptionem ad Episcopatum. Et sic

D. Tho. sentiunt communiter Doctores. D. Thomas

Cajetan. *quæst.* 189, *art.* 3, *ad primum*, Cajetanus *ibidem*, Richard. *in* 4, *distinct.* 38, *art.* 5,

Richard Abul. *quæst.* 1, *ad* 3 Abulensis *quæst.* 94, *in*

Sylvest. *cap.* 30 *Numer.* Sylvester *verbo Votum* 3, *quæst.* 9, *et verbo Retigio* 2, *questione* 20,

Sanch. Suarez. Sanchez *lib.* 4, *in Decalog. c.* 17, Suarez *tom.* 3 *de Relig. lib.* 1, *cap.* 19. *n.* 3, Valen-

Joan. de la Cruz. tia *ubi supra*, § *Aliter ergo*, Joan. de la Cruz *de statu religioso, lib.* 1, *cap.* 3, et alii.

Legitima responsio. Et juxta hanc doctrinam (quæ est omnino vera et secura), respondetur objectioni negando sequelam. Cujus probatio dupliciter diluitur. *Primo* ex eo, quod quando duæ perfectiones sunt incompossibiles, qui vovit inferiorem, satisfacit voto amplectendo superiorem; et idcirco qui vovit religionem minus perfectam, satisfacit ingrediendo perfectiorem; et similiter qui vovit servire hospitali, satisfacit ingrediendo religionem, ut habetur *cap. Scriptura, de voto.* Licet autem status Episcopalis sit perfectior statu religioso, nihilominus non est incompossibilis cum illo: fieri enim optime potest, ut quis simul sit religiosus et Episcopus; et propterea qui vovit religionem, debet illam prius ingredi, quam accipere Episcopatum, nec aliter voto satisfacit. *Secundo*, et evidentius ex eo, quod ut votum de minori bono extinguatur per assumptionem, aut professionem boni majoris, non sufficit quod istud secundum se sit majus; sed desideratur quod sit majus, et melius voventi. Moraliter autem, et communiter loquendo, non est melius esse Episcopum, quam esse religiosum. Tanta enim sunt, quæ in regimine Episcopatus requiruntur, ut prædictus status, licet secundum se sit sanctissimus, et Religione excellentior; tamen cuilibet debeat reputari periculosus, et formidabilis. Unde qui post votum religionis ultroneus Episcopatum assumit, non eligit majus, et melius sibi bonum, atque ideo non satisfacit priori voto, sed magis se exponit periculo. Quæ doctrina frequens est apud Patres, ex quibus Nazianzenus in Apologia inquit: Nazi Not
« Nemo sapiens læto animo creatur Epis-
« copus, si quis pericula, et supplicia ei
« proposita considerat; atque adeo stultus
« videri potest, ac reprehensione dignus,
« cui cum viam possit ingredi complanatam
« et expeditam, sponte se in locum angus-
« tum, periculosumque redegerit » Et D. D. E
Bonavent. super Regulam, cap. 2, circa medium, ait: « Quod si non vocati ad
« Episcopalem gradum, nec coacti ad eun-
« dem aspirant, ut fugiant ærumnas pau-
« perum, et Ordinis rigorem, credo eos in
« illius partem cessuros, qui dixit: Sedebo
« in monte testamenti, in lateribus Aqui-
« lonis. » Et ex hac radice provenit, quod votum ingrediendi religionem sit per se loquendo validum; votum vero non ingrediendi religionem, sit per se loquendo invalidum: econtra vero votum non procurandi, et acceptandi Episcopatum sit validum regulariter loquendo, et votum illum procurandi, vel acceptandi sit invalidum; quia videlicet status religiosus non solum est bonus, sed etiam voventi utilis ad salutem; status vero Episcopalis, licet secundum se excellentissimus, est appetentibus, procurantibus, et ultronee acceptantibus valde periculosus, et non semel occasio damnationis. Quod non in Episcopatum, sed in modum illum consequendi, vel administrandi reduci debet.

9. Sed

Replica. 9. Sed instabis : nam si ita res se habet, sequitur Episcopum confirmatum, qui prius voverat religionem, obligari ad renunciandum Episcopatui, et ad ingrediendum religionem absque alia nova licentia Pontificis ; quod est contra decisionem capitis *Inter corporalia, de translatione Episcoporum.*

Diluitur. Respondetur negando sequelam, quia licet præcesserit illud votum, nihilominus electio, et confirmatio Episcopi est valida, per eamque contrahitur spirituale vinculum inter Episcopum, et Ecclesiam ; quod est indissolubile vel jure divino, ut quidam volunt, vel saltem jure canonico, ut constat ex canone citato. Unde licet *in dicto cap. Per tuas*, Pontifex manifestet obligationem Episcopi, non tamen præbet licentiam generalem ingrediendi religionem absque ipsius Pontificis licentia, nec derogat juri communi declarato *in cap. Inter corporalia.* Quocirca Episcopus voto Religionis ligatus non obligatur statim Episcopatum deserere, aut religionem ingredi ; sed obligatur, ut petat a Papa vel licentiam ad hæc consequenda, vel dispensationem ad perseverandum in Episcopatu.

Tertia objectio. 10. Objicies tertio : nam si ideo Episcoporum status est simpliciter perfectior, quam religiosorum status, quia illi comparantur ut perficientes, sive existentes in perfectione ; isti vero ut perfectibiles, sive procurantes perfectionem : plane sequitur, quod sicut religiosi obligantur perfectionem comparare, ita Episcopi obligentur perfectionem habere, et consequenter quod sicut religiosi non procurantes perfectionem sunt in statu peccati mortalis, ita etiam Episcopi non habentes perfectionem sint in statu damnationis. Consequens est nimis durum, et horribile : ergo dicendum est, quod sicut religiosi satisfaciunt suæ obligationi dum ab studio perfectionis procurandæ non desistunt, licet actu perfecti non sint, ita etiam Episcopi. Quod si conceditur, profecto tollitur illa differentia, quod Episcopi sunt in statu perfectionis habitæ, et religiosi in statu acquirendi perfectionem ; destruiturque motivum, ut Episcopalis status superemineat statui religiosorum.

Responsio. Ad hanc objectionem respondet Valentia ubi supra negando sequelam; quia differentia inter Episcopos, et religiosos quantum ad perfectionem non consistit in hoc, quod Episcopi debeant esse actu perfecti, secus religiosi ; sed in eo, quod Episcopi ratione status obligantur ad opera perfecta, et propria magistri ; religiosi vero ad opera minus perfecta, et propria discipuli, cujusmodi sunt quæ pertinent ad abnegationem, humilitatem, et pœnitentiam. Unde si Episcopus exequatur illa opera, ad quæ tenetur, satisfacit suo muneri, licet actu habeat minorem charitatem, quam aliqui religiosi. Et ita ex una parte salvatur eminentia status Episcopalis supra statum religiosum ; et ex alia vitatur illud inconveniens adeo timendum.

Hanc doctrinam admittimus ut probabilem pro consolatione Episcoporum, sicut etiam admisit Ledesma *ubi supra, pag.* 7, sed forte verius est, legitime inferri sequelam; nam moraliter loquendo, impossibile est, quod quis teneatur exercere, exerceatque perfectiora charitatis opera, et quod non excedat in perfectione, quæ vel debet supponi, ut quis se ad talia opera obliget, vel saltem per eorum exercitium comparatur : ergo si Episcopus obligatur ad perfectiora opera, quam religiosus, ut est certum, et Valentia supponit; plane sequitur, quod debet habere actu, vel saltem exercite comparare majorem perfectionem, quam religiosi, eosque sicut in eminentia operum, ita etiam excedere in perfectione ; et quod si aliter se gerat, est in statu peccati mortalis, sicut religiosi qui obligationi procurandi perfectionem non satisfaciunt, nisi per majoris profectus studium. Quam resolutionem proportionabiliter extendimus ad Prælatos religiosorum, qui eorum habent curam quasi Episcopalem, debentque ease illorum perfectores, præsertim si hæc munia exerceant cum quadam universalitate, et perpetuitate, ut solent Generales, et Provinciales. Et si alicui hæc resolutio dura, et horribilis visa fuerit, audiat D. Chrysostomum *homil.* 34, *super epist. ad Hebræos*, ibi : « Miror si potest salvari aliquis Recto- « rum ; post tantam enim comminatio- « nem, quam negligentiæ videmus illatam, « video aliquos etiam corruere, et præci- « pitare semetipsos in tantam molem et « difficultatem regiminis. » Et Divus Augustinus *epistol.* 148 *ad Valerium*, ubi ait : « Ante omnia peto, ut cogitet reli- « giosa prudentia tua, nihil esse in hac « vita, et maxime hoc tempore facilius, « et lætius, et hominibus acceptabilius « Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi

Nota. Nota, ut retundatur ambitio. D. Chrys. D. Aug

« officio » (idem intellige de aliis Ecclesiæ, et religionum honoribus,) « si perfunctorie, « atque adulatorie res agatur. Sed nil apud « Deum miserius, et tristius, et damna- « bilius.

§ II.

Proponitur alia assertio.

Secunda conclusio.

11. Dicendum est secundo, statum religiosum esse perfectiorem statu aliorum Ecclesiasticorum inferiorum Episcopis, ut sunt quidam Abbates exempti, Archidiaconi, Parochi, et alii. Ita D. Thom. *quæst.* 184, *art.* 6 et 8, et fusius *opusc.* 18, *cap* 20, *cum sequentibus*. Cajetanus *artic. cit.* Ledesma *de statu perfect. cap.* 1, *concl.* 10, Joannes de la Cruz *dub.* 3, *conclus.*2, Valentia *disput* 10, *quæst.* 2. *punct.* 5, et alii. Possetque ita assertio facile probari destruendo supposition, videlicet prædictos Ecclesiasticos Episcopis inferiores esse in statu perfectionis; si enim non sunt in perfectionis statu, sed in alio, manifeste sequitur, quod status religiosus, qui est status perfectionis, sit illorum statu perfectior. Quod autem prædicti non sint in statu perfectionis, ostenditur; quoniam status importat firmitatem, et immutabilitatem ortam ex aliqua obligatione, ut diximus *disputat.* 1, *a num.* 1; atqui prædicti Ecclesiastici non habent firmitatem, et immutabilitatem circa sua munera : ergo non habent statum perfectionis. Probatur minor, quia absque ulla dispensatione, aut licentia superioris valent ea munera deserere, et transire ad religionem, idque exequentes laudabiliter operantur. Unde Concilium Toletanum IV, *cap.* 49, quod refertur *in cap. Clerici*, 19. *quæst.* 1, statuit : « Clerici qui Monachorum propositum ap- « petunt, quia meliorem vitam sequi cu- « piunt, liberos eis ab Episcopo in Monas- « terium largiri oportet ingressus, nec « interdici propositum eorum, qui ad con- « templationis desiderium transire ninun- « tur. » Et Urbanus II, *in cap. Duæ*, 19. *quæst.* 2, decrevit : « Si quis horum, qui « in Ecclesia sua sub Episcopo populum « retinet, et sæculariter vivit, afflatus Spi- « ritu sancto, in aliquo monasterio, vel « regulari canonia salvare se voluerit, qui « lege privata ducitur, nulla ratio exigit, « ut a lege publica constringatur. » Et concludit : « Quisquis ergo hoc spiritu ducitur, « etiam Episcopo contradicente, eat liber « nostra authoritate. »

D. Tho. Cajetan. Ledesm. Joan. de la Cruz. Valent. Motivum Concil. Tolet. Urban. II.

Nec hunc discursum labefactant exempla Episcopi transeuntis ad religionem, et religiosi existentis in religione minus perfecta transeuntis ad perfectiorem, quæ Suarius *tom.* 3, *de Relig. lib.* 1, *c.* 17, opponit doctrinæ D. Thomæ palam affirmantis prædictos Ecclesiasticos Episcopis inferiores non esse in perfectionis statu. Nam Episcopus jure divino tenetur non deserere Ecclesiam, nec ad religionem transire valet absque authoritate Pontificis; unde habet sufficientem firmitatem, ut sit in statu perfectionis. Omnis etiam religiosus, in quacumque religione profiteatur, obligatur immutabiliter ad perfectionem; unde quando ad perfectiorem religionem transit, proprie loquendo non mutat statum, sed progreditur intra illum. Præc dit Sua evas

12. Sed objicies: nam quod uni licet, pariter licet similibus : ergo si habenti curam animarum licet deserere suam Ecclesiam, et ingredi religionem, idem licebit omnibus habentibus tale munus; si autem omnes habentes curam animarum religionem ingrederentur, relinquerentur Ecclesiæ absque Pastoribus, quod est magnum inconveniens. Ergo habentes curam animarum nequeunt pro sua devotione religionem ingredi, sed debent expectare superiorum licentiam, atque ideo ex hac parte non carent firmitate ad statum perfectionis sufficienti, et requisita. Objectio.

Hanc objectionem, quæ est Guillelmi de S. Amore, et similium contra sacras Religiones, optime diluit D. Th. *infra*, q. 189, *art.* 7, his verbis : « Ad secundum dicen- « dum, quod sicut Hieronym. dicit contra « Vigilantium, quamvis a te linguæ vipe- « reæ morsus sævissimos patiantur, scilicet « religiosi, quibus argumentaris, et dicis : « Si omnes se clauserint, et fuerint in soli- « tudine, quis celebrabit Ecclesias? Qui « seculares homines lucrifaciat? Quis pec- « cantes ad virtutes poterit cohortari? Hoc « enim modo si omnes tecum fatui sint, « sapiens esse quis poterit? Et virginitas « non erit approbanda. Si enim virgines « omnes fuerint, et nuptiæ non fuerint, « interibit genus humanum. Rara est vir- « tus, nec a pluribus appetitur. Patet ergo « quod hic timor stultus est, puta sicut si « aliquis timeret haurire aquam, ne flumen « deficeret. » Licet enim omnes habentes curam animarum possent divisive sumpti relinquere Respo sio D. T

relinquere seculum, et ingredi religionem, nunquam tamen continget, nec contingere moraliter potest, quod omnes collective accepti in id conspirent; unde inconveniens objectioni insertum est de re non supponente.

Aliud assertionis fundamentum.

13. Verum etiam admisso (ut huic comparationi detur locus), quod status Ecclesiasticorum Episcopis inferiorum sit status perfectionis, adhuc verificatur nostra conclusio. Quod sic ostenditur; nam status religiosus excedit illorum ecclesiasticorum statum, tam in ratione generica, quam in conceptu specifico: ergo ille est isto perfectior. Consequentia patet, et antecedens quoad primam partem facile suadetur; quia status ex generali ratione status importat firmitatem, et immobilitatem: sed status religiosorum est firmior, et immutabilior, quam illorum ecclesiasticorum status; siquidem religiosorum status est adeo immutabilis, ut nec Summus Pontifex queat professum ab eo liberare, ut *disp. præced. num.* 91 statuimus, vel saltem ad hanc mutationem requiritur extraordinaria quædam necessitas boni communis, et dispensatio Pontificis, ut fatentur Authores ibidem relati, *num.* 109, qui censent Papam cum solemniter professo posse dispensare, ut contrahat matrimonium: ut autem ecclesiastici Episcopis inferiores habentes curam animarum, hujusmodi statum relinquant, vel nulla licentia requiritur, ut ingrediantur religionem, vel saltem non requiritur dispensatio Pontificis, sed sufficit Episcopi licentia, ut cum se beneficiis abdicant: ergo status religiosus excedit prædictorum Ecclesiasticorum statum ex parte rationis genericæ, videlicet in firmitate, et immobilitate, quam status importat. Secunda etiam antecedentis pars probatur; nam status perfectionis ex parte differentiæ specificæ importat obligationem ad opera laudabilia, quæ vel supponunt, vel comparant perfectionem: sed opera ad quæ obligantur Religiosi, sunt perfectiora his, ad quæ obligantur Ecclesiastici Episcopis inferiores; isti enim obligantur ad aliqualem subditorum curam, puta ad ministrandum illis Sacramenta, quod recte cohæret cum vita seculari, et justitia communi; religiosi vero obligantur ad tria nobilissima consilia, castitatis, paupertatis, et obedientiæ, et ad omnia alia, quæ pro istorum custodia requiruntur: ergo facta comparatione inter statum illorum Ecclesiasticorum, et religiosorum statum secundum rationes differentiales, iste est perfectior, quam ille.

Objectio.

14. Dices: opera, ad quæ obligantur hi Ecclesiastici, esse ejusdem rationis cum operibus, ad quæ obligantur Episcopi, quæ supra diximus esse perfectiora operibus, ad quæ obligantur religiosi; unde sicut ob excessum operum recte infertur, quod status Episcopalis sit statu religioso perfectior, ita etiam quod status illorum Ecclesiasticorum excedat religiosorum statum.

Dissolvitur.

Sed hoc nihil est; nam licet Episcopi, et prædicti Ecclesiastici obligentur ad opera ejusdem rationis in genere, nempe ad procurandam subditorum salutem; secus tamen ad eadem in specie, et quantum ad modum. Nam Episcopi sunt quasi agentia universalia principalia in hoc negotio, unde præbere debent perfectionem, ut alios possint perficere; et sic D. Dionysius de Ecclesiast. Hierarch. *cap.* 5 *et* 6, solos Episcopos collocat in ordine *perfectorum*. Presbyteri autem, Curati, et similes sunt agentia particularia, et instrumentalia sub Episcopi influxu: quocirca non obligantur ad omnia, quæ pro salute proximi requiruntur; sed tantum ad quædam particularia, quæ absque perfectione exerceri possunt, ut sunt administrationes Sacramentorum; unde non obligantur excedere communem, et moralem vivendi modum, qui consistit in observatione præceptorum. Quocirca excessus status Episcopalis supra statum religiosum non evincit similem excessum in statu aliorum Ecclesiasticorum Episcopis inferiorum, sed magis probat oppositum. *Præterea* prædicti ecclesiastici non se obligant ad omnia opera, sed ad quædam præcise quæ proximorum saluti deserviunt. Religiosi autem proprias personas, et cum eis potentias, et opera Deo consecrant, fiuntque spirituale holocaustum, ut constat ex disputatione præcedenti, per totam. *Rursus*, illi Ecclesiastici non obligantur ad opera admodum gravia, aut difficilia, in quibus occupant majorem vitæ partem; religiosi vero obligantur ad opera continuanda per totam vitam, et non parum difficilia, et in quibus vix unquam exerceant propriam libertatem, cum hanc Deo sacraverint per obedientiæ votum. Unde terminus, aut quasi terminus obligationis religiosorum perfectior est, quam terminus obligationis Ecclesiasticorum, qui non sunt Episcopi.

D. Dion.

Ad hæc: quamvis procurare proximorum salutem, et huic studio obligari sit perfec-

tius, quam exercere opera mortificationis, ad quæ communiter obligantur religiosi; nihilominus falso supponitur, quod religiosi non promoveant proximorum salutem, ad eamque plurimum conferant. Promovent enim, et maxime adjuvant vel solo exemplo sanctioris vitæ Promovent etiam oratione, et pœnitentia, quibus plerumque potius quam concionatorum vocibus adscribuntur peccatorum conversiones, ut late ostendimus *tract. præcedenti, disp.* 5, *dub.* 3, *a num.* 76, et præsertim *num.* 107. Imo vero si rem hanc recte ponderemus, perfectius, Deo gratius, et magis meritorium est unum vel justum, vel peccatorem trahere ad insignem perfectionem, quam plures convertere ad justitiam tepidam, et imperfectam, ut eo dubio ostendimus, § 9. Status autem religiosus est schola, in qua homines incitantur, promoventur, et perducuntur ad perfectionem, ubi simplex religiosus potest vitæ suæ exemplo hunc insignem effectum gignere, idque regulariter contingit. Presbyteri vero, Curati, et similes Episcopo inferiores nec obligantur esse in seipsis perfecti, nec procurare in se, vel in suis subditis perfectionem; sed suo muneri absolute satisfaciunt, si observent Dei præcepta, et procurent ea a subditis observari; licet se, et illos in statu justitiæ tepidæ, et imperfectæ relinquant, ut frequentius accidit. Unde evidentius constat, quod status religiosus obligat ad perfectius quid, quam status prædictorum Ecclesiasticorum, et consequenter quod attentis omnibus est simpliciter eo perfectior, et excellentior.

Sententia opposita. Gerson. Henriq. Major.

15. Contrariam huic resolutioni sententiam tuentur Gerson *in tract. de statu perfect. Alphab.* 67, *lit. V.* Henric. *quodlib.* 28, *et* 29, *et* Major *in* 4, *dist.* 38, *q.* 7. Quibus

Primum argumentum.

Presbyteris jam aperte favet Suar. *ubi sup. c.* 17, *et* 21, ut illorum opinioni subscribere videatur. Præcipuum horum Authorum motivum consistit in pluribus Patrum testimoniis, quæ extollunt zelum animarum, et pastoralem curam supra alia opera : unde cum Parochi, et similes obligentur ad prædictam curam, videtur quod illorum status sit perfectior statu religiosorum, qui ad opera inferiora obligantur.

Diluitur.

Sed hoc motivum diluitur ex proxime dictis; tum quia Ecclesiastici Episcopis inferiores non habent eam obligationem cum immobilitate sufficienti ad constituendum statum. Tum quia prædictam curam non habent cum principalitate, et universalitate, qualiter competit Episcopis, quibus Patrum testimonia accommodari debent : sed ministerialiter, et dispositive. Tum denique, quia etiam religiosi promovent proximorum salutem, ut supra explicuimus.

Secu dur arg ment

16. Arguunt secundo : quia status prædictorum Ecclesiasticorum magis conducit ad meritum vitæ æternæ, quam status religiosorum; iste ergo illi cedit in perfectione. Suadetur antecedens; nam quod est difficilius, est magis meritorium : sed difficilius est quod prædicti Ecclesiastici recte exequantur suum munus viventes in seculo, quam religiosi intra monasterium clausi : ergo illorum status magis confert ad meritum, quam istorum status.

Solvi

Respondetur negando antecedens, et ad probationem dicendum, difficultatem recte operandi posse ex duplici principio oriri : primo ex ipsa eminentia operis, quæ ex se affert arduitatem : secundo ex circunstantiis extrinsecis, utputa ex dispositione subjecti, occasionis, aut temporis. Prior difficultas auget meritum, nam certum est, eo opus esse magis meritorium, quo est excellentius. Posterior vero non sic auget, præsertim cum difficultas recte agendi est voluntaria. Sic difficilius est servare castitatem, conversando cum fœminis, quam eas fugiendo; et nihilominus laudabilius, et magis meritorium est fugere fœminas ad servandam castitatem, quam earum conversationi assistere, et periculo se exponere. Difficultas autem, quam Parochi, et similes habent, ut recte vivant in sæculo, est posterioris generis, unde perfectius est illam declinare per statum religionis. Videatur D. Th. *q.* 184, *art.* 8, *in fine corp.* D. T *et in respons. ad* 6.

Tert arg ment

17. Arguunt tertio : nam cum status Episcoporum sit perfectissimus, ut § 2 vidimus, ille status erit perfectior, qui magis accedit ad Episcoporum statum : sed ad hunc magis accedunt Archidiaconi, Parochi, et similes, quam religiosi : ergo illorum status est perfectior, quam istorum.

Eno tu

Respondetur cum D. Thom. ubi proxime in respons. ad 5, ubi ait : « Dicendum D. T « quod Presbyteri, Curati, et Archidiaconi « sunt similiores Episcopis, quam religiosi « quantum ad curam animarum, quam « secundario habent; sed quantum ad per- « petuam obligationem, quæ requiritur ad « statum perfectionis, similiores sunt Epis- « copis religiosi. » Et ideo habent absolute perfectiorem

perfectiorem statum, tum ex parte obligationis perpetuæ, et irrevocabilis ad perfectiorem : tum quia cura animarum primario solum competit Episcopis, secundario, et ministerialiter aliis sub eis : quod munus eminentius compensatur per ea, quæ præstant religiosi exemplo vitæ sanctioris, ut supra diximus. Et hanc doctrinam D. Thom. præ oculis habeant illi religiosi, qui censent suum institutum esse aliis perfectius, eo quod magis accedat ad munus Episcoporum ; est enim principium diminutum, et plures habens fallentias. De quo alibi.

Nota.

Quartum argumentum.

18. Arguunt quarto, quia in Presbyteris, Curatis, et similibus datur potestas Ordinis, et character sacerdotalis : sed hæc excedunt perfectiones repertas in religiosis : ergo illorum status est perfectior.

Diruitur.

Respondetur negando consequentiam : tum quia si aliquid valeret, eodem modo probaret, quod status Religiosorum cederet statui cujuslibet Sacerdotis simplicis, seu non habentis curam animarum ; siquidem in hoc etiam reperitur character sacerdotalis : id vero est plane absurdum, cum simplex Sacerdos non obligetur ad perfectionem, quæ possit comparari perfectioni religionis. Tum etiam, quia sicut optime stat, quod quis sit sanctus, et valde perfectus, et quod nihilominus non sit in statu perfectionis, quia ad ejus studium non obligatur, ut constat ex dictis *tract. præced. disp.* 5, *n.* 120, et patet in pluribus laicis : sic etiam cohæret, quod aliquæ excellentiæ reperiantur in subjecto, quin illum constituant in statu perfectionis, et hoc modo se habent character, et potestas Ordinis, quia per se ad perfectionem non obligant. Unde concedimus, dignitatem cujuslibet Sacerdotis (sive Curatus sit, sive non) esse majorem dignitate religiosi laici ; sed inde non infertur, quod illius status sit perfectior : aliud quippe est dignitas, sanctitas, et perfectio ; aliud vero perfectionis status, ut sæpe diximus. Apparetque magis debilitas argumenti, si fiat comparatio Presbyteri Curati cum Religioso Sacerdote ; tunc quippe nequit ille hunc excedere ratione characteris, cum in utroque sit : unde oportet stare doctrinæ superius traditæ, juxta quam Religiosorum status est perfectior statu Ecclesiasticorum Episcopis inferiorum.

DUBIUM III.

Qualiter religiones inter se comparentur in perfectionis excessu.

Postquam statum religiosum cum aliis Ecclesiæ statibus comparavimus, videndum occurrit, qualiter ipsæ sacræ Religiones comparentur inter se. Sed priusquam dubium decidamus, oportet aliqua præmittere, ex quibus ejus qualitas facilius innotescat.

§ I.

Supponenda ad difficultatis resolutionem.

Nota 1.

19. Comparatio locum non habet, nisi extrema aliquo modo distinguantur. Unde supponendum est, quod licet in primitiva Ecclesia non fuerit hæc religionum varietas, quam nunc videmus (sic exigente illarum rerum statu, ubi non ita multi fideles erant, fervebat vero magna persequutio in Christianos), nihilominus paulatim introduci cœpit. Et quidem antiqui Patres duo genera Religiosorum cognoverunt : unum anachoretarum, sive eremitarum, qui contemplationis studio petebant solitudinem, et sejuncti ab omni hominum consortio vivebant : aliud cœnobitarum, qui vitam religiosam agebant in communitate, seu monasterio. Quam religiosorum diversitatem recensent Divus Hieronymus *in epistol. ad Eustochium, de Virginit.* Divus Augustinus *lib.* 1 *de moribus Ecclesiæ, cap.* 31, Cassianus *collat.* 18, *cap.* 4, et alii. Postmodum vero procedente tempore, major adhuc Religionum varietas (qualem modo in Ecclesia cerminus), introducta est. Quam tamen, ut confusionem vitemus, possumus cum D. Thom. *quæstione* 188, *per totam*, in tria genera partiri, et ad tres classes revocare. Nam cum status religiosus sit quædam schola, in qua homines student acquirere perfectionem, quæ potissimum consistit primario in amore Dei et secundario in amore proximi, possunt religiosi tripliciter ad perfectionem promoveri. *Primo* insistendo soli amori Dei per vitam contemplativam : *secundo*, deserviendo proximis per vitam activam : *tertio*, utrumque prosequendo, contemplationem videlicet, et actionem. Et secundum hos fines proximos dantur tria genera religionum. *Primum* earum, quæ profitentur vitam contemplativam, et omnino vacant orationi,

Duo religiosorum genera.

D. Hier. D. Aug. Cassian.

D. Tho.

Tres religiosorum classes.

psalmodiæ, pœnitentiæ, silentio, solitudini, aliisque similibus mediis, quæ contemplationi deserviunt. *Secundum* earum, quæ profitentur vitam activam exercendo opera charitatis circa proximum, utputa curando infirmos, redimendo captivos, pugnando pro Ecclesia, instruendo pueros in doctrina Christiana, in Grammatica, et similibus. *Tertium* earum, quæ profitentur vitam mixtam, et tam contemplationi, quam actioni incumbunt, quatenus habent media contemplationi deservientia, indeque derivant curam ad proximum, illum adjuvando per prædicationem, et administrationem Sacramentorum, et similia opera charitatis. Cujus generis ratio perfectius innotescet ex infra dicendis *n.* 23 *et* 29.

Ulterior religiosorum differentia.

Porro intra unumquodque ex his generibus potest ulterior differentia dari juxta diversitatem mediorum, quæ unaquæque religio assumit ad finem sibi proprium comparandum, ut observat D. Thom. *ubi supra, artic.* 1. Et sic in una religione dantur jejunia, in alia abstinentia perpetua carnium, in alia viget studium, in alia psalmodia, in alia maxima paupertas, et nuditas, et sic de cæteris. Hinc etiam provenit earum diversitas in habitu, cæremoniis, et piis exercitiis. Hinc pariter oritur, quod diversæ sint regulæ, et constitutiones religionum, quibus hæc media præscribuntur. Quæ diversitas non est adeo novitia, ut quidam putant; jam enim in antiquis monachis suboriri cœpit, ut constat ex D. Epip. divo Epiphanio in fine librorum contra hæreses, ubi refert quosdam Monachos ex suo instituto abstinere a carnibus, alios ab ovis, alios etiam a piscibus, alios denique a pane. Deinde quosdam nudis pedibus incedere, quosdam gestare saccum, alios humi cubare, etc. Ex prædictis ergo tribus radicibus, nempe ex diverso fine proximo religionum, qui vel est contemplatio, vel actio, vel utrumque; et ex diversis mediis, quibus unaquæque religio utitur ad finem sibi specialem comparandum, provenit magna hæc varietas, quam in religionibus sacris videmus, et patet aditus ad difficultatem præsentis dubii, quod investigat excessum unius religionis supra aliam in perfectione.

An hæc varietas sit utilis.

20. Sed oportet prius duo dubia circa hanc religionum diversitatem decidere. Dubitari enim potest, utrum hæc religionum varietas sit utilis Ecclesiæ? Et negativa pars suaderi videtur ex eo, quod unitas, et simplicitas melior est, quam multitudo, et confusio; hæc quippe solet schismata, et minorem charitatem gignere inter homines diversi instituti, ut experientia liquet: unde videtur melius se habiturum statum religiosum, et magis proficuum Ecclesiæ fore, si in tot religiones non maneret divisus, sed omnes, aut fere omnes religiosi eadem essentialia, et accidentalia profiterentur. Idque jam judicasse videtur Ecclesia; nam in Concilio Lateranensi sub Innocentio III, statutum est: « Firmiter pro- « hibemus, ne quis de cætero novam « religionem inveniat. » Idemque statuitur in Concilio Lugdunensi sub Gregorio X. Imo vero Pontifices nonnullas Religiones extinxerunt. Quod non facerent, nisi earum multitudo nociva esset Ecclesiæ.

Motivum pro parte negativa. Concil. Latera. Concil. Lugdur.

Nihilominus certo tenendum est, hanc religionum varietatem esse laudabilem, et Ecclesiæ valde utilem. Tum quia Ecclesia illam de facto approbat, et confirmat: Ecclesia autem errare nequit in his, quæ ad fidem, et mores pertinent. Tum etiam, quia in Ecclesia sunt multæ, et diversæ necessitates, quibus ut occurratur, utile est diversas religiones institui, ex quibus quædam orant, quædam prædicant, quædam docent Theologiam, quædam recipiunt peregrinos, quædam curant infirmos, aliæ instruunt rudes, aliæ pugnant contra infideles, et omnes aliqua pietatis officia exercent. Tum præterea, quia hac varietate aperitur via, ut quis queat, si velit, perfectionem religiosam profiteri; sunt enim varia hominum ingenia, viresque: alii quippe gaudent solitudine, alii frequentia, alii sunt habiliores ad orandum, alii ad studendum, et docendum; alii robusti, et animosi ad magnas pœnitentias, quas alii subire non possunt. Supposita autem religionum varietate, possunt eligere institutum suo ingenio, ac viribus opportunum: quod non ita contingeret, si una tantum esset religio, quæ eundem uniformem vitæ tenorem profiteretur. Tum præterea, quia ut experientia compertum est, omnis religio, cum incipit, solet in perfectione fervere, et omnes fideles sui exemplo ad magna opera excitare, ut facile recognoscet legens vitas Fundatorum religionum: unde ad providentiam Dei pertinet per succedentia secula novos Ordines, aut novas Ordinum reformationes excitare, et in Ecclesia proponere, ut fervor identidem continuetur. Tum denique, nam ipsa religionum

Pars affirmativa probatur.

gionum diversitas excitat inter eas quandam laudabilem æmulationem, ut unaquæque promoveat sui instituti perfectionem, et sanctam de sè existimationem procuret; quod non ita accideret, si omnes religiosi eadem profiterentur. Quocirca utile Ecclesiæ est, quod in ea reperiatur hæc Religionum varietas. Et in hoc sensu D. Thom. *ubi supra, art.* 1 *in argum. Sed contra*, intelligit illud Psalmi 44, *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circundata varietate.*

D. Tho.

Diruitur motivum contrarium.

Ad rationem vero dubitandi patet ex modo dictis, quot utilitates proveniant Ecclesiæ ex religionum multiplici varietate. Quod autem ex diversitate hujusmodi gignantur aliqua incommoda, parum refert, dum utilitas præponderat, illaque obruit. Et vix aliquid in rebus humanis reperitur, quod inconvenientibus careat. Addit tamen, et optime D. Thom. ubi proxime, in responsione ad 4 : « Dicendum quod confusio opponitur distinctioni, et ordini. « Sic ergo ex multitudine religionum in« duceretur confusio, si ad idem, et eodem « modo diversæ Religiones essent absque « utilitate, et necessitate. Unde ut hoc non « fiat, salubriter institutum est, ne nova « religió sine authoritate Summi Pontifi« cis instituatur. » Ex quibus patet ad ea, quæ addebantur in dubitandi ratione.

D. Tho.

Alia quæstio.

21. Deinde dubitari potest, an inter sacras religiones detur diversitas essentialis? Et videtur quod non ; quia omnes religiones conveniunt in essentialibus status religiosi, nempe in tribus votis substantialibus acceptatis ab Ecclesia : ergo solum differunt numero, et accidentaliter penes diversa media aut ritus, quibus utuntur. Et sic sentiunt Lessius *lib.* 2, *c.* 41, *dubit.* 2, *n.* 16, Castro Palao *tract.* 16, *disput.* 1, *punct.* 2, *num.* 1, et alii.

Less. Castro Palao

Resolutio.

Sed dicendum est, inter aliquas religiones dari distinctionem essentialem. Ita aperte colligitur ex D. Thom. *loco sæpius citato in corpor. art. et in respons. ad* 1 *et* 2, cui subscribere videtur Suarez *tom.* 4 *de Religione, tract,* 9, *lib.* 1, *cap.* 1, *num.* 5, licet solum dicat dari distinctionem quasi specificam. Sed absolute sic post alios docet N. Philippus *in præsenti, disput.* 5, *dub.* 4. Et probatur, quia diversitas Religionum attenditur inter alia penes diversos fines proximos, et proprios, ac per se intentos ; quatenus una versatur immediate circa contemplationem, alia vero circa actionem; et rursus una circa hanc actionem, v. g. curare infirmos, et alia circa aliam, puta redimere captivos : sed hæc finium diversitas sufficit, ut refundat distinctionem essentialem in religiones, quæ tales fines per se respiciunt : ergo inter aliquas religiones datur distinctio essentialis. Minor, in qua poterat esse difficultas, facile ostenditur : tum quia prædicti fines essentialiter distinguuntur, ut de se liquet : sed ea quæ sunt ad finem (qualiter se habent religiones), specificantur, et distinguuntur per habitudinem ad illum : ergo diversitas prædictorum finium sufficit, ut religiones eos respicientes essentialiter distinguantur inter se. Tum etiam, quia prædicti fines se habent tanquam objectum, et materia circa quam religionum ; ubi autem objectum et materia essentialiter differunt, opus est similem distinctionem dari inter ea, quæ sunt circa illa, ut inductive potest ostendi. Tum denique, quia ut recte vidit Suarez *ubi supra*, religiones sunt velut quædam disciplinæ, et artes ; artes vero, quæ habent diversam materiam, et tendunt ad diversos fines proximos, et proprios, specie distinguuntur, ut est per se notum.

D. Tho. N. Phili. Suarez.

Convellitur fundamentum contrarium.

Nec motivum contrarium urget, quia solum probat, convenientiam essentialem religionum in genere communissimo status religiosi, qui per tria vota substantialia constituitur : sed cum hac convenientia cohæret quod differant essentialiter, propter diversos fines proximos. Quod magis perspicuum fiet, si animadvertamus statum religiosum non constitui adæquate per vota, sed insuper requirere actualem hominis traditionem, per quam se Deo donat, et sacrat ad ejus cultum, ut constat ex dictis *disputatione præcedenti, num.* 9, *dub* 7, *per totum.* Hujusmodi autem traditio determinatur specialiter ad diversa munera, secundum varia, et diversa religionum instituta, utputa ad clausuram, et contemplationem, vel ad prædicationem, vel ad pugnandam contra infideles, etc., idque satis aperte explicatur in professione solemni, cum quis dicit se facere suam professionem secundum regulam, verbi gratia, Divi Benedicti, Divi Augustini, aut Carmelitarum. Et juxta hanc diversam traditionem, quæ ad statum religiosum essentialiter pertinet, consurgit differentia essentialis in Religiosis, atque ideo in Religionibus. Quod satis aperte expressit Divus Thomas *loco citato*, ubi oppositum motivum

D. Tho.

prævidit, et diluit his verbis : « Ad pri-
« mum dicendum, quod hoc est commune
« in omni Religione, quod aliquis totaliter
« se debet præbere ad serviendum Deo.
« Unde ex hac parte non est diversitas in-
« ter Religiones, ut scilicet in una Reli-
« gione aliquis retineat aliquid sui, et in
« alia aliud. Est autem diversitas secun-
« dum diversa, in quibus homo Deo servire
« potest, et secundum quod ad hoc se homo
« potest diversimode disponere. » Et *in responsione ad* 2, addit : « Communitas
« essentialium votorum compatitur diver-
« sitatem religionis, tum propter diversas
« dispositiones, tum etiam propter diversos
« fines. »

Alterius decisio. 22. Si autem inquiras, utrum Religiones, quæ habent eundem finem proximum, et specialem, et differunt in mediis, sive dispositionibus, quibus utuntur ad illum attingendum, et consequendum, distinguantur essentialiter ? Respondetur probabilius esse, quod solum distinguantur accidentaliter, et numerice. Tum quia ita sumitur ex D. Thoma ubi proxime ; nam in fine corporis inquit : « Sed quia finis est
« potissimum in unoquoque, major est Re-
« ligionum diversitas, quæ attenditur se-
« cundum diversos fines, ad quos Religio-
« nes ordinantur, quam quæ attenditur
« secundum diversa exercitia. » Distinctio autem, quæ (supposita convenientia in genere vitæ contemplativæ, vel activæ), attenditur secundum diversos fines proximos, est minima essentialis, nempe atoma, et specifica: ergo quæ attenditur secundum diversa exercitia, media, vel dispositiones, est minor, quam illa, et consequenter sotum numerica, et accidentalis. Tum etiam, quia in moralibus (cujusmodi sunt status religiosi), species sumitur ab objecto, seu fine proximo, non vero a mediis, quibus attingitur : unde furtum est ejusdem speciei, sive quis utatur his mediis ad furandum, sive illis ; et homicidium retinet eandem speciem, sive quis hominem occidat gladio, sive fame, sive igne : ergo religiones habentes eundem finem proximum sunt ejusdem speciei, licet utantur diversis exercitiis, utputa alia jejuniis, alia nuditate, alia solitudine, etc. Et ratio generalis est, quia hujusmodi media sunt extrinseca objecto, et illud non variant in esse talis, cum non subeant rationem motivi, sed puri medii. Contrario autem modo se habent diversa principia formalia in ordine ad eandem in esse rei conclusionem ; sunt enim formalia motiva, et ideo conclusionem variant in esse objecti, possuntque specificare habitus essentialiter distinctos. Per quod solvitur objectio quæ formari poterat contra nostram solutionem.

D. Tho.

Primum corollarium. 23. Ex qua infertur primo, religiones profitentes vitam contemplativam distingui essentialiter generice a religionibus profitentibus vitam activam. Ratio est, quia religiones distinguuntur secundum differentiam finium specialium, et proximorum, quibus incumbunt : sed actio, et contemplatio sunt fines generice distincti ; constituunt enim duplex vitæ genus, ut communiter docent Theologi : ergo prædictæ religiones differunt essentialiter generice. Accedit, majorem distinctionem reperiri inter prædictas religiones, quam inter duas religiones profitentes vitam activam, et habentes diversos fines proximos : sed inter has datur distinctio essentialis specifica, ut statim dicemus : ergo inter illas datur distinctio generica.

Secundum. Infertur secundo, omnes religiones profitentes vitam contemplativam esse ejusdem speciei, solumque distingui accidentaliter, et numerice penes diversa media, et exercitia. Secunda hujus consectarii pars constat ex prima, quæ facile ostenditur ; nam unitas, et distinctio religionum sumitur ex fine proximo, et speciali, circa quem versantur : sed omnes religiones profitentes vitam contemplativam habent eundem finem proximum, qui specie non multiplicatur, videlicet contemplationem ; hæc enim licet connotet diversos actus physice differentes, est formaliter moraliter unum quid indivisibile, nempe vacare soli Deo : ergo omnes religiones profitentes vitam contemplativam sunt ejusdem speciei.

Tertium. Infertur tertio, plures religiones profitentes vitam activam distingui specifice inter se. Quoniam distinctio religionum sumitur a finibus propriis, et proximis : hi autem, qui correspondent pluribus religionibus profitentibus vitam activam, specifice distinguuntur, utputa redimere captivos, pugnare contra infideles, curare infirmos, docere pueros, et similia, quæ certum est specie distingui : ergo plures religiones profitentes vitam activam, omnes videlicet, quæ fines proxime relatos respiciunt, distinguuntur essentialiter inter se.

Quartu Infertur quarto, aliquas religiones profitentes

fitentes vitam activam convenire specie essentialiter, et solum distingui accidentaliter et numerice. Quod facile constat ex hactenus dictis; nam fieri potest quod aliquæ duæ religiones activæ habeant eundem finem proximum, a quo sumitur unitas specifica; possunt enim una, et alia ordinari, v. g. ad redemptionem captivorum, vel utraque potest ordinari ad curam infirmorum : ergo prædictæ religiones sunt ejusdem speciei, et solum differunt accidentaliter, et numerice penes diversa media, et exercitia, quibus utuntur in ordine ad eundem finem.

Quintum. Infertur quinto, et ultimo, religiones profitentes vitam mixtam distingui essentialiter, tam a religionibus profitentibus vitam contemplativam, quam ab illis qui profitentur vitam activam. Ratio constat ex dictis; nam finis proximus profitentium vitam mixtam continet eminenter aliarum fines, et ab unoquoque seorsim sumpto essentialiter distinguitur; a contemplatione sola, quia actionem addit: et ab actione sola, quia contemplationem includit : ergo religiones profitentes vitam mixtam distinguuntur essentialiter ab aliis religionibus, tam contemplativis, quam activis. Sed an inter ipsas religiones profitentes vitam mixtam detur aliqua essentialis distinctio, constabit ex dicendis *n.* 29, ubi magis explicabimus propriam rationem religionis profitentis vitam mixtam. His necessario præmissis, quæ viam aperiunt ad varias comparationes.

§ II.

Proponitur prima conclusio.

Assertio prima. D. Tho. Fundamentum ab authoritate. 24. Dicendum est, religionem pure contemplativam esse simpliciter perfectiorem religione pure activa. Ita D. Thom. *quæst.* 188, *art.* 6 *et art.* 8, cui subscribunt communiter Theologi. Probatur primo ex celebri loco illo Lucæ 22 : « Vacabat Maria « contemplationi verborum Christi Domi- « ni, Martha vero satagebat præparando « Christo necessaria, et conquesta est de « sororis otio. » Dominus ergo judex interpellatus causam absolvit his verbis : *Maria optimam partem elegit, etc.* Quibus significavit Mariæ partem, nempe contemplationem, optimam esse; Marthæ vero partem, id est actionem, sive occupationem in operibus misericordiæ, et excellentissimæ hospitalitatis. malam quidem non esse sed tamen non esse æque bonam; hanc quippe comparativam in bono prælationem significat illud verbum, *optimam*. Et sic exponunt illum locum Divus Hieronymus *in capite* 3 *Threnor.* ad illa verba : *Bonum est viro, cum portaverit, etc.* D. August. *lib.* 1 *de consens. Evangel. cap.* 5 *et lib.* 2 *contra Faustum, c.* 52, *et serm.* 27 *de verbis Domini*, D. Gregorius *homil.* 14, *in Ezechiel. et lib.* 5 *Moral. cap.* 26 *et* 28, Cassianus *collat.* 1, *cap.* 8, D. Bernard. *serm.* 5, *Assumpt. et serm.* 41 *in Cant.* Rupert. *lib.* 6 *in Genes. cap.* 81, Richardus de Sancto Victore *lib.* 2 *de vita contemplativa, cap.* 1, Innocentius III, *lib.* 1 *de Myst. Missæ, cap.* 63, et alii Patres, qui hoc testimonio moventur, ut vitam contemplativam activæ præponant. Facta ergo comparatione inter religionem profitentem vitam contemplativam, et religionem profitentem vitam pure activam, illa est simpliciter perfectior.

D. Hier. D. Aug. D. Greg. Cassian. D. Bern. Rupert. Richard de S. Vict. Innoc. III.

Ratio. D. Tho. 25. Deinde probatur ratione D. Thomæ; nam cum Religiones a fine proximo, et sibi speciali mutuentur unitatem, et distinctionem specificam, ut § præcedenti vidimus, eo sunt simpliciter perfectiores, quo nobiliorem finem proximum respiciunt : atqui contemplatio est finis simpliciter nobilior, quam actio : ergo religio pure contemplativa, seu quæ habet pro fine proximo contemplationem, est simpliciter nobilior, quam religio pure activa, seu quæ habet pro fine proximo solam actionem. Major, et consequentia patent. Minorem autem luculenter probat Angel. Doctor *quæst.* 182, *artic.* 1, ubi hæc habet : « Dicendum quod « vita contemplativa simpliciter melior « est, quam activa. Quod Philosoph. in 10 « Ethicor. probat octo rationibus. Quarum « prima est, quia vita contemplativa con- « venit homini secundum illud, quod est « optimum in illo, scilicet secundum intel- « lectum, et respectu propriorum objecto- « rum, scilicet intelligibilium ; vita autem « activa occupatur circa exteriora. Unde « Rachel, per quam significatur vita con- « templativa, interpretatur visum princi- « pium. Vita autem activa significatur per « Liam, quæ erat lippis oculis, ut Gregor. « dicit 6 Moral. cap. 28, circa medium. « Secunda, quia vita contemplativa potest « esse magis continua, licet non quantum « ad summum contemplationis gradum, « sicut supra dictum est q. 180, art. 8 ad

Motiva, ut contemplatio præferatur actioni.

« 2. Unde et Maria, per quam significatur « vita contemplativa, describitur secus pe- « des Domini assidue sedens. Tertia, quia « major est delectatio vitæ contemplativæ, « quam activæ. Unde August. dicit in lib. « de verb. Domini, serm. 26, ante me- « dium, quod Martha turbabatnr, Maria « epulabatur. Quarta, quia in vita contem- « plativa est homo magis sibi sufficiens, « quia paucioribus ad eam indiget. Unde « dicitur Luc. 10 : Martha, Martha solicita « es, et turbaris erga plurima. Quinta, quia « vita contemplativa magis propter se eli- « gitur, vita autem activa ad aliud ordina- « tur. Unde in Psalm. 24, dicitur : unam « petii a Domino, hanc requiram, ut inha- « bitem in domo Domini omnibus diebus « vitæ meæ, ut videam voluntatem Domi- « ni. Sexta, quia vita contemplativa con- « sistit in quadam vacatione, et quiete, se- « cundum illud Psalm. 41 : Vacate, et vi- « dete, quoniam ego sum Deus. Septima, « quia vita contemplativa est secundum « divina : vita autem activa secundum hu- « mana. Unde August. dicit in lib. de verb. « Domini, serm. 27, circa medium : In « principio erat Verbum. Ecce quod Maria « audiebat. Verbum caro factum est. Ecce « Martha, cui ministrabat. Octava, quia « vita contemplativa est secundum id, quod « est magis proprium hominum, scilicet « secundum intellectum ; in operationibus « autem vitæ activæ communicant etiam « inferiores vires, quæ sunt nobis, et bru- « tis communes. Unde in Psalm. 35, post- « quam dictum est, homines, et jumenta « salvabis Domine ; subditur id quod est « hominibus speciale : in lumine tuo vi- « debimus lumen. Nonam rationem addit « Dominus Lucæ 10 cum dicit : Optimam « partem elegit Maria, quæ non auferetur « ab ea. Quam exponens August. in lib. « de verb. Domini, serm. 27, ante me- « dium, dicit : Non tu malam, sed ista « meliorem. Audi unde meliorem ? Quia « non auferetur ab ea. A te autem aufe- « retur aliquando onus necessitatis. Æter- « na est dulcedo veritatis. » Hæc D. Thom. quæ tam manifeste et minorem, et assertionem probant, ut supervacaneum foret aliquid eis adjicere.

Sententia opposita

26. Contrariam nihilominus sententiam defendunt aliqui Juristæ, qui ut suos labores exaggerent, non dubitant vitam activam tam in honore, quam in merito contemplativæ præferre. Ita Hostiens. *in principio Summæ*, Albericus *leg. Per diversas, Cod. Mandati.* Jason *leg.* 1, *ff. de justitia, et jure*, Lucas de Pena *leg.* 2, *Cod. de Pignorib. lib.* 12, et alii. Quam probant : tum quia religio activa est austerior ob innumeras vitæ activæ incommoditates : religio autem quo austerior est, eo est perfectior, cum mortificatio plurimum ad perfectionem conducat. Tum etiam ; nam cum religio sit studium ad comparandam perfectionem charitatis, ea religio est perfectior, in qua charitas magis exercetur ; magis autem exercetur in religione activa, quam in contemplativa ; illa enim semper occupatur in operibus charitatis circa proximum, in quo etiam Deus diligitur. Tum præterea ; nam quod pertinet ad meliores est honorabilius, et melius : vita autem activa pertinet ad meliores, videlicet ad Episcopos, et Prælatos. Tum denique, nam majora non sunt relinquenda ob minora : sed vita contemplativa relinquitur propter activam, ut cum quis a contemplatione promovetur ad statum prælationis : ergo signum est, quod vita activa non cedit in perfectione vitæ contemplativæ, sed eam magis excedit : idemque dicendum est de religione talem vitam profitente. Alia addunt, quæ minoris momenti sunt.

Host. Albe Jafe Luc de P Mot

Sed hæc facile diluuntur. Ad primum enim respondetur, non pauciores labores, et mortificationes reperiri in vita contemplativa, quam in activa ; quia ad contemplationem magna mortificatio omnium sensuum, ac potentiarum, continuaque abstractio a sensibilibus requiruntur. Sed addimus mortificationem quidem plurimum conducere ad religionis perfectionem, ut fuse ostendimus *tractatu præcedenti, disput.* 5, *a num.* 127, unde cæteris paribus, eo religio est perfectior, quo est austerior, et magis pœnitens : sed hæc paritas non servatur in hac comparatione, quia Religio contemplativa excedit activam ex parte objecti, seu finis proximi, a quo sumitur species, et excessus simpliciter, ut constat ex supradictis.

Conv luntu

Ad secundum dicendum, quod charitas magis crescit, et fovetur per contemplationem, quam per quamlibet operationem externam ; cum contemplatio attingat Deum, et moveat ad amorem, vel ut proprius loquamur, amoris exercitium includat. Unde ex hac parte nequit excedi a vita activa.

Tertium diluit D. Thom. *loco citato in resp.*

D. Th

resp. ad 1, his verbis : « Dicendum, quod « ad Prælatos non solum pertinet vita ac- « tiva, sed etiam debent esse excellentes in « vita contemplativa. Unde Gregor. dicit « in Pastor. Sit rector actione præcipuus, « præ cunctis in contemplatione suspen- « sus. »

Quartum solvit *in resp. ad* 3, ubi ait : « Ad opera vitæ activæ interdum aliquis a « contemplatione avocatur, propter aliquam « necessitatem præsentis vitæ ; non tamen « hoc modo, quod cogatur aliquis totaliter « contemplationem deserere. » Quod con- firmat authoritate D. August. et concludit : « Sic patet quod cum aliquis a contempla- « tiva vita ad activam vocatur, non hoc fit « per modum subtractionis, sed per mo- « dum additionis. »

Inci- dentis dubii decisio.

27. Si autem inquiras, quænam religio sit perfectior inter pure contemplati- vas, et quæ inter pure activas? Respon- detur, inter pure contemplativas non dari excessum specificum, et essentialem, quia omnes conveniunt in eodem fine proximo, atque ideo sunt ejusdem speciei, ut supra vidimus *numero* 23. At inter pure activas (quæ secundum fines specie diversos specie distinguuntur, ut ibidem ostendimus), illa simpliciter perfectior, quæ habet finem proximum nobiliorem, v. g. perfectior specifice erit, quæ respicit opera miseri- cordiæ spiritualis, quam quæ respicit cor- poralia, et sic de aliis quæ non oportet in particulari determinare. Differunt autem omnes prædictæ religiones saltem acciden- taliter penes diversa media, et exercitia quibus utuntur in ordine ad finem sibi specialem, et ex hac parte possunt se ex- cedere. Illaque quantum ad hunc acciden- talem excessum dicenda est perfectior, quæ habet media, sive exercitia suo fini magis apta, et proportionata. Qui proinde excessus determinari non debet secundum mediorum multitudinem, aut difficultatem, sed secundum proportionem ad finem, eo quod mediorum perfectio non est absoluta, sed respectiva, hoc est, fini proportionata.

Nota. D. Tho.

Et sic docet D. Thom. *quæst.* 188, *art.* 6 *in corpore, et ad* 3. Verum quidem est, illam cæteris paribus, esse perfectiorem, quæ majorem pœnitentiam, et corporales aspe- ritates suis religiosis præscribit; quia ma- gis imitatur vitam Jesu Christi, et Aposto- lorum, in quibus tanquam in capite, et nobilioribus membris fulsit speculum om- nis perfectionis, ut *tract. præced. disp.* 3. *dub.* 3, § 11, *cum. seq.* late ostendimus ex certa ipsius S. Doctoris, et aliorum Patrum sententia. Quod etiam extendi debet ad religiones mixtas, de quibus sta- tim.

§ III.

Statuitur alia assertio.

Secunda conclu- sio.

28. Dicendum est secundo, religiones profitentes vitam mixtam esse simpliciter perfectiores religionibus profitentibus vi- tam pure contemplativam, et religionibus profitentibus vitam pure activam. Ita D. Thom. *loco proxime citato*, quem sequuntur communiter Theologi, Cajetanus ibidem et *quæst.* 182, *art.* 1, Paludanus *in* 4, *dist.* 38, *quæst* 3, *art.* 1, Sylvester *verbo Religio*, 1, *q.* 4, Tabiena *quæst.* 5, Henricus *quodlib.* 12, *quæst.* 25, Valentia *disp.* 10, *q.* 6, *punct.* 2, Suarez *tom. de Relig. tract.* 9, *lib.* 1, *cap.* 6, *n.* 8, Lessius *lib.* 2, *cap.* 41, *dub.* 2, *n.* 20, N. Philippus *disp.* 5, *dub.* 3, *in* 2 *parte conclusionis*, et alii plures.

D. Tho. Cajetan. Paludan. Sylvest. Tabiena. Henric. Valent. Suarez. N. Phili.

Ratio.

Probatur ratione ; nam vita mixta, sive quæ contemplationi et actioni vacat, conti- net eminenter rationes vitæ pure contem- plativæ et vitæ tantum activæ, alioquin mixta non esset : ergo est perfectior, quam quælibet earum seorsim sumpta : ergo reli- gionis profitentes vitam mixtam excedunt simpliciter alias, quæ profitentur vitam vel pure contemplativam, vel pure activam.

Confir- matio prima.

Confirmatur primo ; nam illa religio est simpliciter perfectior, quæ magis accedit ad modum vivendi Christi Domini, et Apostolorum, ut satis constat ex dictis *tract. præced. disp.* 5, *n.* 127. Sed Christus Dominus, ejusque Apostoli exercuerunt vitam mixtam : ergo religio quæ hujus- modi vitam profitetur, est simpliciter per- fectior. Minor liquet, quia Christus Domi- nus per triginta annos contemplationi va- cavit, et ultimis tribus annis vitæ suæ actionem prædicationis illuminando mun- dum exercuit : in quo etiam tempore con- templationem non reliquit; nam præter illam continuam, qua fruebatur, visionis beatificæ, solebat montes adire, et pernoc- tare in oratione Dei. Unde D. Isidorus *lib. differentiarum, in* 29, inquit : « Quibus- « dam sola contemplatio proficit, aliis vero « sola activa est consolatio : his media « utrisque composita utilior est. Nam « quod Salvator per diem signis, et mira-

D. Isid.

« culis in villis coruscabat, activam nobis « commendabat vitam : quod vero in nocte « per orationes tandiu pernoctabat, vitam « contemplationis significabat. Idcirco Dei « servus juxta imitationem Christi, nec « actualem vitam omittit, et contemplati- « vam agit. » Apostoli autem vivente Domino contemplationi, et perceptioni notitiarum cœlestium magis vacarunt, quam actioni. Et post ejus passionem *omnes erant*
Actor. 1. *perseverantes in oratione*, ut dicitur *Act.* 1. Sed postquam super eos advenit Spiritus sanctus, cœperunt prædicare, et veritates fidei, quas contemplati fuerant, mundo proponere, et alia vitæ activæ munera obire. Recolantur quæ diximus *loco cit. n.* 137, *et n.* 138.

Confirmatio secunda. Confirmatur secundo : nam cum status Episcoporum sit perfectissimus omnium, qui in Ecclesia reperiuntur ut constat ex dictis *dub. præced.* § 1, illa religio erit simpliciter perfectior, quæ proximior est Episcoporum statui, qui in omnibus rebus,
D. Dion. ut inquit D. Dionys. *cap.* 7, *de divinis nominib.* fines primorum conjunguntur principiis secundorum. Constat autem, religionem profitentem vitam mixtam esse similiorem statui Episcoporum, cum isti debeant esse et contemplatione, et actione perfecti, juxta sententiam D. Gregorii *n.* 26 relatam : *Sit Rector actione præcipuus præ cunctis in contemplatione suspensus.* Religio ergo, quæ profitetur vitam mixtam, est perfectior aliis quæ vitam vel solum contemplativam, vel solum activam profitentur.

Qualiter religio dicatur vitam mixtam profiteri. 29. In hoc facile conveniunt Authores ; sed non sic facile explicant quæ conditiones requirantur, ut religio dicatur profiteri vitam mixtam ? In quo latet non modica æquivocatio, qua nonnulli falluntur, aut fallunt, eamque proinde dispellere oportet. Cum enim religio mixta dicatur, quæ contemplationi, et actioni vacat, tripliciter potest intelligi, quod aliqua religio duo hæc respiciat. *Primo*, insistendo æqualiter contemplationi, et actioni, illasque intendendo principaliter, et immediate. *Secundo*, respiciendo principaliter, et primario solam actionem ; secundario autem contemplationem aliquam, ut medium necessarium ad recte exercendum actionem. *Tertio*, respiciendo principaliter, et primario contemplationem, actionem vero secundario, tanquam effectum ex contemplatione derivatum, mediumque suo modo ad contemplationem conducens. Et quidem religionem non dici profiteri vitam mixtam, quia contemplationem, et actionem primo modo respiciat, satis manifeste ostenditur : tum quia contemplatio, et actio illo modo sumptæ sunt duo fines totales adæquati, et inter se non subordinati, et consequenter sunt plures fines, ut plures ; atque ideo nequeunt ab una specie religione respici, sed pluribus correspondent. Tum quia si aliqua religio contemplationem, et actionem eo modo respiceret, uteretur æqualiter mediis, ac exercitiis conducentibus ad prædictos fines; nulla autem est religio, quæ prædictis exercitiis æqualiter utatur, cum sint valde diversa, et æqualiter contraria. Religionem ergo profiteri vitam mixtam non consistit in eo, quod æque per se primo, et immediate respiciat contemplationem, et actionem. Porro non sufficere, quod respiciat primario, et principaliter actionem, secundario autem contemplationem aliquam tanquam medium necessarium ad recte exercendam actionem erga proximum, facile constat; quia nulla est religio, quantumvis activa, quæ non habeat aliquod exercitium orationis, seu contemplationis, ut in ministeriis circa proximum bene se gerat, cum hujusmodi orationis aliquale exercitium necessarium sit non solum ad opera vitæ religiosæ, sed generaliter ad opera vitæ christianæ; et tamen non omnis religio dicitur profiteri vitam mixtam, ut ex se constat : quod satis manifestat religionem non ex eo dici profiteri vitam mixtam, quia respiciat primario actionem, et secundario, ac ex consequenti contemplationem, tanquam medium necessarium ad recte exercendam actionem.

Restat igitur, quod illa religio dicetur vitam mixtam profiteri, quæ tertio modo se gerit, nempe quæ primario, et principaliter respicit contemplationem, non quidem sistendo ibi (quod est munus vitæ contemplativæ), sed ex ipsa contemplatione descendendo ad opera spiritualia vitæ activæ circa proximum, cujusmodi sunt prædicare, sancta consilia præbere, confessiones audire, morientes in illo agone adjuvare, ministrare Sacramenta, et alia hujusmodi. Et talem religionem ita se gerentem profiteri vitam mixtam, constat sufficienti partium enumeratione ; non enim sistit in sola contemplatione, atque adeo non est pure contemplativa : nec respicit per se primo actionem, et consequenter non est pure activa :

ergo

ergo est mixta. Præsertim cum ejus finis proximus, nempe contemplatio, ut derivatur ad actionem circa proximum, proprias rationes contemplationis, et actionis eminenter contineat.

Falsa aliquorum opinatio refellitur.

30. Unde vehementer falluntur, qui absque distictione dicunt, illam religionem profiteri vitam mixtam, quæ per se primo instituta est ad prædicandum, et docendum, et in hoc sensu interpretantur D. Thomam *quæst.* 188, *art.* 6; oppositum enim constat ex proxime dictis; nam prædicatio, et doctrina, quæ non redundant ex plenitudine comtemplationis, sunt opera vitæ pure activæ; atque ideo nequeunt esse finis proximus specificans religionem mixtam, sive quæ contemplationem primario respicit, et ex consequenti actionem. Idque probant motiva *num.* 28 proposita, quibus communiter ostenditur, excessus religionis mixtæ supra religionem pure activam, et religionem pure contemplativam, ex eo quod religio mixta magis assimilatur vitæ Christi Domini, Apostolorum, et Episcoporum. Nam Christi Domini, et Apostolorum prædicatio supposuit diuturnam, et perfectam contemplationem, ut eo loco diximus; et similiter ad Episcopatum assumuntur, vel assumi debent viri contemplatione perfecti. Unde religio mixta, aliis perfectior, Christi, Apostolorum, ac Episcoporum vitæ similior, non respicit per se primo actionem prædicationis, aut doctrinæ, sed primario et principaliter contemplationi incumbit, et deinde ex ejus redundantia procedit ad perfecta opera circa proximum; aliter enim ipsi prædicationi, et doctrinæ multum perfectionis deficeret, ut diximus *tract. præced. disp.* 5, *num.* 138. Et hic est D. Tho. legitimus sensus D. Thom. *loco citat.* ut evidenter constat ex textu, ubi ait: « Sic « ergo dicendum est, quod opus vitæ activæ « est duplex. Unum quidem, quod ex ple- « nitudine contemplationis derivatur, si- « cut doctrina, et prædicatio. Unde Grego- « rius dicit in quinta homil. super Ezechie- « lem, quod de perfectis viris post contem- « plationem suam redeuntibus dicitur Ps. « 144: Memoriam suavitatis suæ eructabunt. « Et hoc præfertur simplici contemplationi. « Sicut enim majus est illuminare, quam « lucere solum; ita majus est contemplata « aliis tradere, quam solum contemplari. » Atque ideo quam solum agere, quod est minus contemplatione, ut supra diximus. De hac ergo doctrina, seu prædicatione perfecta (quæ ex plenitudine contemplationis derivatur, et comparatur illuminationi, qua illuminans diffundit lucem in se præexistentem) loquitur S. Doctor cum subdit: « Sic ergo summum gradum in religioni- « bus tenent, quæ ordinantur ad docen- « dum, et prædicandum, quæ et propin- « quissimæ sunt perfectioni Episcoporum. *Non dixit:* « Quæ ordinantur primario ad « docendum, sed quæ ordinantur ad docen- « dum, » etc. quia agebat de doctrina perfecta, sive derivata ex plenitudine contemplationis, atque ideo supponente contemplationem, ut proxime prænotaverat. Sic ergo secundum veritatem, et mentem S. Doctoris, illa religio est mixta, perfectior, et perfectioni Episcoporum propinquissima, quæ primo et proxime contemplationi incumbit, et deinde contemplata derivat ad proximos per doctrinam, prædicationem, et alia opera spiritualia; non vero quæ, prætermissa contemplatione, prædictis operibus incumbit; talis enim religionibus pure activis adnumeranda est.

Objectio.

31. Sed objicies: nulla religio procedit ad prædicandum, et docendum, nisi præsupposita contemplatione, atque ideo omnis religio, quæ profitetur doctrinam, et prædicationem, profitetur vitam mixtam, quippe quæ simul conjungit contemplationem, quam supponit, cum actione prædicationis, et doctrinæ, ad quam procedit.

Diluitur.

Respondetur hanc objectionem non impugnare doctrinam proxime traditam; nam si ita est, quod omnis religio procedens ad prædicationem, et doctrinam, prius contemplationi vacat, plane sequitur, prius, et immediatius respicere contemplationem, quam actionem, indeque suam excellentiam mutuari, quod actionem non aliter, quam ex contemplatione derivat. Et hoc est, quod intendimus, et exemplo Christi Domini, Apostolorumque probavimus, adjuncto etiam exemplo Episcoporum, qui supponuntur perfecti, et de quibus ait D. Thom. *num.* 19, relatus: « Ad prælatos « non solum pertinet vita activa, sed etiam « debent esse excellentes in vita contem- « plativa. Unde Gregor. dicit in Pastor. « Sit Rector actione præcipuus, præ cunctis « in contemplatione suspensus. » Verum enimvero animadvertendum est, quod ut religio dicatur absolute contemplationi insistere, et per prius contemplari, quam agere, eo modo quo requiritur ad rationem

vitæ mixtæ, sive eminenter continentis perfectionem vitæ contemplativæ, non sufficiunt quælibet orationis opera, ut aliqua meditatio, examen conscientiæ, memoria præsentiæ Dei, recollectio per aliquot dies, et similia, quæ vulgo dicuntur exercitia; nulla enim est religio quantumvis activa, quæ hæc, aut majora exercitia non habeat; imo seculares conjugati solent eadem practicare, ut experientia liquet. Illa ergo religio dicetur ex contemplatione ad actionem procedere, et subinde continere eminenter perfectionem vitæ pure contemplativæ, et aliquid amplius, quæ suis alumnis præscribit media contemplationi proportionata, cujusmodi sunt clausura, silentium, mortificatio sensuum, pœnitentia, jejunia, vigiliæ, psalmodia, pia lectio, et alia similia. Unde religio quæ his sic insistit intra claustra, ut ea per se loquendo observet, solumque interrumpat quando, et ubi oportet proximos adjuvare per prædicationem, et doctrinam, est religio vere profitens vitam mixtam, sive a contemplatione ad actionem descendens. Et hoc modo (ut alia exempla omittamus), se habet sacra religio Prædicatorum, quæ cum maxime videatur instituta ad docendum; nihilominus cuncta illa media habet, et doctrinæ præmittit. Aliter judicare oporteret de religione (si daretur), quæ cum plurimum vacaret operibus doctrinæ, et prædicationis; tamen per se loquendo non exerceret media contemplationis proxime relata; hujusmodi enim religio esset pure activa, et consequenter minus perfecta quam mixta, et quam religio pure contemplativa, juxta superius dicta *n.* 24 *et* 28.

Replica. 32. Dices: episcopi sunt in statu perfectissimo continente eminenter perfectionem vitæ contemplativæ et activæ; et tamen illa media, quæ diximus, non exercent, sed immediate procedunt ad prædicationem, doctrinam, et alia opera circa proximum: ergo licet religio aliqua prædicta media non haberet, si tamen exerceret munera prædicandi, et docendi, in quibus Episcopis assimilaretur, esset in gradu valde perfecto, deberetque præferri religioni et pure activæ, et pure contemplativæ.

Dispeditur. Respondetur primo negando minorem, quia Episcopi illa, aut meliora media exercent, quæ contemplationi deserviunt. Respondetur *secundo*, et melius negando consequentiam ob manifestam disparitatem; nam status Episcopalis est status perfectionis acquisitæ: unde qui ad Episcopatum assumuntur, sunt, aut supponuntur perfecti; atque ideo possunt a contemplatione supposita ad opera vitæ activæ immediate procedere. Status autem religiosus est status perfectionis, non acquisitæ, sed acquirendæ; unde non supponit contemplationem, aut perfectionem in Religiosis. Quocirca si media contemplationis non præscribat, et exerceat, sed immediate se committat operibus doctrinæ, prædicationis, et similibus, non dicetur profiteri vitam mixtam, sed pure activam.

§ IV.

Aliquibus objectionibus contra secundam assertionem satisfit.

33. Adversus secundam conclusionem sunt aliquæ objectiones, quibus opus est respondere. Arguitur ergo primo: nam illa religio est perfectior, quæ aptior est ad meritum, et augmentum divini amoris: sed ad hæc aptior est religio pure contemplativa, quam religio profitens vitam mixtam: illa ergo istam excedit in perfectione. Probatur minor, quia ad meritum, et augmentum divini amoris aptiores sunt actus, qui versantur immediate circa Deum, quam qui respiciunt proximum; religio autem pure contemplativa promptior est ad priores actus, tum quia in illis tota occupatur, tum quia in contemplatione ardet amor Dei; quod aliter contingit in religione mixta, quæ divertit ad proximos.

Confirmatur primo: nam eo vita est perfectior, quo est similior Deo, et Angelis, et beatis: sed hanc similitudinem magis exprimit religio pure contemplativa, quam religio mixta: ergo illa est simpliciter perfectior. Suadetur minor, quia tanto magis aliqua vita assimilatur Deo, Angelis, et beatis, quanto est spiritualior, et abstractior ab actibus corporalibus: sic autem se habet vita contemplativa, quæ cognitioni, et amori Dei tantum incumbit.

Confirmatur secundo, quia perfectio hujus vitæ consistit in diminutione peccatorum, et frequentiori amore Dei, ut tradit D. Thom. *quæst.* 184, *art.* 1 *et* 2. Sed ad hos effectus aptior est religio pure contemplativa, quam religio mixta: hæc igitur illi cedit in perfectione. Probatur minor, quia in vita pure contemplativa pauciores occurrunt occasiones peccandi, et e converso adest

adest continua opportunitas exercendi amorem Dei in usu contemplationis. In vita autem mixta, qua parte occupatur circa proximum, occurrunt plures animi distractiones, et non levia pericula peccandi, ut
D. Bern. experimento liquet. Quocirca D. Bernardus *epist. ad Sugerium Abbatem*, alludens ad quosdam religiosos multum cum proximis conversantes, dicit : « Claustrum frequen-
« ter stipari militibus, urgeri negotiis, jur-
« giis personare, patere interdum et fœmi-
« nis. Quid inter hæc celeste, quid divinum,
« quid spirituale poterit cogitari ? Juge
« quippe silentium, et ab omni strepitu
« sæcularium perpetua quies cogit cœlestia
« meditari. »

Satisfit argumento. 34. Respondetur in his, et similibus sæpe contingere, quod unum extremum excedat alterum in aliqua ratione, et tamen ab eo excedatur in alia. Sed excessus qui attenditur secundum speciem, est simpliciter talis, et qui unum ex extremis denominat absolute. est simpliciter perfectius. Et de hoc agimus in præsenti, cum dicimus, religionem profitentem vitam mixtam esse simpliciter perfectiorem religione pure contemplativa : cum quo recte cohæret, quod ista illam excedat in aliquibus perfectionibus accidentalibus. Primum probant quæ § præcedenti diximus : secundum autem possset probari præsenti argumento, quod licet convinceret, non labefactaret tamen veritatem nostræ assertionis. Sed nihilominus ad argumentum respondetur negando minorem. Et ad probationem dicendum est, religionem mixtam versari immediate, et per se primo circa Deum, illum contemplando, et amando, quod est officium vitæ pure contemplativæ, quocirca non est quantum ad hoc illa inferior ; sed insuper ex redundantia notitiæ, et amoris Dei procedere ad salutem proximi propter Deum, quod hanc vitam elevat supra contemplati-
D. Bern. vam. Unde D. Bernard. *serm.* 57, *in Cant.* illa verba Cant. 2 : *Surge, propera amica mea*, in hoc sensu exponit, et ait : « Hoc
« siquidem vera, et casta contemplatio ha-
« bet, ut mentem, quam divino igne vehe-
« menter succenderit, tanto interdum re-
« pleat zelo, et desiderio acquirendi Deo,
« qui eum similiter diligat, ut otium con-
« templationis pro studio prædicationis
« libentissime intermittat, et rursum po-
« tita votis aliquantulum in hac parte tanto
« ardentius redeat in id ipsum, quanto
« fructuosius intermisisse meminerit : et
« iterum sumpto contemplationis gustu,
« valentius ad conquirenda lucra solicita
« alacritate recurrat. »

Solvitur prima confirmatio. Ad primam confirmationem respondetur, contemplationem hujus vitæ non esse puram, et ab omni exercitio tam alterius actionis, quam contemplationis immunem. Unde ipsæ religiones, quæ dicuntur pure contemplativæ, non semper insistunt contemplationi, cum hoc sit moraliter impossibile, saltem respectu communitatis ; sed solent in operibus corporalibus occupari, ut contemplationis vim prudenter intermittant, et otium, ac tædium excusent ; et propterea contemplativi aliquando exercent agriculturam, aliquando pingunt, aliquando transcribunt libros, et similia obeunt. Ex quibus liquet, quod perfectio vitæ contemplativæ pro præsenti statu dimetiri non debet per similitudinem, vel correspondentiam ad Deum, Angelos, et beatos, sed magis per conformitatem ad vitam Christi Domini, et Apostolorum, quando fuerunt inter nos, ut supra explicuimus *num.* 28. Et in hac conformitate religio mixta præeminet pure contemplativæ, ut ibidem diximus. Præsertim cum opera, ad quæ descendit religio mixta, nempe doctrina, et prædicatio, sint longe spiritualiora, et meliora, quam illa pingendi, colendi agros, aut transcribendi, in quibus religio pure contemplativa solet occupari. Unde ad confirmationem neganda est absolute minor, quam inducta probatio minime evincit, ut constat ex dictis.

Occurritur secundæ. Ad secundam confirmationem negamus minorem, si collective, et quoad utramque partem accipiatur ; nam licet in religione pure contemplativa detur major remotio ab occasionibus peccandi, nihilominus in religione mixta occurrunt plures occasiones merendi, quia contemplatur, et amat Deum, idque habet pro fine proximo, in quo convenit cum religione pure contemplativa ; et deinde ex illa contemplatione, et amore procedit ad exercenda egregia, et spiritualia charitatis opera circa proximum, in quo religionem pure contemplativam excedit. Unde pericula peccandi, et ipsi defectus, qui ex conversatione cum proximis quandoque resultant, abundanter, et superabundanter compensantur per majus meritum, et augmentum charitatis. Nec D. Bernardus reprehendit eo loco moderatam occupationem contemplativorum circa proximi salutem ; sed excessum nimium,

qui turbat monasteria, et religiosos reddit non contemplativos. Ipse quippe S. Doctor, etsi contemplationi deditissimus, ad gravia Ecclesiæ negotia sæpius descendit, ut constat ex ejus vita. Unde simile studium commendat, tum verbis in responsione argumenti relatis, tum scribens ad fratres de monte Dei, qui soli contemplationi vacabant. « Longe, inquit, supra vos virtutem « eorum suspicientes, et admirantes glo- « riam, qui ambidextri fortissimi (sicut « Ahod ille fortissimus judex Israel, qui « utraque manu utebatur pro dextra) et « quandiu licet, devotissime intus vacare « amant charitati contemplandæ veritatis, « et cum necessitas vocat, vel officium tra- « hit, promptissime se foras emittunt pro « veritate adimplendæ charitatis. »

D. Bern.

Secundum argumentum.

35. Arguitur secundo : nam illa religio, ad quam ab aliis licet per se loquendo transire, est eis perfectior ; quippe hujusmodi transitus nequit per se loquendo honestari, nisi fiat a minus perfecto ad perfectius : atqui licitum est per se loquendo, transire a religionibus mixtis ad religionem pure contemplativam : hæc igitur est illis perfectior. Probatur minor; nam quatuor religiones Mendicantes sunt religiones mixtæ ; religio vero Carthusiensis est religio pure contemplativa : sed per se loquendo licet transire a religionibus Mendicantibus ad Carthusianam, ut patet *ex Extravag. Viam, de Regularibus*, ubi Martinus Papa id statuit : ergo, etc.

Prima solutio.

Respondetur primo, posse argumentum retorqueri : nam licitum esse transitum a sacra religione Carthusiensi ad alias quatuor religiones Mendicantes, docent Joannes Andreas, Joannes Dominicus, Maldonaldus, Zabarella, D. Antoninus, 3 *part. tit.* 16, *cap.* 4, § 4, Paludanus *in* 4, *dist.* 38, *quæst.* 2, Sylvester *verbo Religio* 4, *quæst.* 6, pro eadem sententia referens decretum Academiæ Parisiensis. Et ita declaratur in Constitutionibus Prædicatorum *dist.* 1, *cap.* 13, § 4. Et fundamentum desumitur ex communi doctrina superius tradita ; quoniam licet transire a religione minus perfecta ad perfectiorem : religio autem pure contemplativa, qualis est Carthusiensis, cedit in perfectione religionibus mixtis, ut sunt Mendicantes. Et ita comparando suam religionem cum Carthusiensi, affirmant D. Bonavent. *in quæstionibus circa Regulam S. Francisci, quæst.* 13, et Corduba *super eandem Regulam, cap.* 2, *q.* 17.

Joan. Andr. Joan. Dom. Maldon. Zabarel D. Anto. Paludan. Sylvest. Const. Prad.

II.

Cordub.

Respondetur secundo, majorem esse falsam; quia ad hoc ut secundum dispositionem Ecclesiæ liceat religiosis ab uno Ordine transire ad alium, non requiritur quod iste sit specifice perfectior, sed sufficit, quod respectu religiosi sit securior, et ab occasionibus peccandi sit remotior. Sicut ob hanc causam solet Ecclesia Episcopis permittere quod ingrediantur religionem, quia nimirum etsi status Episcopalis sit simpliciter perfectior, quam status religiosus; nihilominus iste est securior, et minus obnoxius occasionibus peccandi, quas Episcopi in regimine solent habere. Et ob eandem rationem votum ingrediendi religionem est per se loquendo validum, secus votum ascendendi ad Episcopatum ; quia licet hujus posterioris voti materia sit secundum se melior, quam illius; tamen non est voventi utilior, et securior, ut constat ex supra dictis, a *num.* 8. Sic ergo ex eo, quod indulgeat Ecclesia religiosis aliorum Ordinum, quod possint transire ad sacram religionem Carthusiæ, non infertur prædictam religionem esse aliis strictiorem, aut perfectiorem (a qua comparatione præscindimus): sed tantum infertur, esse magis remotam ab occasione peccandi, atque ideo securiorem. Quam securitatis excellentiam habet prædicta religio cum ob alia, tum potissimum ratione perpetuæ clausuræ, quam profitetur, ut merito Navarrus *comment.* 4, *de Regular. n.* 30, dixerit : « Hanc legem « clausuræ jure communi statutam, aut « confirmatam Carthusiani partim statutis, « partim consuetudine inviolabiliter obser- « vata adeo auxerunt, ut eorum clausura « videatur quidam carcer perpetuus. » Ut hinc constet, quanti faciat Ecclesia clausuram, quamque alienam a religiosis sentiat frequentem cum sæcularibus conversationem, cum vel ob hanc causam Carthusiæ concesserit simile privilegium.

Na

36. Arguitur tertio, quia religio profitens vitam solitariam, eremiticam, seu anachoreticam, profitetur vitam pure contemplativam : religio vero profitens vitam mixtam profitetur vitam socialem, aut cœnobiticam, sive in communitate viventium : sed religio profitens vitam solitariam est simpliciter perfectior, quam aliæ religiones profitentes vitam socialem : ergo religio profitens vitam pure contemplativam, est simpliciter perfectior, quam religiones profitentes vitam mixtam. Consequentia patet, et major videtur manifesta quoad

Ter a me

quoad utramque partem; nam ad exercitia propria vitæ mixtæ requiritur conjunctio, et societas cum aliis, quorum saluti provideatur : ergo religio quæ profitetur omnimodam solitudinem, et ab hominibus recessum, non est mixta, sed pure contemplativa : sicut e contra, ut mixta sit, requiritur quod vitam agat cum aliis, et versetur in communitate. Minor autem, in qua poterat esse difficultas, videtur evidenter probari ex D. Thom. *q.* 184, *art.* 8, ubi inquirit : *Utrum perfectior sit religio in societate viventium, quam agentium solitariam vitam?* Et præmissis quæ requiruntur, ut quis prudenter vitam solitariam assumat, concludit : *Sicut ergo id, quod jam perfectum est, præeminet ei, quod ad perfectionem exercetur; ita vita solitaria, si debite assumatur, præeminet vitæ sociali.* Et *in argumento Sed contra*, cui non respondet, refert D. August. *in lib. de operibus Monachor. cap.* 23, affirmantem, *illos sanctiores esse, qui a conspectu hominum separati nullum ad se præbent accessum, viventes in magna intensione orationum.* Sentit igitur vitam solitariam, sive eremiticam esse simpliciter perfectiorem vita cœnobitica, seu sociali.

D. Tho.

Solutio. Respondetur hoc argumentum locum non habere in religionibus de facto existentibus in Ecclesia; quia nulla est, quæ profiteatur vitam omnino solitariam, sed omnes habent modum vivendi cœnobiticum, et socialem, ut patet in religionibus Camaldulensium, et Carthusiensium, quæ maxime videntur ab hominum consortio remotæ, et tamen vivunt in communitate. Et nullus est eremita vere religiosus, nisi aliquam ex regulis religionum ab Ecclesia approbatis profiteatur, habeatque eundem cum aliis ejusdem Ordinis religiosis vivendi modum, saltem in animi præparatione. Alii autem eremitæ, si qui sunt, nec sunt religiosi, nec habent proprie loquendo statum; imo, ut plures sentiunt, nec sunt personæ ecclesiasticæ, nec gaudent privilegio clericali veris religiosis communi. Unde licet sint viri sanctissimi, dici tamen nequit, quod eorum status sit perfectior statu religiosorum. Quocirca nequit eis applicari resolutio Divi Thomæ, qui expresse inquirit, *Utrum perfectior sit religio, etc.* comparans non præcise personas, sed religionem cœnobiticam cum solitaria.

Repræsentatur vis argumenti. 37. Cæterum quia dubitari non potest, quod possit institui, et ab Ecclesia approbari, atque acceptari religio profitens vitam omnino solitariam, sive cujus religiosi vivant separati ab omni inter se, et cum aliis societate; propterea adhuc perseverat vis argumenti, quod probare videtur aliquam religionem profitentem vitam pure contemplativam esse simpliciter perfectiorem aliis religionibus, licet vitam mixtam profiteantur. Cui difficultati (quæ præcipue innititur testimoniis D. Thomæ) aliqui succumbentes, respondent concedendo religionem profitentem vitam omnino solitariam esse simpliciter perfectiorem aliis religionibus profitentibus sive vitam mixtam, sive pure contemplativam. Et si eis objiciatur communis doctrina *num.* 28 proposita, quæ religionem mixtam aliis religionibus præfert : respondent prædictam comparationem procedere inter religiones profitentes statum perfectionis acquirendæ, non vero comparative ad religionem profitentem statum perfectum, qualis est religio omnino solitaria, quæ perfectionem supponit, ut D. Thom. satis aperte significat. Unde dicunt, statum dividi in statum perfectorum, et in statum tendentium ad perfectionem. Et prior secundum excedit, ut ex se liquet. Sub priori constituuntur contemplativi activi, qui sunt Episcopi; et religiosi contemplativi puri, qui sunt solitarii. Sub posteriori vero collocantur omnes alii religiosi, sive sint contemplativi, sive activi : quocirca omnes cedunt anachoretis. Addunt etiam, prædictos solitarios posse dici activos eminenter, quia actionem circa proximorum salutem habent in animi præparatione, et quando opus exposcit exercent. Ita N. Nicolaus *in Apologia, seu propugnaculo religionum, prop.* 20.

Aliquorum placitum.

N. Nicol.

Non approbatur. Sed displicet hæc responsio. Tum quia minus recte supponit, dari religionem, quæ non sit status profitentium perfectionem, sed perfectorum; communis enim sententia docet, statum religiosum esse quandam scholam ad perfectionem comparandam, ut satis constat ex supradictis *num.* 6, *et disp.* 1, *num.* 4. Tum etiam, quia ex opposito fieret, statum religiosorum eremitarum non contineri sub genere status religiosi; siquidem, juxta prædictam responsionem, prius dividitur status in statum perfectorum, sub quo constituit Episcopos, et solitarios; et in statum perfectibilium, seu tendentium ad perfectionem, quem ulterius dividit in species religionum : absurdum autem est concedere

statum specialem religiosum, qui sub genere status religiosi non contineatur, ut ex se liquet. Tum præterea; nam quidquid de hoc sit, falsum est, quod religio omnino solitaria sit simpliciter perfectior religionibus profitentibus vitam mixtam; nam perfectio vitæ religiosæ attenditur penes accessum imitationis ad modum vivendi Christi Domini, et Apostolorum, qui non duxerunt vitam omnino solitariam, sed mixtam, ut supra vidimus *numero* 28. Tum denique, nam vita pure contemplativa, et vita omnino solitaria habent eundem finem proximum, nempe contemplationem, atque adeo sunt ejusdem speciei, et solum differunt numero, aut accidentaliter penes exercitium majoris, aut minoris solitudinis, ut constat ex dictis *numero* 23; excessus autem simpliciter talis attenditur secundum finem proximum, et secundum speciem, ut diximus *numero* 25. Ergo si vita omnino solitaria excederet simpliciter vitam mixtam, pariter illam excederet vita pure contemplativa; quod tamen est falsum, et contra communem sententiam *num.* 28 propositam.

Legitima argumenti solutio.

38. Ad argumentum ergo respondetur negando minorem, quia religio profitens vitam mixtam, sive quæ primario respicit contemplationem tanquam finem proximum, et ex consequenti actionem circa salutem proximi ex redundantia contemplationis derivatam, est absolute et simpliciter perfectior, quam religio pure contemplativa, quæ respicit ut finem proximum contemplationem, sistendo ibi; sive talis religio contemplativa sit cœnobitica, sive omnino solitaria. Quia religio mixta et habet meliorem finem proximum, a quo sumitur speciem; et magis assimilatur vitæ perfectorum, ut fuerunt Christus, et Apostoli, et sunt Episcopi. Quod satis constat ex dictis *num.* 28, quibus addimus exempla virorum excellentium; nam qui maxime videntur in contemplatione excessisse, curarunt ei adjungere studium juvandi proximum per prædicationem, et doctrinam. Sic Magni Parentes Elias, et Eliseus, *qui*

Suarez.

videntur (inquit Suarez tomo 4, de Relig. tract. 9, lib. 1, cap. 6, num. 17), *fuisse vel primi, vel ex præcipuis professoribus vitæ contemplativæ, ita illam professi sunt, ut zelum Dei, et salutis animarum maximum haberent, et ab instruendis populis, et corrigendis vitiis non desisterent, ut patet ex lib.* 3 *Reg. cap.* 17, *et sequentibus.* Sic etiam Sanctissimus Joannes Baptista, qui vixit in virtute, et spiritu Eliæ, et contemplationis apicem ascendit, descendit tempore opportuno ad instruendum populos, et parare Domino plebem perfectam, ut constat ex Evangelio. Sic Magni illi viri Antonius, et Benedictus vitæ contemplativæ speciosa lumina, non semel laborarunt in fidei defensione, et proximorum salute, ut constat ex D. Athanasio in vita S. Antonii, et ex D. Gregor. *lib.* 2 *dialog. cap.* 8, § *Sanctus vir.* Sic Basilius, sic Nazianzenus, sic alii viri maxime contemplativi se exercuerunt, quos prolixum esset commemorare. Videatur Divus Athanasius *in epist. ad Dracont. Monachum*, ubi plurimos refert monachos, qui ex contemplatione processerunt ad actionem, curando proximorum salutem, et addit: « Habentes pro exemplari Eliseum, « et conscii quid Elias egerit, et eruditi « quid discipuli Christi, Apostolique fece- « rint, susceperunt hanc curam, neque mi- « nisterium hoc aspernati sunt, neque « propterea se ipsis deteriores facti sunt, « sed et laboris mercedem expectant pro- « ficientes ipsi, aliosque proficere cohor- « tantes. Quot ab idolis converterunt? « Quot a furiosa, et dæmoniaca consuetu- « dine suis admonitionibus compescuerunt? « Quot adduxerunt Christo servos? Adeo « ut qui ista signa conspiciant, admiren- « tur. » Ex quibus omnibus liquet, statum vitæ contemplativæ procedentis ad actionem, esse excellentiorem statu vitæ omnino, et perpetuo solitariæ, licet in hoc etiam Paulus, et alii viri sanctissimi floruerint.

D. A
D. Gr

Ad minoris autem probationem respondetur Divum Thomam eo loco non comparare religionem profitentem vitam solitariam cum omnibus aliis religionibus, sed solum cum illis, quæ profitentur vitam pure contemplativam in communitate. Unde solum supra istas concedit religioni solitariæ primatum; imo non concedit præcedentiam simpliciter, et in specie, aut ex parte finis, sed solum ex parte mediorum, sive exercitiorum, quæ fundant differentiam, et excessum accidentalem, juxta superius dicta *numero* 23. Et quod hæc sit mens S. Doctoris, constat manifeste; nam *in illa quæstione, articulo* 6, comparat Religiones ex parte finis, et resolvit Religionem, quæ ex plenitudine contemplationis ad actiones spirituales procedit, esse perfectiorem simpliciter omnibus religionibus pure contemplativis, ut liquet ex ejus verbis,

Vir
arg
menti
fringu
tur.

Men
D. T

quæ

quæ dedimus *numero* 30. Unde decisum reliquit, religiones pure contemplativas (sine agant vitam cœnobiticam, sive solitariam) cedere in perfectione religioni profitenti vitam mixtam. Quocirca quando *articulo* 8, inquirit, *Utrum perfectior sit religio im societate viventium, quam agentium solitariam vitam ?* nomine religionis in societate viventium non comprehendit omnes religiones sic viventes, sed omnes, et solas pure contemplativas. Tum quia quod religiones mixtæ sint perfectiores simpliciter, et ex parte finis, jam statuerat *articulo* 6, unde frustra repeteret eandem comparationem. Tum etiam, quia si illam intenderet *articulo* 8, consideraret ibidem diversos religionum fines, ex quibus sumitur specifica illarum diversitas, et excessus simpliciter ; quod tamen non facit, sed præcise considerat unum aliquod contemplationis medium, silicet solitudinem. Tum denique, quia ita satis palam constat ex ejus verbis, quæ sic se habent : « Respondeo dicendum, quod solitudo, sicut et « ipsa paupertas, non est ipsa essentia « perfectionis instrumentum. Unde et in « collationibus Patrum dicit Abbas Moyses, « quod pro puritate cordis solitudo sectanda est, sicut et jejunia, et alia hujus« modi. Manifestum est autem, quod soli« tudo non est instrumentum congruum « actioni, sed contemplationi, secundum « illud Oseæ 2, ducam eam in solitudine, « et loquar ad cor ejus. Unde non con« gruit » (scilicet solitudo totalis, et perpetua,) « religionibus quæ sunt ordinatæ ad « opera vitæ activæ, sive corporalia, sive « spiritualia, nisi forte ad tempus, exemplo « Christi, qui ut dicitur Luc. 6, exiit in « montem solus orare, et erat pernoctans « in oratione Dei. Competit autem religio« nibus, quæ sunt ad contemplationem « ordinatæ. » Ex quibus liquet, totam comparationem fieri inter religiones profitentes vitam pure contemplativam, de quibus *articulo* 6, dixerat : *Secundum autem gradum*, scilicet post religiones mixtas, *tenent illæ, quæ ordinantur ad contemplationem.* Unde quando *articulo* 8, concludit : « Sicut « id, quod jam perfectum est, præeminet ei, « quod ad perfectionem exercetur : ita vita « solitariorum, si debite assumatur, præ« minet vitæ sociali, » excessum, et præeminentiam refert ad solam vitam socialem pure contemplativam ; quia ista exercetur ad moderandum affectus, et passiones, quibus moderatis, et non aliter, decet contemplativum procedere ad vitam solitariam, ut ibidem S. Doctor declarat. Et ideo ly *perfectum*, non designat perfectionem absolutam, sed comparativam, et quantum est ex parte medii ; nam ipse præmiserat, *solitudo non est ipsa essentia perfectionis, sed perfectionis instrumentum, sicut jejunia, et alia hujusmodi*. Ex inæqualitate autem mediorum non infertur excessus specificus, et simpliciter, si detur convenientia in eodem fine proximo, ut diximus *num.* 23. Quocirca cum omnes religiones pure contemplativæ habeant eundem finem proximum, scilicet solam contemplationem, omnes sunt ejusdem perfectionis specificæ ; et quæ est omnino solitaria, solum excedit alias pure contemplativas excessu accidentali, et penes ulteriorem perfectionis gradum intra eandem speciem. Sed omnes sunt inferiores religione mixta, quæ contemplationem respicit non sistendo ibi, sed procedendo ad actiones spirituales circa proximum, ut statuit D. Thom. *articulo* 6, et constat ex dictis *a num.* 19.

39. Hæc diximus de generibus religionum, sive de statibus religiosis in communi ; sed non oportet descendere ad magis particulares comparationes inter ipsas species, quia sunt odiosæ. Solum addimus doctrinam generaliter traditam esse accipiendam generaliter, et quantum est ex parte generum religionum. Fieri enim potest, quod religio ex genere suo perfectior, non sit perfectior, attentis omnibus, et præsertim respective ad profitentes. *Primo* : quando licet habeat finem proximum nobilissimum, nihilominus non est in perfecta observantia, sed patitur plures relaxationes ; tunc enim melius, et perfectius erit aliam religionem, observantem profiteri, quamvis ex fine minus perfectam. *Secundo*, quando media talis religionis non essent fini satis proportionata, quia finis non respicitur nisi ut per media assequibilis. Hoc autem posterius rarius, aut nunquam contingit ; quia omnes religiones provident media sibi opportuna, et sic approbantur ab Ecclesia. Inter omnia autem media, tam ad consequendum finem proximum cujusvis religionis, quam ad servandum vota omni religioni communia, excellentem locum censendum est habere pœnitentiam, sive mortificationes, et asperitates corporales ; quia per hæc assimilatur homo modo vivendi Christi Domini, et Apostolorum, Nota.

Nota. et refrænat carnis affectiones, uti ad castitatem communiter requiritur, et disponitur ad veram contemplationem, et ad recte exercendum prædicationem, et ædificandum proximos; ii enim, per se loquendo, magis moventur prædicatorum exemplis, quam vocibus. Unde prædicta multum necessaria sunt ad perfectionem vitæ mixtæ, et magis conformis vitæ Christi Domini, et Apostolorum, ut late demonstravimus *tract. præced. disp.* 5, *dub.* 3, § 11. Et tunc utilius, et magis meritorie exercentur quando præstantur ex voto, aut lege, ut communiter in sacris religionibus fit; secus si non præscribantur, sed relinquantur religiosorum arbitrio, ut ibidem fuse ostendimus § 13. Et de his satis.

DISPUTATIO III.

De antiquitate status religiosi.

Tria in limine hujus tractatus nos explicaturos promisimus, nempe status religiosi essentiam, perfectionem, et antiquitatem. Unde duobus illis prioribus absolutis, oportet attentionem convertere ad vetustissimam hujus status originem. Quam recentiores hæretici, hoc est veræ religionis inimici, negant et oppugnant, affirmantes religiosorum statum incœpisse quarto sæculo, partim errore, partim prava imitatione, authoresque habuisse Paulum, Antonium, Macharium, et similes. Sic loquuntur Magdeburgenses *centur.* 4, *cap.* 6, Calvinus *lib.* 4, *instit. cap.* 13, § 10, et alii Sectarii. Catholici autem communiter recognoscunt, et docent hujus status radices longe antiquiores, ac profundiores esse. Unde affirmant, quod Christus illum approbaverit, erexeritque in Apostolis, et primis fidelibus legis gratiæ, a quibus, non interrupta successione, ad hæc usque tempora derivatur, ut ex communi sententia statuimus *disp.* 1, *dub.* 2. Quidam vero nec in hoc principio tam antiquo, et nobili sistunt, sed ulterius progressi in veteri Testamento investigant, reperiunt, ostenduntque primævam hujus instituti scaturiginem. Et ita se gerunt Venerabilis Doctor noster Waldensis *lib.* 3 *doctrin. fidei, cap.* 1, Bellarminus *libro de Monachis, cap.* 5, Matthæus Galien. *de origine Monast.* Robertus Arboricensis *lib.* 1, *de tuendo sacro cœlibatu, pag.* 22, *et tom.* 2, *in principio*, Jacobus Boulduc *duplici volumine de Ecclesia ante legem, et post legem*, et alii plures, qui disputant contra hæreticos. Porro inter ipsos Catholicos dissidium est; quidam enim ita affirmant monachatum præcessisse tempora legis gratiæ secundum aliquas, et plures observantias vitæ religiosæ, quod essentiam religiosi status in tribus votis substantialibus consistentem ipsi non audeant concedere, existimantes tantam perfectionem esse legis Evangelicæ propriam, et pro illius tempore reservandam. Alii vero non dubitant asserere, quod tempore legis scriptæ fuerit verus status religiosus secundum substantiam, nudus tamen a solemnitate, potestate clavium, aliisque pluribus perfectionibus, quas tempore legis Evangelicæ juxta majorem hujus excellentiam a Christo Domino accepit. Utra vero opinio verior sit, arduum est decidere propter urgentia hinc inde authoritatis, ac rationis momenta. Ad istamque difficultatem superandam hanc ordimur disputationem, in qua proinde lis non erit cum hæreticis (quos prælio superatos supponunt utriusque partis patroni, juxta dicta *disp.* 1, *dub.* 2), sed disceptatio inter ipsos Catholicos contrahetur. Præsertim cum neutra pars pertineat ad fidem, ejusve principiis necessario connectatur.

Duo autem censemus facile admittenda ab Authoribus in hac controversia; et idcirco illa oportet in ipsius limine prælibare. Primum in rebus antiquissimus, qualis nunc occurrit, non exigi idem probationis genus, ac in modernis; sed longe inferius sufficere, quodque forsan inefficax foret ad aliquid recentius evincendum; nam ipsa vetustas obscuritatem præsefert ægre superabilem. Unde ad probationem rerum antiquarum vel conjecturæ sufficiunt, ut sumitur *ex lege penult. ff. de probation. et et cap. Cum causam, eodem tit.* et tradunt communiter Doctores, Baldus *in Authent. Quas actiones, Cod. de sacrosanct. Ecclesiis*, Covarruvias *pract. quæst. cap.* 21, *num.* 7, Greg. Lopez *leg.* 20, *tit*, 9, *p.* 4, *gloss.* 1. Curabimus tamen in suscipiendæ a nobis causæ patrocinium ea motiva expendere, ut meræ conjecturæ non sint, sed sententiam (si non demonstrent,) manifestent contraria certiorem, et evidenter probabilem.

Secundum est, quod cum difficultas aliqua circa rem antiquam occurrit, majorem authoritatem habet, fidemque promeretur testimonium

Hæreticorum error.

Magde. Calvin.

Catholicorum assertio.

Walden. Bellarm. Matth. Galien. Robert. Arboric.

Jac Boul Dive int Cat lic opir ne

Dis tatio scop

Duc præs sup nen

Bal

Cov ru Gre Lop

testimonium antiquorum scriptorum, qui vel rem viderunt, vel ejus tempora attigerunt, quam testimonium Scriptorum recentium, licet hi longe plures sint. Tum quia communiter loquendo, antiqui sapientiores fuerunt, et sunt de veritate, quæ post eos discutitur, minus suspecti. Tum quia moderni rem non viderunt, et subinde nequeunt de illa testificari, nisi in antiquorum fide. Quocirca ad diruendam authoritatem veteris, et gravis alicujus Scriptoris affirmantis hoc, aut illud suo tempore accidisse, plures recentiorum oppositum tenentium cohortes vix sufficiunt. Unde Baronius *in Apparat. ad Annal. num.* 28, inquit : « Quis « licet ethnicus, veri tamen amator, et « æquus judex, cum de veritate historiæ « quæritur, non majorem putet abdiben- « dam fidem illi, qui propinquior illis « temporibus fuit ? » Et idem observant Ribera *in Jonam cap.* 1, *num.* 3. Cornelius a Lapide *in Abdiam, in principio*, et alii. Quod minime præmittimus, quia in resolutionibus firmandis æqualem, quin superiorem authorum numerum desperemus, sed ut Lector huic, aut illi sententiæ eam probabilitatem, certitudinemve moralem deferat, quam juxta præmissam observationem in re antiquissima, et majori ex parte historiali ob qualitatem testium videat adesse. Et quia in hac controversia plurima occurrunt, quæ simul, et sub uno dubio proposita, rebus afferrent obscuritatem, et legentibus fastidium ; idcirco oportet illam in diversa dubia secare, et per ea, quæ minus ardua sunt, gradus facere ad difficilius, totiusque disceptationis scopum.

Baroni.

Ribera. Corn. à Lap.

Ordo servandus.

DUBIUM I.

Utrum in Ecclesia ante legis Evangelicæ tempus fuerint aliqua consilia et vota ?

Decisio hujus dubii, licet non multum difficilis sit, nequit tamen convenienter proponi, nisi explicemus breviter, quod in titulo supponitur, fuisse videlicet Ecclesiam ante statum, et tempus legis Evangelicæ. Pro cujus legitima intelligentia

§ I.

Necessaria aliqua prælibantur.

1. Ecclesia vocabulum Græcum est, idemque valet ac convocatio, seu convocatorum cœtus. Unde cum aliquo adjuncto potest accipi in malam partem pro congregatione malorum, juxta illud *Ps.* 25 : *Odivi Ecclesiam malignantium.* Absolute tamen prolatum in bonam partem regulariter accipitur, significatque congregationem vocatorum a Deo, a qua vocatione incipiunt ipsius beneficia, secundum illud Apost. ad Rom. 8 : *Quos vocavit, hos et justificavit.* Sicut autem civitas aliquando sumitur pro multitudine hominum in aliquo loco habitantium, aliquando vero pro ipso loco, in quo illi habitant : ita Ecclesia quandoque significat locum, in quo vocati a Deo congregantur, ut Judith 6 : *Omnis populus per totam noctem intra Ecclesiam oraverunt :* quandoque autem significat ipsum vocatorum cœtum, ut Num. 20 : *Cur eduxistis Ecclesiam?* et ad Rom. 16 : *Salutant vos omnes Ecclesiæ Asiæ.* Et hæc posterior acceptio, priori relicta, ad præsentem considerationem spectat, quocirca de Ecclesia in hac significatione deinceps sermo erit. In quo sensu potest Ecclesia usurpari tum latissime pro omnibus vocatis a Deo, quo modo complectitur Angelos, et homines, Beatos, et viatores : tum specialiter pro congregatione hominum a Deo per fidem vocatorum ad ipsius notitiam, et cultum ; quo pacto dicitur *Militans*, et a gloriosa, sive triumphante distinguitur. Et juxta hanc ultimam acceptionem loquimur in præsenti, proceditque dubii difficultas.

Ecclesiæ vox quid significet.

Psal. 25.

Apost. ad Rom.

Judith. 6.

Num. 20.

2. His circa vocem præmissis, ut ad rem ipsam accedamus, supponendum est, Ecclesiam Dei esse quoddam corpus morale, constans ex hominibus habentibus veram fidem cum aliqua ejus exteriori professione. *Prima* hujus suppositionis pars, nempe Ecclesiam esse quoddam corpus morale constans ex hominibus, liquet ex ipsius Ecclesiæ vocabulo proxime explicato, et ex communi modo concipiendi. *Secunda* vero, quæ denotat ad rationem Ecclesiæ desiderari, quod homines eam integrantes habeant veram fidem, ostenditur ; quia cum plures homines Ecclesiam tanquam corpus morale componant, oportet quod aliqua forma uniantur ; et cum hæc unio non sit physica, sed gratuita, et superna-

Quid sit Ecclesia.

turalis, debet ab aliqua forma ejusdem ordinis provenire : fides autem est prior, et universalior forma, quæ ad hunc effectum potest excogitari : ergo Ecclesia constat ex hominibus habentibus veram fidem, idque satis expressit Nicolaus Papa *in cap. Ecclesiæ, de consecrat. dist.* 1, ubi diffinit : *Ecclesiam esse congregationem Catholicorum ;* nam Catholici non dicuntur, qui veram fidem non habent. Denique *ultima* suppositionis pars significans ad Ecclesiam requiri, quod homines ex quibus coalescit, manifestent suam fidem per externam aliquam ejus professionem, probatur, quoniam Ecclesia est quoddam corpus morale visibile ; aliter enim non posset homo cognoscere veram Ecclesiam, eique adhærere ; ad quod tamen jure divino obligatur, cum extra Ecclesiam non sit salus : ergo opus est, quod homines, ex quibus sicut ex membris constat, aliquo visibili nexu uniantur : ergo ad constituendam Ecclesiam non sufficit fides pure interna, sed requiritur quod procedat in aliquos actus externos, in quibus fideles communicent, utputa in eisdem actibus protestativis divini cultus. Quo sensu D, Augustinus *lib.* 9, *contra Faustum, cap.* 11, dixit : « In nullum « nomen religionis, sive falsum coagulari « homines possunt, nisi aliquo signaculo- « rum, vel sacramentorum visibilium con- « sortio colligentur. » Qualiter autem ex præmissis colligatur, qui homines pertineant, vel non ad Ecclesiam (dubitari solet de schismaticis, catechumenis, et aliis), nostra modo non refert, quia ea præcise libamus, quæ pro majori luce hujus controversiæ desiderari censemus. Consulat Lector Castrum *lib.* 1, *de justa hæretic. punit. cap.* 4, Bellarm. *lib.* 3, *de Eccles. cap.* 2, Suarez *de fide, disp.* 1, *sect.* 1, Perez *in Pentateucho fidei, volum.* 1, *dub.* 11, *cum sequenti,* et alios qui de hoc disputant ex professo.

Nicol. Pap. — D. Aug. — Castro. Bellarm. Suar. Perez.

3. Deinde supponendum est, Ecclesiam ex quo incœpit (sive primo fuerit in Adam, et Eva, sive in Abel, aliisque primis fidelibus, quod examinare non interest) semper esse unam, et eandem substantialiter, et quoad essentiam, juxta illud *Cantic.* 6, *Una est columba mea :* quod in hoc sensu explicant Nyssenus, Theodoretus, Psellus, Justus, Honorius ad eundum locum, D. August. *lib.* 83, *qq. quæst.* 53, et alii Patres. Ut enim salvetur unitas et identitas corporis moralis, cujusmodi est Ecclesia, sufficit eadem forma secundum essentiam ; forma autem constituens Ecclesiam, ejusque membra copulans, est vera fides, ut *num. præcedenti* explicuimus, quæ una et eadem secundum essentiam fuit in antiquis, et modo perseverat in nobis. Ut enim optime D. Thom. *in hac* 2, 2, *quæst.* 1, *artic.* 7, tradit : « Quantum ad substantiam articu- « lorum fidei non est factum eorum aug- « mentum per temporum successionem, « quia quæcumque posteriores crediderunt, « continebantur in fide præcedentium Pa- « trum, licet implicite. » Et *quæst.* 4, *art.* 6 *ad* 2, addit : « Quod differentia præte- « riti, et futuri non contingit ex aliqua « diversitate rei creditæ, sed ex diversa « habitudine credentium ad unam rem « creditam. » Quod vero fides interna pro diversis temporibus se explicuerit per diversa signa, nec ipsius fidei, nec Ecclesiæ per eam coalescentis substantiali identitati præjudicat, quia est diversitas materialis, cum omnia illa signa, etsi differentia, convenerint, ac conveniant in manifestando fidem unius Dei, et mediatoris Jesu Christi : sicut materiale est, quod fidem, quam corde habemus, verbo, aut calamo exprimamus. Unde Idem Angel. Doctor 3 *part. q.* 8, *articul.* 3 *ad* 3, ait : « Sancti Patres non in- « sistebant Sacramentis legalibus, tanquam « quibusdam rebus, sed sicut imaginibus, « et umbris futurorum. Idem autem est « motus in imaginem, in quantum est ima- « go ; et in rem, ut patet per Philosoph. in « lib. de memor. et reminisc. Et ideo an- « tiqui Patres servando legalia Sacramenta « ferebantur in Christum per fidem, et « dilectionem eandem, qua et nos in ipsum « ferimur. Et ita Patres antiqui pertine- « bant ad idem corpus Ecclesiæ, ad quod « nos pertinemus. » Et in hoc sensu inquit Apost. 4, ad Corinth. 10 : « Omnes eandem « escam spiritualem manducaverunt. » Et 2, ad Corinth. 3 : *Habentes eundem spiritum fidei ;* ut recte expendit D. Augustinus *lib.* 19, *contra Faustum, cap.* 16, *et epist.* 43, 49, *et* 89, et alibi.

Ecclesiæ antiquitas, et continuatio. — Cantic 6. Nyssenus. Theodo. Psellus. Justus. Honorius. D. Aug. D. Tho.

4. Verum enimvero, licet Ecclesia semper fuerit substantialiter eadem, nihilominus habuit tres differentes status, quos communiter Patres, et Theologi recensent, nimirum statum legis naturæ, statum legis scriptæ, et statum legis Evangelicæ ; et in his statibus solent diversæ ætates supputari, quas hic expendere non est opus. Status *legis naturæ* consistebat in hoc, quod fideles

deles gubernarentur per sola præcepta naturalia, quæ per se comitantur naturam humanam elevatam ad supernaturalem finem, et ipso lumine vel naturæ, vel fidei innotescunt, juxta illud Psal. 4 : « Quis « ostendit nobis bona? Signatum est super « nos lumen vultus tui Domine. » Status autem *legis scriptæ* consistebat in eo, quod fideles Hebræi gubernabantur per legem positivam, et scriptam Moysi datam, quæ plurima ceremonialia præcipiebat, quibus populus ille (ex quo Christus Dominus nasciturus erat), intra sanctum veri Dei cultum contineretur, seque avocaret ab idololatria, cui aliæ gentes serviebant. Status denique *legis gratiæ* consistit in eo, quod fideles respiciant Christum præsentem, habeantque Sacramenta, præcepta, et consilia, quæ ipse Dominus instituit, proposuit, et approbavit. Prior Ecclesiæ status duravit usque ad promulgationem legis Mosaicæ. Et dicitur usque ad illud durasse, non quia lex naturalis in se cessaverit; sed quia respectu illius populi facta est novæ legis additio, et sic non remansit pura lex naturalis. In se vero semper manet, et obligat, quia nihil ad prædictam legem pertinens deleri potest, saltem quoad prima principia, ut me-
D Aug. rito dixerit August. lib. 2 confess. « Lex « tua scripta est in cordibus hominum, « quam nec ulla iniquitas delet. » Status autem legis scriptæ duravit usque ad mor-
D. Tho tem Christi Domini, ut tradit D. Thom. 1, 2, *quæst.* 103, *art.* 3 *ad* 3, his verbis : « Mysterium redemptionis humani generis « completum fuit in passione Christi. Unde « tunc Dominus dixit, Consummatum est, « ut habetur Joannis 19. Et ideo tunc tota- « liter debuerunt cessare legalia, quasi jam « veritate eorum consummata. In cujus « signum in passione Christi velum templi « legitur esse scissum, Matthæi 27. Et ideo « ante passionem Christi, Christo prædi- « cante, et miracula faciente, currebant « simul Lex, et Evangelium; quia jam « mysterium Christi erat inchoatum, sed « nondum consummatum. Et propter hoc « mandavit Dominus leproso, ut legales « cæremonias observaret. » An autem lex scripta statim a morte Christi Domini fuerit mortua, et mortifera, antecedenter ad promulgationem Evangelii, difficultas est, quæ ad nostram considerationem non facit. Denique status legis gratiæ a Christo Domino inchoatus, et modo durat, et durabit usque ad mundi finem, ut passim ex Evangelio edocemur. Ecclesia autem sub his diversis statibus constituta habuit quidem diversa accidentia, qualia ipsi differentes status importabant; sed tamen mansit, et manet una, et eadem secundum essentiam, propter unitatem ejusdem fidei, ut numero præcedenti explicuimus.

Justi in Ecclesia ante legis Evangelicæ statum.

5. Præterea supponendum est, quod in Ecclesia ante statum, seu tempus legis Evangelicæ fuerunt aliqui justi. Quam suppositionem esse de fide convincit Scriptura sic palam commendans viros sanctos, tam in statu legis naturæ, ut Abel, Noe, Abraham, Jacob, et alios plures, quam in statu legis scriptæ, ut Moysem, David, Eliam, Danielem, martyres Machahæos, et alios plurimos. Porro illi justi, qui legis evangelicæ tempus præcesserunt, tales fuerunt per justitiam inhærentem per gratiam adoptionis, et per formam internam ejusdem speciei cum illa, cum qua modo homines justificantur, ut contra aliquos antiquos qui circa hoc dubitaverunt, docent jam communiter Theologi, ut videri potest apud Vasquez 1, 2, *disp.* 183, *c.* 3, Salas *de legibus, tract.* 14, *disp.* 22, *sect.* 3, Baradas *lib.* 1, *in Evang. c.* 6. Quod breviter ostenditur, tum ex Scriptura, quæ justos veteris Testamenti filios Dei appellat, ut Isai. 1: *Filios enutrivi, et exaltavi.* Sapientiæ 12 : *Bonæ spei fecisti filios tuos.* Ei cap. 16 : *Dulcedinem tuam, quam in filios habes, demonstrabas.* Ad Ro-
ad Rom. 9. man. 9 : *Quorum est adoptio,* et alibi fre-
Conc. Trid. quenter. Tum ex Concil. Trident. *sess.* 6, *cap.* 7, ubi docet homines justificari per justitiam inhærentem. Et quod Patres antiquos ibi comprehendat, liquet ex illis verbis : *Sine fide nulli unquam contigit justificatio.* Tum quia hæc est satis aperta, et constans mens Sanctorum Patrum, Cypria-
D. Cypri. D. Atha. D. Cyril. ni *in Orat. Domin.* Athanasii *in Orat.* 2, *contra Arrianos,* Cyril. 1, *in Joan. cap.* 14, August. *in libris contra Faustum,* et *lib.* 3,
D. Aug. D. Chry. *contra duas epist. Pelag. cap.* 14, Chrysostomi *homil.* 14, *in Joan. et super ad Roman. cap.* 14, et aliorum. Tum denique ratione, quia homo nequit justificari nisi per gratiam habitualem, quæ est participatio divinæ naturæ, ut ostendimus *tract.* 15, *disput.* 1, *dub.* 2, *cum sequent.* Sed gratia habitualis est forma intrinseca, quæ nequit specie multiplicari, ob identitatem naturæ quam participat, et modi participandi; ut statuimus *tract.* 13, *disp.* 4, *dub.* 1, *et* 8. Ergo illi, qui tempus legis Evangelicæ præcesserunt, et justi in Scriptura vocantur, tales

Vasq. Salas. Barrad.

Isai. 1. Sapient. 12. et 16.

fuerunt per justitiam inhærentem, per gratiam adoptionis, et per formam internam ejusdem speciei cum illa, qua homines justificantur.

Suppositionis appendix. Ex qua suppositione etiam convincitur, prædictos justos habuisse fidem, spem, et charitatem, virtutes morales infusas, et dona Spiritus sancti, quibus modo exornantur justi in statu legis Evangelicæ. Quoniam prædicta comparantur ad gratiam sanctificantem sicut proprietates ad communem radicem, seu naturam, quam per se supponunt, et cui per se debentur : unde eadem actione fiunt, et infunduntur per simplicem dimanationem a gratia, ut ostendimus *loco proxime citato, dub.* 6. Unde cum certum sit, justos antiquos habuisse gratiam, certum etiam debet esse, quod habuerint hujusmodi charismata. Quod palam significat Scriptura excellentes virtutes, egregiaque virtutum opera in aliquibus commendans ; nam de Noe inquit Gen. 9 : *Noe vir justus, atque perfectus fuit, in generationibus suis coram Deo ambulavit.* De Job in principio libri ejusdem : *Vir erat in terra Hus nomine Job, et erat vir simplex, et rectus, ac timens Deum, et recedens a malo.* De Moise Numeror. 12 : *Erat Moises vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra :* et sic de aliis, quos Spiritus sanctus plurimum laudat *in lib. Ecclesiastici, a cap.* 44. Sufficiat audire de Magno Elia cap. 48 : *Sic amplificatus est Elias in mirabilibus suis. Et quis poterit similiter sic gloriari tibi ?*

Gen. 9. Lib. Job. Num. 12. Lib. Eccles.

Objectiones contra antiquorum justitiam. 6. Nec refert, si adversus has suppositiones, et præcipue contra ultimam opponas primo : quoniam lex Mosaïca fuit mala, et reprehensibilis : ergo qui sub illa vixerunt, non fuerunt vere justi, neque membra Ecclesiæ, ad quam pertinemus. Probatur antecedens ex Scriptura, quæ illud docere videtur ; nam *Ezech.* 20, dicitur : « Dedi eis præcepta non bona, et judicia « in quibus non vivent. *Actor.* 15 : Quid « tentatis ponere jugum super cervicem « discipulorum, quod neque nos, neque « patres nostri portare potuimus ? » Et Apost. *ad Hebr.* 8, loquens de veteri Testamento, ait : « Si illud prius culpa vacas- « set, non utique secundi locus inquire- « retur. »

Prima. Ezech. 20. Actor. 15. AdHebr.

Secunda. Secundo : quoniam spiritus legis Evangelicæ est spiritus gratiæ, adoptionis, et charitatis ; spiritus vero legis scriptæ fuit spiritus servitutis, et timoris : ergo illi qui dicuntur justi in veteri Testamento, non fuerunt vere filii, sed typo, et nomine tenus ; nec participarunt nostram justitiam, nisi æquivoce. Consequentia videtur manifesta. Et antecedens probatur ex Scriptura sic palam docente, Joan. 1 : *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, iis qui credunt in eum.* Ad Rom. 8 : *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum.* Epistola 1, Joan. cap. 3 : *Videte qualem charitatem dedit nobis Deus, ut filii Dei nominemur, et simus.*

Joan. Ad Rom.

Tertio, quia Christus Dominus est fundamentum, caput, et sponsus Ecclesiæ : ergo ante adventum Christi Domini non fuit vera Ecclesia, saltem cum perfectione gratiæ, et donorum, quæ supra descripsimus. Patet consequentia, quia ædificium nequit consistere absque fundamento, nec corpus absque capite, nec spiritualis sponsa sine sponso.

Terti

7. Hæ, inquam, objectiones non referunt. Ad primam enim respondetur, quod Ecclesia tempore etiam legis scriptæ, et ipsa lex satis distinguebantur, quia Ecclesia erat congregatio fidelium, cui pro speciali directione populi Judaïci lex illa addita fuit. Unde eodem tempore latius patebat Ecclesia, quam lex ; hæc enim solos Judæos obligabat, ut ostendit Divus Thomas 1, 2, *quæst.* 48, *art.* 4 *et* 5, illa vero extendebatur ad omnes fideles, cujuscumque populi essent ; aliqui enim extra illum populum, et durante lege, fidem habuerunt, et salvati sunt, ut ex D. Dionys. *cap.* 9, *Cœlest. Hierarch.* supponit, et tradit D. Thom. *in hac* 2, 2, *quæst.* 2, *art.* 7 *ad* 3. Unde etiam dato, disputationis gratia, sed minime concesso antecedenti, adhuc non convinceret objectio, quia etiam durante statu legis scriptæ, Ecclesia Dei non convertebatur cum lege Mosaica, nec cum populo Judæorum; sed ultra illum extendebatur, et unitatem habebat ex fide, non ex lege.

Dive sita inter clesia et leg anti quam D. T

Absolute tamen negatur antecedens, quia fides certissima docet illam legem fuisse pro eo tempore absolute bonam, et utilem. Tum quia ita passim docet Scriptura. Unde Paulus *ad Rom.* 7, ait : « Lex peccatum « est ? Absit : sed peccatum non cognovi, « nisi per legem. » Et ibidem : « Itaque « lex sancta, et mandatum justum. » Et 1, ad Timoth. 1 : « Scimus autem, quia bona « est lex, si quis ea legitime utatur. » Et ad Galat. 3 : « Itaque lex pædagogus noster « fuit in Christo. » Tum quia ita diffinitur

Lex Mosa ca fu suo te por bon Ad Rom. Ad T 1. Ad Ga 3.

in

Concil Lat. Con. Tolet. Exod. 20 et 24. Luc. 2. Concil. Trid.

in Concil. Lateranensi sub Innocent. IV, et in Concil. Tolet. I, *in diffinit. fidei.* Tum quia Deus fuit author prædictæ legis, ut constat *Exod.* 20, *et* 24, et Luc. 2: « Obtu- « lerunt pro eo par turturum, etc. sicut « scriptum est in lege Domini.» Et ex Concilio Tridentino *sess.* 4, in decreto de Canonicis Scripturis, ubi dicitur, Deum esse utriusque Testamenti authorem. Tum denique, quia sic unanimiter docent sancti Patres contra Manichæos, et alios hæreticos, et præsertim Divus Augustinus in libris contra Faustum, et contra Adimantum Manichæos, et in libris contra adversarium legis et Prophetarum, et in lib. de spiritu et littera. Imo vero prædictam legem fuisse specialem Dei favorem erga populum Hebræum, recte declarat D. Th. 1, 2, *q.* 98, *art.* 5, his verbis : « Lex vetus data est po- « pulo Judæorum, ut quandam prærogati- « vam sanctitatis obtineret, propter reve- « rentiam Christi, qui ex illo populo nas- « citurus erat. Quæcumque enim statuuntur « ad specialem aliquorum sanctificationem, « non obligant, nisi illos : sicut ad quædam « obligantur clerici, qui mancipantur di- « vino ministerio, ad quæ laici non obli- « gantur : similiter et religiosi ad quædam « perfectionis opera obligantur ex sua « professione, ad quæ sæculares non obli- « gantur. Et similiter ad quædam specialia « obligabatur populus ille, ad quæ alii « populi non obligabantur. Unde dicitur « Deuter. 18 : Perfectus eris, et absque ma- « cula coram Domino Deo tuo. »

D. Aug. D. Tho.

Occurritur primæ objectioni, et explicantur loca Scripturæ. D. Aug. D. Tho. Lyra.

Sensus vero testimoniorum, quæ ad suadendum antecedéns allegantur, non est prædictam legem fuisse absolute malam, sed fuisse imperfectam comparatione legis evangelicæ, ob plurimas hujus excellentias supra illam, quas fuse recensent D. August. *libris cit.* D. Thom. 1, 2, *q.* 106 *et* 107, Lyra *in præfatione ad novum Testamentum*, et alii. Præcipuæ vero, et quæ ad considerationem præsentem magis faciunt, sunt quod illa lex respiciebat Christum futurum, unde illum per multiplices Sacramentorum, et sacrificiorum figuras repræsentabat : lex vero evangelica habet Christum præsentem in manifestatione veritatis. Lex Evangelica est finis Mosaicæ, et non e contra ; unde Mosaica fuit temporalis, et nunc est mortifera ; Evangelica vero semper durabit. Lex vetus plurima præcipiebat, unde appellatur onus grave ; lex autem nova pauciora imperat, et idcirco jugum suave vocatur, juxta illud Matth. 11 : « Venite « ad me omnes, qui laboratis, et onerati « estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum « meum super vos, et discite a me, quia « mitis sum, et humilis corde, et invenietis « requiem animabus vestris. Jugum enim « suave est, et onus meum leve. » Sed præcipua differentia, quæ est cæterarum radix, in eo consistit, quod lex nova habet vim justificandi, qua vetus caruit. Per quod minime significatur, nullos Sanctos, seu justos fuisse ante statum, et tempus legis Evangelicæ ; id quippe est omnino falsum, ut constat ex dictis *num.* 5; sed legitimus sensus est, quod lex nova ex vi sui status habet præsentem Christum omnis sanctitatis authorem, qui ex perfecta justitia meruit, et satisfecit pro hominibus ; atque adeo ex vi sui status dat gratiam justificantem. Justitia autem, quam Patres ante adventum Christi habuerunt, non erat ex vi illius legis, aut status, quia nihil habebat vel in sacrificiis, vel in sacramentis, vel in operibus, aut legalibus observantiis, quod esset sufficiens ad placandum Deum ; sed quibuscumque dabatur gratia, dabatur propter Christum, et per fidem in eum. Et in hoc sensu dicitur Joan. 1 : *Lex par Moysem data est, gratia, et veritas per Jesum Christum facta est.* Et ad Rom. 10: *Finis legis Christus ad justitiam omni credenti.* Et *Apocalyp.* 13, Christus dicitur, *Agnus occisus ab origine mundi*, quia ex tunc sanguis ejus habuit pro effectu hominum salutem, juxta illud Apost. ad Rom. 3 : « Justitia Dei per fidem Jesu « Christi in omnes, et super omnes, qui « credunt in eum; non enim est distinctio; « omnes enim peccaverunt, et egent gloria « Dei. Justificati gratis per gratiam ipsius, « per redemptionem, quæ est in Christo « Jesu, quem proposuit Deus propitiatio- « nem per fidem in sanguine ipsius, ad os- « tensionem justitiæ suæ, propter remis- « sionem præcedentium delictorum, etc. »

Matth. 11. Joan. 1. Ad Rom. 10. Apoc. 13. Ad Rom. 3.

Principales differentiæ inter legem antiquam, et novam.

Hinc fit, quod sacramenta novæ legis justificant ex opere operato, quod non præstabant Sacramenta legis scriptæ. Circumcisio enim licet fuerit in ea lege, tamen ante illam data est, et solum parvulos sanctificabat ex opere operato, et per fidem ministri in Christum. Unde Sacramenta veteris legis, licet vera Sacramenta fuerint, dicuntur ad Galat. 4, *egena*, et *infirma elementa.* Hinc etiam fit, quod licet ante adventum Christi Domini

Aliæ differentiæ.

Ad Gal. 4.

fuerint plures justi, nihilominus videantur pauci, et in determinato numero, comparatione justorum legis Evangelicæ, ob abundantiorem gratiam, quæ in ea ex præsentia Christi communicatur. Unde Apocalyp. 7 de Sanctis veteris Testamenti dicitur : « Audivi numerum signatorum centum quadraginta quatuor millia ex omni « tribu filiorum Israel. » Sed de justis novi Testamenti subjungitur : « Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo « poterat, ex omnibus gentibus, et tribubus, et populis, et linguis, stantes ante « thronum. » Tandem hinc fit, quod justis veteris Testamenti clausa fuerit junua regni cœlorum, quam Christus sua morte, et resurrectione aperuit Sanctis in lege gratiæ, juxta illud Apost. ad Hebræos 10 : « Habentes itaque fratres fiduciam in introitu « Sanctorum in sanguine Christi, quam « initiavit nobis viam novam, etc. »

Apocal. 7.

Ad Heb. 20.

Quo sensu lex vetus reprehendi videatur. D. Tho.

Ex his satis constat ad singula testimonia, quin opus esset ea in particulari expendere. Sed primum recte explicat D. Thom. 1, 2, *quæst.* 98, *art.* 1 *ad* 1, ubi juxta doctrinam proxime traditam, inquit : « Dicendum quod Dominus loquitur ibi « de præceptis cæremonialibus, quæ quidem dicuntur non bona, quia gratiam « non conferebant, per quam homines a « peccato mundantur ; cum tamen per hujusmodi se peccatores ostenderent. Unde « signanter dicitur : et judicia, in quibus « non vivent, idest, per quæ vitam gratiæ « obtinere non possunt. » Secundum exponit ibidem *in respons. ad* 3, his verbis : « Dicendum quod jugum legis servari non « poterat sine gratia adjuvante, quam lex « non dabat. Dicitur enim ad Rom. 9 : « Non est volentis, nec currentis, scilicet « velle, et currere in præceptis Dei. Unde « in Ps. 118, dicitur : Viam mandatorum « cucurri, cum dilastati cor meum, scilicet « per donum gratiæ, et charitatis. » In tertio testimonio per *culpam* non significatur malitia, sed insufficientia ad salutem, et imperfectio comparatione ad legem Evangelicam : quia antiqua lex præcipiebat, et quidem plurima ; erant quippe in ea lege trecenta sexaginta quinque præcepta affirmativa, et sexcenta, et tredecim præcepta negativa, ut merito D. August. *sermone* 9, *de verbis Domini*, eam vocaverit *sarcinam innumerabilium præceptorum.* Et tamen prædicta lex ex se non habebat, nec dabat gratiam ad servandum præcepta requisitam ; sed quotquot justificabantur, gratiam recipiebant per fidem in Christum, quam gratiam importat ipse status legis Evangelicæ. Unde D. Thom. explicans Apostolum ibidem *lect.* 2, *parum a principio*, ait : « Probat quod illud Testamentum, cujus Christus mediator est, melius « est, et facit talem rationem. Si primum « testamentum non habuisset culpam, non « quæreretur aliud ad corrigendum defectum ipsius, etc. Sed contra ad Rom. 7, « dicitur : Lex ergo peccatum ? Absit. Ergo « male dicit, quod non vacat a culpa. Respondeo dicendum, quod aliquid potest « convenire legi dupliciter : vel secundum « se, et sic erat bona : vel ratione illorum, « quibus data est, et sic dicitur habere culpam (hoc est defectum) propter duo. « Primo, quia non dabat virtutem ad purgandum commissa. Secundo, quia non « dabat gratiam adjutricem ad vitandum « peccata, sed ad cognoscendum tantum, « etc. »

D. Aug.

8. Ad secundam objectionem constat ex hactenus dictis ; nam proprium servorum est onerari præceptis, et urgeri timore pœnæ ; ad filios autem pertinet moneri amore, aut timore casto. Et propterea lex vetus, quæ tanta præcipiebat, et tot pœnas comminabatur, dicitur lex servitutis ; lex vero Evangelica, quæ ex vi sui status ob præsentiam Christi habet gratiam, ut amore operemur, dicitur lex filiorum. Unde qui sub illa lege erant, quantum erat ex vi illius, appellabantur servi ; qui vero sub hac lege sunt, quantum ex vi illius est, vocantur filii. Quæ est communis interpretatio Doctorum. Observat autem D. Thom. *ad locum Pauli, lect.* 3, circa finem : « Non autem hoc dicitur, quasi sit alius, « et alius spiritus ; sed quia idem est spiritus sanctus, qui in quibusdam facit timorem servilem quasi imperfectum, in « aliis autem facit amorem quasi quoddam « perfectum. »

Dilui secun objec

D. Th

Diximus, *quantum erat, et quantum est ex vi prædictarum legum ;* nam ut advertit Tenas *super Epist. ad Hebr. cap.* 8, *difficult.* 2, *numero* 9, differentia inter prædictas leges non tam ad differentes temporis durationes, quam ad diversitatem perficiendi revocanda est. Unde quotquot a principio mundi usque ad mortem Christi sancte vixerunt, pertinent in spiritu, et secundum internam gratiæ dispositionem ad testamentum novum, et appellandi sunt

Tena

sunt filii ; qui autem hoc tempore non ita se gerunt, videntur secundum modum se habendi (licet non secundum statum), pertinere ad testamentum vetus, et vocandi sunt servi. Quam doctrinam tradunt D. August. *lib.* 3, *contra duas epist. Pelagian. cap.* 4, et D. Thom. 1, 2, *quæst.* 107, *art.* 1, ubi explicat proprias rationes utriusque legis, et ait : « Fuerunt tamen aliqui in « statu veteris Testamenti habentes chari- « tatem, et gratiam Spiritus sancti, qui « principaliter expectabant promissiones « spirituales, et æternas ; et secundum hoc « pertinebant ad legem novam. Similiter « etiam in novo Testamento sunt aliqui « carnales nondum pertingentes ad perfec- « tionem novæ legis. »

D. Aug.

Satisfit tertiæ objectioni.

9. Ad tertiam objectionem negamus consequentiam, quoniam unio Ecclesiæ cum Christo Domino, tanquam cum fundamento, capite, et sponso fit per fidem illius; hæc enim est forma, per quam Ecclesia in esse unius Ecclesiæ constituitur, ut supra explicuimus *a num.* 2. Fides autem potest respicere Christum, sive sit futurus, sive præsens : unde potest eodem modo Ecclesiam cum Christo unire, quamvis in naturalibus ædificium supponat tempore fundamentum, et detur coexistentia inter caput, et membra, atque inter sponsum, et sponsam. Quocirca omnes qui in quolibet tempore in Christum crediderunt, ad Ecclesiam spectarunt, potueruntque per Christum vitam gratiæ participare, et plures illam consequuti sunt. Quam doctrinam optime tradit D. Thom. 3 *part. q.* 6, *art.* 3, ubi eandem fere difficultatem proponit, et diluit his verbis : « Ad 3 dicendum, quod « de plenitudine Christi omnes homines « accipiunt secundum fidem, quam habent « in ipsum ; dicitur enim ad Rom. 3, quod « justitia Dei est per fidem Jesu Christi in « omnes, qui credunt in ipsum. Sicut au- « tem nos in ipsum credimus ut jam na- « tum, ita antiqui crediderunt in ipsum « ut in nasciturum : habentes enim eun- « dem spiritum fidei credimus, ut dicitur « 2, ad Corinth. 4. Habet autem fides, quæ « est in Christum, virtutem justificandi « ex proposito gratiæ Dei, secundum illud « ad Rom. 4 : Ei qui non operatur, credenti « autem in eum, qui justificat impium, « fides reputatur ad justitiam secundum « propositum gratiæ Dei. Unde quia hoc « propositum est æternum, nihil prohibet « per fidem Jesu Christi aliquos justificari, « etiam antequam ejus anima esset plena « gratia, et veritate. » *Et in eadem 3 part. quæst.* 68, *art.* 1 *ad* 1, ait : « Dicendum « quod nunquam homines potuerunt sal- « vari, etiam ante Christi adventum, nisi « fuerint membra Christi ; quia, ut dicitur « Act. 4, non est aliud nomen datum ho- « minibus, in quo oporteat non salvos « fieri ; sed ante adventum Christi homi- « nes Christo incorporabantur per fidem « futuri adventus, cujus fidei signaculum « erat circumcisio, ut Apost. dicit ad Rom. « 4. Ante vero quam circumcisio institue- « retur, sola fide (ut Gregor. dicit), cum « sacrificiorum oblatione, quibus suam fi- « dem antiqui Patres profitebantur, homi- « nes Christo incorporabantur. » Et 1, 2, *quæst.* 106, *art.* 2 *ad* 3, ait : « Illi qui in « veteri Testamento Deo fuerunt accepti « per fidem, secundum hoc ad novum Tes- « tamentum pertinebant ; non enim justi- « ficabantur, nisi per fidem Christi, qui « est author novi Testamenti. Unde et de « Moyse dicit Apost. ad Hebræos 11, quod « majores divitias æstimabat thesauris « Ægyptiorum improprium Christi. » Et *in* 4, *dist.* 27, *quæst.* 3, *artic.* 1, *quæst.* 3, refellens quosdam qui Synagogam Christi concubinam appellarunt, inquit : « Sed « hoc est valde absurdum, quia sicut est « una fides antiquorum, et modernorum, « ita una Ecclesia : unde illi qui tempore « Synagogæ Deo serviebant, ad unitatem « Ecclesiæ, in qua Deo servimus, pertine- « bant. Et præterea hoc est expresse con- « tra id, quod habetur Hierem. 3, Ezech. « 16, et Oseæ 2, ubi expresse fit mentio « de desponsatione Synagogæ : unde non « fuit sicut concubina, sed sicut uxor. » Eandem doctrinam tradit 1, 2, *quæst.* 106, *art.* 1, *in corp. et ad* 3, *et* 2, 2, *quæst.* 2, *art.* 2 *ad* 3, *et* 3 *part. quæst.* 8, *art.* 3 *ad* 3, *et super ad Ephes.* 2, *lect.* 5 *et* 6, et alibi passim. Quibus consonat celebris sententia Eusebii *lib.* 2 *Histor. cap.* 1, ubi agens de justis, qui tempus legis Evangelicæ præcesserunt, affirmat : « Eos si non nomine, re- « bus tamen, et religione Christianos « fuisse, si quis dicat, non mihi videtur « errare. » Et paulo post subdit : « Et ideo « non novella, neque peregrina est Chris- « tianorum religio, et nuper exorta ; sed « si fas est libere judicare quod verum est, « prima omnium, atque ex ipsa simul « mundi origine, ac nativitate descendens, « eodem Christo Deo, Doctore, et Institu-

Christus Ecclesiæ caput in omni statu.

D. Tho

Justi ante statum legis Evangelicæ incorporabantur Christo.

Euseb.

« tore jam inde ab initio speciem, for-
« mamque suscipiens. » Et similiter lo-
Origenes quuntur Origen. *tom.* 2, *comm. in Joan.*
D. Greg. Nazianz. D. Gregor. Nazianz. *orat. de Machab.* D.
D. Chry. D. Hier. Chrysost. *hom.* 25, *in Genes. et homil.* 3 *de*
D. Aug. *patientia Job*, D. Hieronym. *proœmio in Jeremiam, et epist. ad Demetriadem*, D. August. *epist.* 49 *et* 89, et alii.

Præmissorum compendium. 10. Hæc paulo fusius prænotare oportuit, tum ad legitimam intelligentiam ejus, quod in titulo dubii supponitur : tum quia ad hæc principia opus erit in discursu disputationis non semel recurrere. Ex eis vero constat, veram Ecclesiam incœpisse ante statum et tempus legis Evangelicæ, ut statuimus *num.* 2 *et* 3. Constat etiam, in Ecclesia ante prædictum tempus fuisse homines justos habentes gratiam adoptionis filiorum, fidem, spem, et charitatem, reliquosque habitus supernaturales, quibus justi in statu Evangelicæ legis exornantur, ut explicuimus *num.* 5. Constat præterea, homines veteris legis nullum donum supernaturale habuisse, nisi dependenter a Christo Domino, cui tanquam membra incorporabantur per fidem in ipsum, et consequenter Christum Dominum esse causam, fundamentum, et authorem cujuscumque perfectionis supernaturalis, quæ fuerit in antiquis patribus ante ipsius adventum, et tempus Evangelicæ legis, ut *num.* 9 declaravimus. Constat deinde, Ecclesiam habuisse diversos status, et tandem nunc habere statum perfectissimum legis Evangelicæ, in cujus comparatione status legis veteris appellatur imperfectus, ob ea quæ *a n.* 6, diximus. Denique constat, prædictos status non variare essentialiter Ecclesiam, quia sicut idem homo prius est infans, et deinde vir cum sola variatione statuum secundum esse minus, et magis perfectum intra eandem speciem ; ita etiam Ecclesia, ut supra fuse explicuimus. Quo exemplo
D. Tho. utitur Apostolus, ut exponit D. Thom. 1, 2, *q.* 106, *art.* 3, ubi explicans quare lex Evangelica data non fuerit a principio mundi, ait : « Non enim aliquid ad per-
« fectum adducitur statum a principio, sed
« quodam temporali successionis ordine,
« sicut aliquis prius fuit puer, et postmo-
« dum vir. Et hanc rationem assignat
« Apost. ad Galat. 3. Lex pædagogus noster
« fuit in Christo, ut ex fide justificemur :
« at ubi venit fides, jam non sumns sub
« pædagogo. » Et similiter *super ad Galat. cap.* 4, *lect.* 1, exponit illud Apost.
« Quanto tempore hæres parvulus est, non
« differt a servo, cum sit dominus omnium,
« sed sub tutoribus, et actoribus est usque
« ad præfinitum tempus a patre. »

§ II.

Resolutio dubii duabus assertionibus explicatur.

11. His necessario præmissis, ut ad deci- Qu
sionem dubii accedamus, oportet breviter
explicare proprias rationes consilii, et voti.
Est ergo consilium (quantum ad præsentem
considerationem spectat), opus bonum,
quod cum ad salutem consequendam neces-
sarium non sit, tamen ad majorem perfec-
tionem confert : et propterea a Christo
Domino proponitur, et consulitur. Unde
præcipua differentia inter præcepta, et
consilia in eo sita est, quod præcepta obli-
gant ad observationem, et sunt de mediis
necessariis ad salutem ; consilia vero non
obligant, sed in hominis arbitrio relin-
quuntur ut simpliciter non necessaria ad
substantiam justitiæ, sed tanquam utilia
ad majorem perfectionem. Ita desumitur
ex D. Thom. 1, 2, *q.* 108, *art.* 4, et facile D.
constat *ex Apost.* 2, *ad Corinth.* 7, ubi agens Ad
de cœlibatu, inquit : *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do, tanquam misericordiam consequutus a Domino, ut sim fidelis.* Unde D. Ambros. *lib.* D.
de Viduis, ait : *Consilium invitat voluntarios, præceptum vero adstringit etiam invitos. Ubi præceptum est, ibi lex : ubi consilium, ibi gratia.* Et D. Hieronym. *lib.* 1, *adversus* D.
Jovinian. inquit : *Ubi consilium datur, offerentis arbitrium est ; ubi præceptum, necessitas servientis : sed majoris est mercedis, quod non cogitur, et offertur.* Videatur Bel- Be
larm. *lib. de Monach. cap.* 7, ubi hanc differentiam magis expendit.

Votum autem *est promissio facta Deo*, ut Q
tradit D. Thom. 2, 2, *quæst.* 88, *art.* 1, V
cum sequent. et insinuatur *Eccles.* 5, illis E
verbis : *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere, displicet enim Deo infidelis, et stulta promissio.* Materia autem voti, seu res promissa debet esse determinate bona, imo melior quam ejus oppositum, saltem respectu promittentis, ut declarat S. Doctor *loco cit. art.* 2. Ubi etiam addit, votum per se, et communiter loquendo, esse de his, quæ cadunt sub consilio, non sub præcepto, cujusmodi sunt opera supererogationis ; quia

quia ad illa, quæ præcipiuntur, ligatur homo antecedenter ad votum. « Illud, » inquit, « quod neque cadit sub necessitate « absoluta, neque sub necessitate finis, « omnino est voluntarium ; et ideo hoc « propriissime cadit sub voto. Hoc autem « dicitur esse majus bonum in comparatione ad bonum, quod communiter est « de necessitate salutis ; et ideo proprie loquendo votum dicitur esse de meliori « bonum. » Hac præcisa notitia consilii, et voti supposita.

Prima conclusio.

12. Dicendum est primo, nonnullos in Ecclesia ante statum, et tempus Evangelicæ legis observasse aliqua consilia Evangelica. Conclusio non determinat, qualiave consilia eo tempore fuerint observata. Et in hoc sensu probatur evidenter ex Scriptura ; nam continua, et assidua oratio non est præceptum, sed consilium Evangelicum, ut communiter tradunt Doctores explicantes verba Christi Domini Luc. 18 : *Oportet semper orare* ; et videri potest apud Suarez *tom.* 2, *de Relig. lib.* 1, *cap.* 30, *num.* 2. Aliqui autem ante statum legis Evangelicæ observarunt hoc consilium, ut David testatur de seipso Psalm. 118 : *Quomodo dilexi legem tuam, Domine : tota die meditatio mea est.* Psalm. 87 : *Mane oratio mea præveniet te.* Psalm. 33 : *Benedicam Dominum in omni tempore.* Psalm. 54 : *Vespere, et mane, et meridie narrabo, et annunciabo, et exaudiet vocem meam;* et alibi frequenter. Et de Anna prophetissa filia Phanuel, quæ longo tempore præcessit statum legis Evangelicæ, refert Lucas cap. 2 : « Hæc processerat in « diebus multis et vixerat cum viro suo « annis septem a virginitate sua. Et hæc « vidua usque ad annos octoginta quatuor, « quæ non discedebat a templo, jejuniis, et « obsecrationibus serviens die ac nocte. » Similiter contemptus divitiarum est consilium Evangelicum, juxta illud Christi Domini, Matth. 10 : *Nolite possidere aurum, neque argentum.* Ubi Doctores communiter recognoscunt non præceptum, sed consilium. Et tamen aliqui ante legis Evangelicæ tempus hoc consilium observarunt, illi videlicet, de quibus Apost. *ad Hebræos* 11, inquit : *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, etc.* Idem potest demonstrari in eleemosyna, jejunio, beneficientia erga inimicos, et aliis virtutum operibus, quæ certum est justos aliquos ante statum legis Evangelicæ exercuisse, ut ex Scriptura liquet ; et nihilominus non semper illa exercebant obligati præcepto, sed moti ab Spiritu sancto ad exequendum consilia, et faciendum supererogationis opera, quibus perfectam justitiam nanciscerentur. Sed quia hoc magis constabit ubi egerimus de tribus præcipuis consiliis Evangelicis, obedientia videlicet, castitate, et paupertate, hic supersedere oportet.

Fundamentum.

Luc. 18. Suarez.

Psalm. 118. Psalm. 87. Psalm. 33. Psalm. 54.

Luc. cap. 2.

Matth. 10.

Ad Heb. 11.

13. Dicendum est secundo, nonnullos in Ecclesia ante statum legis Evangelicæ fecisse aliqua vota. Conclusio non determinat quæ vota fuerint. Et in hoc sensu est de fide, quia sic palam docet Scriptura, Genes. 28 : *Jacob vovit votum dicens, si fuerit Deus mecum. etc.* Psalm. 21, inquit David : *Vota mea Domino reddam.* De Jephte dicitur Judic. 11 : *Fecit sicut voverat.* De filiis Israel dicitur 2, Paralip. 31 : *Obtulerunt quæ vovcrant Domino Deo suo.* De Asa Rege dicitur 3, Reg. 15, intulisse in templum, *quæ pater suus voverat in domum Domini, aurum, et argentum,* et alibi passim.

Secunda conclusio.

Fundamentum.

Genes. 28.

Judic. 12. Paralip. 31.

3. Reg. 15.

Confirmatur, quia Deus in lege scripta hortabatur homines ad vovendum, ut patet *Levit.* 27, *n.* 1, *et Numeror.* 30, *num.* 3, *et Deuteron.* 12, *numero* 11, *et cap.* 23, *numero* 18, *et Psalm.* 75, ibi : *Vovete, et reddite Domino Deo vestro munera :* ergo aliqui viri justi illius temporis, qui Dei voluntatem adimplere, et in justitia proficere satagebant, nonnulla vota fecerunt. Præsertim cum ratio naturalis fide illustrata haud difficulter cognoscat votum esse actum religionis, quo Deum supremum Dominum, ac omni obsequio dignum veneramur, et ad opera, quibus colitur, fortius adstringimur.

Roboratur.

Levit. 27. Numer. 30. Deuter. 12. Psalm. 75.

Adde Scripturam plurimum commendare vota Nazaræorum, de quibus *Numer.* 6, *et Threnor.* 4. Unde Abulensis *ad loc. citat. Num. quæst.* 20, inquit : « Expressit « ergo Deus hic de statu Nazaræorum, qui « erat quidam modus specialis adhærendi « Deo ; et tamen non posuit sub præcepto, « sed reliquit tanquam consilium omnibus « volentibus sequi ; sic enim et in lege « Evangelica est. Nam licet ista, sit lex perfectionis, tamen non obligat hominem « ad omnem perfectionem. » Et *quæst. sequenti* resolvit : « Si non essent alicujus « meriti in hac observatione, nec Scriptura « laudaret illos, nec Deus jussisset aliquid « laboriosæ observationis, et nullius utilitatis. Erat igitur magni meriti in veteri « Testamento observare votum Nazaræorum, sicut nunc in novo Testamento magni « meriti est observare consilia Evangelica. »

Fulcitur Nazaræorum exempli Abul.

14. Adversus has conclusiones non reperimus sententiam, quæ probetur Authoribus. Scriptura enim tam evidenter docet fuisse in veteri lege aliqua vota (et inde etiam fit fuisse consilia aliqua, cum vovere non sit opus præcepti, sed consilii), ut vel nostri temporis hæretici, qui omnia vota pro præsenti statu aversantur, palam concedant ea fuisse in veteri Testamento, sed pertinuisse ad ceremonias Judaicas, et cum eis cessasse in lege Evangelica. Ita Petrus Martyr *in lib. de votis et cælibatu*, quem refellit Bellarm. *lib. de Monach. cap.* 17 *et* 18, ubi bene observat ritum vovendi in antiqua lege non spectasse ad ceremonias, sed ad documenta moralia, quæ in lege Evangelica perseverant : concedit tamen, nomen voti non reperiri in novo Testamento, nisi *Actor.* 21, ubi in sermo fit de votis Judaicis; reperiri autem rem per illud nomen significatam. Sunt tamen contra nostras assertiones aliquæ difficultates, quas oportet diluere.

Petr. Mart Bellarm.

Objectiones contra utramque conclusionem.

Oppones ergo *primo*, quia vota, et consilia sunt opera perfectionis : Sed *nihil ad perfectum adducit lex*, ut dicitur *ad Hebræos* 7 : ergo vota, et consilia, nec facta, nec observata sunt in veteri lege. Et confirmatur, quia unumquodque ita se habet ad operari, sicut ad esse : sed antiqui erant in statu imperfecto : ergo operati sunt imperfecte, atque ideo non fecerunt opera perfectionis, cujusmodi sunt vota, et alia consilia.

Prima Ad Hebr. 7.

Secunda. Ad Cor. 10.

Secundo, quia Apostolus loquens de antiquis Patribus, 1 *ad Corinth.* 10, affirmat, quod *omnia in figura contingebant illis*. Ergo eorum opera, quantumvis magna videantur, non erant vera virtutis opera, vera consilia, aut vota ; sed umbra quædam, et figura istarum rerum. *Tertio*, quia principiatum nequit antecedere suum principium : sed Christus Dominus est principium, et author consiliorum Evangelicorum, quæ nobis proposuit in lege Evangelica : ergo nemo observavit aliqua ex his consiliis ante prædictæ legis statum.

Tertia.

Dupliciter prima

15. Sed hæc parum urgent, et facile expediuntur juxta dicta § *præced.* Aliud enim est, quod antiqui aliquas perfectiones ordinis supernaturalis habuerint durante lege, aut tempore legis ; aliud vero, quod illas habuerint ex vi legis. Hoc ultimum, quod præcise impugnant propositæ objectiones, non affirmamus, sed potius dicimus, legem illam in vi legis, et secundum id, quod ratione sui status afferebat, non habuisse vim justificandi, nec homines promovendi ad perfectionem ; quia prædicta lex præcipiebat quidem, prohibebat, aut etiam consulebat ; sed non præstabat gratiam, et vires, quibus homines sibi jussa, ac proposita exequerentur. Verum enimvero, hac imperfectione ex parte legis durante, Deus misericorditer quos volebat, ad fidem Christi saltem implicitam vocabat, illosque eidem communi Salvatori tanquam membra capiti incorporabat, et ad justitiam, perfectionemque promovebat. Unde fide certum est, aliquos Sanctos, et perfectos fuisse, ut constat ex dictis *num.* 5. Qui proinde secundum suam veram, et internam justitiam, si non secundum externos ritus, spectant ad corpus mysticum Christi, hoc est, Ecclesiam Catholicam, et ad legem Evangelicam, ut *num.* 9 vidimus. Et hinc facile constat ad primam objectionem; nam in illo testimonio Apostoli, *Nihil ad perfectum adducit lex*, sermo est formalis, significatque non fuisse perfectionem ex vi legis ; sed non negat, quod tempore legis fuerit aliqua perfectio. Addimus per ly *perfectum*, posse satis convenienter significari æternam beatitudinem, seu cœlestem patriam, juxta illud ejusdem Apost. 2, ad Corinth. 13 : *Cum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.* In statu autem veteris legis non adducebantur justi ad hoc perfectum, quia januam cœlorum primus aperuit, ingressusque est Christus Dominus secum captivam ducens illorum Sanctorum captivitatem.

Ad confirmationem respondemus, quod operari sequitur ad esse intrinsecum, et formale, potius quam ad esse quasi intrinsecæ habitudinis ad legem, vel statum. Antiqui autem justi, licet habuerint esse imperfectum quasi extrinsecæ habitudinis ad statum legis, in qua vivebant ; nihilominus habebant esse intrinsecum, et formale per gratiam sanctificantem, quæ est participatio naturæ divinæ, radixque supernaturalium virtutum, et operationum. Sicut e converso nunc Christiani peccatores habent esse perfectum quasi extrinsecæ habitudinis ad statum perfectissimum legis Evangelicæ; et tamen habent esse intrinsecum valde imperfectum, cum sint aversi a Deo, et in statu peccati. Unde vis confirmationis retorquenda est : nam Christiani peccatores, licet modo habeant esse perfectum quoad statum legis Evangelicæ, nihilominus quia habent esse imperfectum quoad internam

internam dispositionem, propterea quandiu in peccato sunt, valde imperfecte operantur : ergo licet justi antiqui habuerint esse imperfectum quoad statum legis ; tamen quia habebant esse perfectum secundum internam dispositionem gratiæ sanctificantis, efficiebant aliqua saltem opera perfecta ; unumquodque enim sicut se habet ad esse, ita ad operari. Præsertim quia si gratia justificans est fons aquæ salientis in vitam æternam, inclinatque per modum naturæ ad omnia virtutum opera, inter quæ recensentur vota, et consilia ; nulla apparet difficultas, aut dissonantia in eo, quod justi antiqui (maxime illi, qui insigni gratia ornabantur, juxta dicta *num.* 5) nonnulla vota fecerint, aliquaque consilia observaverint. Quinimo oppositum foret contra suavem, et connaturalem Dei providentiam ; nam ut egregie docet D. Thom. D. Tho. 1, 2, q. 110, art. 2 : « Non est conveniens, « quod Deus minus provideat his, quos di- « ligit ad supernaturale bonum habendum, « quam creaturis, quas diligit ad bonum « naturale habendum. Creaturis autem « naturalibus sic providet, ut non solum « moveat eas ad actus naturales, sed etiam « largiatur eis formas, et virtutes quas- « dam, quæ sunt principia actuum, ut se- « cundum seipsas inclinentur ad hujusmodi « motus. Et sic motus, quibus a Deo mo- « ventur, fiunt creaturis connaturales, et « faciles, secundum illud Sapient. 8 : Et « disponit omnia suaviter. Multo magis « illis, quos movet ad consequendum bo- « num supernaturale æternum, infundit « aliquas formas, seu qualitates superna- « turales, secundum quas suaviter, et « prompte ab ipso moventur ad bonum « æternum consequendum. » Et hujusmodi præcipue forma est gratia sanctificans, quæ Patribus antiquis etiam dabatur, et proinde non debuit esse in eisdem otiosa, sed exercere virtutum opera, et quidem egregia in his, quos Scriptura vocat perfectos.

Solvitur secunda objectio. 16. Ad secundam negamus consequentiam, utpote manifeste hæreticam, et contra evidentia Scripturæ testimonia. Nam, ut alia exempla omittamus, fides, et obedientia Abraham, patientia Job, mansuetudo Moysis, pœnitentia David, Zelus Eliæ, et fortitudo martyrum Machabæorum nequeunt dici opera secundum extimam præcise figuram, et umbratenus virtuosa ; sed vere fuerunt insignes virtutis actus, ut palam docet Scriptura. Nec locus Apostoli, unde inepte illud consequens colligitur, id ullo modo insinuat : tum quia optime cohæret, quod opera patrum antiquorum fuerint figura repræsentans ea, quæ fiunt in novo Testamento, et quod nihilominus fuerint in se vera virtutum opera, vera consilia, et vera vota. Sicut in eodem sensu potest dici, quod sanctitas antiquorum fuerit figura repræsentans sanctitatem justorum in lege gratiæ ; et tamen sanctitas antiquorum fuit absque dubio vera sanctitas per internam gratiam adoptionis, ejusdemque speciei cum gratia præsentis status, ut *num.* 5 vidimus. Ecclesia etiam existens sub statu legis scriptæ repræsentavit seipsam ut existentem in statu legis Evangelicæ : quo non obstante fuit vera Ecclesia, imo eadem substantialiter cum Ecclesia quæ nunc est, ut constat ex dictis *num.* 3 *et* 9. Tum etiam, quia ut recte vidit Vasquez 1 *p. disp.* 14, *cap.* 6, sensus Apostoli in eo loco non est omnia, quæ ibi refert, et in veteri lege acciderunt, fuisse meras umbras, aut figuras ; sed Hebræos nobis datos fuisse in exemplum, ut ex eorum punitione discamus vitare peccata. Quod satis liquet ex integra lectione textus, qui ita se habet : « Hæc autem in figura facta sunt nostri, ut « non simus concupiscentes malorum, sicut « et illi concupierunt ; neque idololatræ « efficiamini, sicut quidam ex ipsis : quem- « admodum scriptum est : Sedit populus « manducare, et bibere, et surrexerunt lu- « dere. Nec fornicemur, sicut quidam ex « ipsis fornicati sunt, et ceciderunt una die « viginti tria millia. Neque tentemus « Christum, sicut quidam eorum tentave- « runt, et a serpentibus perierunt. Neque « murmuraveritis, sicut quidam eorum « murmuraverunt, et perierunt ab exter- « minatore, Hæc autem omnia in figura « contingebant illis, scripta sunt autem ad « correptionem nostram, in quos fines sæ- « culorum devenerunt. » Ex quibus constat, Apostolum eatenus dicere ea, quæ contigerunt in veteri Testamento, facta fuisse *in figura*, quatenus ex eis accipere possumus exemplar, ut vitam recte formemus. Unde magis roboratur doctrina supra tradita ; nam illa quæ Apostolus recenset, et affirmat contigisse in figura, fuerunt vere, et propriissime peccata, neque id nisi stultus negabit : ergo justorum præclara gesta, quæ in Scriptura referuntur, licet dicantur

Qualiter antiqua dicantur futurorum figura. Vasq.

Retorquetur objectio.

contigisse in figura, fuerunt vere, et proprie opera virtutum, consilia, aut vota, prout ipsa Scriptura significat.

Fit satis tertiæ objectioni.

Ad tertiam objectionem constat ex dictis *num.* 9, qualiter ut Christus Dominus influat per modum principii, non requiritur quod tempore præcedat principiatum ; influit enim per fidem in ipsum, per quam ipsius membra ei incorporantur : fides autem potest respicere Christum et præsentem, et futurum, ut ibi explicuimus. Hac ratione est caput et fundamentum Ecclesiæ, licet hæc illum tempore præcesserit : est etiam author gratiæ, quamvis hæc data fuerit justis ante ipsius adventum ; nam hæc omnia disponebat, et operabatur Deus propter Christum, et mediante fide illius. Et eodem modo fuit, et est author illorum votorum, et consiliorum evangelicorum, quæ nonnulli observarunt in veteri Testamento ; quia illa observabant cum fide in Christum, et adjuti gratia, quam ipsis Deus propter Christum dispensabat. Unde Christus Dominus est quasi sol refulgens in medio annorum, et temporum, illuminans non solum homines, quos post se habet, sed quos habuit ante se, quamvis lucidiores gratiæ radios ad posteriores diffundat, quia mysterium redemptionis ejus respiciunt præsens, atque perfectum.

Christi influxus in omni statu.

Adde omnes illos, qui ante statum Evangelicæ legis consilia aliqua Evangelica, aut vota observarunt, vel egregia alia virtutum opera exercuerunt, se gessisse in hoc negotio tamquam discipulos Christi Domini respicientes illum ut doctorem, et authorem illorum operum ; quia illustrati divina fide, qua ipsi incorporabantur, cognoverunt eum docturum, et consulturum fore prædicta opera, voluerunt que illa exequi ut a tanto doctore, et authore approbata : sicut proportionabiliter se gesserunt Apostoli, qui oculis, et auribus eamdemmet doctrinam a Christo Domino præsenti perceperunt ; supplebat enim fides in antiquis hujus præsentiæ defectum. Unde quatenus illo modo se habuerunt, spectarunt ad evangelicam legem, ut *num.* 8 *et* 9 explicuimus, et possunt viri Apostolici et Evangelici dici, eosque ita appellant viri graves, ut Alcazar *cap.* 11, *Apocal. vers.* 3, ubi ait : « Vitæ evangelicæ « exemplum in nullo alio Prophetarum ita « extat, atque eminet, ut in Elia, cujus « vita non tam ex veteri Testamento Pro- « phetam, quam ex novo virum plane « Apostolicum redolet. » Et similia de Hieremia, Isaia, Elisæo, et quibusdam valde perfectis proferunt Philastrius *lib. de hæres.* 61, Gislerius *in cap.* 35 *Hierem.* et alii. Quæ doctrina tantum abest, ut diminuat perfectionem legis evangelicæ, quod eam potius exaggeret, cum illam asserat formam, et normam perfectionis in antiquis justis repertæ, simulque explicet, qualiter influxus Christi Domini in causando gratiam, et gratiæ effectus (cujusmodi sunt vota, et consilia evangelica), non fuerit restrictus ad posteriora tempora, sed universaliter se extenderit ad sæcula anteriora, viros perfectos formando per modum fiuis, et exemplaris.

Alcazar.

Phi Gis

N

DUBIUM II.

Utrum aliqui in Ecclesia ante legis evangelicæ statum fecerint votum castitatis.

Postquam ostendimus aliquos ante legis evangelicæ tempus nonnulla consilia observasse, votaque fecisse, non determinando eorum numerum, et qualitatem, oportet ut ad magis specialem considerationem descendamus. Et primo occurrit consilium, et votum perpetuæ castitatis; de quo plures ob ejus magnam difficultatem dubitaverunt. Sermo autem erit de hoc voto præcise quoad speciem considerato ; quod enim ante statum legis Evangelicæ non habuerit eam solemnitatem, quam modo habet (undecumque proveniat), hic supponendum est : sicut etiam, quod hoc dubium procedit facta sufficienti humani generis propagatione, sicut reipsa contigit longo tempore ante legis Evangelicæ statum. Et cum non pauca possint facilem hujus difficultatis decisionem impedire, curabimus quæ faciliora sunt præmittere, ut ad punctum præcipuum majori cum expeditione accedamus.

§ I.

Proponuntur tres conclusiones ad principalem resolutionem præambulæ.

17. Dicendum est primo, in lege veteri, et ante statum legis Evangelicæ non fuisse prohibitum observare castitatem, et cœlibem vitam ducere. Ita D. Thom. *in* 4, *dist.* 33, *q.* 3, *art.* 2, ubi dicit : *Non peccaturum, qui in lege Moysis servaret virginitatem, postquam jam multiplicatum est genus humanum.* Abulensis *in cap.* 38 *Levit. quæst.* 32,

Pr co si

D.

Abu

Bellarminus

Bellarm. Bellarminus *lib. de Monach. cap.* 5 ubi oppositam sententiam dicit esse Lutheri in Epithalamio affirmantis Moysem præcepisse omnibus Judæis matrimonium, ita ut nullo modo licuerit in veteri Testamento carere uxore. Cui Bellarmin. reponit : *Quomodo igitur Elias, Helisæus, Hieremias, Joannes Baptista uxoribus caruerunt ? Caruisse enim probat Hieronymus lib.* 1 *contra Jovinianum. Sed Lutherus hoc præceptum non in divinis litteris reperit, sed ex Rabinorum deliriis sumpsit.* Scotus *in* 4, *disp.* 30, *quæst.* 2, *art.* 1, Basilius Pontius *lib.* 1 *de Matrim. cap.* 19, *num.* 2, Medina, et Sylvius 3 *p. quæst.* 28, *art.* 4, ubi Suarez *disp.* 6. *sect.* 1, Vasquez *disp.* 124, *cap.* 2, Michael de Medina *de sac. homin. cont. lib.* 3, *cap.* 46 et alii plures.

Scotus. Basil. Pont. Medin. Sylvius. Suarez. Vasq. Michael de Medina.

Fundamentum. Probatur conclusio destruendo simul fundamentum, quod pro parte contraria formari posset; quoniam nullum præceptum, vel naturale, vel positivum erat in veteri lege prohibens virginitatem, et obligans ad matrimonium : ergo in veteri lege non erat prohibitum virginalem vitam ducere. Consequentia est manifesta, et antecedens quoad primam partem facile ostenditur ; nam si aliquod præceptum naturale daretur, maxime illud Genes. 1 : *Crescite, et multiplicamini, et replete terram :* hoc autem (esto sit præceptum naturale), non obligat singula individua, alias nunc etiam obligaret : nec obligavit pro omni tempore, sed quousque humanum genus esset sufficienter propagatum. Constat autem, quod tempore legis scriptæ, et ante legis Evangelicæ statum jam humanum genus sufficienter propagatum erat per infinitam hominum multitudinem : ergo nullum præceptum naturale erat, quod tunc singulos homines obligaret ad vacandum generationi. Unde D. Hieronymus hoc jaculum Joviniani elidens *lib. adversus eum, in principio,* ait : « Ne- « cesse fuit prius plantare silvam, et cres- « cere, ut esset quod postea posset excidi » (utique status virginum), « simulque con- « sideranda vis verbi, et replete terram : « nuptiæ terram replent; virginitas para- « disum. »

Gen. 1.

D.Hier.

Secunda etiam antecedentis pars probatur explicando loca, quæ ex veteri lege possunt opponi. Nam in primis illud Deuteron. 7 : *Non erit apud te sterilis utriusque sexus,* non importat præceptum, sed quandam benedictionem temporalem, ut liquet ex verbis immediate sequentibus, *neque in hominibus, neque in gregibus tuis :* certum quippe est, quod pecoribus nequit præceptum imponi. Allegatur etiam illud Exod. 23 : *Non erit infœcunda, neque sterilis in terra tua.* Sed ista verba non important præceptum, quia nec sterilitas potest prohiberi, nec fœcunditas imperari ; cum non proveniant ex hominis arbitrio, sed aliunde. Quocirca solum significant temporalem quandam benedictionem, quam Deus conjugibus suam legem observantibus promittebat : quod magis liquet ex verbis immediatis, *Numerum dierum tuorum implebo,* ut significetur utrumque esse Dei beneficium. Denique illud, quod *ex cap.* 25 *Deuter.* allegari solet, *Maledictus qui non facit,* aut *qui non suscitat semen in Israel,* minime probat. Tum quia prædicta verba non habentur in versione Septuaginta, nec in editione vulgata, licet eadem, aut similia soleant a Patribus referri, ut videre est apud D. Hieronym. *super cap.* 56, *Isai.* et D. August. *lib.* 14, *contra Faustum, cap. ult.* Tum quia eo capite sermo est de suscitando semine fratris defuncti, qui est casus singularis, ob speciale motivum. Imo vero ad hoc non imponitur præceptum fratri viventi, sed jus dabatur viduæ, ut illum invitaret, prius quam alteri nuberet, ut exponit Vasquez *disp. cit. cap.* 34. Nullum ergo erat præceptum in veteri lege obligans ad nuptias, aut prohibens cœlibatum. Quæ resolutio magis firmabitur ex dicendis pro sequenti conclusione.

Exod. 23.

Deut. 25.

D. Hier. D. Aug.

Vasq.

Deuter. 7.

18. Nec illi contrarius est D. Thom. 3 *p. q.* 28, *art.* 4 *ad* 1, ubi ait : « Dicendum, « quod quia videbatur esse lege prohibitum « non dare operam ad relinquendum se- « men super terram, ideo non simpliciter, « etc. » Et similia habet *in* 4, *dist.* 30, *quæst.* 2, *art.* 1, *quæstiunc.* 1 *ad* 1, *et libr.* 3, *contra gent. cap.* 136 *in fine.* Non, inquam, contradicit D. Thomas : quia illa verba, *videbatur esse lege prohibitum,* non significant præceptum, quod revera esset in lege ; sed quod adesse censeretur ex communiori observantium prædictam legem modo, et processu ; communiter enim multifaciebant relinquere filios, ita ut vulgares sterilitatem velut quandam maledictionem reputarent. Cæterum S. Doctor nostram, et communem sententiam approbat *loco num.* 17 *cit.* cujus aliqua verba ibi dedimus, sed integer textus ita habet : « Medium virtu- « tum accipitur secundum proportionem « circumstantiarum ad rationem ; et quia

Aperitur mens D.Tho.

« tempus est una de circumstantiis, non « est inconveniens aliquid esse illicitum « uno tempore, quod est licitum, et stu- « diosum, si in alio tempore fiat. Et ideo si « in tempore, in quo Deus ad multiplica- « tionem generis humani, vel cultus divini « insistere volebat operi conjugali, aliquis « proprio motu incorruptionem servasset, « a crimine non excusaretur. Sed postea « facta multiplicatione generis humani, et « locupletato satis divino cultu, certe non « peccasset virginitatem servans vel in lege « Moysis, vel in statu naturæ integræ : nec « fecisset contra præceptum, quia multi- « plicatio poterat fieri per alios ; sed supra « præceptum. » Et conformiter ad hanc doctrinam *in eodem* 4, *dist.* 49, *quæst.* 5, *art.* 3, *quæstiunc.* 1 *ad* 1, affirmat, quod eo tempore, in quo populus Dei propagandus erat, non erat omnino laudabile abstinere, « nec tali proposito speciale præmium « redderetur, nisi ex divino processisset « instinctu, ut creditur de Hieremia, et de « Helia, quorum conjugia non legun- « tur. » Et quod hæc fuerit propria S. Doctoris sententia, convincitur signo moraliter evidenti, quia fidelissimi D. Thomæ discipuli Sotus, Medina, Nazarius, Gravina, et alii nostram assertionem docent : quod non facerent, si esset contra Angelicum Præceptorem. Nec contemnenda est interpretatio Ferrariensis, qui *loco citato ex lib.* 3, *contra Gentes*, diversa Divi Thomæ testimonia conciliat hoc modo : « Respondetur, quod de tempore magis Moysis dupliciter loqui possimus, aut scilicet quantum ad tempus sequens sufficientem multiplicationem fidelium, aut quantum ad tempus in quo necesse erat multiplicari fideles per carnalem generationem, nondum facta sufficienti multiplicatione colentium Deum. Primo modo intelligitur, quod dicitur in 4, Sent. Unde ait ibidem, quod facta multiplicatione colentium Deum sufficienti, non peccasset virginitatem servans, etiam tempore Moysis. Secundo modo intelligitur, quod dicitur hoc loco. Unde et hic ait, quod non expediebat ab actu generationis abstinere, quando necessaria erat multiplicatio generationis propter paucitatem fidelis populi, ut fuit in veteri Testamento : intellige quantum ad aliquod tempus veteris Testamenti. »

Adhibita explicatio fulcitur. Sotus. Medina. Nazar. Gravin. Ferrar.

Secunda conclusio.

19. Dicendum est secundo, aliquos in veteri Testamento, sive ante legis Evangelicæ statum observasse castitatem, et vixisse in cœlibatu. Sic docent omnes fere Authores *num.* 17 relati, qui assertionem ibi propositam communiter confirmant exemplo sanctorum virorum, qui in Testamento veteri castitatem custodierunt : et de Elia, et Hieremia expresse affirmat D. Thomas, ut vidimus *num. præcedenti.* Conclusio hæc a fortiori constabit ex infra dicendis *n.* 22, nunc vero breviter probatur testimoniis Sanctorum Patrum, et gravium Doctorum ; nam D. Hieronym. *in epist. ad Eustochium*, ait : *Virgo Elias, virgo Elisæus, virgines filii Prophetarum.* D. Epiphan. *in lib. sive sermone Ancoratus*, ait : « Elias « erat in virginitate, ut prærogativa virgi- « nitatis immortalitatem prædicaret mun- « do. » D. Ambros. *lib.* 1, *de Virg.* circa initium : « Dicet aliquis : Sed etiam Elias « nullius corporei coitus fuisse permixtus « cupiditatibus invenitur. Ideo ergo curru « raptus ad cœlum, etc. » D. Joannes Chrysostomus *lib. de virginit. cap.* 79, ait : « Etenim qua re, sodes, ab Angelis diffe- « rebant Elias, Elisæus, Joannes, germani « hi virginitatis amatores ? Nulla nisi quod « mortali natura erant obstricti. Cætera si « quis accurate inquirat, nihilo iis deterius « effectos inveniet. » D. Joannes Damascenus *lib.* 4, *de fide, cap.* 25, inquit : « Elias « denique ille ignem spirans auriga, ac « cœlipeta, an non cœlibatum amplexus « est, ejusque virtutem humana conditione « præstantior evectio comprobavit ? » S. Petrus Paschas. *in lib. contra Mauros, num.* 267, *pag.* 189, sic : « Quia Elias fuit genitus, et non genuit, sed incorruptus, et « virgo permansit, levatus fuit in Paradi- « sum, etc. » S. Althelmus *in carmine de laude virginum, ad Maximam Abbatissam, tom.* 8, *Biblioth. SS. PP.* loquens de Elia inquit :

Fund. ment.

D. H. D. Ep. Elia Virg.

D. Au.

D. Ch.

D. Jo.

Dam.

S. Pe. Pasc.

S. Al.

Virgo sacer fuerat, fama per secula notus :
Plurima quapropter terris miracula gessit,
Atque arcana Dei verbis oracula prompsit.

Et post pauca ita loquitur de Elisæo :

Sic quoque famosis decoravit secula signis
Virgineo flagrans Heliseus flore Propheta.

Et de eodem Elisæo hymnus ab Ecclesia Romana pro ejus festo approbatus sic habet :

Hym.

Eliseus namque virgo plane permanens
Beatis cœli cœquatur Angelis,

Qui

Qui pravos carnis motus scivit premere,
Et mentem puram Christo novit gerere.

Prolixum nimis foret singula testimonia expendere ; et ideo satis fuerit vel nomina Patrum recensere apud graves Authores.

Cornel. à Lap. Cornelius a Lapide 3 *Reg. cap.* 17, *vers.* 2, inquit : « Eliam perpetuam coluisse virgi-
« nitatem, consentiunt Patres, scilicet Hie-
« ronym. lib. 1, contra Jovinian. et ad
« Eustochium de custod. virginit. Ambros.
« libro primo de virginit. Idem asserit
« Chrysostom. lib. de virgin. tom. 5. S.
« Ephrem non uno loco. Virgines quoque,
« vel cœlibes fuisse Elisæum, cæterosque

Suarez. « Eliæ discipulos, non est dubium. » Suarez *num.* 17 *relatus*, inquit : « Multi viri
« sanctissimi in illa lege virginitatem ut
« meliorem coluerunt, ut de Jeremia, Elia,
« et aliis testatur Ignatius epistol. ad Phi-
« ladelph. et de Elia Ambrosius lib. 1, de
« Virgin. in principio. Quibus adjungit
« tres pueros Damascenus lib. 4, cap. 25, ubi
« eleganter de Danielis corpore dicit, ita
« fuisse virginitate solidatum, ut bestiarum
« dentes illi infigi nequiverint. Quod etiam
« notavit Hieronym. lib. 1, contra Jovi-
« nian. qui in prologo super Jeremiam
« illum virginibus annumerat. Et de
« Joanne Baptista constat, virginitatem ser-
« vasse ; et tamen vir eximiæ sanctitatis,
« et perfectionis a Judæis est habitus. Quod
« etiam de Jacobo fratre Domini notat Epi-
« phan. hæres. 30, dicens illo tempore
« etiam Judæos virginitatem magnificasse.
« Adde ex Josepho lib. 13, antiq. cap. 8,
« et lib. 2, de bello Judaico, Essenos in
« magna sanctitatis æstimatione inter Ju-
« dæos fuisse, inter alia eo quod perpe-
« tuam castitatem servarent. Nec Augusti-
« nus unquam hoc negavit. » His addimus

Tertul. D. Greg. Magn. S. Antio. D. Greg. Nyssen. D. Isid. Raban. Cassian. Anastas. Sinaït. Gaspar. Sanchez. Tertullian. *lib. de Monogamia, cap.* 8. D. Gregorium Magn. *homil.* 29, *in Evang.* S. Antiochum *homil.* 21, *de Virgin. in principio tom.* 7 *Bibioth.* D. Gregor. Nyssen. *homil.* 7, *in Cantic.* D. Isidorum *lib.* 2 *Officiorum, cap.* 18, Rabanum *super* 1, *ad Timoth. cap.* 23, Cassianum *lib.* 1, *de instit. Monach. cap.* 1, Gloss. Ordin. *in cap.* 35 *Jerem.* Anastasium Synait. *lib. quæstion. quæst.* 66, et alios plures, ut merito Gaspar Sanchez *lib.* 3 *Reg. cap.* 17, *n.* 6, loquens de Magno Elia dixerit : *Virginitatem coluisse perpetuam, communis est veterum Patrum, constansque sententia.*

20. Et licet nostræ assertionis veritas, cum ad factum, et historiam pertineat, potius probari debeat fidelium testium dictis (quæ jam dedimus), quam ingenii discursu ; potest nihilominus motivo satis rationabili, et prudenti suaderi. Etenim in antiqua lege non erat prohibitum observare castitatem, ut *num.* 17 statuimus. Aliunde vero viri perfectissimi fide illustrati facile cognoscere potuerunt, vitam cœlibem commodiorem esse ad contemplationem, et intimam cum Deo familiaritatem præ conjugali vita; cum hæc afferat plures curas, quæ licet honestæ, animum distrahunt a jugi, et pacifico contemplationis silentio, juxta illud Apost. 1, ad Corinth. 7 : « Volo autem vos
« sine solicitudine esse. Qui sine uxore est,
« solicitus est quæ Domini sunt, quomodo
« placeat Deo. Qui autem cum uxore est,
« solicitus est quæ sunt mundi, quomodo
« placeat uxori, et divisus est. » Ergo valde credibile apparet, aliquos viros sanctissimos, præsertim solitudini, et contemplationi deditos, ut fuerunt Elias, et Elisæus, et eorum discipuli (de quibus loquitur Apostol. ad Hebr. 11 : « Circuierunt in
« melotis, in pellibus caprinis, egentes,
« angustiati, afflicti, quibus dignus non erat
« mundus, in solitudinibus errantes, in
« montibus, et speluncis, et in cavernis
« terræ), » vitam continentem duxisse, et perpetuam coluisse castitatem. Præsertim cum Scriptura nullibi significet eorum conjugia, sed magis conversationem ab uxoribus remotam.

Probatur eadem assertio.

1. ad Cor. 7.

Ad Heb. 11.

Confirmatur exemplo Sibyllarum, quæ studium contemplationis, et futurarum rerum notitiam conjunxerunt cum virginitatis flore, ut merito D. Hieronym. *lib.* 1, *contra Jovinian. c.* 26, dixerit : *Quarum insigne virginitas est, et virginitatis præmium divinatio.* Non enim se existimarunt tam sublimibus præsensionibus idoneas, nisi a conjugali solicitudine, ac maritali subjectione animas, et corpora subducendo. Cum ergo viri illi sanctissimi sacratiori contemplationi se dicaverint, et sublimiori fidei radio respersi fuerint, credibile valde est, quod similem, hoc est omnino castam duxerint vitam.

Roboratur.

D. Hier.

21. Dicendum est tertio, licitum fuisse ante evangelicæ legis statum vovere castitatem, et virginitatis propositum voto firmare. Hanc conclusionem docent omnes Authores *num.* 22 referendi, et ex aliis Vasquez *ubi supra, c.* 2, *num.* 15, ubi ait : « Pro certo habeo, nullum fuisse in lege

Tertia conclusio.

Vasq.

« veteri præceptum dandi operam filiorum « generationi ; quinimo laudabilius fuisse, « sicut nunc etiam est, castitatem, et vir- « ginitatem colere, et Deo dicare. » Proba- Fundamentum. tur facile ex dictis : nam in lege veteri licitum erat ducere vitam cœlibem, nec ullo præcepto obligabantur homines ad matrimonium, ut in prima assertione statuimus ; aliunde vero viri quidam sanctissimi cognoverunt studium castitatis esse bonum melius, quam matrimonium, ut constat ex secunda conclusione ; ergo in lege veteri licitum erat emittere votum castitatis. Suadetur consequentia, quia licitum est in aliquo statu vovere illud, quod in tali statu non prohibetur, sed licet, apparetque majus bonum, sicut in præsenti statu licitum est vovere castitatem, quia in hoc statu est licita, et melior quam matrimonium.

Confirmatio prima. Confirmatur primo ex Scriptura, quæ supponit hoc castitatis votum fuisse eo tempore licitum, quidquid sit, an ab aliquibus Num. 6. factum fuerit ; nam *Num.* 6, dicitur : *Vir, sive mulier, cum fecerint votum, ut sanctificentur, et se voluerint Domino consecrare.* Quo loco materiam voti fuisse castitatem, haud obscure constat ex translatione Septuaginta, secundum correctionem Sixtinam, quæ sic habet : *Vir, aut mulier quicumque magnum voverit votum purificandi puritatem Domino.* Ubi Augustinus Eugubinus *in* Augustin. Eugub. *recognit. veteris Testam. ad Hebraic. verit. num.* 6, observat, *vovere votum purificandi puritatem Domino*, idem valere, ac *vovere castitatem Domino*. Et in hoc sensu D. Joannes Damascen. *lib.* 4, *de fide, cap.* 25, D. Joan. Damas. dixit : *An non denique lex ingens votum castitatem muncupavit ?* Licitum ergo erat in ea lege castitatem Deo promittere.

Secunda. Abulen. Confirmatur secundo, et luculenter ex Abulensi *in cap.* 30 *Numer. quæst.* 21, ubi aperte tradit, mulieres veteris Testamenti, quæ erant sui juris, *potuisse vovere continentiam perpetuam.* Et deinde *quæstione sequenti*, ait : « Quæretur amplius « an ista puella in veteri Testamento pos- « set vovere observare virginitatem, cum « esset in patris potestate ? Respondendum « est, non esse dubium, quod possit vove- « re : sed an votum teneret, si pater sciret, « et repugnaret, est difficultas. Non enim « erat aliquid illicitum virginitas in veteri « Testamento, cum aliqui viri, et fœminæ « eam observarent, ut supra declaratum « est. Dicet aliquis, quod puellæ poterant « vovere virginitatem tunc etiam invitis « parentibus. Respondeo hoc non stare. » Quod probat, et statim subdit : « Ideo dis- « tinguendum est, quia cum puellæ sic « emitterent votum virginitatis, aut pater « sciebat, aut non. Si autem nesciret, te- « nebantur puellæ semper observare vo- « tum, quousque patres scirent, et repu- « gnarent ; et si contrairent, habebantur « tanquam violatrices votorum. Si autem « pater cognovisset votum, aut repugnabat, « aut non. Si non repugnabat, tenebantur « puellæ observare votum, et erat jam « simpliciter validum, nec poterat pater « postea contraire, etc. » Quam resolutionem colligit Abulensis ex Scripturæ veteris Testamenti legibus, et principiis, ex quibus proinde constat non fuisse eo tempore illicitum vovere Deo castitatem. Videamus jam, utrum aliqui eo tempore hoc votum fecerint, quod est principale punctum præsentis dubii.

§ II.

Resolutio præcipuæ difficultatis.

22. Dicendum est quarto, aliquos in Ecclesia ante legis Evangelicæ tempus emisisse votum castitatis. Hanc assertionem docent Abulensis, Sotus, Chassanæus, Jodocus Clictovæus, Trithemius, Carthagena, Gravina, Vincentius Baronius, Petrus Valderrama, Tenas, Boulduc, Camartus, Honuphrius Saltus, Joannes Costerus, Joannes Suarez, Salianus, Josephus de Siguenza, Ferdinandus Vellosillo, Claudius Espenceus, Alphonsus Mendoza, et alii plures, quorum loca, et formalia verba infra dabimus, et præcipue *num.* 31. Eandem assertionem tuentur communiter Doctores nostri Ordinis, ut superfluum sit eos in particulari referre. Videantur tamen Joannes Hierosolym. *in lib. de institutione Monach. cap.*34, Thomas Waldensis *de Sacrament. tom.* 2, *tit.* 9, *cap.* 89, *et* 90, Michael Munoz, *in propugn. Eliæ, lib.* 2, *titulo* 1, *cap.* 2, *articulo* 5, Sylveira *tom.* 1, *in Evangel. lib.* 2, *cap.* 2, *quæstione* 10, *et opuscul.* 3, *resolutione* 3, *quæstione* 8, *cum sequent.* Lezana *tom.* 1 *Annal. in apparatu, cap.* 4, *num.* 28, Thomas Aquinas *de Patriarchatu Eliæ, part.* 3, *sect.* 3, Franciscus Bonæ spei *de Conceptione Virginis, disputatione.* 3, Wastelius *libro primo Vindiciarum, sect.* 5, *articulo* 3, Thomas a Jesu

super

super Regulam Carmelitarum, prima parte, cap. 2, Franciscus a Sancta Maria *in Historia Prophetica, per totam, et in Apologia, proposit.* 1, Antonius a Spiritu sancto *in tractatu de Primatu Eliæ, a num.* 60, et alii, quos per totam disputationem referemus.

Ratio fundamentalis.

Potest hæc assertio probari ratione desumpta ex hactenus dictis; quoniam aliqui viri sanctissimi in veteri Testamento observarunt perpetuam castitatem: ergo illam observarunt ex voto. Antecedens constat ex dictis *num.* 19. Consequentia autem (quæ ex vi formæ non multum videtur urgere), probatur efficaciter juxta subjectam materiam; nam ideo viri illi sanctissimi observarunt perpetuam castitatem, quia cognoverunt eam in tali lege esse licitam, et majus bonum, quam matrimonium: atqui etiam cognoverunt licitum esse votum castitatis, ut liquet ex dictis *num* 21, cognoverunt etiam opus ex voto factum esse majoris perfectionis, et meriti quam si absque voto fieret; et propterea frequenter emittebant vota circa alias materias, ut ostendimus *num.* 13. Ergo non utcumque observarunt castitatem, sed voto ad ejus custodiam se ligaverunt. Quo discursu utitur Ovand. Doctor Ordinis Seraphici *in* 4, *dist.* 3, *prop.* 8, ubi ait: « Notum erat Ju-
« dæis, tam ex lege, quam ex Prophetis,
« tam exemplo Jacob Genes. 28, quam
« multorum, quod vota Deo placebant, et
« quod idem opus factum ex voto erat lau-
« dabilius, utpote procedens ex voluntate
« magis firmata in bono. Notum etiam
« erat eis, Deo placere virginitatem, et
« castitatem, alioquin non illam servas-
« sent. Imo ex Isaiæ 56, habetur laus eu-
« nuchorum supra conjugatos, eorum vi-
« delicet, qui se castraverunt voluntate
« sua propter regnum cœlorum: non dicat
« eunuchus, etc. Et Sapient. 3: Felix spado,
« qui non operatus est per manus suas
« iniquitatem; dabitur enim ei fidei do-
« num, etc. Quare igitur ante adventum
« Messiæ non se conformarent per votum
« etiam illis, qui castitatem, et virginita-
« tem servaturi erant post Messiam? »

Ovand.

Fr. Cost. Eodem modo discurrit Franciscus Costerus sacræ Societatis Jesu *super Evang. in Dominic.* 1, *post Nativit.* ubi hæc habet:
« Sciebant ex lege vidualem pudicitiam
« esse Deo admodum gratam, intelligebant
« quoque opus pium ex voto factum longe
« melius esse, Deoque magis placere, quam
« si illud sine voto fieret: et hoc sciebant
« viduæ veteris Testamenti, et pudicitiam
« suam vovebant Deo, ut totæ illius es-
« sent. »

Confirmatio.

Confirmatur, quia licet absolute non repugnet observare perpetuam castitatem absque voto, nihilominus connaturalius est, quod qui castitatem perpetuam observare statuunt, ad id se voto obligent; quippe ad hujusmodi continuam observantiam requiritur voluntas satis firmata, et quasi immobilis facta circa tale bonum; et hæc firmitas, ubi non adest alterius legis obligatio, est per votum, ut declarat D. Th. *in* 2, 2, *quæst.* 88, *art.* 4, *et opusc.* 18, *cap.* 12. Unde D. Augustin. *epist. ad Armentarium*, de votis agens inquit: *Felix necessitas quæ te ad meliora compellit.* De quo plura diximus *tract. præced. disp.* 5, *a num.* 170. Atqui viri aliqui sanctissimi in veteri Testamento observarunt perpetuam castitatem, idque non fortuito, aut præter intentionem, sed quia illam sedulo elegerunt tanquam majus bonum, unde a Sanctis Patribus plurimum laudari meruerunt, ut *num.* 19 vidimus. Ergo voto se adstrinxerunt ad castitatem observandam. Probatur consequentia, quia in hominum gestis credendum est, illum modum observatum fuisse, qui in talibus factis, per se loquendo, connaturaliter, et communiter intervenire solet; oppositum enim esset divinare, et supra historias sentire.

D. Tho. D. Aug.

Roboratur exemplo Baptist. Suarez.

23. Urgetur exemplo desumpto ex Suarez *tom.* 2, *in* 3 *p. disp.* 24, *sect.* 6, ubi cum communi sententia statuit D. Joannem Baptistam fuisse virginem, et deinde subdit: « Quæret vero fortasse aliquis, an
« Joannes non solum virgo fuerit, sed etiam
« virginitatem suam Deo voto consecrave-
« rit? De hoc nihil invenio a veteribus
« scriptum; satis tamen pie, et probabili-
« ter affirmare possumus: quoniam ab in-
« fantia se totum Deo consecravit, vitamque
« cœlibem ac solitariam perpetuo agere de-
« crevit: ergo verisimile est hoc suum pro-
« positum voto firmasse, ut immobilius
« esset, et Deo gratius. Neque id omnino
« intactum Patres reliquerunt, sed indi-
« cant potius, cum dicunt Joannem mo-
« nasticam vitam egisse, ac monachorum
« principem fuisse. » Hæc prudentissime Suarez: quæ possunt Eliæ, Eliseo, aliisque viris perfectissimis veteris Testamenti, de quibus *num.* 19, in hunc modum applicari, satis pie, et probabiliter affirmamus D.

Joannem virginitatem suam Deo voto consecrasse, quia se totum Deo consecravit, et vitam cœlibem, et solitariam agere decrevit, et quia Patres dicunt, Joannem monasticam vitam egisse, ac monachorum principem fuisse : sed Elias v. g. eodem proportionabili modo se habuit ac B. Joannes, siquidem se totum Deo consecravit, et vitam cœlibem, et solitariam egit ; et Patres dicunt Eliam monasticam duxisse vitam, fuisseque monachorum principem : ergo satis pie, et probabiliter affirmamus, Eliam virginitatem suam Deo voto consecrasse. Minor partim constat ex dictis *num.* 19, sed fusius constabit ex dicendis a *num.* 88.

D. P. Chrys. Modo satis sit audire D. P. Chrys. *serm.* 88, ubi ait : « Joannes ergo Eliæ venit in spi-

Joannes simulachrum Eliæ. « ritu, et in ejus virtute graditur, qui to-
« tum victu, vestitu, honore, castitate,
D. Isid. « abstinentia et omnibus Eliam virtutibus
« representat. » D. Isidor. *lib.* 2, *de orig. offic. c.* 15, ubi ait : « Hujus propositi » (nempe vitæ monasticæ) « princeps Elias,
« et discipulus ejus Eliseus fuerunt, sive
« alii Prophetæ, qui habitabant in solitu-
« dine, urbibusque relictis faciebant sibi
« casulas prope fluenta Jordanis. Hujus
« deinde propositi Joannes author extitit,
D. Bon. « etc. » D. Bonavent. *in cap.* 1, *Luc.* inquit : « Propter nimiam conformitatem
Corn. à Lap. « Joannes dicitur Elias. » Et Cornelius a Lapide *super Malach. cap.* 4, *vers.* 5, ait : « Constat simillimos in officio, zelo, præ-
« dicatione, sanctitate fuisse, et fore Eliam,
c et Joannem, quocirca unus sortitur no-
« men alterius. » Sicut ergo ex modo vivendi D. Joannis satis pie et prudenter colligitur, eum coluisse virginitatem, non utcumque, sed ex voto : ita satis pie, et probabiliter idem affirmamus de Magno Elia.

Præcluditur evasio. Nec videmus, quam convenientem rationem disparitatis inter Joannem, et Eliam potuerit Suarez invenire, nisi quod Joannis votum supposuit tempore B. Virginem vovisse castitatem, et consequenter ex eo, quod Joanni tribuamus hoc votum, nihil B. Virgini deperit de primatu. Quod aliter contingeret, si Elias in veteri Testamento castitatem vovisset ; tunc quippe B. Virgo non prima istud votum nuncupasset.

Sed hanc disparitatem infirmare nos docuit ipse Suarez *eodem tom. disp.* 6, *sect.* 3, ubi propositis testimoniis gravium Doctorum, qui dicunt aliquos ante B. Virginem vovisse castitatem, ait : « Ad has objectio-
« nes nihil habeo quod respondeam, nisi Nota
« rem hanc esse incertam, et non admodum
« ad Deiparæ laudes pertinere. Quod enim
« ipsa perfectum votum virginitatis emise-
« rit, ad perfectionem ejus pertinet ; quod
« vero ante ipsam nullus hoc fecerit, ad
« ejus commendationem non admodum re-
« fert. » Sicut ad Deiparæ laudes pertinet, quod Deum ex perfectissima charitate dilexerit ; sed quod nemo ante illam Deum dilexerit ex charitate, ad Virginis commendationem non refert : certum quippe est, plures ante B. Virginis tempus Deum ex charitate dilexisse, ut constat ex dictis *n.* 5. Sed difficultatem hic tactam operosius diluemus *n.* 35.

§ III.

Eadem resolutio fundatur in Scriptura.

24. Licet motivum proxime propositum Aliu urge fund mentu inefficax non sit, sed declaret votum castitatis non repugnasse in antiqua lege ; quia tamen aliquis dicet rem, quam discutimus, historialem esse, et ad factum pertinere, firmandamque proinde esse non tam discursu, quam testimoniis ; idcirco oportet huic probationis generi insistere. Probatur ergo conclusio ex Isai. *cap.* 56, ubi dicitur : Isaï c 56. « Non dicat eunuchus, Ecce ego lignum
« aridum. Quia hæc dicit Dominus eunu-
« chis : Qui custodierint sabbata mea, et
« elegerint quæ ego volui, et tenuerint
« fœdus meum, dabo eis in domo mea, et in
« muris meis locum, etc. » Pro cujus textus intelligentia observandum est primo, sermonem in eo loco esse de eunuchis spiritualibus, ut docent D. Hieronym. et D. Cy- D Hi D. Cy rillus ad eundem locum, D. Basilius *lib. de* D. Ba *vera virginit.* D. Ambros. *in exhortat. ad* D. A *virg.* D. August. *lib.* 4, *contra Faustum, cap.* D. Au *ult.* et communiter alii Patres, et graves Interpretes. Unde Bellarmin. *lib. de Mo-* Bella *nach. cap.* 9, referens interpretationem Petri Martyris, qui locum detorquebat ad veros eunuchos, qui infelices reputabantur apud Judæos ob defectum prolis, subdit : « Sed hæc expositio facile refelli potest.
« Primo quia contraria est antiquis, sanc-
« tissimis, ac doctissimis Patribus, Basilio,
« Cyrillo, Ambrosio, Hieronymo, Augus-
« tino, Gregorio, quibus in re dubia multo
« tutius credi potest, quam uni apostatæ,
« qui mavult Rabinos Judæorum, quam
« sanctos Patres Ecclesiæ sequi. »

Deinde

Eunuchi spirituales in lege veteri.

Deinde observa, quod ut quis dicatur spiritualis eunuchus, non sufficit quod castitatem observet, sed requiritur, quod voto se obliget ad castitatem servandam. Ut enim ipse Bellarminus *eodem lib. cap.* 23, expendens verba Christi Domini Matth. 19 : « Sunt eunuchi qui se castraverunt propter « regnum cœlorum, » optime ponderat : « Ipsa eunuchorum appellatio perspicue « indicat votum ; non enim est eunuchus, « qui solum continet, sed qui non potest « non continere. » Quæ necessitas, et impotentia in eunuchis spiritualibus non est per naturæ vitium, sed per voti obligationem.

Formatur ratio.

Ex his firmatur assertio in hunc modum ; nam Deus in veteri Testamento promittit præmium eunuchis spiritualibus, ut constat ex loco citato Isaiæ, et Patrum expositione : erant ergo in veteri Testamento aliqui spirituales eunuchi ; sed ut quis dicatur eunuchus spiritualis, requiritur quod observet castitatem ex voto, ut proxime prænotavimus : ergo aliqui in veteri Testamento castitatem ex voto observarunt, atque ideo fecerunt votum illius. Idemque argumentum formari potest ex verbis Sapient. cap. 3 : « Felix spado, qui non operatus est per « manus suas iniquitatem, nec cogitavit « contra Deum nequissima ; dabitur enim « ei fidei donum electum, etc. » Nam eandem vim, ac significationem habent, ac locus Isaiæ, ut observant D. Hieronym. Isai. 56, Bellarmin. *ubi supra, cap.* 9, et alii.

Sapient. 3.

D.Hier. Bellarm.

Effugium.

25. Respondebis, quod licet prædictæ loquutiones in Scriptura Testamenti veteris inveniantur ; nihilominus earum sensus non est referendus ad personas veteris Testamenti, sed novi, ad homines videlicet, qui in lege Evangelica emittunt votum castitatis ; his enim recte adaptantur verba Christi Domini proxime relata, et de eis loquuntur Sapiens, et Isaias.

Præcluditur.

Sed hanc responsionem (quæ alias voluntaria est, et petit principium), valide evertunt testimonia allegata. Unde antiquissimus Tertullianus *in libr. de Monog. cap.* 8, affirmat Christum habuisse Moysem, et Eliam suæ transfigurationis comites ob castitatis insignia. *Moysem*, inquit, *et Eliam secum mavult, alterum* (nempe Moysem) *monogamum, alterum* (videlicet Eliam) *spadonem*. Observatque ejus Scholiastes Pamelius *ad cap.* 9, *de cultu fœmin. et ad cap.* 6, *lib.* 1, *ad uxorem*, quod « qui se spadonatui « adsignant, eosdem voluntarios spadones « nuncupat. Quod ad votum continentiæ « haud dubie pertinet virorum. » D. Epiphan. *lib.* 2, *hæresi* 63, ait : « Elias, et Eli- « seus, et Joannes, qui per magnam hanc « formam imitationis Angelorum, recte « secundum Evangelicam Domini ordina- « tionem seipsos propter regnum Dei cas- « traverunt. » De S. Ephrem inquit Salianus *tom.* 4, anno 3123. « S. Ephrem Syrus « Eliam, et Eliseum, et Apostolum Paulum « in eorum numero recenset, qui se cas- « traverunt propter regnum Dei. » D. Anastasius Synaita *in quæstionib. sacræ Scripturæ, quæst.* 66, ait : « Eunuchi qui se « castraverunt propter regnum cœlorum, « hi sunt præclari Apostoli, atque deinceps « fuerunt virgines, et monachi, Joannes « quidem, et Jacobus filii Zebedæi, et post « illos quot millia monasticam vitam agen- « tia, sicut Elias, et Daniel in veteri Testa- « mento. » Joannes Hierosolym. *lib. de instit. monac. cap.* 34, agens de filiis Prophetarum, ait : « Seipsos Deo per virgini- « tatem perpetuam sponte dedicantes, cas- « traverunt prorsus venereis voluptatibus « suas mentes. » Ergo juxta horum Patrum sententiam fuerunt in veteri Testamento aliqui eunuchi spirituales, quibus proinde verba Isaiæ, et Sapientis optime adaptantur, unde non sunt limitanda ad solos novi Testamenti eunuchos, sed omnes comprehendunt in quolibet fuerint statu.

D. Epip. Salian. D. Anas. Sinait. Joannes. Hieroso.

Confirmatur, quia de illis eunuchis loquitur Isaias, quos Christus Dominus laudat illis verbis : « Sunt eunuchi qui se cas- « traverunt propter regnum cœlorum ; » ut observat D. Basilius *in lib. de vera virginit. prope finem*, et D. August. *lib. de sancta virginit. cap.* 24, esseque communem Patrum sententiam, affirmat Michael de Medina *de sacror. homin. continentia, lib.* 3, *cap.* 32. Sed verba Christi significant, exprimuntque aliquos tempore antecedenti se spiritualiter castrasse ; hanc enim vim habet illud verbum de præterito *castraverunt* : ergo tempore antecedenti dabantur aliqui spirituales eunuchi, et hos proinde comprehendunt etiam verba relata Isaiæ. Quod recte observavit Salianus *tom.* 3, *anno* 3031, *schol.* 1, ubi ait : « Videtur Do- « minus non de re tantum futura, sed jam « usitata loqui ; nam octingentis, et am- « plius annis dixerat Isaias 56 : Non dicat « eunuchus, etc. »

Roboratur fundamentum. D. Basil. D. Aug. Michaël de Medina. Salian.

26. Nec satisfacit, si iterum respondeas,

Tertul.

Pamelius.

Alia evasio.

cum nomen eunuchi refertur ad personas veteris Testamenti, solum denotat eas observasse castitatem, non vero ex voto ; quia illud primum sufficit, ut aliquo modo appellentur eunuchi. Non, inquam, hoc satisfacit. Tum quia est responsio voluntaria, et petit principium. Tum etiam, quia eunuchus non est qui continet, sed qui non potest non continere, ut supra vidimus ex Bellarmino ; quæ impotentia in spiritualibus eunuchis provenit ex voto, quo se abdicant potestate contrahendi : cum ergo Patres dicant aliquos homines veteris Testamenti fuisse spirituales eunuchos, palam sequitur, quod senserint eosdem fuisse castos ex veto. Tum præterea, quia Patres eodem modo dicunt Eliam, et Elisæum fuisse eunuchos, quo id affirmant de quibusdam Apostolis, ut liquet ex testimoniis relatis : sed certum est, illos Apostolos observasse castitatem ex voto : ergo idem dicendum est de Elia, et Elisæo. Tum denique, nam Bellarminus, et alii, qui controversias contra hæreticos scribunt, inde probant votum castitatis in lege Evangelica esse licitum, et laudabile, quia Apostoli illud observarunt ; inde vero evincunt Apostolos prædictum votum fecisse, quia sacri Doctores illos appellant *eunuchos :* cum ergo eisdem locis, ipsissimisque verbis appellent eunuchos non solum Apostolos, sed etiam Eliam, et Elisæum, et quosdam alios veteris Testamenti ; sequitur vel istos emisisse castitatis votum, quod intendimus ; vel argumentum contra hæreticos formatum nullius esse momenti. Nam si non obstante, quod Patres dicant Eliam, et Elisæum fuisse eunuchos, eorum verba detorquentur ad solam voluntariam observantiam castitatis absque voto; eadem licentia (quam facile arripient), utentur hæretici, ut dicant Apostolos observasse quidem castitatem, sed sine voto, et in hoc sensu appellari eunuchos. Et si ita dicant, qualiter qui hanc vocem viris veteris Testamenti a Patribus applicatam impropriant, convincent hæreticos illam in Apostolis impropriantes? Protegentur quippe eadem responsione.

Confutatur.

Expenditur gravium Doctorum judicium. Robert.

27. Denique post Patres relatos audiamus alios Doctores graves, qui doctrinam hactenus traditam sua authoritate confirmant. Robertus Parisiensis Doctor, et Præsul Arboricensis, *tom.* 1, *de tuendo sacro cœlibatu, pag. nobis* 31, relatis verbis Christi Domini, *Sunt eunuchi, etc.* subdit : « Eu-
« nuchismus iste necessitatem dicit, non
« naturæ, sed obligationis. Hos nimirum
« Evangelicæ legis eunuchos Evangelicus
« et ipse Propheta Isaias futuros prænun-
« ciavit 56 cap. inquiens : Non dicat eunu-
« chus, etc. Quibus verbis, si quibus aliis,
« designantur castitatem suam Deo devo-
« ventium apud Deum reposita præmia. »
Et post pauca : « Nec suis eunuchis caruit
« veterum Patrum prisca ætas, alioqui
« conjugio, et proli suscipiendæ intenta. »
Et deinde : « Huic catalogo adscribendi
« sunt Elias, et Elisæus, etiamsi rumpan-
« tur ilia stupido Joviniano. Joannes etiam
« Baptista in sua virginitate perduravit,
« quem Christus Dominus venisse asserit
« in spiritu, et virtute Eliæ; sed neque
« dissimili corporis integritate, ac purita-
« te. Hic autem nemo dubitaverit, innu-
« merum Prophetarum chorum, sub Eliæ,
« atque Elisæi signis, abjecta re uxoria, et
« familiaribus curis, imo nec eis vel de
« limine salutatis, cœlibatum diligentis-
« sime coluisse, cum Joannes Baptista fue-
« rit Eliæ quoddam vivum simulacrum,
« Elisæus vero severæ semper abstinentiæ
« antesignanus fuerit. »

Claudius Espenceus *lib.* 1, *de continent.* *cap.* 1, *pag. nobis* 9, docet tempore legis scriptæ nedum licitam, sed laudabilem, Deoque acceptam fuisse virginitatem. Quod confirmat exemplis, additque : *Et plerique alii in Judaismo Prophetæ beatissimi, spirituales eunuchi.* Cla Esp

Franciscus Somnius *de consens. Evang.* *cap.* 5, probat non dari eunuchos spirituales, de quibus loquutus est Christus, absque castitatis voto, et addit : « Dicens autem
« Salvator : Non omnes capiunt, sermone
« particulari innuit aliquos capere : sicut
« bene apprehenderunt verbum istud Eli-
« sæus, Josue, Joannes Baptista, etc. » Fr. S

Ludovicus Ballester Societatis Jesu *in Anamatogr. parte prima, anno* 3 *Regni Joachim, fol. nobis* 430, ait : « Fuisse autem
« Danielem eunuchum ex illo genere, de
« quibus ait Christus Matth. 19 : Et sunt
« eunuchi, qui se castraverunt propter re-
« gnum cælorum, non est dubitandum.
« Qui enim se castrant propter regnum
« cælorum, illi dicuntur, qui a libidinibus
« abstinent, et concupiscentia carnis, ac si
« castrati essent revera. Talem autem eu-
« nuchum Danielem esse, omnium constat
« confessione. » Ludo Balle

Denique Suarez, licet nostræ assertioni contrarius Suar

contrarius, recognoscit eam non leviter fundari in loco citato Isaiæ; sic enim *tom.* 3, *de relig. lib.* 2, *cap.* 1, *num.* 2, ait : « Jam « vero de tempore legis scriptæ habemus « ad id asserendum » (nempe tunc fuisse castitatis votum), « magnum in Scriptu- « ris fundamentum ; nam per Isaiam 56 « Dominus eunuchos consolatur, eisque « promittit nomen sempiternum, quod « non peribit: Eunuchi autem ibi non cor- « poraliter, sed spiritualiter intelligendi « sunt, etc. » Addit idem Suarez *in eo tom. lib.* 9, *c.* 1, *num.* 16, hæc : « Non « dicitur autem juxta propriam, et inten- « tam analogiam illius metaphoræ se cas- « trare ille, qui tantum abstinet a venereis, « vel matrimonio, si semper ad id retinet « potestatem, et liberam voluntatem ; sed « ille qui quantum moraliter potest, fit im- « potens ad humanam generationem. » Cum ergo aliqui in veteri Testamento fuerint spirituales eunuchi, ut constat ex dictis ; sequitur ipsos non tantum abstinuisse a venereis, sed quantum moraliter potest, se fecisse impotentes ad humanam generationem, atque ideo emisisse votum castitatis.

§ IV.

Eadem assertio firmatur in Essenis.

Expenditur tertium assertionis motivum.

28. Esseni, sive Assidæi, fuerunt apud Judæos homines quidam sacratioris vitæ, perfectioris justitiæ, et singularis instituti, Eorum origo non plane constat, et de ea circumferuntur variæ sententiæ, quas docte expendit Lezana *tom.* 1, *anno mundi* 3545. Quod vero maxime floruerint post Eliam, et Elisæum, eorumque instituta sectati fuerint, tradunt frequentius Authores. Sic Genebrardus *lib.* 1 *Chronograph.* ad annum mundi 4272 : « Elisæus, *inquit*, miris, et « inusitatis operibus insignis construxit « cellas prophetis in Jerichuntis solitudine, « manavit institutum, et loci religio ad pos- « teros, fuitque desertum hoc usque ad En- « gaddi ab Essenis habitatum hominibus « continentiæ incredibilis. » Similia scribit Jacobus Zeglerus in descriptione Palæstinæ, in monte Adumim, *pagina* 38 : « In « hujus, *inquit*, solitudinis parte sedit « Eliahu Propheta, et Eliasah construxit « cellas prophetis. Manavit institutum, et « loci religio ad posteros, fuitque desertum « hoc usque ad Engaddi habitatum ab Es- « senis hominibus incredibilis continentiæ. »

Essenorum sanctitas et institutum. Lezana. Geneb.

Zegler.

Et Adrianus Adrianius Societatis Jesu *lib. de orig. Monastices, cap.* 2, ait : « Judæo- « rum meliores Eliæ, atque Elisæi disci- « puli Esseni appellati sunt, atque e vici- « nioribus Engaddi locis totam pervase- « runt Ægyptum, quæ Schiti appellatur, « sanctaque sua conversatione victoriam « adepti sunt Evangelicæ veritatis, haud « dubium post Martyres ipsi Christianorum « spirituales milites, ipsorumque fortissimi. « Unde liquet, hos Essenos, vel Hessenos, « ipsos esse filios Prophetarum, de qui- « bus cap. anteced. dictum est; qui quidem « diversis in locis temporum decursu ad- « modum multiplicati usque ad Christi Do- « mini tempora in prima sua institutione, « vitæque spiritualis amplexu multis anno- « rum centuriis constantissime perstite- « runt, ut infra adhuc liquebit. » Joannes Carthagena Ordinis Seraphici, *lib.* 17, *homil.* 2, *object.* 8, inquit : « Necessario fa- « tendum erit Essenos, etiam ab Elia, et « Elisæo, sive filiis Prophetarum eorum « successoribus promanasse. Quod præte- « rea nominis demonstrat etymologia, » nempe Essenos ab Elisæo fuisse dictos, quasi Elisenos. Quod ibi probat, et addit : « Quæ denominatio placuit etiam doctis- « simo Henrico Enriquez nostri temporis « Authori gravi, ac perdocto, » *in* 2 *tom. lib.* 12, *cap.* 5, *in glossa*, *littera B.* Sed majorem Essenorum notitiam dabimus *n.* 61, 66 *et* 85.

Adrian. Adrian.

Joan. Carth.

Porro prædictos Essenos ante adventum Christi Domini observasse castitatem, et vitam absque uxoribus duxisse, tradunt relati Authores, et alii plures. Audiamus Vasquez, qui rem bene attigit *tom.* 2, *in part. disput.* 124, *cap.* 3 (cui titulus, *Apud Judæos Virginitas in magno honore habita est*), *num.* 41, ubi ait : « Ex ipsis vero Ju- « dæis, et Gentilibus habemus hujus rei « præclarum testimonium; nam Josephus « lib 2 de bello Judaico, cap. 7, et lib. 18 « antiquitatum Judaicarum, cap. 2, Plinius « lib. 5 historiæ naturalis, c. 17, et Solinus « cap. 36 memoriæ prodiderunt, Essenos « absque fœminis, atque omni venere ab- « dicata, in communi societate, non qui- « dem cum ignominia, et infamia, aut tan- « quam legis transgressores, sed summa « cum laude vixisse; cum in Evangelio « multa contra Pharisæos, qui erant alte- « rius sectæ, contra Essenos tamen nihil « scriptum inveniamus. Et quanvis Cardi- « nalis Baronius tom. 1 annal. sub anno

Esseni observabant castitatem.

Vasq.

Nota.

« 64 Christi, non longe a principio, contra « Scriptores Gentiles contendat hanc sec- « tam Essenorum non fuisse antiquissi- « mam apud Judæos, et forsan, si posset, « hoc genus vivendi solis Christianis post « Christum reservaret; tamen authoritate « Josephi convictus non potuit negare eos « ante Christum vixisse, et ita in apparatu « annalium, horum exemplo probat virgi- « nitatem, et castitatem tempore legis an- « tiquæ non vetitam fuisse, sed in magno « honore. »

Formatur ratio. 29. Ex his, quæ communia sunt apud graves Authores, roboratur satis urgenter assertio nostra; quoniam non alia via constat Essenos ante Christi Domini adventum coluisse castitatem, nisi ex testimonio veterum Scriptorum, Josephi, Plinii, et Solini: atqui hujusmodi Scriptores, qui referunt Essenos coluisse castitatem, satis aperte significant prædictos se voto obligasse ad castitatem observandam: ergo eadem certitudine historiali, qua affirmatur Essenos castitatem coluisse, tenendum est, quod eam ex voto observaverint. Major liquet, quia nec Baronius, nec Vasquez, nec alius quis ex Authoribus nostri, et præcedentis sæculi potest affirmare, Essenos duxisse vitam castam, quia id viderit, cum plurium annorum intervallo ab ipsis exulet: affirmat autem, et quidem prudentissime in fide veterum Scriptorum, qui vel Essenos viderunt, vel eorum tempora proxime attigerunt; nam hujusmodi testibus omnis recta ratio dictat fidem in re historiali deberi, ut in limine hujus disputationis observavimus. Consequentia vero etiam constat, quoniam nulla est ratio, ut prædictis testibus fidem adhibeamus in uno, et non in alio, cum sint ejusdem authoritatis, et utrumque eodem tenore affirment. Imo vero dum eorum authoritas in aliquo nutaret, pessum iret in omnibus. Unde vel non est credendum illis affirmantibus Essenos coluisse castitatem, vel credendum est illis asserentibus Essenos observasse castitatem ex voto. Si ergo primum illud ex eorum testimonio admittitur, cur non hoc posterius? Minor denique, in qua poterat esse difficultas, demonstratur; nam Josephus (cui potissimum in hac causa credere videtur Baronius) *lib.* 2, *de bello Judaico*, *c.* 7, refert proprium Essenorum institutum, et inter alia: « Continentiam vero servare, « neque cupiditati succumbere, virtutem « maximam ducerent. Itaque nuptias qui-

Essenorum castitas ex voto. Joseph.

« dem fastidiunt, etc. » Deinde refert nullum ad hoc institutum admitti, nisi juramento se obliget ad illud observandum. « Cumque dignus, inquit, apparuerit, tunc « demum in consortium assumitur. Prius « vero quam incipiat communem habere « cibum, magnis execrationibus adjurat, se « primum colere Deum, etc. » Et infra: « His quidem execrationibus explorant, et « quasi præmuniunt accedentes. » Et inferius: « Illis quidem sacramentis, ac ri- « tibus obligatus, etc. » Unde Cedrenus *in* *compend. histor. in Claudio Imperat.* verba, et mentem Josephi oratione cingens, ait: « Jurant huic divinæ religioni unice usque « ad sanguinem pie, ac reverenter operam « navaturos. » Constat autem, quod juramentum super castitatem cadens æquivalet ejus voto, imo est votum juratum observandi castitatem, ut tradit Sanch. *lib.* 3, *cap.* 9, *n.* 11, *et c.* 13, *n.* 1. Ergo si Josepho creditur, constat Essenos observasse castitatem, non utcumque, sed ex voto.

Cedr

Sanc

Confirmatur primo ex Solino *cap.* 36 *hist.* qui de eorum Essenorum instituto agens affirmat: « Nullus admittitur, nisi « quem castitatis fides, et innocentiæ meri- « tum prosequatur. » Quibus verbis apertissime significavit castitatis votum; nam castitatis fides idem valet, ac votum castitatis; fides enim pro promissione usurpatur, juxta illud Apost. ad Rom. 3: « Num- « quid incredulitas eorum fidem Dei eva- « cuavit? » Hoc est, promissionem Abrahæ factam. Et in hoc eodem sensu inquit Apost. 1, ad Timoth. cap. 5: « Adolescen- « tiores viduas devita; cum enim luxuria- « tæ fuerint in Christo, nubere volunt, ha- « bentes damnationem, qui primam fidem « irritam fecerunt. » Quo loco per fidem significari votum, sive promissionem castitatis, est communis Patrum sententia, ut ex Clemente I, Innocentio I, Tertulliano, Basilio, Hieronymo, Ephiphanio, Augustino, Chrysostomo, Fulgentio, et aliis plurimis, imo ex Concil. Carthag. IV, *can.* 104, et Toletano IV, *c.* 55, luculenter probat Bellarm. *lib. de Monach. cap.* 24. Cum ergo Solinus affirmet in Essenis *castitatis fidem*, plane fit eos solitos fuisse promittere, seu vovere castitatem.

Robo tur i disc sus Solin

Ac Rom.

Ac Tim

Bella

Nec potest quis dicere, prædictam vocem eam vim habere apud Scriptores sacros, et Ecclesiasticos, secus apud prophanos, qualis erat Solinus. Quoniam usitatissimum etiam apud prophanos fuit prædictam vocem

Præc dit effu gium

cem ad eam significationem accommodare. Unde Calepinus (cui circa hæc, et similia standum esse observat Suar. *tom.* 4, *de relig. lib.* 2, *c.* 1, *n.* 24), *verbo Fides*, ait : « Dare fidem idem est, quod sancte promit- « tere. » Idque probat ex Cicerone 2, *de Finibus*, et Virgil. 8 *Æn.* et satis liquet ex communi usu linguæ Latinæ; nam fidem dare, fidem liberare, fidem fallere, idem valet ac promittere, et promissis stare, promissa non servare.

Fulcitur amplius. 30. Confirmatur secundo, quia licet non ita difficulter intelligatur, quod aliqua persona particularis observet castitatem absque voto; tamen quod plures homines in communitate viventes per longa tempora castitatem absque voto observent, vix, aut nullo modo intelligi valet; stabilis enim plurium procedendi modus aliqua obligatione firmari debet, ut inductive potest ostendi in omnibus collegiis, et communitatibus, et liquet ex ipso status vocabulo, quod firmitatem, et immobilitatem exprimit : quæ obligatio, ubi non adest alia lex, provenit ex promissione, aut voto, quo quis se adstringit ad illum communem vivendi modum. Esseni autem vitam communem ducebant in communitate, eamque per plura tempora continuarunt, ut nobis referunt Josephus, et Solinus, quibus addi- Plinius. mus Plinium *lib.* 5 *Histor. natural. cap.* 17, ubi ait : « Ab Occidente littore Esseni « fugitant, gens sola, et in toto orbe præter « cæteras mira, sine ulla fœmina, omni « venere abdicata, sine pecunia, socia pal- « marum. » Et post pauca : « Ita per sæcu- « lorum millia (incredibile dictu) gens « æterna est, in qua nemo nascitur. » Ergo iidem Authores antiqui, a quibus accepimus Essenos observasse castitatem, satis aperte significant eos ad id præstandum se obstrinxisse voto, seu promissione. Præsertim quia si ad cætera sui instituti munia execrationibus, ac juramentis se obligabant, ut Josephus plane affirmat; quo fundamento excipitur illa communis, et continua castitas, quam ipse Josephus, et alii veteres tanquam præcipuam eorum tesseram admirantur ?

Majus robur ex gravium Scriptorum assertis, Confirmatur tertio ex aliis gravibus Authoribus, qui licet Essenorum tempora non attigerint, nihilominus historias Josephi, Plinii, et aliorum veterum edocti, satis aperte significant juxta horum relationem Essenos voto nuncupato perpetuam castitatem coluisse. Sic Baronius *in appa-* Baron.

rat. num. 58, agens de voto B. Virginis, inquit : « Magni certe pretii fuisse apud eos « Virginitatem, jam superius, cum egimus « de Pharisæis, satis diximus. Laudantur « in hac parte apud eos Esseni, qui ducen- « tes vitam sine uxore, perpetuæ se conti- « nentiæ mancipabant. » Non tantum asserit, Essenos castam, et sine uxore duxisse vitam, sed *perpetuæ se continentiæ mancipasse* Hæc autem verba significant castitatem vovere, seque illi observandæ sacrare, ut recte notat Canisius *lib.* 1 *de Deipar. cap.* Canis. 14. Prosequitur doctus Annalista, et *num.* 60, agens de voto, quo B. Joseph se ad servandam castitatem obstrinxit, ait : « Quid- « ni præstaret hoc (castitatis videlicet vo- « tum) justus, quod Pharisæi ad præscrip- « tum tempus, et Esseni in perpetuum ea « ætate observabant ? » Sentit ergo Essenos nedum observasse, sed vovisse etiam castitatem.

Robertus Arboricensis *de tuendo sacro* Robert. Arboric. *cœlibatu, tom.* 1, *fol. nobis* 18, ait : « Ante « Christi adventum emersit certa aliqua « professio virorum, qui sibi quisque, suis- « que successoribus perpetui cœlibatus « legem indicerent, atque imponerent. Qui « Josepho oculato testi, Plinio vero aurito « tantum, Esseni dicti sunt. » Indicere autem, aut imponere sibi cœlibatus legem, plane significat necessitatem, sive obligationem ortam ex voto. Et *tom.* 2, *fol. nobis* 74, addit : « Ex Josepho, atque aliis pro- « batis Authoribus constat, Essenorum « familiam insignis fuisse continentiæ, « qualis est quæ ordini monastico congruit. « Floruerunt autem hujusmodi instituta « tempore Machabæorum, ante Christum « natum annis plusquam trecentis. » Castitas autem, quæ congruit monastico ordini, est continentia voto obsignata, ut ex se liquet.

Doctissimus Soto *in* 4, *dist.* 30, *quæst.* 2, Soto. *art.* 1, agens de castitate, ejusque voto, inquit : « Veritas hæc multis Prophetarum « exemplis comprobatur. Isaias namque, « Elisæus, et Hieremias, ut Hieron. lib. 2, « contra Jovinianum author est, compla- « resque alii a re uxoria se prorsus abdi- « carunt, circumeuntes (uti ait Paulus ad « Hebr.) in melotis, et in pellibus caprinis, « in solitudinibus oberrantes, et in spelun- « cis et cavernis terræ. Et Josephus, ac So- « linus referunt ante Christi adventum « Essenorum collegium in deserto Judææ « more nostrorum Anachoretarum sanc-

« tissimam deguisse vitam ab uxoribus « prorsus, et ab omni fœmineo conspectu « semotissimam, quorum institutum sequu- « tus est Joannes Baptista. Unde quamvis « nullam aliam habuisset B. Virgo revela- « tionem, exemplum in sua gente haberet « virginitatis colendæ. » Et licet in fine articuli subdubitet, et negare videatur castitatis votum ante B. Virginem; nihilominus potest exponi, quod ante sacram Virginem tale votum non fuerit in fœminis ; unde Vestalium vota, tanquam non religiosa signanter excludit. At in verbis relatis satis aperte significat, quod Esseni ex Josephi, et Solini sententia castitatem vovebant; id quippe aperte manifestat illud : « More « nostrorum Anachoretarum sanctissimam « deguisse vitam ab uxoribus prorsus, et ab « omni fœmineo aspectu semotissimam. » Eisdem enim verbis, si quibus aliis, significaremus castitatem votivam hominis religiosi. Quod magis confirmat Soto, dum addit B. Joannem Baptistam sequutum fuisse Essenorum institutum; nam Joannes castitatem observavit ex voto, ut ex Suario vidimus *num.* 23. Non solum sententiam, sed verba etiam Soti transcribit perdoctus Ferdinandus Vellosillo Episcopus Lucensis *in advertent. Theolog. ad S. Ambros. quæst.* 13. Et hic interim observet Lector, Joannem Baptistam fuisse ex instituto Essenorum, quod præter duos Authores proxime allegatos alii plures affirmant. Qui vero fuerint principales Essenorum duces, ac magistri, constat ex dictis *num.* 28.

Nota.

Denique ut argumentum hoc absolvamus, addit Jacobus Boulduc *lib.* 1, *de Ecclesia ante legem, cap.* 13, *pag.* 85, hæc : « Con- « sulto credit Abulensis ab Essenis libenter « Christi receptam doctrinam, quos nec « verbo quidem Christus reprehendisse un- « quam legitur, cum Pharisæos, et Saddu- « cæos creberrime, asperrime, justissimeque « arguerit. Imo propter piissimum, sanctis- « simum et antiquissimum filiorum Dei ad « Christum venturum naturalem Dei filium « analogiam habens institutum, tandiu, « tamque fideliter observatum in eis, facile « crediderim Christum ipsum, et Joannem « ejus præcursorem Essenorum duxisse « vitam, ut ex mox dicendis apparebit cre- « dibile. » Et hoc quantum ad Christum Dominum omnis perfectionis exemplar, et causam attinet, intelligat Lector solum secundum quandam piam similitudinem fuisse a bono Authore dictum. Præsertim cum vovere non conveniat Christo, « qui « etiam in quantum homo, habet voluntа- « tem firmatam in bono, quasi comprehen- « sor existens, » ut recte vidit D. Thom. *in hac* 2, 2, *q.* 88, *art.* 4 *ad* 3.

Boulduc.

D.

§ V.

Roboratur eadem assertio gravium Doctorum authoritate.

31. Quamvis hactenus dicta veritatem nostræ resolutionis satis evincere videantur, placet tamen adjicere virorum gravium judicia, qui eidem subscribunt. Plures jam dedimus, sed supersunt alii, quorum verba transcribemus. Et licet eorum aliqui idiomate Hispano scripserint, sententias in Latinum omnino fideliter convertemus, ne paginæ vernacula, et aliis non pervia lingua onerentur, quod in tota disputatione observare curabimus. Primus sit D. Isidorus Hispaniarum Doctor egregius, qui *lib.* 2, *de Officiis, cap.* 15, inquirit : « Unde ad « monachos studium defluxerit pauperta- « tis? » Et respondet : « Quantum pertinet « ad authoritatem veterum Scripturarum, « hujus propositi princeps Elias, etc. » Pergit deinde, et *cap.* 17, inquit : « Nunc au- « tem quæ sit sacræ virginitatis integritas, « vel a quo tam sancti propositi sumpsit ex- « ordium, breviter intimabo . Quantum « enim pertinet ad vetus Testamentum, « Elias, et Hieremias, et Daniel castitatis, « et continentiæ votum primi constituisse « dignoscuntur, etc. » Et quod loquatur de castitate voto obsignata, liquet satis manifeste : primo quia agit de castitate monachorum : secundo quia illam vocat *sacram*, seu sacratam; votum enim est, quo res Deo sacratur, unde sanctimoniales *Deo sacræ*, stylo Ecclesiæ appellantur.

D.

Idem, et ob eandem rationem exprimunt verba D. Althelmi, quem supra allegavimus *numero* 9.

Elias vates, quem terna volumina regum
Insignem memorant, etc.
Virgo sacer fuerat fama per secula notus.

Joannes Hierosolymitanus, qui tempore S. Hieronymi vixit, *in lib. de Institut. Monach. cap.* 9, ait : « Elias nempe ut per « puritatem castitatis, et incorruptionem « suæ carnis æquaretur Angelis ad conser- « vationis imitationem, seipsum propter Deum

« Deum virginitate perpetua primus homi-
« num decoravit. » Ibidem etiam de Elia, et Elisæo, eorumque discipulis ait : « Ipsi
« namque primi virorum seipsos Deo per
« virginitatem sponte dicantes, etc. » hoc est, consectantes, et devoventes.

Trith. Joannes Trithemius Benedictinus *in lib. de laudib. Carmelitar. cap.* 2, inquit : « Fra-
« tres Carmelitæ sancti Principis Eliæ
« exemplo instructi ad perpetuam se casti-
« tatem voto religionis obligant. » Quibus verbis aperte supponit, votum castitatis in exemplari, Elia videlicet, præcessisse.

Chetov. Jodocus Clictovæus *tom.* 2, *Homil. hom. penult.* ait : « Virginitatis perpetuo servan-
« dæ votum ab Elia ortum habet. »

Joan. Suarez. Joannes Suarez Illustrissimus Episcopus Conimbricensis, *in Matth. cap.* 2, *tit.* 1, introducit sacram Virginem, quæ Angelo Incarnationis mysterium annuncianti respondet : « Etsi sim desponsata, votum ha-
« beo virginitatis. » Additque Episcopus :
« Habebat enim exemplum in Elia, et Eli-
« sæo. » Et deinde infert : « Licebat igitur,
« prout ex præcedentibus liquet, vota emit-
« tere, et castitatem servare, quod semper
« laudabile fuit. »

Gravina. Sapientissimus Gravina *in voce Turturis, part.* 2, *cap.* 15, ait : « Mons (de Carmelo agit), vere celeberrimus, in quo fructuo-
« sus ille palmes Helias commoratus, soli-
« tariam ab hominum consortio semotam
« professus est vitam, quem primum colen-
« dæ virginitatis authorem Patres, et Doc-
« tores appellant. »

Carolus Tapia *in Authent. Ingressi, C. de sacrosanct. Eccles. cap.* 17, habet : « Elias
« primus castitatem ex regula servavit. »
Quid est, *ex regula*, quam ex obligatione voti ?

Vincent. Baron. Vincentius Baronius *tom.* 2 *Homil. serm. de S. Theresia, fol.* 341, ait : « Elias
« tempore legis scriptæ cœpit practicare
« eminentiorem perfectionem Evangeli-
« cam. Vota fecit castitatis. »

Thom. Ferrar. Thomas Ferrarius Jesuatus Bononiensis *in hist. Imaginis B. V. Mariæ montis de la Guardia*, affirmat : « Elias ad honorem
« Beatæ Virginis emisit votum in Carmelo
« virginitatis perpetuæ. »

Camart. P. Ægidius Camartus Generalis sacri Ordinis Minimorum, *de gestis Eliæ, lib.* 6, *sect.* 8, docet Prophetarum quædam collegia, quæ Eliam præcesserunt, non fuisse obstricta legibus cœlibatus. « Elias vero, » inquit ipse, « continentiæ statum et sibi,
« et suis indixit. »

Onuph. Saltus. Onuphrius Saltus Valentinus, et Prior Conventus Barchinonensis Ordinis Servorum B. Mariæ, *in vita S. Onuphrii Regis, cap.* 18, ait : « Elias monachus fuit, et pri-
« mus qui inter homines votum fecit cas-
« titatis. »

Valder. Valderrama *in Theatro Relig. sermone de S. Propheta Elia*, observat aliquos ante Eliam castitatem observasse, et subdit :
« Sed certe Elias primus fuit, qui ex voto
« virginitatem custodivit, et ipse in veteri
« Testamento suos religiosos docuit, ut
« eam observarent. »

Tenas. Doctissimus Tenas in Academia Complutensi Primarius Theologiæ Professor, in Toletana Ecclesia Canonicus Bibliorum interpres, et Episcopus Dertonensis, satis notus eruditis Commentariis *in Epistolam ad Hebr. in serm. S. Theresiæ*, Matriti impresso anno 1625, inquit : « Sacra Carme-
« litarum religio ortum trahit a Propheta
« Elia, qui primus hominum castitatem
« vovit. »

Cœlest. Cœlestinus a monte Marsano, sacri Ordinis Capucinorum, *in Arcanis Scripturæ sacræ, observat.* 79, inquit : « Elias primus
« omnium mortalium votiva se castitate
« insignivit. »

Nicol. Causin. Nicolaus Causinus sacræ Societatis, et Confessarius Regis Christianissimi, *in* 7 *parte Curiæ sanctæ*, ubi agit de Elia, inquit :
« Ipse fuit primus homo, qui vexillum
« virginitatis erexit, illam corpore suo
« consecrando, cum non cognoscebatur,
« sed parvi fiebat in mundo. » Alios plures dabimus *num.* 104.

Roboratur Nazaræorum exemplo. 32. Confirmatur, quia aliqui Doctores docent aliquos Nazaræos vovisse castitatem ; hi enim plane sentiunt castitatis votum fuisse aliquando in veteri Testamento, et sic intelligunt locum Numer. quem *numero* 21 allegavimus : « Vir, sive mulier,
« cum fecerit votum, etc. » Unde D. Joan-
D. Joan Damasc. nes Damascen. ibi relatus ait : « An non
« denique lex ingens votum castitatem nun-
« cupavit ? » Et D. Chrysostom. *tom.* 2,
D. Chrys. *hom.* 4, *de vigil. Epiphan.* inquit : « Naza-
« ræi secundum legem nuncupabantur,
« qui castitatem Deo insigni voto manci-
« pabant. » Hugo Cardinalis ad locum ci-
Hugo Cardin. tatum Numer. « In voto eorum erant multi
« articuli religionis, inter quos amplexi-
« bus mulierum non vacabant. » Claudius

Claudius Espenc. Espenceus *lib.* 1, *de continent. cap.* 1, inquit : « Nazaræi quoque castitatis Deo « magno, insignique voto consecrati, ac « mancipati. » Porro fuisse Nazaræatus votum in aliquibus perpetuum, docent Abulens. Lyra. Tenas. Abulensis *in cap.* 3, *Judic. q.* 12 *et* 17, Lyra, et Hugo *ad loc. cit.* et Tenas *in epist. ad Hebræos, cap.* 11, *diff.* 27. Pro qua sententia refert Sylveira Origenem, Albertum Magnum, Waldensem, Christophorum a Castro, Marium, Tyrinum, et alios. Vi- Lorinus. Cornel. a Lapide deantur Lorinus *ad locum cit. Numer.* et Cornelius a Lapide *in cap.* 4 *Threnor. num.* 7. Et licet prædictæ sententiæ non plane subscribamus, quia magis deferimus Authoribus *num. præced.* relatis, qui affirmant Eliam fuisse primum, qui castitatem vovit; Authorum tamen pondus adjicimus, qui vel in materia relata nostræ assertioni subscribunt.

§ VI.

Refertur sententia contraria, et ejus motiva eliduntur.

Opinio adversa. Vasq. Suarez. Barrad. Sherlog. Communia argumenta. 33. Oppositam ultimæ nostræ assertioni sententiam tuentur Vasquez *tom.* 2 *in* 3 *part. disp.* 124, *cap.* 5, *num.* 88, Suarez *tom.* 2 *in* 3 *p. disp.* 7, *sect.* 3, Barradas *tom.* 1, *in Evang. lib.* 7, *cap.* 8, *num.* 30 et alii plures, quos refert et sequitur Sherlogus *tom.* 2 *in Cant. cap.* 2, *vers.* 4 *et* 5, *vestigat.* 20, *sectione* 2. Quæ sententia potest probari *primo*, quia in lege veteri tenebantur homines propagationi generis humani incumbere : ergo eo tempore virginitas prohibebatur, atque ideo non erat materia voti. *Secundo*, quia in veteri lege omnia erant imperfecta, et contingebant in figura, ut frequenter ex epistolis Pauli edocemur : sed votum castitatis est perfectio quædam non levis : ergo non fuit in veteri lege. *Tertio*, quia ad perfectionem legis evangelicæ pertinet, quod pro illius tempore reservetur res adeo eximia, et difficilis, qualis est castitas voto obsignata : ergo castitatis votum non debet admitti in tempore antecedenti.

Eorum enodatio remissive. Sed hæc non urgent. Ad primum constat ex dictis § 1, ubi ostendimus virginitatem fuisse tempore legis scriptæ licitam, et ab aliquibus Sanctis observatam. Ad *secundum* patet ex dictis *num.* 7 et 16. Et si aliquid argumentum valeret, probaret quod ante legis evangelicæ tempus non fuerit vera sanctitas, et justitia : quod est hæreticum, ut fuse locis relatis ostendimus. Ad *tertium* respondemus, ad perfectionem legis evangelicæ pertinere, quod in ejus tempore inveniatur votum castitatis; sed ad prædictam perfectionem non requiri, quod ante legis evangelicæ tempus nemo virginitatem promiserit : sicut ad legem evangelicam pertinet habere gratiam, fidem, spem et charitatem, quæ longe præstantiora sunt virginitatis voto; et tamen hæc fuerunt ante legis evangelicæ tempus, ut fuse ostendimus *dub.* 1. Unde nullum efficax argumentum a ratione desumptum contra assertionem nostram formari valet, ut nobilis Suarii intellectus vidit, et ingenue fassus est *loco cit.* his verbis : « Rationes ad « hanc sententiam (suam videlicet), con- « firmandam nullæ fere possunt adduci, « cum res potissimum pendeat ex histo- « ria. » Eadem moderatione se gessit Barradas *ubi supra;* nam cum affirmasset Eliam, et quosdam alios observasse virginitatem in veteri Testamento, ait : « Obji- « cies illa Ecclesiæ verba. Sola sine exem- « plo placuisti Domino. Ex quibus colligi- « tur ante B. Virginem nullum virginitatis « exemplum extitisse. Respondemus ante « Virginem exemplum præcessisse Eliæ, « et reliquorum : incertum est, an præces- « serit exemplum fœminæ alicujus : in- « certum etiam, an præcesserit exemplum « voti. Verba illa aliùm habent sensum, « etc. »

34. Relictis ergo aliis levibus motivis, probatur hæc sententia magis gravi fundamento; quoniam juxta communem Sanctorum Patrum sententiam B. Virgo fuit prima inter omnes creaturas, quæ emisit virginitatis votum : ergo nemo ante sacram Virginem prædicto voto se obstrinxit. Consequentia patet. Et antecedens latissime probat Sherlogus *loc. cit.* ubi innumera Patrum testimonia congessit, ex quibus selectiora, difficilioraque referemus. Origenes *in c.* 13 *Matth.* ait : « Arbitror ra- « tioni consentaneum esse, virilis quidem « puritatis in castitate primitias fuisse « Jesum, muliebris vero Mariam; non « enim plausibile est alii præter hanc vir- « ginitatis primitias adscribere. » D. Ambros. *de instit. Virgin. cap.* 5, inquit : « Egregia igitur Maria, quæ signum sacræ « virginitatis extulit, et intemeratæ inte- « gritatis pium Christo vexillum levavit. » D. August. *tract.* 10, *in Joan.* sic ait : « Unde fratres Domino? Num enim Maria

Pri pa ar mei

Ori

D.

D

iterum

« iterum peperit? Absit. Inde cœpit di-
V. Beda. « gnitas virginum. » V. Beda *in cap.* 1 *Lucæ, lib.* 1, inquit : « Propositum suæ « mentis reverenter exposuit, vitam vide- « licet virginalem se ducere decrevisse. « Quæ quia prima fœminarum tantæ se « virtuti mancipare curavit, jure singulari « præ cæteris fœminis beatitate meruit
D. Bern. « excellere. » D. Bernard. *hom.* 2, *super Missus est*, inquit : « Novum quidem canti- « cum illud, quod solis dabitur in regno « Dei cantare virginibus, ipsam virginum « reginam cum cæteris, imo primam inter « cæteras esse cantaturam, nemo est qui « ambigat. » Et *sermon. de verbis Apocalyps.* qui incipit : « Signum magnum apparuit in cælo, » hæc habet : « Sic et in his quoque « sidereum plane irradiat decus, quod vir- « ginitatis primiceria, quod sine corrup- « tione fœcunda. » Et inferius : « De cætero « sane et virginitatem carnis, et proposi- « tum virginitatis, et ipsius quoque propo- « siti novitas evidenter illustrat, quod vide- « licet in libertate spiritus legis Mosaicæ « decreta transcendens, illibatam Deo cor- « poris simul, et spiritus sanctimoniam
Rupert. « vovit. » Rupertus *in Cantic. cap.* 4, *lib.* 3, ait : « Hoc scientes dicunt, et vere dicunt « amici, quia votum egregium Dei prima
Richard. a S. Laurent. « vovisti, votum virginitatis. » Richardus a S. Laurentio *de laudibus Beatæ Mariæ, lib.* 3, § *Duodecim privilegia Mariæ*, inquit : « Prima igitur Mariæ prærogativa « secundum B. Bernardum est, quod ipsa « fuit virginitatis primiceria. Bartholo- « meus enim Apostolus dicit manifeste, quod « prima vovit virginitatem. Et ideo prima, « quia ante illam nulla. » Idem D. Bar-
B. Bon. tholomæi testimonium refert S. Bonavent. *lib* 1 *Pharetræ, c.* 5, *de B. Maria*, his verbis : « B. Bartholomæus, ut habetur in « legenda, asserit : Hæc prima inter fœmi- « nas hoc constituit in corde suo, ut diceret « Deo : Domine, offero tibi virginitatem « meam : cum hoc a nullo homine nec « verbo didicisset, nec exemplo ad imita- « tionem invitata fuisset. » Denique, ut
D. Epip. Damasc. D. Ildep. Sap. Idiota. D. Ansel. Tota Ecclesia. prolixitatem vitemus, Divus Epiphanius Mariam appellat *initium, et principium virginitatis.* Damascenus *Reginam, matrem, et gloriam virginum.* Divus Hildephonsus *Caput, et exemplar virginitatis.* Sapiens Idiota *Virginitatis primipilam.* Sanctus Anselmus *Matrem virginitatis.* Et tandem tota Dei Ecclesia *Virginem virginum.*

Patribus adnumerat Sherlogus graves alios Authores, ut Albertum Magnum, Waldensem, Medinam, Sylvium, Viguerium, Galatinum, et alios, eosque tam certo pro sua sententia pugnare existimat, quod addit : « Sed longum omnium verba recen- « sere ; cantant tamen pari gutture uni- « versi, quos referemus. Experimentum « capiat incredens fontibus rimatis. » Verum enimvero non potuimus omne experimentum capere, quia aliquibus fontibus destituimur. In nonnullis autem, quos adire licuit, non plane fuimus experti quæ Sherlogus offert, ut paucis ostendere possumus. Allegat ipse B. Albertum *super* B. Alb. *Missus est, cap.* 182. At hic liber, qui reperitur in ultima editione Lugdunensi *tom.* 20, non constat capitibus, sed quæstionibus. Rursum *in quæst.* 182, quæ capiti a Sherlogo relato correspondet, nec verbum quidem invenitur, quod ad rem faciat. Allegantur plures Authores, et quam fideliter.

Refert etiam Waldensem *tom.* 2, *de Sa-* N. Wald. *cramentis cap.* 30, sed nihil ibi dicit de voto virginitatis. Nec sententiam Sherlogi docere potuit N. Thomas, qui *tom.* 1 *doctrin. fidei antiquæ, lib.* 3, *art.* 1, agens de votis monasticis, ait : « Quæ quamvis sint jam « essentialiter requisita in omni religione « perfecta, non sic tamen antiquitus » (hoc est ante statum legis gratiæ, ut liquet ex textu) « sed alii quædam, alii unum, alii « universa observabant. De quo inferius. »

Perdoctus Magister Bartholomæus de Me- Medina. dina, quem allegat *in* 3 *p. q.* 28, *art.* 4, magna moderatione procedit, recognoscens nostræ sententiæ probabilitatem, his verbis : « Demum dico esse valde probabile, « quod B. Virgo inter mulieres fuit prima, « quæ virginitatem suam Deo voto conse- « cravit. Imo qui diceret fuisse primam « omnino, verisimiliter loqueretur. » Quinimo perdoctus hic Magister oppositum significat, 1, 2, *q.* 100, *art.* 4, *in fine*, ubi recenset imperfectiones veteris legis, et recte observat : « Sed ex hoc non inferat Theolo- « gus, quod viri justi, et sancti in antiquæ « legis statu non haberent ex instinctu « Spiritus sancti consilia a Deo tum virgi- « nitatis, tum obedientiæ, etc. » Ibique ex D. Hieronymo probat Eliam, Elisæum, et Joannem Baptistam « a matrimonio abstinuisse, et vitam cœlibem duxisse. »

Minus adhuc asserit Sylvius in eodem Sylvius. loco allegatus : « Ex his, *inquit*, patet « B. Mariam non fuisse primam, quæ vir- « ginitatem servavit. Primam tamen vo- « visse tradunt Beda in Lucam, Rupertus »

lib. 3, *in Cant. Origen. in* 13, *Matth. et alii.* Hæc, et non plura habet Sylvius, in quibus nihil affirmat, sed aliorum sententiam refert.

Viguer. Allegat præterea Viguerium *Theolog. Instit. p.* 20, § 9. Sed Author iste solum docet, quod sacra Virgo prima inter fœminas virginitatis votum nuncupaverit : « Hæc « autem, *inquit*, Virgo per antonomasiam « nuncupatur. Ideo dicitur Virgo virginum, « quia fuit prima inter mulieres, quæ vovit « virginitatem inspiratione divina. »

Galat. Idem, et non amplius, affirmat Galatinus, in loco, quem refert Sherl. *lib.* 7, *de arcanis cathol. c.* 14, ibi : « Ex hac, *inquit*, « traditione manifeste datur intelligi, quod « causa quare Messias non magis accelera- « vit adventus sui tempus, fuit conscientia- « rum virginum Judaicarum corruptio, quæ « omnes fere vel per conjuges, vel per alios « deflorari cupiebant. Sola ergo Maria « Virgo beatissima, quæ sola inter cæteras « omnes se virginitatem perpetuo servatu- « ram proposuit, Messiam concipere me- « ruit. » Ex his facile dignoscet prudens Lector, quid de aliis Authoribus præsumi debeat. Coucedimus tamen eorum non paucos, præsertim ex recentioribus, nostræ refragari sententiæ.

Confirmatio præcedentis motivi. Roboratur idem fundamentum, quia B. Virgini deferendum est quidquid auget majorem ipsius dignitatem, et gloriam : sed quod ante ipsam nulla creatura voverit virginitatem, ad majorem ejus dignitatem, et gloriam spectat, cum ei deferat primatum in re satis excellenti, et difficilli : ergo credere oportet, quod ante B. Virginem nemo voverit virginitatem. Et urgetur ; nam quod Christus suæ matri hanc non disposuerit, aut concesserit prærogativam, provenit ex eo, quod vel noluit, vel non potuit : neutrum autem horum dici valet ; primum enim derogat maximo Christi amori erga suam matrem ; posterius vero maximæ ipsius potentiæ : ergo omnino fatendum est, quod B. Virgo fuit prima creatura, quæ votum virginitatis emisit.

Augmentum difficultatis.

Robur argumenti multipliciter infringitur. 35. Hoc est validius, et fortasse unicum hujus sententiæ argumentum. Sed priusquam illi occurramus, oportet nonnullos ejus defectus detegere ; inde enim illius vires plurimum concident. Nam *in primis* hoc motivum nostræ assertioni non adversatur, quæ tantum affirmat aliquos ante legis Evangelicæ tempus vovisse castitatem, ut statuimus *num.* 22. Quando autem B. Virgo emisit votum virginitatis, durabat tempus, et status legis scriptæ, et nondum incœperat lex Evangelica. Ipsa quippe in Pri omnium sententia prædictum votum nuncupavit ante Angelicam Annuntiationem, idemque cum inferiori certitudine est dicendum de voto castissimi sponsi Joseph. Tantum ergo abest, ut prædictum argumentum nostram assertionem evertat, quod potius evincat aliquos ante legis Evangelicæ statum fuisse castos ex voto. Et hoc dato, qualiter subsistent illa inconvenientia, quæ ex imperfectione legis antiquæ repræsentantur, qualia descripsimus *num.* 33.

Præterea, Patres qui allegantur, attri- Secu buunt B. Virgini primatum absolutum virginitatis ; et pauciores sunt, qui prædictum primatus elogium ad virginitatem ut per votum determinatam restringant, ut ex eorum lectione facile constat, præsertim vero ex Origene, qui affirmat, primitias virilis puritatis fuisse Jesum, muliebris vero Mariam ; nam Christus Dominus votum non emisit castitatis, ut ex D. Th. vidimus *num.* 30 *in fine*. Atqui Patres, cum absolutum virginitatis primatum sacræ Virgini tribuunt, non significant neminem ante ipsam virginitatem coluisse, cum potius oppositum communiter doceant, ut constat ex dictis *n.* 19. Ergo pariter illi, qui affirmant B. Virginem fuisse primam, quæ virginitatem vovit, non loquuntur de primatu temporali, nec negant alias tempore antecedenti virginitatem vovisse, sed deferunt sacræ Virgini alium excellentiorem primatum, quem infra declarabimus.

Deinde Patres, sicut tribuunt sacræ Vir- Ter gini primatum voti virginitatis ; sic etiam in ea prædicant primatum charitatis, humilitatis, fidei, ac cæterarum virtutum, perfectionum, et bonorum, quæ in omnibus aliis justis reperiuntur. Unde D. Augst. sermone 28 de Sanctis : « Autrix D. A « (hoc est principium) peccati Eva, auctrix « meriti Maria. » D. Bern. *serm.* 1 *super* D. H Salve Regina : « Origo fontium, et flumi- « num mare ; virtutum auctrix, et scien- « tiarum scientia sanctarum Maria. » D. Joan. Damasc. *Orat.* 1, *de dormit. B. Mariæ* D. J ait : « Uberrima benedictionis scaturigo, Dan « quæ nobis bonorum causa, et parens « extitisti. » Chrysippus Hierosol. *serm. de* Chry *Deipar. tom.* 6 *Biblioth. part.* 2, scripsit : Hie « Ave radix omnium bonorum, » Germanus Constantinop. *serm.* 2 *in Mariæ dormit.* Ger hæc habet : « Nisi tu præires, nemo spiri- Con

tualis

« tualis evaderet, nemo in spiritu Deum « adoraret. » Et infra : « Nemo Dei cogni- « tione repletus est, nisi per te, o Sanc- D. Bern. « tissima. » D. Bernardinus *tom.* 3, *serm.* 11, *art.* 2, *c.* 3 inquit : « Spiritus sanctus « in hac officina, et per eam fabrefecit « quidquid in gratia mirificum operatur. » Quod facile ostenderemus adductis aliorum testimoniis. Et tamen inde nemo colliget, quod ante B. Virginem nullus habuerit ea bona, aut coluerit prædictas virtutes ; oppositum enim constat manifeste ex dictis *num.* 5. Colliget autem, et merito, atque efficaciter B. Virginem habuisse omnes virtutes in gradu excellentissimo, et fuisse omnibus aliis exemplar ad exercenda virtutum opera. Idem ergo intendunt Patres, qui dicunt B. Virginem fuisse primam in nuncupando votum virginitatis.

Quarto. *Insuper*, prædictum fundamentum, cum excellentiam B. Virginis in hac materia exaggerare videatur, illam revera deprimit, et coangustat. Nam longe majus est, quod votum sacræ Virginis fuerit exemplum et in lege evangelica, et in lege scripta influens, habensque in utriusque statu effectus ex sua imitatione ortos, vota videlicet castitatis, quam quod præcise influxerit in solo legis evangelicæ tempore. Sicut exemplo Christi Domini in utroque statu influentis in gratiam, et virtutes justorum liquet, et explicuimus *num.* 9, ampliusque declarabimus infra, *num.* 39.

Quinto. *Tandem* licet daremus omnes Patres, quos allegat Sherlogus, loqui in sensu, quem ipse intendit, adhuc tamen non convinceret esse communem Patrum sententiam, quod nulla creatura ante B. Virginem votum virginitatis emiserit. Nam Patres omnes, quos prædictus Author tam studiose congessit, non sunt omnes Ecclesiæ Patres ; alii enim non pauci nostram tuentur sententiam, ut liquet ex dictis *a num.* 22, et alios plures dabimus *dub.* 7, Constat ergo, fundamentum propositum non tantas habere vires, quantas aliqui in eo repræsentant. Videamus ulterius qualiter diluatur.

Adhibetur prima argumento solutio. 36. Sunt qui respondeant, omnia testimonia supra allegata eo tendere, ut B. Virgo sit prima in tempore, quæ inter fœminas votum fecerit virginitatis ; sed non negare, quod virorum aliquis eam voverit ante illam. Sic conciliare putant Patres, quorum aliqui affirmant nonnullos in veteri Testamento vovisse castitatem, et fuisse spirituales eunuchos, ut *a num.* 22 ostendimus : alii vero asserunt B. Virginem fuisse primam, quæ votum virginitatis emisit ; nam hi loquuntur facta comparatione ad mulieres. Et quidem ex Patribus allegatis ita significat Origenes, Origen. Beda. *Muliebris vero Mariam.* Beda, *Prima fœmi-* D. Bern. *narum*, et *Præ cæteris fœminis.* D. Bernard. D. Bart. *Primam inter cæteras.* Et D. Bartholomæus in testimonio quod ab aliis refertur, *Et ideo prima, quia ante eam nulla*, ut legenti eorum authoritates constabit. Quos imitatur D. Bonavent. *in* 4, *dist.* 30, *quæst.* 2, ubi D. Bon. ait : « Decuit Virginem Deo virginitatem « vovere, ut esset mulieribus totius virgi- « nitatis exemplum. Sicut enim Deus Chris- « tum viris proposuit in exemplum, sic « ejus Matrem proposuit in exemplum « mulieribus. » Et ex Authoribus *num.* 34 allegatis idem exprimunt Medina, Vigue- Medina. Viguer. rius, et Galatinus, ut eorum verba repræ- Galatin. sentant, quibus addimus Nazarium 3 *p.* Nazar. *quæst.* 28, *art.* 4, *in solutione* 1 *quæsiti.* Et hæc videtur etiam sententia Abulensis *in* Abulens. *cap.* 30 *Numer. quæst.* 12, cujus verba refert Sherlogus *loco. cit. num.* 34, et sic se habent : « In veteri Testamento in mulieribus non « reperitur observatio virginitatis cum vo- « to, aut sine voto, sed omnes accipiebant « viros. Domina autem nostra fuit prima, « quæ virginitatem observavit, et vovit. « De viris autem magis reperitur ; nam « quanquam non habeatur expressum vo- « tum virginitatis, patet tamen, quod ali- « qui observaverint illam, sicut fuit Hie- « remias, etc. »

Judicium de præmissa responsione. 7. Cæterum huic responsioni (quæ aliunde ad veritatem nostræ assertionis sufficeret), non subscribimus : tum quia congruentius existimamus omnia Patrum testimonia uniformiter exponere, ut fieri potest, et infra præstare curabimus : tum quia exploratum non est, quod nullæ fœminæ in Testamento veteri virginitatem promiserint. An fœminæ aliquæ in veteri lege voverint castitatem. Imo vero quæ pro nostra assertione expendimus, verosimiliter queunt ad fœminas etiam extendi. Nam locus Numer. *Vir, sive mulier, cum fecerit votum, etc.*, utrumque sexum comprehendit, ut ibidem observat Leon. Marius. Locus etiam Isaiæ, *Non dicat* Leona. Marius. *eunuchus, etc.* ad fœminas etiam extenditur, ut notavit Mich. de Medina *lib.* 3 *de* Mich. de Medina. *sacr. homin. continent. cap.* 2. Deinde quæ de Essenis diximus, locum utique habebant in mulieribus, ut constat ex Philone *in lib. de vita contemplativa*, ut ex Serario, et aliis

Franc. a S. Mari. recte probat N. Francisc. a S. Maria *in Apologia, proposit.* 2, § 1. Præterea supposito, quod viri aliqui in veteri Testamento votum fecerint castitatis, nulla occurrit ratio, aut inconveniens, ut id fœminis denegemus, cum non sint minus devotæ, et D. Chry. ut recte D. Chrysost. *tom.* 2, *homil.* 8 *in Matth.* tradit : « Non natura corporis, sed « voluntate animi exercentur ista prælia ; « propterea sæpe in hujusmodi acie fortius « viris fœminæ decertarunt. » Quod satis liquet in statu legis evangelicæ, in quo virgines viros continentes tam studiose imitatæ sunt. *Denique* aliquas in veteri Testamento perpetuam virginitatem ex voto coluisse, non omnino obscure colligitur Machab. 3. *ex lib.* 2 *Machab. c.* 3, ubi dicitur : « Sed « virgines, quæ conclusæ erant, præcurre- « bant ad Oniam. » Ubi significari virgines in quodam templi domicilio inclusas, quarum aliquæ perpetuo Dei cultui se consecrabant, plurium est sententia. Unde Petr. Cresp. Petrus Crespet. *in Summa cathol. fidei, fol.* 644, harum exemplo impugnat hæreticos novatores, qui vota virginum sacrarum spernunt : « Monialium, » inquit, « Deo- « que dicatarum virginum propositum, et « vovendæ castitatis antiquus, et sanctus « usus defenditur. » Et post aliquas probationes addit : « Et quidem ante Christi « passionem Deo dicatas virgines in templo « referunt clarissimi plerique Historiogra- « phi, et confirmat Ambrosius lib. memo- « rato de Virginitate. In templo, inquit, « Hierosolymis fuisse virgines deputatas, « etc. » Et pro eadem sententia refert Germanum Constantinopolitanum, et Gregorium Nicomediensem. His virginibus adjungebantur viduæ nonnullæ, quæ Deo vidualem castitatem vovebant, ex quarum D. Cyril. Hieros. numero fuit Anna, de qua D. Cyrillus Hierosol. *Catech.* 10, inquit : « Anna Pro- « phetissa continens, et religiosissima mo- Hugo Card. « nialis. » Et Hugo Cardinal. « in postilla « super Evangel. totius anni, Dominica in- « fra octavam Nativit. Domini, *ait* : Anna « fecerat professionem viduitatis, et Maria « fecerat professionem virginitatis. » Imo Emerentiam aviam B. Virginis Mariæ, Deo D. Cyril. castitatem vovisse referunt D. Cyrillus (sive is fuerit Constantinopolitanus, sive, quod magis placet Lezanæ anno ante Christum 3976, fuerit Alexandrinus) *in lib.* G. Pipin. *de ortu B. Annæ*, Guillelmus Pipinus Ordinis Prædicatorum *serm.* 2, *B. Annæ, fol.* P. Borl. 219, et Petrus Borlandus Carthusiensis *in vita B. Annæ*, quæ additur vitæ Christi Domini, a Landulpho de Saxonia. Ex quibus liquet, certum non esse, quod nullæ fœminæ in veteri Testamento votum virginitatis nuncupaverint.

Dices id certo constare ex eo, quod Ecclesia de B. Virgine canit : *Sola sine exemplo placuisti Domino.* Quibus verbis significatur nullam fœminam ante B. Mariam Deo virginitatem vovisse. Diru quæd objec

Sed hoc facile dispellitur, quia ut supra *num.* 33 vidimus ex Barradio, alius est illorum verborum sensus, ut constabit adeunti fontem, ex quo primum desumpta fuere, Sedulium videlicet antiquum Poetam, qui floruit sæculo quinto post Christum natum; sic enim canit *Carminum lib.* 2. Sedu

Salve sancta parens, enixa puerpera regem,
Qui cælum, terramque tenet per sæcula : cujus
Numen, et æterno complectens omnia gyro
Imperium sine fine manet : quæ ventre beato
Gaudia matris habens cum virginitatis honore,
Nec primam similem visa es, nec habere sequentem :
Sola sine exemplo placuisti fœmina Christo.

Ubi perspicuus, ac legitimus sensus est, nullam fœminam fuisse, esse, aut fore, quam sacra Virgo longo intervallo non antecellat, cum in donis gratiæ, et virtutum, tum, et maxime in eo, quod Christum peperit, conjunxeritque matris dignitatem cum flore, et honore virginitatis, quod nulli alii mulieri est concessum. Sed cum hoc cohæret, quod aliqua ante ipsam (ex ejus tamen futuræ prævia imitatione), Deo suam virginitatem sacraverit modo statim declarando.

38. Prædicta ergo responsione relicta, ad argumentum *num.* 34 propositum respondetur distinguendo antecedens, « Juxta « communem Sanctorum Patrum senten- « tiam B. Virgo fuit prima inter omnes « creaturas, quæ emisit virginitatis vo- « tum, » fuit prima « prioritate perfec- « tionis, et excellentiæ, » concedimus; fuit prima « prioritate temporis, » negamus : et deinde negamus absolute consequentiam. Pro cujus responsionis intelligentia observandum est, duplicem esse prioritatem, seu præcedentiam : Respo sio a princ pal argu mento et obs vand pro e intel gent Nota

præcedentiam : aliam durationis, secundum quam media præcedunt in exequutione finem : aliam dignitatis, et perfectionis, juxta quam finis in intentione, et absolute præcedit media, et exemplar est prius quam exemplatum. Et in hoc sensu Apos-
Ad Col. tol. *ad Colos. cap.* 1, vocat Christum Dominum, *primogenitum omnis creaturæ*, licet plures tempore ipsum præcesserint; quia ipse fuit prior per modum finis, et exemplaris, ut ibidem breviter observavit D.
D. Hier. Hieron. his verbis : *Non tempore, sed honore.*

Nota 2. Deinde observa, quod ut aliqua causa influat per modum exemplaris, non requiritur quod existat in seipsa, aut quod tempore præcedat exemplatum. Nam cum exemplar influat ut apprehensum, et applicatum per intellectum, et hic possit apprehendere objecta antequam sint in seipsis, potest aliquid influere per modum exemplaris in eos etiam effectus, quos tempore subsequitur ; quidquid enim fit ad ejus imitationem, ipsius effectus est, sive tempore antecedat, sive sequatur. Et ob eandem rationem potest finis in suo genere influere, licet actu non existat in seipso, ut notum est apud Theologos, et Philosophos. Unde Apos-
Ad Heb. 11. tol. *ad Hebr.* 11, ait : « Fide Moyses grandis « factus, negavit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo « Dei, quam temporalis peccati habere « jucunditatem, majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium « Christi ; aspiciebat enim in remune- « rationem. » Nam se formabat Moyses ad imitationem Christi Domini, quem (etsi nondum existentem) tanquam exemplar, et finem omnis perfectionis respiciebat, ut
D. Tho. D. Ans. Cathar. Zegler. Ribera. Tenas. eo loco exponunt D. Thom. D. Anselmus, Catharinus, Zeglerus, Ribera, Tenas, et alii. Et sic etiam Christus Dominus influxit in omnem justitiam, et perfectionem veterum Patrum, fuitque caput Ecclesiæ a principio, ut fusius explicuimus *num.* 9.

Nota 3. Præterea observandum est, B. Virginem Mariam esse causam exemplarem omnis virginitatis Deo sacratæ. Tum quia nobilissimum in unoquoque genere est mensura,
B. Virgo Maria fuit exemplar virginitatis. et exemplar cæterorum, quæ eo perfectiora sunt, quo magis ad illud nobilius, et perfectius accedunt, ipsumque imitantur : ex virginitatibus autem Deo sacratis nihil eminentius, nobilius, aut perfectius cogitari potest, quam virginitas sacratissimæ Mariæ, ut statim declarabimus. Tum quia ita communiter se explicant Sancti Patres,
D. Amb. D. Ambros. *de instit. virgin. cap.* 5, ait : « Omnes ad cultum virginitatis Sanctæ « Mariæ advocantur exemplo. » Et capite sequenti : *Mariæ exemplo cæteræ ad virginitatis studium provocantur.* D. Hildephons.
D. Ild. *sermone* 3, *de Assumpt.* Mariam appellat, Sophro. *Exemplar perfectæ virginitatis.* Sophronius *hom. de Assumpt.* eam vocat *Perfectionis virginalis exemplum.* Et eodem modo loquuntur alii Patres. Unde autem virginitas B. Mariæ habeat eminentiam illam, ut tanquam exemplar antecedat, et excedat omnes alias virginitates Deo sacratas, docte
Suarez. declarat Suarez *tom.* 2, *in* 2 *p. disp.* 7, *sect.* 3, his verbis : « Virginitas Mariæ « quoad propositum, et animum, fuit tan- « to efficacior, et vehementior, quanto ex « majori charitate, et gratia procedebat. « Quoad immobilitatem habuit hoc propo- « situm perfecto voto confirmatum. Quoad « intentionem ex perfectissimo Dei, et pu- « ritatis amore hoc fecit. Quoad exequu- « tionem vero tam perfecte illud servavit, « ut omni prorsus motu contrario, aut re- « pugnante caruerit ; imo alios etiam ad « sanctitatem provocaverit, ut supra ex « Sanctis Patribus diximus. Deinde caruit « omni contrario, quod virginitatis per- « fectionem posset minuere ; nam et ip- « sum conjugium, quod in aliis ad virgi- « nitatem tollendam ordinari solet, in illa « fuit ad ejus custodiam, testimonium, et « honorem institutum. Habuit deinde co- « mitantes omnes virtutes, temperantiam, « humilitatem, et alias, quæ illius perfec- « tionem possent augere. Fuit denique « ejus virginitas propter altissimum finem « a Deo ordinata ; nam et ad filii genera- « tionem ordinata est (quod est admiratio- « ne dignissimum), et ad consecrandum Deo « thalamum, ex quo factus homo nas- « ceretur : quo nihil potest perfectius, aut « excellentius intelligi. »

Nota 4. Deinde observa, causam tanto esse in suo genere perfectiorem, quanto ad plures effectus suam causalitatem diffundit. Quod est per se notum ; nam actu causare, perfectio est : ergo causa eo cæteris paribus est perfectior, quo plura causat, et sub proprio influxu tanquam effectum constituit. Unde D. Thom. 3 *parte, quæst.* 65, D. Tho. *art.* 3, ait : *Quanto aliqua causa est superior, tanto ad plura se extendit in causando.* Et 3, *contra gent. cap.* 24, inquit : « Quanto ali- « quid invenitur melius, tanto ad remo-

« tiora bonitatem suam diffundit. » Et similia repetit *quæst.* 3, *de potentia*, *art.* 3, *et quodlib.* 3, *quæst.* 3, *art.* 6, et alibi frequenter.

Applicatio præmissæ doctrinæ.

39. Ex his præmissis liquet, et roboratur distinctio *num. præced.* proposita, secundum quam testimonia Patrum interpretamur, et ad concordiam reducimus. Nam cum affirmant B. Virginem esse initium, exemplar, primipilam, ac vexilliferam omnis virginitatis, primam virginum, et alia hujusmodi, prædicant quidem primatum, ac excellentiam virginitatis B. Mariæ super omnes alias virginitates; quia omnes per modum exemplaris causavit, et traxit ad sui imitationem, sive illæ fuerint ante Virginis tempus, sive post illud. Sed non negant, quod ante B. Virginis tempus aliqui virginitatis votum emiserint. Et hanc differentiam inter primatum temporis, et primatum excellentiæ satis expressit egregius Hispaniarum Doctor D. Isidorus *lib.* 2, *de Officiis*, *cap.* 17, ubi ait : « Nunc « autem quæ sit sacræ virginitatis integri- « tas, vel a quo tam sancti propositi sump- « sit exordium, breviter intimabo. Quan- « tum enim pertinet ad vetus Testamen- « tum, Elias, et Hieremias, et Daniel « castitatis, et continentiæ bonum primi « constituisse dignoscuntur : quantum vero « ad novum, virorum virginum caput est « Christus, fœminarum virginum caput est « Maria. Ipsa earum autrix, ipsa mater « nostri capitis, qui est virginis filius, et « virginum sponsus. » Ubi componit excellentiam B. Virginis in hac parte cum temporali aliorum antecessione; recte enim vidit prædictam temporis præcedentiam nihil referre ad sacræ Virginis gloriam ; quippe tantum abest, ut ad ejus referat commendationem, quod potius illam limitare, et restringere videatur. Nam profecto majus quid est B. Virginem habere suæ virginitatis effectus, hoc est alias virginitates voto sacratas, et in veteri, et in novo Testamento, quam determinari ejus causalitatem ad tempus præcisum legis Evangelicæ; nam causa eo est superior, quo ad plura se extendit in causando. Id quod satis liquet ex sacratissimo ejus filio Christo Domino; nam causavit omnes effectus gratiæ non solum in tempore post ipsum sequenti, sed in eo etiam, quod ipsum præcessit, ut constat ex dictis *n.* 9. Unde sicut ex eo, quod Christus dicatur, et sit initium, fundamentum, et caput Ecclesiæ, authorque justitiæ, et omnis sanctitatis, non infertur quod ante Christi Domini tempus non fuerit vera Ecclesia, vera justitia, et vera sanctitas ; oppositum enim certa fide constat, ut ostendimus *dub.* 1 ; sed infertur, quod prædicta omnia fuerint effectus Christi Domini, in quo, et per quem salvantur quotquot salvantur, aut justitiam consequuntur : sic proportionabiliter ex eo, quod sacratissima Virgo Maria dicatur, et sit principium, vexillum, ac exemplar omnis virginitatis Deo sacratæ, minime colligitur, quod nulli ante ipsius tempus virginitatem voverint; contrarium enim satis ostendimus *a num.* 22. Sed colligitur B. Virginem influxisse per modum principii exemplaris in omnes virginitates Deo sacratas, tam in veteri, quam in novo Testamento; nam quotquot virginitatem Deo religiose voverunt, id præstiterunt provocati exemplo B. Mariæ, quam ut futuram, vel præsentem fidei oculo implicite, aut explicite viderunt. Et sicut qui ad extollendam dignitatem Christi Domini diceret ante ipsius nativitatem, et tempus nullam fuisse veram gratiam, et justitiam, non solum erraret, sed etiam Christi Domini dignitatem (quam exaggerare videbatur), imminueret, quippe ejus sanctificativum influxum ad brevius tempus, et pauciores effectus restringeret : sic illi, qui ad prædicandam sacratissimæ Virginis excellentiam affirmant neminem ante ipsam nuncupasse virginitatis votum, licet non errent (probabiliter namque discurrunt), nihilominus scopum in quem collimant, non attingunt. Cum enim virginei exemplaris, quod in B. Maria refulget, vim, ac causalitatem efferre intendant, magis eo medio limitant, et coangustant, eam non extendentes ad præcedentium sæculorum effectus, in quos per modum exemplaris influere potuit, et de facto, ut nos affirmamus, influxit. Quem adeo universalem influxum per modum excellentissimi exemplaris significare intendunt communiter Patres, cum primatum B. Mariæ in vovendo virginitatem tam magnis elogiis celebrant. Quod etiam vidit Suarez *loco supra cit.* ubi ait : « Deinde dici etiam po- « test prima, quæ proposita est tanquam « dux, et exemplar hujusmodi voti, et « hunc esse existimo sensum Sanctorum « Patrum. » Ipse vero ex propria sententia, licet sub dubio, subjungit : *Addo tamen fortasse etiam in re ipsa fuisse primam, etc.* Quo loquendi genere incertitudinem talis opinionis

Primatus virginitatis B. Mariæ fuit excellentiæ, non temporis.

D Isid.

Exemplum.

Suarez

opinionis satis expressit. Verba autem quæ ex D. Bartholomæo referuntur, et quibus moveri videntur D. Bonaventura, et Richardus de S. Laurentio, ut primatum temporalem alii, quam Virgini negent, authoritatem non habent; nam desumpta sunt ex libro apocrypho, qui sub nomine Abdiæ Babylonici circumfertur, et quem jamdiu rejecit Paulus IV, ut refert Sixtus Senensis *lib.* 2 *Biblioth.* et fabulosum appellat Bellarmin. *de script. ecclesiast. in Abdia Babylonico.*

Sixtus Sen. Bellarm.

Aliæ argumenti vires infirmantur.

40. Ratio vero, qua fundamentum ab authoritate desumptum fulciebatur, nullius roboris est; concedimus enim deferendum esse sacratissimæ Virgini quidquid confert ad majorem ipsius dignitatem, et gloriam; sed negamus ad id conferre, quod nemo ante B. Virginis tempus votum virginitatis emiserit; oppositum enim constat ex proxime dictis. Per quod etiam diluitur augmentum difficultatis rationi insertum; nam prærogativa B. Virginis non est, quod nemo ante ipsius tempus virginitatem voverit, sed potius excellentia B. Virginis est, quod suæ virginitatis exemplo virgines post se adduxerit in utroque statu scriptæ, et Evangelicæ legis; in hoc quippe magis emicat dignitas, et efficacia dicti exemplaris.

Et retorquentur.

Unde quæ contra nos adducuntur, in contrariam partem sunt detorquenda: quoniam B. Virgini deferri debet quidquid confert ad majorem ejus dignitatem, et gloriam: sed quod B. Virgo suo exemplo moverit ad vovendum virginitatem, non solum in statu legis Evangelicæ, sed etiam in statu legis scriptæ, confert ad ejus dignitatem, et gloriam, siquidem magis explicat universalitatem, efficaciamque nobilissimi illius exemplaris in causando, et plures effectus illius influxui subordinat: ergo tueri oportet, quod aliqui in veteri Testamento provocati exemplo B. Virginis (quam futuram radio fidei intuebantur), Deo virginitatem promiserint. Et urgetur; nam quod Christus hanc suæ matri non disposuerit, aut concesserit prærogativam, provenit ex eo, quod vel noluit, vel non potuit: sed neutrum horum dici valet, cum primum deroget maximo Christi amori erga suam matrem; et secundum maximæ ipsius potestati: ergo dicendum est, B. Virginem dedisse primum, et nobilissimum exemplar virginitatis Deo sacræ, quod pro sua dignitate non solum nunc movet, sed movit etiam in veteri Testamento, ut nonnulli ad imitationom B. Virginis Deo suam virginitatem sacraverint.

Qualiter B. Virgo influxerit antequam esset.

41. Et si inquiras, qualiter hoc exemplar tunc influxerit, cum tunc non fuerit? Respondetur eandem interrogationem fieri posse de Christo Domino, quem tanquam omnis perfectionis exemplar omnes Sancti veteris Testamenti fide implicita, vel explicita apprehenderunt, atque imitati sunt, ut constat ex dictis *numero* 9. Ad illam vero patet ex his, quæ prænotavimus *n.* 38, nempe exemplar, ut in suo genere influat, applicari per intellectum; hunc vero posse apprehendere, et proponere rem futuram. Porro veteres illos justos cognovisse beatissimam Mariam, et insignem ejus virginitatem, liquido constat. Tum ex Isaia prædicente: *Ecce virgo concipiet, et pariet filium.* Quod prænovisse etiam alios insignes Prophetas, cæterosque docuisse dubitari non debet. Tum exemplo Sibyllarum, quæ Virginem Matrem futuram cognoverunt, et annuntiarunt. Unde Persica cecinit:

Isaias.

Sibylla Persica.

Virgine matre satus pullo residebit asello,
Ille Deus casta nascetur Virgine magnus.

Et Cimmeria:

Cimmeria.

Militiæ æternæ regem sacra Virgo cibabit
Lacte suo.

Sic etiam Magnus ille Elias (quem primum in tempore vovisse virginitatem, ejusque studium discipulis proposuisse asserunt Authores *n.* 82, relati), sacratissimam Virginem cognovit celebri illa visione, quam sacer textus refert 3, Reg. 18: *Ecce nubecula parva, quasi vestigium hominis ascendebat de mari.* In qua B. Virginem præsignatam fuisse, et a Propheta cognitam, satis communiter tradunt Doctores. Cujus admirandi exemplaris ipse suavi efficacia allectus virginitatem, quam prius absque voto observabat, promissionis vinculo obstrinxit, idemque institutum cœpit discipulos edocere. Quod haud obscure tradit D. Methodius Episcopus, et Martyr, qui floruit tempore Diocletiani, *in homil. de Simeone, et Anna*, ubi sacram Virginem sic alloquitur:

3. Reg. 18.

D. Met.

« Puritatis etiam tuæ Elias præscius, at-
« que imitator in spiritu cum esset, vitæ
« illius igniferæ sibi coronam colligavit,
« in hunc usque diem divino suffragio
« morte superior declaratus. Te quoque
« ejusdem successor Elisæus a sapiente Ma-
« gistro tanquam jam existentem, quæ ta-

« men nondum existebas, præfigurans. » Si B. Virginis notitia ad posteros fluxit, cur non studium illam colendi, cum aliis obsequiis, tum specialiori imitatione per virginitatem voto obsignatam ? Fluxit profecto, ut suppositis, quæ de Essenis diximus
Tireus. *a num.* 28, tradit Hadrianus Tireus Societatis Jesu *in Trisagio Mariano, libro* 1, *sono* 36, ubi ex Eusebio Cæsariensi *libro* 2 *Ecclesiast. histor. cap.* 17, asserit : « Ab Esse-
« nis, quos Alexandriæ S. Marcus reperit,
« Mariam nondum natam cognitam, et
« singulari veneratione cultam fuisse. »
Et Laurentius Chrysogonus sacræ etiam Societatis, in Mundo Mariano, *disc.* 22, *num.* 49, sententiam D. Methodii imitans, et magis evolvens affirmat, Eliam notitia beatissimæ Virginis in nubecula repræsentatæ illustratum, aperuisse fundamenta status religiosi, Ordinemque a se institutum, Carmelitarum scilicet, ipsi consecrasse. Quæ ex dicendis *dub.*7, magis constabunt.

DUBIUM III.

Utrum in Ecclesia ante statum legis Evangelicæ fuerit paupertatis votum.

Consilium paupertatis. 42. Suppositis quæ de castitatis voto diximus, pervius patet aditus ad alia, quæ non sic apparent difficilia. Et primo investigabimus votum paupertatis in veteri Testamento. Pro cujus luce præmittendum est, paupertatis voluntariæ consilium in eo consistere, quod quis actu, et affectu bona temporalia propter Deum relinquat, ut ex Pa-
Bellarm. tribus tradit Bellarminus *lib. de Monachis,*
Matt. 19. *cap.* 20, et constat ex verbis Christi Domini, Matth. 19 : « Si vis perfectus esse,
« vade, et vende omnia quæ habes, et da
« pauperibus. » Cui Apostoli ore Petri:
« Ecce nos reliquimus omnia, et sequuti
D. Bern. « sumus te. » Unde D. Bernardus *in declamat. super hunc locum Evangelii*, ait: « Hæc
« sunt verba, quæ contemptum mundi in
« universo mundo, et voluntariam per-
« suasere paupertatem : hæc sunt quæ Mo-
« nachis claustra replent, deserta Ana-
« choretis. »

Voluntaria aliquorum paupertas in veteri lege. Deinde supponendum est, aliquos in veteri Testamento amplexatos fuisse voluntariam paupertatem. Quod in Elia laudat
Eliæ, D. Chry. D. Chrysost. *lib.* 3, *de provid. Nihil*, inquit, *illi terrenum præter melotem erat.* Et *homil.* 4, *ad popul. Antioch.* ait: « Quid enim,
« dic mihi, Elia pauperius. » Addit infe- Elia
rius : « Ipsam vero paupertatem ex mentis
« opulentia elegit. » Et *homil.* 46, *in Matth.* inquit: « Unde mirabilis factus est Elias,
« nonne a renuntiatione possessionum ? »
Idem paupertatis studium prosequutus est
Elisæus, qui ut dicitur 3 Reg. cap. 19 : *Re-* 3. Re
lictis bobus cucurrit post Eliam. Per quod 19.
significatur ipsum majoris perfectionis amore cuncta mundana repudiasse. Unde
Lyra ad eum locum inquit : *Decrevit repu-* Lyra
diatis omnibus adhærere Eliæ. Et D. Ambros. D. Am
lib. 1, *de Offic. cap.* 30, ait : « Relictis om-
« nibus in disciplinam se propheticam de-
« dit. » Et Abulensis *cap. cit. quæst.* 23, Abule
inquit : « Non curavit amplius arare, nec
« vacare negotiis secularibus, sed relictis
« bobus sequutus est eum. Sic enim quando
« Christus vocabat discipulos suos, relin-
« quebant omnia, et sequebantur eum. »
Similiter se gesserunt utriusque Prophetæ Filiorum proph
discipuli, quos Scriptura filios Propheta- tarum
rum vocat, de quibus Theodoretus *quæst.* 19, *lib.* 4 *Regum*, inquit : « Chorus Pro-
« phetarum extremam amplectebatur pau-
« pertatem. » Quos omnes repræsentavit
Apostol. *ad Hebræos* 11, illis verbis : « Cir- Ad He
« cuierunt in melotis, in pellibus caprinis, 11. Teodo
« egentes, etc. » Unde Bellarminus *lib. de* Bellar
Monach. cap. 5, de origine religionum disserens ait: « Habemus deinde in eodem
« Testamento veteri Heliam, et Heliseum,
« et filios Prophetarum sine uxoribus, et
« divitiis in hoc mundo vixisse. De quibus
« D. Hieronymus in epist. ad Rusticum,
« quæ est ordine quarta: filii Propheta-
« rum, inquit, quos Monachos in veteri
« Testamento legimus, ædificabant sibi ca-
« sulas prope fluenta Jordanis, et turbis
« urbium derelictis, polenta, et herbis
« agrestibus victitabant. Et epist. 13, ad
« Paulinum, de Monachis loquens: Noster
« princeps, inquit, Elias, noster dux Eli-
« sæus, nostri duces filii Prophetarum, qui
« habitabant in agris, et solitudinibus, et
« faciebant sibi tabernacula prope fluenta
« Jordanis. » Tandem Esseni (quos sectatos Essen
fuisse Eliæ, Elisæi, filiorumque Propheta- norum
rum institutum, constat ex dictis num. 23), pauperem vitam ultro ducebant, ut constat
ex Josepho *lib.* 2, *de bello Judaico*, *cap.* 7, Joseph
ubi ait : « Divitiarum contemptores sunt,
« rerumque apud eos communicatio admi-
« rationi habetur, neque invenias alterum
« alteri opulentia præstare : legemque sibi
« dixerunt, ut qui disciplinam suam sec-
tari

« tari vellent, bona contubernio publica-
« rent. » Et inferius : « Designatos autem
« procuratores habent, et ad usus omnium
« singulis indivisos. » Idem significavit
Josephus Gorioni. Josephus Gorionides *in lib. de tribus Judaicorum Philosophorum ordinibus*, ubi ait :
« Possidebant omnia communia, et nihil
« amplius inter eos ditior fruebatur, nihil
« pauper defraudabatur. » Addit infra :
« Sed permixtis facultatibus unum esset
« omnium patrimonium. » Tandem idem
Plinius, exprimit Plinius *lib.* 5, *c.* 17, illis verbis :
« Gens sola, et in toto orbe, præter cæte-
« ras, mira, sine ulla fœmina, omni ve-
« nere abdicata, sine pecunia, etc. »

Puntus difficultatis. Ex quibus omnibus facile constat, aliquos in veteri Testamento coluisse voluntariam paupertatem. Sed dubium est, utrum eorum nonnulli ad hoc studium, seu vitæ genus se voto obstrinxerint? quod hic oportet decidere. Revocatur autem difficultas ad simplex paupertatis votum ; nam quod hujus voti solemnitas non fuerit ante exercitam Christi Domini institutionem, citra controversiam supponendum est.

§ I.

Affirmans sententia eligitur, et multiplici fundamento firmatur.

Conclusio. 43. Dicendum est, aliquos in veteri Testamento fecisse simplex paupertatis votum, sive paupertatem ex voto observasse. Ita plures Authores, quorum verba expende-
Lezana. mus *num.* 104. Videatur ex nostris Lezana *in apparatu. cap.* 4, *num.* 11, et anno ante
Sylveir. Franc à Maria. Philip. a S. Trini. Christum 3545, *num.* 21, Sylveira *opusc.* 3, *quæst.* 8, Franciscus a S. Maria *in apolog. proposit.* 4, Philippus a S. Trinitate, 2, 2, *tract. de Religione, disp.* 6, *dub.* 1, et *in Theolog. Carmel. quæst.* 1, *art.* 3, et alii plures apud illos.

Fundamentum. Probatur primo ratione ; nam aliqui in veteri Testamento amplexati sunt paupertatem ex proposito voluntario : ergo ex voto. Antecedens patet ex præsuppositis *num. præced.* Consequentia autem probatur *primo ;* nam propterea aliqui amplexati sunt paupertatem, quia cognoverunt illam conducere ad majorem sanctitatem, cui acquirendæ vacabant : sed etiam cognoverunt ad prædictum studium magis conferre paupertatem voto obsignatam, quam si absque voto observaretur (generaliter quippe homines veteris legis cognoverunt utilitatem vovendi ob majorem firmitatem, quæ ex voto accidit, et majorem cultum supremæ Dei majestatis, quæ votis colitur : unde in prædicta lege frequentissimus erat votorum usus, ut constat ex dictis *num.* 13); ergo sicut in veteri lege aliqui elegerunt paupertatem ex proposito voluntario, ita etiam ex voto. Probatur *secundo* eadem consequentia ; quia non est minus difficile ex parte materiæ votum castitatis, ac votum paupertatis ; sed ex eo, quod aliqui observaverint voluntariam, et perpetuam castitatem, bene infertur, quod illam observaverint ex voto, ut patet ex D. Joanne Baptista, juxta dicta *n.* 23. Ergo pariter si aliqui in veteri Testamento coluerunt voluntariam, et continuam paupertatem, recte colligitur, quod illam ex voto observaverint. Et ratio generalis est, quia uniformis, et continuus modus se habendi in materia ex se difficili, et naturæ repugnante vix intelligi potest absque aliqua obligatione, quæ voluntatem ad illum agendi modum determinet, ac reducat : hæc autem obligatio, ubi non provenit ex lege aut præcepto (uti non provenit in materia consiliorum) opus est, quod proveniat ex voto, quo quis ad illum agendi modum se obstringit.

Aliud assertionis motivum. 44. Probatur secundo eadem assertio sequenti discursu ; quia licet Scriptura expresse non dicat, Apostolos emisisse votum paupertatis ; nihilominus ex eorum factis recte colligitur, quod tale votum fecerint : atqui similia facta reperiuntur in aliquibus viris veteris Testamenti : ergo ex eisdem recte infertur, quod paupertatis votum emiserint. Probatur minor : nam recte colligitur, Apostolos vovisse paupertatem ex eo, quod omnia reliquerunt, ut Christo adhærerent, juxta illud Petri apud Matth. 19 : *Ecce nos reliquimus omnia, et sequuti sumus te.* Ad perfectam enim derelictionem bonorum temporalium (ut recte arguit Suarez *tom.* 3 *Relig. lib.* 8, *c.* 2), requiritur obligatio ex promissione orta.
« Nam sicut ea bona, » inquit ille, « quæ
« in præsenti possidentur, non perfecte
« derelinquuntur, nisi ea repetere non
« liceat : ita bona, quæ in futuro tempore
« acquiri possunt, non perfecte derelin-
« quuntur, nisi ita voluntate, et affectu
« alienentur, ut ea acquirere, ac possidere
« non liceat ; quod non potest fieri, nisi
« interveniente promissione. » Unde consequens est, ut qui bona temporalia perfecte relinquunt, ea relinquant ex voto,

Matth. 19.

Suarez.

quo ad eorum abdicationem se obligant.

Votum paupertatis in Elisæo.

Porro aliquos in veteri Testamento ita se habuisse, constat satis manifeste in Elisæo primario Eliæ discipulo, et post Etiam cæterorum filiorum Prophetarum duce, ac doctore; sic enim habet sacer textus 3, Reg. 19, *Profectus ergo inde Elias* (postquam videlicet a Domino audierat: « Eliseum autem filium Saphat, qui est de « Abelmeula, unges Prophetam pro te) re- « perit Elisæum filium Saphat arantem in « duodecim jugis boum, et ipse in duode- « cim jugis boum arantibus unus erat: « cumque venisset Elias ad eum, misit « pallium suum super illum. Qui statim « relictis bobus cucurrit post Eliam, et « ait: Osculer oro patrem meum, et sic « sequar te. Dixitque ei: Vade, et reverte- « re, quod enim meum erat, feci tibi. Re- « versus autem ab eo, tulit par boum, et « mactavit illud, et in aratro boum coxit « carnes, et comederunt consurgensque « abiit, et sequutus est Eliam, et minis- « trabat ei. » Ubi singula fere verba repræsentare perfectissimam renuntiationem, qua Elisæus mundi bonis, ac rucis vale dixit, ut indivulse sequeretur Eliam, vel potius Spiritum sanctum se Eliæ ore vocantem ad perfectiorem vitam, ponderant satis communiter Doctores. Aliquos dabimus præter D. Ambros. et Lyram relatos *num.* 42.

3. Reg. 19.

Abulens.

Abulensis *ad locum citatum, quæst.* 26, inquit: « Eliseus non peccavit volendo ire « ad osculandum patrem, et matrem; « quia ad vocationem Eliæ illico ipse re- « liquit boves, tanquam nunquam aratu- « rus cum eis, et totaliter intendebat sequi « Eliam. » Et infra: « Mactavit par boum, « solemnitatem magnam omnibus amicis, « et cognatis suis, quia nunc recedere vo- « lebat ab eis, tanquam nunquam reditu- « rus ad statum eorum. Et in aratro boum « coxit carnes, id est, cum aratro coxit, « scilicet fregit aratrum, et comminuens « in partes posuit in igne, et ibi coxit bo- « ves. Hoc fecit non quidem tanquam non « haberet alia ligna, sed quia transibat ad « Dominum, omnino volebat renuntiare « seculo, ita quod nihil relinqueret in illo, « quod ad se pertineret. Et quia boves duo, « et aratrum pertinebant ad Elisæum, « voluit utrumque consumere tradendo in « convivium, et aratrum cremando, ita ut « jam nihil ad se pertinens relinqueret in « seculo, sed totus ipse transiret ad Domi- « num. Quod valde magnum exemplum « est pro eis, qui ad Dominum transeunt, « quod nihil in seculo relinquere debeant, « ad quod afficiantur. Et dedit populo, et « comederunt, scilicet dedit cognatis suis, « et amicis, convocans eos ad convivium; « quia nunc recedebat ab eis, et non erat « amplius rediturus ad statum illorum. « Istud exemplum sequutus est Beatus « Matthæus, qui a Christo vocatus reliquit « omnia, quæ habebat; et tamen in ipsa « die vocationis suæ invitavit Christum, « et discipulos, et multos de publicanis, « quos in seculo amicos habuerat, Mat- « thæi 9. Surgensque abiit, et sequutus est « Eliam, scilicet surgens de convivio reces- « sit de urbe sua, et de domo patris sui, et « sequutus est Eliam, nolens amplius ma- « nere cum patre, et matre. » Dixerat autem quæst. 23. « Non curavit amplius ara- « re, nec vacare negotiis sæcularibus, etc. « Sic enim quando Christus vocabat dis- « cipulos suos, relinquebant omnia, et « sequebantur eum. Sic etiam quando « Christus vocavit Petrum, et Andream fra- « tres, relictis retibus sequuti sunt eum. « Sic etiam Jacobus, et Joannes Zebedæi, « fratres relinquentes patrem, et navem, « vocantem Christum sequuti sunt, Matth. « 4. » Hæc Abulensis. In quibus evidenter significat, Elisæum dereliquisse bona temporalia, non utcumque, sed ex voto illa deinceps non acquirendi, vel conservandi. Nam quid aliud exprimunt illa verba: *Totaliter intendebat sequi Eliam?* Et illa: *Omnino volebat renuntiare seculo?* Et illa: « Ut etiam nihil ad se pertinens relinque- « ret in seculo, sed totus ipse transiret ad « Dominum? » Et denique illa: *Nunc recedebat ab illis* (secularibus videlicet) *et non erat amplius rediturus ad statum illorum. Istud exemplum sequutus est Beatus Matthæus, etc.* Profecto si Abulensis intenderet nobis exponere modum, quo de facto quis in religiosa professione ad Apostolorum imitationem cuncta temporalia repudiat, et voto paupertatis se ligat, nescimus quibus aliis verbis expressioribus uteretur. Abulensem imitatur Cornelius a Lapide ad prædictum locum; nam expendens illa verba, *Misit pallium suum super illum*, inquit: « Hac ergo cæremonia institutus est « Elisæus Propheta, socius, et successor « Eliæ, ejusque cor omnino a Deo immu- « tatum est, atque ex laico factus est reli- « giosus, ex agricola Propheta, ex idiota Theodidactos.

Nota.

Nota.

Corn. a Lap.

« Theodidactos. Unde statim reliquit bo-
« ves, domum, parentes, et sequutus est
« Eliam. » Et infra : « Quia Elisæus festi-
« nabat, et gestiebat illico sequi Eliam,
« idcirco usus est aratro pro lignis ad co-
« quendum carnes boum. Dedit ergo
« typum, et exemplum nobis, ut Dei voca-
« tionem illico, resolute, constanter se-
« quamur, uti notant Cajetanus et Abu-
« lensis. Celebravit enim convivium, quo
« suis valedixit, ut ostenderet se boves,
« aratrum, agrum, omniaque relinquere,
« ac lætum sequi Eliam. » Et inferius :
« Ut liber, et expeditus transiret totus ad
« Dominum ; idcirco aratrum, et boves
« consumpsit, qua in re exemplum dedit
« Religiosis, ut idem faciant. » Similia
Gaspar Sanch. D. Hier. Hugo. Card. proferunt Gaspar Sanchez ibidem, et alii expositores. Sed præ cæteris expressius loquuntur D. Hieronymus, et Hugo Cardinalis, dum affirmant prædictam temporalium derelictionem ab Elisæo factam fuisse votum. Ille *in epistol.* 28, *tom.* 1, ait : *Boves, et juga prioris operis vertit in vota.* Iste vero *super cap.* 9 *Lucæ*, inquit : *Elisæus in aratro coxit carnes, mactavit boves, id est Religionis votum fecit.*

Eadem veritas magis ostenditur. 45. Confirmatur primo ex his, quæ de Elisæo, et Prophetarum filiis, ipsius Elisæi post Eliam discipulis refert Scriptura, et satis aperte significant eos coluisse paupertatem ex voto. Nam in primis pauperibus ex voto convenit, quod sibi a devotis oblata usui particulari non approprient, sed communitati referant, ac servire faciant, ut constat *ex cap. Cum ad monasterium, de statu Monach.* et ex Concil. Trid. *sess.* 25 *de Regular. c.* 2. Quo pacto se gessit Elisæus; nam cum vir quidam devotus munus attulisset, ipse statim jussit, ut communitati daretur, ut legitur 4 Reg. *c.* 4.
Salian. Quod recte expendit Salianus *anno* 3144, his verbis : « Acceptum munus Elisæus in
« communem impendit utilitatem ; erat
« enim eis mensa communis, ut religiosis
« viris : nec Elisæus sibi proprium habere
« voluit, paupertatis studio repugnante. »
Quibus satis aperte significat, non potuisse aliter facere hominem voto paupertatis
Abulens. obstrictum. Et Abulensis ad locum citatum *quæst.* 61, satis exprimit paupertatem ex forma religiosa vivendi ; nam expendens illa verba : *Responditque ei minister ejus*, inquit : « Iste erat dispensator Elisæi, qui
« recipiebat omnia quæ ferebantur ad Eli-
« sæum, et ipse ministrabat filiis Prophe-
« tarum ; et jussit illi Elisæus ponere istos
« panes coram filiis Prophetarum ; ipse
« vero respondit : Quantum est hoc, ut ap-
« ponam coram centum viris ? »

Magna paupertas ex instituto in filiis Prophetarum. 4 Reg. 4. Deinde ad pauperes ex communi voto pertinet habere mensam communem, et eisdem vilibus uti alimentis. Sic autem se gerebant filii Prophetarum sub Elisæo, ut colligitur ex ejus verbis 4 Reg. cap. 4, *Pone ollam grandem, et quoque pulmentum filiis Prophetarum.* Quibus vero ventris delitiis replendam, declarat textus dum addit : *Et cum egressus unus in agrum, ut colligeret herbas agrestes, etc.* Unde D. Hie-
D. Hier. ronymus de filiis Prophetarum agens *epist.* 4, *ad Rustic.* ait : *Turbis urbium derelictis, polenta, et herbis agrestibus victitabant.* Et Theodoretus *ad text. cit. quæst.* 19, inquit :
Theod. « Quod autem vita Prophetarum nullas
« habuerit possessiones, docet historia.
« Nam qui erat eorum primus, nunc qui-
« dem eos excipit convivio olerum agres-
« tium, nunc autem panes hordeaceos vi-
« ginti apposuit centum viris, eosque ab
« aliis oblatos. » Et Gaspar Sanchez ibi-
Gaspar Sanch. dem : « Hoc, inquit, videtur eo tempore
« illorum Prophetarum commune pul-
« mentum : id indicat ille, qui egressus
« dicitur in agrum, ut colligeret herbas
« agrestes. »

Tandem prædictos Prophetarum filios Elisæi discipulos se obligasse paupertatis voto, haud obscure evincit pœna valde gravis, qua Elisæus Giezi punivit ob munera a Naaman recepta, quæ tanquam proprietarius abscondere voluit, ut legitur 4 *Reg. cap.* 5. Nam licet in eo Giezi peccato plures fuerint deformitates, præcipue tamen eluxit proprietatis malitia, quæ locum alias non habet, nisi paupertatis votum præcedat. Quod sic ostenditur ; nam Bellarm.
Bellarm. Suarez. *lib.* 1 *de Monach. c.* 20, et Suar. *tom.* 3 *de Relig. lib.* 8, *cap.* 2, recte probant, fuisse in primitiva Ecclesia votum paupertatis, quia Ananias, et Sapphira gravissima, et miraculosa pœna puniti sunt, quia partem pretii agri, quem vendiderant, clam sibi reservarant ; non enim tantam pœnam incurrerent ex solo mendacio, nisi alias contra votum egissent : quippe cum voto sublato, relinqueretur arbitraria, et licita circa rem propriam dispositio. Idem autem accideret in acceptatione, et retentione munerum in Giezi, si ipse non fuisset voto ligatus, atque ideo non incurrisset tantæ pœnæ reatum, qualis fuit lepra per totam

Pœna Giezi paupertatis votum declarat.

Cassian. vitam. Unde Cassianus *lib.* 7 *de spiritu philarg. c.* 14, hoc exemplo utitur, cum monachos proprietarios reprehendit : « Nam « Giezi ea, inquit ille, quæ ne antea qui- « dem possederat, volens adquirere, non « modo gratiam prophetiæ non meruit « possidere, quam per successionem velut « hæreditariam a suo habuit magistro sus- « cipere, verum etiam æterna lepra S. Eli- « sæi maledictione perfunditur. » Et Joannes Cartagena *lic.* 7, *homil.* 1, inquit : « Elisæus ita virtutem coluit, ut famulum « suum Giezi divitiarum Naaman leprosi « cupiditate possessum, propter proprieta- « tis culpam lepra miraculose punivit. » Ubi aperte supponit, præfuisse paupertatis votum, sine quo proprietatis culpa locum non habet. Gesta igitur Elisæi, et filiorum Prophetarum, quæ in Scriptura referuntur, non obscure indicant ipsos fuisse pauperes ex voto.

Firmatur amplius eadem veritas.

46. Confirmatur secundo ; nam ut quis dicatur habere statum voluntariæ paupertatis, debet se ad paupertatem voto obligare : sed Elias, et Elisæus, et filii Prophetarum habuerunt statum voluntariæ paupertatis : ergo voto se ad illam obligaverunt. Major constat ; nam ut quis dicatur habere statum voluntariæ paupertatis, non sufficit quod modo voluntarie sit pauper, cum postea possit ab hoc proposito resilire, et bona temporalia comparare ; sed requiritur, quod a se abdicet licitam facultatem prædicta bona acquirendi : sicut ut quis dicatur esse in statu castitatis, non sufficit quod actu non contrahat matrimonium, sed insuper desideratur, quod non possit licite contrahere ; et utraque impotentia fit per votum, quo quis se privat facultate ad illos actus, ut fusius explicuimus *disp.* 1, *dub.* 1, *fere per totum*. Minor etiam probatur ; nam Apostolus *ad Hebr.* 11, inquit : *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, etc.* Quo loco sermonem fieri de Elia, ejusque discipulis, docent communiter Patres, et Interpretes. Unde Cornelius a Lapide ibidem inquit : « Nota Paulus Eliam, qui 4 Reg. 1, vir « pilosus dicitur, non tam a barba, et co- « ma, quam a melote, et veste pilosa, et « hirsuta : notat etiam Elisæum, aliosque « Prophetas, quorum insigne fuit melotes, « sive cilicium ex pelle hirsuta. » Observat autem prædictus Author, eos tali veste usos fuisse, tum ob alias causas : « Tum quia « hoc suo vili habitu volebant docere homines luxum vestium esse spernendum : « de quo multa hic habet Chrysost. homil. « 28 in Moral. Tum denique, ut hoc quasi « cilicio, et habitu pœnitentiæ circumeun- « tes agros, et oppida docerent populum, et « ad pœnitentiam, sanctamque vitam ex- « citarent, et compungerent. » Quod autem prædicti fuerint in statu paupertatis, significat D. Thom. ad locum Apostoli *lect.* 8, *circa finem*, his verbis : « Hæc dicuntur « de Elia 4 Reg. 1, quod erat vir pilosus, « et zona pellicea accinctus renibus. Et de « talibus vestimentis dicit August. in lib. « de serm. Dom. quod potest esse in tali « veste intentio mala, si quis utatur ad « vanam gloriam ; bona autem, si ad con- « temptum mundi, et macerationem carnis. « Præcipue autem qui profitentur statum « pœnitentiæ, debent ostendere signa pro- « fessionis. Et ideo licet eis uti talibus « vestibus, non tamen ad ostentationem, « et sic utebantur Prophetæ. Quantum au- « tem ad statum personæ dicit, Egentes ; « quia carebant divitiis. » Ubi S. Doctor semel, et iterum affirmat paupertatem illam propheticam fuisse secundum statum eam profitentium, atque ideo significat, prophetas illos fuisse pauperes secundum statum, et professionem.

Aliqui in veteri lege habuerunt paupertatis statum. Ad Heb. 11. Corn. a Lap.

D. Th

Confirmatur tertio ab authoritate D. Hieronymi, et D. Isidori, qui satis aperte significant, prædictos Prophetas fuisse pauperes paupertate religiosa, quæ minime salvatur absque aliquo voto illius. D. Hieron. *epist.* 4, *ad Rustic.* inquit : « Filii Pro- « phetarum, quos monachos in veteri Tes- « tamento legimus, ædificabant sibi casulas « prope fluenta Jordanis, et turbis urbium « derelictis, polenta, et herbis agrestibus « victitabant. » Expressius adhuc loquitur D. Isidor. *lib.* 2, *de Offic. c.* 16, ibi : « Unde « autem ad Monachos studium defluxit « paupertatis » (quod studium in Monachis ex voto oriri certum est), « vel quis hujus « conversationis extitit author, cujus isti « habitum imitantur ? Quantum attinet ad « authoritatem veterum Scripturarum, hu- « jus propositi princeps Elias, et discipu- « lus ejus Elisæus fuerunt, sive alii Pro- « phetæ, qui habitabant in solitudine, « urbibusque relictis faciebant sibi casulas « prope fluenta Jordanis. Hujus deinde « propositi in Evangelio Joannes author « extitit, qui eremum solus incoluit lo- « custa tantum, et agresti melle nutritus. » Ubi ponderandum est, D. Isidor. eodem modo

Ulterior ejusdem veritatis confirmatio.

D. Hier

D. Isid.

modo loqui de paupertate illorum Prophetarum, ac de paupertate B. Joannis Baptistæ, quem fuisse pauperem ex voto constat, cum vere fuerit monachus ac religiosus.

Salian. His Patribus addimus Salianum, qui nostræ assertioni aperte suffragatur; nam de his Prophetis agens anno 3144, eos vocat *religiosos viros voluntate, ac professione pauperes*. Et anno 3145, inquit: « Prophe- « tæ, qui religiosam profitebantur pauper- « tatem. » Et *n.* 5, addit: « Eos ergo Mo- « nachos agnoscit, vocatque Hieronymus, « sicut et Joannes Hierosolymitanus pas- « sim. Abulensis ait eos quasi nihil ha- « buisse, nisi quæ sibi a populo dabantur. « Theodoretus quoque religiosam eorum « celebrat paupertatem: Chorus Prophetа- « rum, inquit, extremam amplectebatur « paupertatem. Non ait, tolerabat, sed « amplectebatur paupertatem, utique vo- « luntariam, atque ultro susceptam. » Et denique *in Epitom. anno* 3145, *n.* 2, in ipsissima perseverans sententia inquit: « Sæviente egestate, religiosi ad Elisæum « tanquam ad communem parentem undi- « que convolabant, ut ab eo vel divina « subsidia per miracula, vel humana per « eximiam ejus apud omnes gratiam con- « sequerentur, et promissam Deo pauper- « tatem facilius ferrent. » Aliorum testimonia expendemus infra *n.* 49 *et* 52.

Extenditur ultimum assertionis fundamentum Nicet. Colos.

47. Tertium, et ultimum nostræ assertionis fundamentum desumitur ex his, quæ de Essenis graves Authores scribunt. Eos namque in veteri Testamento paupertatem voluntariam coluisse, aperte docent locis relatis *n.* 42. Quibus addimus Nicetam Colossensem *lib.* 1 *Orthod. fidei, c.* 36, *tom.* 12, *Biblioth. p.* 1, ubi ait: « Esseni insuper « amore virtutis a nuptiis, maxime absti- « nebant, et divitias pro nihilo ducebant, « una denique vescebantur; privata enim « publicos in usus comportabant, turpe « rati, si quis privatim quid divitiarum « possideret. » Porro hanc voluntariam Essenorum paupertatem fuisse ex voto, fa-

Votum paupertatis in Essenis. Cedr. cile ostenditur ex eisdem Authoribus, qui simul referunt eos ad sui instituti (cujus non infima pars erat voluntaria paupertas), inviolabilem observantiam juramentis, ac execrationibus se obligasse, ut vidimus *numero* 29. Unde Cedrenus ibidem relatus cæterorum verba velut in compendium redigens, inquit: « Jurant huic divinæ reli- « gioni unice, usque ad sanguinem, pie, « ac reverenter operam navaturos. »

Accedit eosdem Authores referre apud Essenos peccatum fuisse, quod aliquid sibi reservarent, vel aliis, consanguineis etiam, donarent, ut proxime vidimus ex Niceta: et Seranius *lib.* 3, *Trihæres. cap.* 4, ex Jo- Serar. sepho refert, quod « aliquid cognatis do- « nare absque curatorum facultate non « licebat. » Hinc vero recte infertur, quod fuerint voto paupertatis obstricti. Quo fundamento utitur Basilius Pontius, ut probet Basil. Ponti. votum paupertatis in primis Canonicis regularibus Ordinis D. Augustini; sic enim *lib.* 7, *de Matrim. cap.* 3, *num.* 2, discurrit: « Prædicti Canonici præscriptum habe- « bant, nulli licet in societate nostra ha- « bere aliquid proprium. Igitur apud illos « proprium aliquod possidere peccatum « erat: ergo adstringebantur voto, alias « liceret, peccatumque non esset. » Quod argumentum sub eadem forma potest applicari Essenis.

Accedit *secundo*. Doctores Catholicos ex eo ostendere, quod fideles primitivæ Ecclesiæ fuerint pauperes ex voto, ac proinde ex eo probare contra hæreticos, quod paupertatis votum licitum sit, quoniam *Actor.* Act. 4. 4, dicitur: « Nec quisquam eorum, quæ « possidebat, aliquid suum esse dicebat, « sed erant illis omnia communia. » Constat autem simili modo se gessisse Essenos, ut referunt Authores hic, et *num.* 42 relati, quibus addendus est Joannes Caramuel Caram. *comment. in Regul. D. Benedicti, lib.* 2, *disp.* 14, ubi ait: « Inter alia jurejurando pro- « mittebant, asserente Josepho, se si ad « principatum promoverentur, nulli inju- « rios, neque victu, neque ornatu aliquo « subditis splendidiores futuros. » Ergo Esseni communem, ac pauperem vitam ex voto profitebantur.

Confirmatur exemplo Rechabitarum, qui Confirmatio. vel iidem cum Essenis erant, vel horum fuerunt patres, et duces (de quo Lezana anno 3159), quosque ad pauperem vitam se obligasse, probatur ex Hierem. *cap.* 35, ubi re- Hier. 35. fert eos huic Prophetæ respondisse: « Pa- « ter noster Rechab » (insigni *Rechab* voce designari Magnum Eliam, quasi suprenum Rechabitarum principem, observat Caramuel ubi proxime, num. 170), « præcepit « nobis dicens: non bibetis vinum vos, et « filii vestri usque in sempiternum, et do- « mum non ædificabitis et sementem non « seretis, et vineas non plantabitis, sed in « tabernaculis habitabitis cunctis diebus « vestris. Obedivimus ergo voci Jonadab

(successisse hunc Elisæo in officio guber-
Boulduc. nandi Prophetarum filios, notat Boulduc *lib.* 3, *de Eccles. ante leg. cap.* 12, et propterea, *Prophetam Archimandritam post Eliam, et Elisæum*, illum appellat) filii Rechab « patris nostri in omnibus, quæ præcepit « nobis. » Describi autem in hac formula vitam pauperrimam, et ab omni divitiarum solicitudine alienam, nemo est qui non vi-
Abul. deat. Unde Abulensis 1 *Paralip. cap.* 2, *quæst.* 21, inquit: « Per hæc intendebat « Jonadab deducere filios suos ad quatuor « perfectiones. Prima erat paupertas vo- « luntaria : secunda contemptus rerum ; « nam faciebat, quod filii sui contemnerent « omnes divitias sæculi, et cessantes ab « his, ducebant vitam pauperem. Ista etiam « fuit perfectio Evangelica, quia venientes « ad Christum relinquebant omnia, et se- « quebantur ipsum, sicut dixit B. Apostolus « Petrus, Ecce nos reliquimus omnia. »

Votum paupertatis in Rechabitis. Porro Rechabitas hanc pauperem vitam amplexatos fuisse ex voto, constat *primo*, quia eo secluso, sive voluntaria ipsorum promissione, eorum pater Jonadab non posset eos ad pauperrimum illum modum vivendi obligare, ut constat ex doctrina D.
D. Tho. Thom. 2, 2, *quæst.* 104, *art.* 5, quippe superior, non concurrente voluntaria subditi promissione, nequit tam ardua præcipere. Rechabitæ autem dicunt se obedivisse patri suo, atque ideo supponunt in seipsis obediendi obligationem ortam ex promissione,
Conc. Senon. seu voto. Constat *secundo* ex Concil. Senonensi, *decreto* 9, *de vot. monast.* ubi ut religiosos urgeat ad votorum observationem, inquit: « Si quis igitur votum aliquod hu- « juscemodi voverit Domino, etiamsi per- « petuum fuerit, non faciet irritum verbum « suum; sed Deiparæ Virginis, Annæ ma- « tris Samuelis, et Rechabitarum exemplo, « omne quod promisit implebit. » Et hoc posterius exemplum nullam haberet efficaciam, si Rechabitæ non debuissent ex voto facere quod faciebant. Fuerunt ergo pau-
D. Hiero. peres ex voto. Unde D. Hieronym. *epist.* 13, *ad Paulin.* illos cum Elia, Elisæo, et filiis Prophetarum, patres Monachorum
D. Cart. appellat. Et Dionys. Carthus. *ad locum Hierem. art.* 58, inquit: « Jonadab religio- « sæ vitæ modum posteris suis præfixit. »
Raban. Et Rabanus apud Glossam ait: « Mystice « Rechabitæ signant eos, qui desiderio « perfectionis transcendunt mandata legis. « Justi enim, quibus non est lex posita, sic « probantur non esse sub lege, si justas « leges non solum implere, sed etiam su- « perare contendunt, ut debitis voluntaria « addant. » Et post pauca: « Hinc Elias, « et Hieremias virgines permanserunt. « Hinc filii Jonadab (ipsi sunt Rechabitæ) « propter obedientiam patri exhibitam a « Domino laudantur, et futura eis bona « promittuntur, qui offerre decimas pos- « sessionum non contenti, imo ipsas pos- « sessiones respuentes, suas animas Deo « obtulerunt. »

§ II.

Refertur opinio adversa, ejusque motivis occurritur.

Sententia contrari. Suar. Sher. 48. Contrariam nostræ assertioni sententiam tuentur Suarez *tom.* 3 *de Relig. lib.* 3, *cap.* 1, Sherlogus *tom.* 1, *in Cant. antel.* 7, *sectione* 12, *a numero* 119, et *tomo* 2, *vestigat.* 12, *explanat. myst. sectione unica, a numero* 23, et alii plures. Quorum præcipuum fundamentum est imperfectio veteris legis, cum qua cohærere non videtur actus adeo perfectus, qualis est promissio perpetuæ paupertatis. Argument.

Confirmat primo hoc motivum Sherlogus, quia Judæi non minori studio dilexerunt divitias, quam matrimonia; quod late probat tum testimoniis plurium Doctorum, tum ex promissionibus illius legis, quæ eam observantibus bona solum temporalia offerebat : ergo credibile non est, quod Judæorum aliqui paupertatem ex voto elegerint. Confirmat primo

Confirmatur secundo, quia lex vetus prohibebat paupertatem, ut constat Deuteron. *cap.* 15, *vers.* 4, ibi : *Omnino indigens, et mendicus non erit inter vos.* Sed non prohibebat paupertatem involuntariam, cum hæc necessario contingat, et non sit materia præcepti. Ergo prohibebat paupertatem voluntariam, et consequenter non licebat eam eligere, et multo minus vovere. Secundo Deut.

Sed hæc parum urgent, et non magis impugnant paupertatem votivam, quam voluntariam, ut facile consideranti constabit; aliquos autem in veteri lege vitam pauperem elegisse contemnendo temporalia, liquide constat ex dictis *n.* 42. Unde sicut prædicta motiva excludere nequeunt voluntariam aliquorum paupertatem absque voto, ita nec paupertatem cum illo. Fundamentum vero quod in veteris legis imperfectione construitur, corruit ex dictis *dub.* Satisfit argumento

1,

1, *per totum*, et præcipue *num.* 7, *et* 16, ubi declaravimus, qualiter illius legis tempore fuerint sanctitas, virtutes, et virtutum actus ; non quidem ex virtute legis, sed ex gratia data per Christum, cui veteres justi media fide incorporabantur. Et profecto non est melior actus promittendi Deo paupertatem, quam actus diligendi Deum finem supernaturalem super omnia ; cum ille sit actus religionis, hic charitatis ; et ille possit componi cum statu peccati, secus iste ; et tamen salva fide negari nequit, quod aliqui tempore legis Deum supernaturalem finem dilexerint super omnia. Tædet in his morari, sed ut molestiæ argumentorum non cedamus, placet omnibus supra adductis adjicere judicium sapientissimi Magistri Medina. Bartholomæi de Medina 1, 2, *quæst.* 108, *art.* 4, *dub. ultim.* ubi imperfectiones veteris legis expendit, et nihilominus in fine ait: « Sed ex hoc non inferat Theologus, quod « viri justi, et sancti in antiquæ legis statu « non haberent ex instinctu Spiritus sancti « consilia a Deo, tum virginitatis, tum obe- « dientiæ, atque etiam paupertatis, quæ ex « animo lubenti, et forti amplectebantur. Quid enim Nazaræi, quid Rechabitæ, quid Prophetarum filii aliud erant, « quam Monachorum prævia quædam si- « mulacra, sed pro temporis ratione non « omnino consummata, atque absoluta ? » (quia eorum vota non erant solemnia, nec constituta in eo perfectionis apice, in quo reperiuntur post Christum) « Perfectio enim (non dixit substantia, aut essentia), « ut in « cæteris, ita et Christo, et ejus exuberanti « gratiæ debebatur. De Jessæis etiam, et Es- « senis veteris Testamenti monachis mira, « et stupenda refert Philo in suis scriptis. « Sed et Hieronym. lib, 1, contra Jovinian. « et Zachar. lib. 8, cap. 10, asseverant, « Eliam, Elisæum, Danielem, et Joannem « Baptistam a matrimonio abstinuisse, et « vitam cœlibem duxisse. Josephus 18 « antiquit. et Solinus aiunt ante Christi « tempus Essenorum collegium instar nos- « trorum Anachoretarum sancte in deserto « Judæi vivendo ab uxoribus abstinuisse.»

Occurritur primæ confirmationi. 49. Ad primam confirmationem concedimus Sherlogo, quod Judæi valde affecti fuerint ad divitias, sicut et ad matrimonia ; sed inde non infertur, eorum nullos coluisse castitatem, et bona temporalia sprevisse ; oppositum enim satis constat ex dictis in hoc, et præcedenti dubio, ubi ostendimus aliquos coluisse castitatem, et voluntariam paupertatem, non quidem ex natura, aut Judæorum inclinatione, aut legis Mosaicæ viribus ; sed ex divina gratia, quæ operari facit supra naturam, supra inclinationem, et legem. Illa vero, quæ ad probationem antecedentis prædictus Author coacervat, non sunt undequaque vera, sed discussione indigent. Quod enim significat veterem legem bona solum temporalia promisisse, falsum censent Medina, Naclantus, Vasquez, Azor, Felinus, quos refert, et sequitur Salas *de legibus disput.* 22, *sectione* 7, *num.* 30, qui certum esse affirmant, fuisse in tali lege promissiones æternæ vitæ, quam illius observatores sperabant. Quod relictis aliis testimoniis, liquet ex Psalmo III : *In memoria æterna erit justus.* Et 2, *Machab.* 6, unus eorum, qui martyrium pro lege patiebatur, dixit : « Fratres « mei, modico nunc dolore sustentato, sub « testamento æternæ vitæ effecti sunt ; » hoc est, vitam æternam in jure sunt consequuti. Et Apostolus *ad Hebræos* 11, loquens de Sanctis Patribus veteris legis, inquit : « Juxta fidem defuncti sunt omnes isti, non « acceptis repromissionibus, sed a longe « eas aspicientes, et salutantes, » nempe promissiones regni cœlestis, quod consequi expectabant per Christi redemptionem, juxta illud Job (cujus notitia erat Judæis familiaris) cap. 19: « Scio quod Redemptor « meus vivit, et in novissimo die de terra « surrecturus sum, et rursum circumdabor « pelle mea, et in carne mea videbo Deum « Salvatorem meum. » Et de Magno Elia inquirit Abulensis 4 *Reg. cap.* 1, *quæst.* 16, quare utebatur habitu vili ? Et respondet : « Elias non utebatur isto habitu pauperri- « mo pro paupertate, tanquam non potens « alium habere, sed pro religione. Pro quo « sciendum est, quod Elias fuit vir sanctus « valde, et cæteri Prophetæ, sed Elias po- « tius. Et ad comtemnendam gloriam sæ- « culi, et ad ostendendum alia meliora « bona esse reposita in futuro sæculo, quæ « homo acquirere potest bonitate vitæ, « quam ea, quæ in præsenti cernuntur ; et « ut ostendatur desiderium illorum, quod « sine istorum contemptu non est, acce- « pit vestem contemptibilem, scilicet fac- « tam de pilis camelorum. » Et post pauca: « Istud pertinet ad signum virtutis, et « exercitium : ad signum quidem, in quan- « tum significatur fuga delectationum, et « blandimentorum sæculi in duritie vestis. « Nam illi, qui induuntur vestibus molli-

Lex vetus non sola temporalia promittebat.

Psal. III.

2 Mach. 6.

Ad Heb 11.

Job 19.

Abulens.

« bus, sunt qui desiderant sæculi blandi-
« menta, et honores ; et isti morantur in
« domibus Regum ad consequendum ista.»
Ex quibus satis liquet quod aliqui in veteri lege temporalia contemnebant, ut consequerentur æterna.

Quid docuerit D. Thomas.

Nec D. Thom. (et idem de aliis sentiendum est) huic doctrinæ opponitur 1, 2, *quæst.* 95, *art.* 5, dum asserit veterem legem fuisse ordinatam ad bonum sensibile. Nam ut optime ibidem observavit Conradus, mens S. Doctoris non est, quod prædicta lex primario, et per se fuerit ad bonum sensibile ordinata, cum ipse D. Thomas *eadem* 1, 2, *quæst.* 107, *art.* 1, expresse doceat, Deum in utraque lege, nova videlicet, et antiqua, habuisse eundem finem, nempe spiritualem hominum salutem, licet diversis mediis usus fuerit, ut illos ad prædictum finem perduceret. Sed sensus est, Legislatorem simul cum veteri lege proposuisse bona temporalia per modum aliqualis præmii, ut sic homines rudes ad ejus observantiam magis alliceret ; ita vero, quod ea bona ad fines honestos, et ad veram beatitudinem ulterius referrent.

Responsio data magis fulcitur.

Fatemur igitur homines veteris legis communiter vacasse bonorum temporalium acquisitioni, et vulgum non multi habuisse paupertatem voluntariam. Sed inde minime infertur, paucos aliquos (et vere paucos, tum respectu multitudinis cæterorum Judæorum, tum comparative ad religiosos legis gratia), non fuisse eo tempore amplexatos paupertatem ; qui licet ab insipientibus, et vulgaribus spernerentur, tamen radio explicatoris fidei illustrati, et divina gratia adjuti vitam pauperem, verumque temporalium contemptum eligebant. Utrumque, præter supra dicta, confirmat quod accidit cuidam discipulo Elisæi, qui cum ex magistri præcepto venisset ad Jehu, ut eum ungeret in Regem, principes qui cum Jehu erant, dixerunt : *Quid venit insanus iste ad te ?* Et ipse respondit : « *Nostis hominem, etc.* ut refertur 4, *Regum. cap.* 9, ubi Lyranus inquit : « Re-

4 Reg. 9. Nota.

« putabantur autem Prophetæ insani, eo
« quod contemnebant bona hujus mundi, et
« quia loquebantur frequenter talia, quæ
« videbantur aliis aliena. Nostis, etc. Erant
« enim discipuli Prophetarum religiosi,
« ut dictum est supra 2 cap. et ideo distin-
« guebantur ab aliis in habitu, per quem
« cognoscebantur esse discipuli Prophetarum, et propter hoc dixit, Nostis ? scilicet, quod sit de Prophetis. » Et Cajetanus expendens eadem verba, *Insanus iste*, inquit: « Verificatur scriptum in Sapientia:
« Nos insensati vitam illorum æstimaba-
« mus insaniam ; nam insanum appellant
« discipulum Prophetarum, eo quod profi-
« terentur prophetarum filii futuræ vitæ
« studium, vacando divinis laudibus. » Et Cornelius a Lapide ibidem ait : « Unde hic,
« ut principes idololatræ , hominesque
« militares prophetam rideant, vocentque
« insanum, et fanaticum. Vita enim pro-
« phetarum aspera, vestitus horridus, ser-
« mo propheticus eis videbatur esse insa-
« nia. » Ex quibus liquet ex una parte vulgaris illorum hominum æstimatio, et affectus circa temporalia ; et alia ex parte speciale filiorum Prophetarum institutum in prosequendo vitam asperam, et pauperem, juxta illud Theodoreti *q.* 19, *in lib.* 4 *Reg.* ibi : « Chorus Prophetarum extre-
« mam amplectebatur paupertatem.

Caje

Cor a La

The

Dilui secun conf mat

50. Ad secundam confirmationem respondetur negando minorem, quam minime evincit insertum testimonium ; non enim prohibet paupertatem, nec paupertatis propositum, aut votum ; sed monet divites, ut pauperibus subveniant, ut optime tradit D. Thom. 2, 2, *quæst.* 187, *articulo* 5 , ibi idem argumentum (quod contra Religiones mendicantes ab eorum inimicis fieri solebat), diluit his verbis :
« Ad tertium dicendum, quod ex illo præ-
« cepto legis divinæ non prohibetur alicui
« mendicare ; sed prohibetur divitibus ,
« ne tam tenaces sint , ut propter hoc
« aliqui egestate mendicare cogantur. »
Quæ expositio legitima est, et fundatur in sacro textu ; quia non multo post verba relata sic habet : « Si unus de fratribus tuis,
« qui morantur intra portas civitatis tuæ
« in terra, quam Dominus Deus tuus datu-
« rus est tibi, ad paupertatem venerit, non
« obdurabis cor tuum, nec contrahes ma-
« num ; sed aperies eam pauperi, etc. » Et inferius addit : « Non deerunt pauperes in
« terra habitationis tuæ ; idcirco ego præ-
« cipio tibi, ut aperias manum fratri tuo
« egeno, et pauperi, qui tecum versatur
« in terra. » Quæ verba satis declarant præcedentium verborum sensum.

D. T

Exp dum Sua moti et c vell tur

51. Minus adhuc premunt motiva, quibus contra nostram assertionem utitur perdoctus Suarez ; quia continent argumentum utplurimum pure negativum, quod in his rebus nullius, aut exigui roboris est, præsertim

sertim contra fidelium aliorum testium depositionem. Et ne scrupulo detineatur Lector, formalia prædicti Authoris verba referemus, ut inde judicet, quam vim habeant. Supponit Suarez in veteri lege non fuisse votum castitatis (de quo *dubio præcedenti*) et *numero* 7, subdit : « Hinc constat « multo minus ostendi posse votum pau- « pertatis tempore legis veteris. » Sed non videmus unde constet, aut valeat consequentia ; nam prædicta vota valde differunt, et castitatis votum est difficilius voto paupertatis : unde ex permissa, et non concessa negatione illius, non infertur istius negatio. Prosequitur : « Nullum enim talis « voti ibi vestigium invenitur. » Hæc est distincta ratio, et antecedens jam propositum deserit in probatione consequentiæ. Aliunde vero falsum assumit ; adsunt enim tot vestigia, imo argumenta efficacia, quot § præcedenti expendimus cum aliis, quæ gratia brevitatis omittimus. Addit : « Imo « et de usu paupertatis voluntariæ rarissi- « ma sunt indicia in una, vel altera per- « sona, de quibus incertum est, quem mo- « dum, vel gradum paupertatis servave- « rint. » Verum non de una, vel altera persona, sed de integris collegiis adsunt nedum indicia, sed gravissimi testes ; nam quantum ad filios Prophetarum asserunt D. Hieronym. D. Chrysostom. D. Isidorus, Theodoretus, et alii : et quantum ad Essenos, et Rechabitas (qui iidem erant cum filiis Prophetarum), affirmant Concilium Senonense, Rabanus, Josephus, Plinius, et alii, quos dedimus § *præcedenti*, et plures quos dabimus *numero* 104. Quibus utpote antiquioribus, et positive affirmantibus major fides adhibenda est, quam Suario, qui statum illorum non vidit, et pro suæ causæ patrocinio nullum adhibet testem, sed pure negative, ac dubitative procedit, ut in introductione totius disputationis observavimus.

D. Hier. D. Chr. D. Isid. Teodor. Concil Senon. Raban. Joseph Plinius

Pergit ille : *Esto enim Elias paupertatem amaverit, quoad paucarum rerum* (circa hoc etiam dubitare videtur, cum Chrysost. *hom.* 2, *ad popul. Antioch.* dicat : *Quid Elia pauperius ?* Subjungatque : *Ipsam vero paupertatem ex mentis opulentia elegit.* Et D. Thom. relatus *n.* 46, eum fuisse *in statu paupertatis*, affirmet), *quis affirmare poterit nullius habuisse dominium, vel quod difficilius est, nec licite habere potuisse ?* Sed ad urgentem hanc interrogationem facile respondetur, omnes posse id probabiliter affirmare ob testimonia, et motiva superius proposita, præsertim vero ob maximam similitudinem inter Eliam, et B. Joannem Baptistam, quem fuisse religiosum, et subinde voto paupertatis obstrictum, Suarius ipse non negat. Adde, ad simplex paupertatis votum non requiri, quod eo ligatus non habeat dominium, nec illud licite habere possit ; constat enim eos, qui in sacra Societate Jesu vota simplicia emittunt, conservare dominium directum suarum rerum, ut *disp.* 1, *n.* 38, jam vidimus. « Imo », prosequitur Suarez, « si illius historiam attente legamus, « 3 Reg. 17, inveniemus, ipsum non cœpisse « voluntariam paupertatem profiteri, do- « nec illi præcepit Deus, Recede hinc, « et vade contra Orientem, etc. ibi de « torrente bibes, corvisque præcepi, ut pas- « cant te ibi. Et infra : Surge, et vade in « Sarepta Sidoniorum, et manebis ibi ; « præcepi enim ibi mulieri viduæ, ut pas- « cat te. Ex quibus verbis potius possumus « conjecturare, prius habuisse Eliam bo- « na, ex quibus aleretur, ideo enim vide- « tur a Deo præventus, et admonitus unde « esset sustentandus, ne de ea re esset so- « licitus : nec de ejus paupertate plura in « Scriptura leguntur. » Totum hoc concedamus Suario. Quid inde, ut neget Eliam fuisse pauperem ex voto ? Profecto, ut quis nunc sit pauper, aut religiosus, non requiritur quod talis fuerit a conceptione, vel anteactæ vitæ discursu : sed satis est, quod determinato tempore pauperem, aut religiosam vitam exordiatur. Aliunde vero illa Suarii conjectatio minime subsistit ; ideo namque eo speciali tempore missus fuit Elias in Carith, et Sarephta, quia cum populus urgente fame premeretur, non habebat unde posset ex eleemosynis sustentari, ex quibus prius alebatur : unde potius infertur, quod jam præcedenti tempore pauper fuerit. Et quod addit Suarez, plura de Eliæ paupertate in Scriptura non legi, falsum est ; nam Scriptura satis aperte significat Eliam fuisse Ducem, ac Prælatum filiorum Prophetarum, qui pauperrimam vitam agebant, et quibus ipsum tanquam bonum Prælatum accommodari decuit. Melius hæc legerunt Divus Hieronymus, Divus Isidorus, et Salianus relati *num.* 46, cum aliis pluribus quos dedimus § *præcedenti*.

Defenditur Eliæ paupertas.

Continuatio ejusdem discursus. D. Chr. D. Tho.

52. Sed age, videamus qualiter votum paupertatis in Elisæo impugnet. « Nec etiam, « *inquit*, de paupertate Elisæi, præter id,

Continuatur Suarii argumentum.

« quod 4, Reg. 4, legimus, cum frequenter « transiret per Sunam, solitum fuisse di- « vertere ad quandam fœminam, ut hos- « pitio reciperetur, et aleretur : quod est « indicium paupertatis ejus, licet non suf- « ficiens; nam ibidem de muliere dicitur, « quæ tenuit eum, ut comederet panem. » Proponit motivum, cui nos non insistimus, et prætermittit validissimum argumentum votivæ paupertatis Elisæi, quod nobis exhibet perfectissima renuntiatio, qua cuncta temporalia repudiavit, ut Eliam sequeretur, juxta superius dicta *num.* 44. Aliunde vero verba, quæ expendit, ut probet non fuisse pauperem, sed invitatum a muliere ad comedendum, minime urgent; nam eadem verba, *Quæ tenuit eum, ut comederet panem*, possunt cuilibet pauperi religioso adaptari, cum pauperes etiam invitari possint, et soleant. Addit : « Et inferius eodem « capite dicitur, tempore famis filios Pro- « phetarum habitasse coram eo in Galgala, « ipsumque præcepisse uni de pueris suis : « Pone ollam grandem, et coque pulmen- « tum pro filiis Prophetarum. Unde col- « ligi potest, ipsum habuisse aliqua bona, « cum tempore famis abundanter posset « alere filios Prophetarum : quamvis etiam « pulmentum illud potuerit esse vile, et « eleemosynis comparatum. » Cæterum ex illo facto minime potest colligi, Elisæum non fuisse pauperem ex voto; nam idem posset præcipere quilibet pauperrimæ etiam religionis Prælatus, ut aleret suos alumnos. Oppositum quidem, ac magis rationabiliter, colligit Theodoretus *quæst.* 19, dum contrario modo arguit : « Quod autem vita Pro- « phetarum nullas habuerit possessiones, « docet historia. Nam qui erat eorum pri- « mus (*Elisæus*) nunc quidem eos excipit « convivio olerum agrestium, etc. » Et D. Ambros. *lib. de Elia, cap.* 11, inquit : « Elysæus in deserto erat, ubi non inveni- « retur esca, nisi amara. » Et *epist.* 82, ait : « O stultum Elisæum, qui sylvestribus ra- « mis, et amaris pascebat Prophetas! Insi- « pientem Paulum, qui gloriatur jejuniis, « si nihil prosunt jejunia! Sed quomodo non « prosunt, quibus vitia purgantur? » Sic Patres (jejunii laudatores egregii) odorati sunt grandem illam ollam, quam pro alumnis pauperibus, ac pœnitentibus parare jubebat Elisæus. Recolantur quæ diximus *num* . 45. Quibus addimus, Lyranum prædicto loco significare illorum paupertatem fuisse ex voto; nam ad illa verba, *et coque*, addit : « Id est, discipulorum eorum, qui « vivebant religiose, ut dictum est supra 2 « capite. » Ibi autem ad illa verba, *Factum est autem*, sic habet : « In Bethel autem « Jericho manebant filii Prophetarum, ut « patet in littera; et isti erant viri religiosi « simul collegati, vacantes orationi, et con- « templationi, quorum aliqui habebant spi- « ritum prophetiæ. » Et infra ad illa verba, *Et venientes* ait : Hic consequenter tollitur « suspicio, quæ posset haberi contra Eli- « sæum; præmittitur tamen reverentia sibi « facta a filiis Prophetarum, cum dicitur, « adoraverunt eum, adoratione duliæ, tan- « quam superiorem suum, eo quod esset « substitutus loco Eliæ, sub cujus regimine « vixerant. » Unde melius est, quod stemus suspicioni, quam ultimo addit Suarez, *potuisse esse* (nos dicimus *fuisse*) *pulmentum illud vile, et eleemosynis comparatum.*

Tandem concludit : « Itaque nihil certi « de modo paupertatis ejus, vel sociorum, « seu eorum, qui filii Prophetarum appel- « lantur, affirmare possumus. » Et ita quæ ad votum paupertatis in veteri lege attinent, absolvit. Sed cum hæc materia historialis sit, et ad factum pertineat, perindeque non tam discursu, quam fidelium, et antiquorum testium dictis determinari debeat, ut in limine hujus disputationis observavimus, mirum est quod perdoctus Suarius nullum pro se Sanctorum Patrum, aut gravium Doctorum testimonium in hac speciali materia expenderit. Unde opinamur nullum, quod faveret, ipsi occurrisse. Et vere sic res se habet, quia nemo Patrum, aut antiquorum Doctorum negat, aliquos ex sanctis Prophetis aut fuisse pauperes, aut fecisse votum paupertatis : qui autem affirment, vidimus § *præced.* Quod vero ipse eo loco urgenter probare contendit, in veteri scilicet lege non fuisse verum statum religiosum, præsentem difficultatem non attingit; quia modo agimus de voto paupertatis secundum se, quod salvari valet extra religiosum statum : unde licet illud concederemus, nihil contra paupertatis votum concluditur. Sed cum ait, *Itaque nihil certi, etc.*, dubitamus quam significet certitudinem? Si enim loquatur de certitudine sententiæ adeo magna, ut oppositum asserere mereatur aliquam censuram theologicam, fatemur nostræ sententiæ eam certitudinem non inesse, quippe recognoscimus opinionem oppositam esse probabilem, saltem ob authoritatem Suarii eam defendentis

Nota. Teod.

D. Amb.

Lyra.

Religi si vet ris leg

Suari concl sio.

Revoc tur a exame

dentis. Sed in hac causa non melior est conditio partis contrariæ; nec enim sibi vindicat tale genus certitudinis, quale nobis negat. Si autem loquatur de certitudine prudentiali, morali, aut historiali, qualis in factis antiquis ad fidem non pertinentibus desiderari valet; immerito dicit, nihil certi de modo paupertatis filiorum Prophetarum affirmari posse; nam quæ § *præced.* diximus, satis evincunt, fuisse pauperes in proposito, et voto. In quo probabilius loquimur, quam Suarez, quippe proferimus gravium Doctorum nobiscum sentientium positiva testimonia; cum ipse hoc subsidio destituatur, et solum negative argumentetur, ut constat ex supra dictis.

DUBIUM IV.

Utrum in Ecclesia ante legis Evangelicæ tempus fuerit votum obedientiæ.

Aliqui in veteri lege.

53. Facilius nos ab hoc dubio, quam a præcedentibus expediemus; quia circa ejus materiam frequentior mentio, pluraque testimonia occurrunt in Scriptura. Unde supponendum est, aliquos in veteri Testamento observasse obedientiam erga aliquem Superiorem. Nam Rechabitæ *Hierem.* 35, laudantur, qui ut patri suo Jonadab obedirent, *non bibebant vinum, non serebant agros, etc.* Præterea, *sine aliquo obedientiæ genere impossibile est in congregatione vivere*, ut recte asserit Suarez *tom.* 3, *de Relig. lib.* 3, *cap.* 1, *num.* 12. Filii autem Prophetarum Eliæ, et Elisæi discipuli, vivebant in congregatione, et collegiis, ut *num. præced.* vidimus ex Lyrano. Unde Abulensis 4, *Reg. cap.* 2, *quæst.* 9, ex Hebræis et eodem Lyrano refert : « Isti non « erant filii Prophetarum secundum car- « nem, sed erant discipuli eorum; et voca- « bantur filii, quia discipuli vocantur filii « magistrorum. Et isti erant multi viri ha- « bentes vitam religiosam, qui volebant « esse perfectiores reliquis de populo, et « conveniebant in locum unum, ubi erant « Prophetæ, et ibi vacabant doctrinæ eo- « rum, et laudibus Dei. Erant autem congre- « gationes istorum per diversa loca, etc. » Et *quæst.* 11, addit : « Filii Prophetarum « volebant, quod Elisæus succederet loco « Eliæ in principatu prophetiæ; ideo reve- « labant ei recessum ejus, ut priusquam « recederet, peteret ab eo donum eminen- « tiæ inter Prophetas, ne manerent omnes « illi prophetæ minores tanquam sine ca- « pite. Motivum autem est, quia Elias erat « caput omnium Prophetarum, qui tunc « erant, tam in eminentia prophetiæ, quam « in signorum operatione; quia non legitur « de alio Propheta, quod manente Elia in- » ter homines, faceret mirabilia. Ipse au- « tem erat princeps cæterorum, tam in « doctrina morali, quam in eruditione legis, « et exemplo vitæ, et gerebat curam de omni- « bus collegiis Prophetarum in terra Is- « rael. » Suarez *tom.* 4, *de Relig. lib.* 2, *cap.* 10, *num.* 13, inquit : « Elias fuit præcep- « tor, Elisæus discipulus : ille pater, hic « filius, sicut ipse clamabat, Pater mi, Pa- « ter mi : ille quasi author, et institutor « illius vitæ generis; hic sectator, et hæres. « In reliquis vero fuit convenientia; nam « ex quo Elisæus jussu Dei vocatus fuit ab « Elia, et illum sequi cœpit, ei perpetuo « ministravit, 3. Reg. 19, usque ad 4, « Reg. 3. Post raptum vero Eliæ eundem « Carmelum incoluit, ut ex citato loco colli- « gitur, et communiter Authores docent, « atque Eliæ in spiritu, et ministerio suc- « cessit. Unde 4, Reg. 3, in hujus rei si- « gnum filii Prophetarum venerunt in oc- « cursum ejus, eumque adoraverunt, et « tamquam caput, et principalem Prophe- « tam, Eliæque successorem agnoverunt. »

Suarez. Filii prophetarum

Abulens.

Excellentia Eliæ.

Quæ omnia absque aliquo subordinationis, aut obedientiæ vinculo vix intelligi possunt. Videamus nunc, an prædicta obedientia fuerit cum voto aliquo simplici; quod enim in eo veteri tempore non habuerit solemnitatem, qua modo in religiosis gaudet, citra controversiam supponimus.

Punctus difficultatis.

§ 1.

Præfertur sententia affirmativa, et pluribus suadetur.

54. Dicendum est, in veteri lege fuisse simplex votum obedientiæ, et aliquos illo se ligasse ad parendum Superiori. Sic docent Authores infra referendi, et alii plures, quos dabimus *n.* 104. Probatur primo ratione desumpta ex proxime dictis, quia filii Prophetarum præstabant obedientiam Eliæ, et post illum Elisæo tanquam superiori : ergo ex voto. Probatur consequentia; nam ideo amplectebantur obedientiam, quia cognoscebant eam multum conferre ad perfectionem, in quam supra vulgares collimabant; sed etiam cognoscebant per-

Conclusio.

Fundamentum.

fectiorem esse obedientiam ex voto, quam sine illo ; et propterea eo tempore frequentissimus erat votorum usus circa alia opera : ergo Prophetarum filii fecerunt obedientiæ votum.

Confirmatio. Confirmatur, quia nequeunt plures in communitate vivere absque obligatione obediendi alicui superiori ; quippe ubi plures unius capitis regimini non subduntur, ibi non unitas, aut communitas, sed potius pluralitas, et confusio apparet : sed filii Prophetarum vivebant in communitate, ut constat ex dictis *num. præced.* Ergo habebant obligationem alicui superiori : atqui hujusmodi obligatio non oriebatur ex aliqua lege, siquidem hæc assignari non valet : ergo oriebatur ex eorum libera promissione, seu voto, atque ideo emittebant

Tamb. votum obedientiæ. Unde Tambur. *de jure Abbatum tom.* 1, *disp.* 2, *q.* 1, inquit : « Cum autem constet Essenos, et filios Pro- « phetarum communem vivendi rationem « in uno corpore, seu congregatione obser- « vasse, probabiliter dicendum est, ipsos « unum caput, et unum ducem etiam sibi « constituisse, cui obedientiam promitte- « rent, alias nec ordinate vivere potuis- « sent. »

Effugium ex Suario. Nec satisfacit, si cum Suario respondeatur, ad id non requiri votum, quod est actus virtutis religionis ; sed sufficere aliquid, inferius, utputa pactum, aut promis-

Præcluditur. sionem humanam. Non contra hoc est, quod vita illa communis filiorum Prophetarum non ordinabatur ad finem politicum, sed ad majorem cultum Dei, et eminentiorem profectum in virtute, quibus ut magis insisterent, eligebant cum alia media, tum obedientiam præstandam uni Superiori, per quæ a vulgari modo vivendi aliorum satis distinguebantur ; atque ideo promissio, qua obedire alicui spondebant, fiebat principaliter Deo, ad quem peculiarem illum modum vivendi ordinabant ; votum autem non aliud est, quam promissio Deo de meliori bono : ergo promissio, qua se ad obediendum superiori obstringebant, erat determinate votum obedientiæ. Quod facile viderunt graves Authores. Franciscus Somnius *in demonstrat. Evang. c.* 2, inquit : « In hac perfecta obedientia filii

Gravium auctorum testimonia. Franc. Somnius. « itidem Prophetarum illustres facti sunt « in scripturis, quod abnegata propria vo- « luntate subderent se per omnia unius « obedientiæ, qui in spiritu prophetico cæ- « teris clarior erat, idque in admiranda « rerum indigentia, et vitæ abstinentia, « ut legere est 4 Reg. In novo autem Tes- « tamento ante omnes claruerunt hac per- « fecta obedientia fidei nostræ Duces, qui « dimissis omnibus, etc. » Robertus Arbo- Robert Arborie ricensis *tom.* 2, *de tuendo sacro cœlibatu, pag. nobis* 36, ut propositam ibi conclusionem probet, nempe : *Vota obedientiæ antiquissimum institutum, etc.* ait : « Ut « autem ex nominis vetustate rei etiam « deprehendatur antiquitas, constat filios « Prophetarum olim appellatos, in quos « ipsi Prophetæ jus paternum exercerent, « eos et eruditione instituendo, et mori- « bus. Erat ergo pater spiritualis is, quem « hodie Abbatem vocamus, sicque ab eo « tempore in hanc usque ætatem deducta « est spiritualium selecta, ac vere monastica « obedientia. Cui præstandæ obnoxii erant, « qui filii dicebantur Prophetarum. Non « enim alia ratione filii aut dicebantur, « aut erant, quam aut morum disciplina, « aut sapientiæ eruditione. Hi nimirum « erant, quorum vetustatem recenset in He- « bræis Divus Paulus, dum ait : Circumie- « runt melotis, in pellibus caprinis, egen- « tes, angustiati, afflicti, quibus dignus « non erat mundus. Tales, inquam, erant « hi quibus Elisæus tuguriola extruenda « curavit, et quos alioqui fame perituros « aluit, 4. Reg. 4, et 6. Hos sola obedien- « tia filios faciebat, et morum disciplina. « Non est ergo recens inventum obedien- « tiæ monasticæ, aut res, aut nomen ; nam « de ea speciatim loquimur. » Denique Salianus (ut in aliis referendis prolixitatem vitemus), anno 3138, *num.* 12, Eliam introducit, qui a discipulis discessurus, eos in hunc modum alloquitur : « Habetis Eli- « sæum disciplinæ religiosæ præpositum, « ac Magistrum, cui secundum Deum ob- « temperabitis, quicumque in Carmelo, « et Bethel, et in Galgalis, et in Ayoth, et « ad Jordanem, et in Gabaa, cæterisque « locis divinæ militiæ, et religiosæ profes- « sioni nomen dedistis : in ejus manibus « vota vestra offeretis Deo. » Quibus verbis palam significat, illos ex voto obtemperaturos fore Elisæo tanquam supremo post Eliæ raptum in ea congregatione Prælato. Ad quod significandum inquit Lyra relatus n. 50 : *Adoraverunt eum adoratione duliæ, tanquam Superiorem suum, eo quod substitutus esset loco Eliæ, sub cujus regimine vixerant.* Salian.

55. Probatur secundo, et specialiter eadem

Expenditur aliud motivum.

dem assertio in Elisæo filiorum Prophetarum post Eliam duce, ac magistro, inde enim magis elucebit obedientiæ votum in membris, si illud ostenderimus præfuisse in capite. Quod ergo Elisæus ex voto obedientiæ sequutus fuerit Eliam, eique obtemperaverit, colligitur satis urgenter ex sacro textu, 3. *Reg.* 19, ubi dicitur : « Cumque « venisset Elias ad eum, misit pallium su- « per illum. Qui statim relictis bobus cu- « currit post Eliam, et ait : Osculer oro pa- « trem meum, et matrem meam, et sic « sequar te. Dixitque ei : Vade, et rever- « tere ; quod enim meum erat, feci tibi. » Et post pauca : *Consurgensque abiit, et sequutus est Eliam, et ministrabat ei.* Cujus testimonii vis ut magis percipiatur, est observandum cum Valentia 2, 2, *disp.* 10, *quæst.* 4, *punct.* 1, § 5, in Scriptura non directe commemorari obedientiæ votum : ex ea tamen colligi, quod recte fiat. Colligitur autem potissimum ex verbis Christi Domini, Matth. 19 : « Si vis perfectus esse, « vade, et vende omnia, etc. Et veni, et « sequere me. » Nam perfecta sequela importat votum, quo quis ita alium sequatur, ut non possit retrocedere, nec agere nisi ex ejus imperio. Unde qui obedientiæ voto ligatur, similis est crucifixo, ut optime docet Cassian. *lib.* 4 *de instit. Cœnob. cap.* 35; qui enim cruci affigitur, non solum non ambulat quo vult, nec facit quæ vult ; verum nec ambulare, nec agere potest, nisi moveatur ab alio.

Votum obedientiæ Elisæo, 3 Reg. 19.

Valent.

Matth. 19.

Cassian.

Hinc expenditur relatum testimonium, et reducitur ad formam argumenti in hunc modum : Quia Apostoli perfecte sequuti sunt Christum Dominum eos vocantem, merito colligitur, ipsos emisisse obedientiæ votum, quo promiserunt, seque obstrinxerunt ad sequendum Christum, et faciendum quæ ipsis præciperet : sed Elisæus perfecte sequutus est Eliam, qui jussu Dei illum vocavit ad perfectiorem vivendi modum : Ergo Elisæus fecit votum sequendi Eliam, et faciendi ejus mandata. Probatur minor, quia inde probatur Apostolos perfecte sequutos fuisse Christum, quia statim ad vocem ejus, relictis omnibus sequuti sunt ipsum, juxta illud Petri, *Ecce nos reliquimus omnia, et sequuti sumus te :* sed etiam Elisæus vocatus ab Elia, statim relictis omnibus illum sequutus est, ut constat ex testimonio relato : ergo Elisæus perfecte sequutus est Eliam jussu Dei illum vocantem. Unde D. Chrysost. *hom.* 14, *ex variis in Matth.* agens de obedientia Apostolorum, inquit : « Perpende fidem, et obe- « dientiam vocatorum ; cuncta illico re- « linquentes fecerunt, quod Elisæus quoque « sub Elia legitur implesse. » Et Abulensis relatus *num.* 44, promptitudinem Elisæi ponderans, ait : « Hoc exemplum sequu- « tus est B. Matthæus, qui a Christo vocatus « reliquit omnia, etc. » Et Dionysius Carthus. 3, *Reg.* 19, *art.* 18, inquit : « Quo « facto monstravit se nolle ad pristinum « reverti officium, sed Eliæ inseparabiliter « adhærere, sub obedientia tanti Vatis vi- « vendo. » Et Lyranus ibidem ait : *Volens omnino adhærere ei, motus instinctu Spiritus sancti.* Tandem Hugo Cardinalis *num.* 44 relatus : *Religionis votum fecit.*

D. Chry.

Abul.

D. Cart.

Lyra.

Hugo Card.

56. Confirmatur primo : nam quod Apostoli fecerint votum sequendi Christum, illique obediendi, recte colligitur quasi a posteriori ex modo firmo, et stabili, quo ipsum sequebantur, ut recte tradit D. Thom. *in hac* 2, 2, *q.* 186, *art.* 6 *ad* 1, his verbis : « Ad perfectionem vitæ Dominus pertinere « dixit, quod aliquis eum sequatur non « qualitercumque, sed ne ut ulterius re- « tro non abiret. Unde et ipse dicit Luc. « 9 : Nemo mittens manum ad aratrum, et « respiciens retro, aptus est regno Dei. Et « quamvis quidam de discipulis ejus re- « trorsum abierint, tamen Petrus loco « aliorum Domino interroganti, Nunquid « et vos vultis abire ? Respondit, Domine « ad quem ibimus ? Unde et Augustin. di- « cit in lib. de consensu Evangelist. quod « sicut Matthæus, et Marcus narrant, Pe- « trus et Andreas, non subductis ad terram « navibus, tanquam causa redeundi, se- « quuti sunt eum, sed tanquam jubentem, « ut sequerentur. Hæc autem immobilitas « sequelæ Christi firmatur per votum. » Constat autem Elisæum habuisse eandem proportionabiliter immobilitatem in sequendo Eliam, qui ipsum Dei mandato vocaverat ad institutum vitæ propheticæ. Quod manifeste ostenditur tum ex testimoniis proxime relatis, tum ex eo, quod Elisæus Eliam semper sequutus est : tum, et evidentius, quia cum Elias vellet ab Elisæo discedere, hic constantissime ter asseruit : *Vivit Dominus, et vivit anima tua, quia non derelinquam te.* Ita 4, *Reg. cap.* 2. Quibus verbis satis declaravit, quam immobiliter sequeretur Eliam. Unde Lyra eo loco, ad illud, *Silete*, ait : *Volebat manere cum magistro suo, quantum poterat.* Et Abulensis

Roboratur amplius.

D. Tho.

Magna Elisæi obedientia.

4 Reg. 2.

Lyra.

Abul. *quæst.* 5, sic explicat verba Elisæi : « Juro « per vitam Dei, et per vitam tuam, quod « non derelinquam te, sed ibo tecum quo- « cumque ieris. » Et *quæst.* 10, ait : « Cum « juramento asseruit Elisæus, quod non « dimitteret Eliam, ut Elias visa pertina- « cia » (sic exaggerat immobilitatem sequelæ) « et obstinatione voluntatis Elisæi, « non molestaret eum super hoc, quod ma- « neret, et ipse solus iret. » Ergo sicut ex facto Apostolorum recte colligitur, quod adhæserint Christo Domino per votum obedientiæ, sic etiam recte probatur, quod Elisæus ex voto obedientiæ Eliam sequutus fuerit. Et quam firma, et stabilis fuerit hæc sequela, quamque ex indivulso cordis affectu processerit, magis adhuc expressit Elisæus, cum immensum dolorem ex absentia, seu raptu Eliæ ortum manifestavit : *Et non vidit eum amplius* (inquit sacer textus). *Apprehenditque vestimenta sua, et scidit illa in duas partes.* Ubi Lyra : *Eo quod non posset amplius magistro suo associari.*

Cajet. Et Cajetanus : *Orbatus patre, more lugentium scidit vestimenta sua vera scissione.* Et Abulensis quæst. 19 : « Istud fuit, quando « disparuit Elias ; nam quando videbat « eum in curru igneo, loquebatur ad ip- « sum, et non affligebatur ; cum vero dis- « paruit, doluit, et scidit vestimenta sua in « duas partes, scilicet per partem anterio- « rem resecando ea a pectore usque ad de- « orsum. » Et quæstione sequenti addit : « Elisæus dolebat nimis de raptu Eliæ, eo « quod sub umbra ejus vivebat, et ab eo « eruditus fuerat, ipseque erat princeps « omnium Prophetarum. » Profecto non majora legimus in Scriptura doloris signa in Apostolis ob mortem, et absentiam Christi Domini. Si ergo ex modo, quo Apostoli Christum Dominum sunt sequuti, hoc est firmiter, et immobiliter, et non abeundo retrorsum, bene colligitur, quod Apostoli emiserint votum obediendi magistro : cur ex eodem proportionali modo, quo Elisæus sequutus est Eliam, non colligetur, quod voto se obstrinxerit ad eum sequendum, ipsique obediendum ?

Fulcitur motivum. Confirmatur secundo : nam quod subditus recognoscat, se non posse facere absque superioris licentia, quæ prius poterat ; et quod superior possit subdito præcipere, ipsumque ad aliquid faciendum obligare, sunt urgentia signa voti obedientiæ, cum prædicti effectus nequeant aliunde, quam ex simili voto oriri, ut recte observant Basilius Pontius *lib.* 7 *de Matrim. cap.* 13, *num.* 2, et Suarez *tom.* 3 *de Relig. lib.* 2, *cap.* 15, *num.* 17, et *lib.* 3, *cap.* 1, *numero* 8. Atqui Elisæus recognovit, se non posse absque Eliæ licentia facere, quod prius poterat ; et Elias ipsi præcepit, eumque obligavit ad aliquid faciendum : Ergo Elisæus fecit obedientiæ votum, ut sequeretur Eliam. Minor constat ex verbis supra relatis num. 55. *Osculer, oro patrem meum, etc.* Unde Abulensis ad locum citatum quæst. 24 : « Id est, rogo te, ut des mihi li- « centiam eundi ad osculandum patrem, et « matrem. Petivit autem licentiam, quia « putavit quod non poterat jam aliquid « agere contra præceptum Eliæ. » Et *quæst.* 27, inquit : « Consensit Elias, quia per hoc « non multum impediebatur a sequendo « eum ; ideo dixit : vade, et revertere ; id « est, non moreris apud eos detentus pre- « cibus, vel blanditiis eorum. Quod enim « meum erat, feci tibi ; id est, revertere, « quia si non veneris, aut moratus fueris, « tu peccabis, etc. » Ex quibus liquet, Eliam præcepisse Elisæo sub culpæ reatu, istumque recognovisse, non posse deinceps agere sine illius licentia. Quod etiam expressit Salianus *anno* 3127, *n.* 26, ubi ait : « Postulatio autem significat injectam a « Deo novo Prophetæ necessitatem sequen- « di Eliam ; nam si id sibi liberum puta- « ret, non peteret ab Elia quasi a magistro, « ac domino suo veniam salutandi parentes ; « nec Elias ita eam daret, ut simul reverti « juberet. »

Basil. Pont. Suarez. Abul. Salian

57. Tertio probatur nostra conclusio *ex cap.* 35, *Hierem.* ubi inquit Propheta : « Et « posui coram filiis domus Rechabitarum « scyphos plenos vino, et calices, et dixi ad « eos : Bibite vinum. Qui responderunt : « Non bibemus vinum, quia Jonadab, fi- « lius Rechab, præcepit nobis dicens : non « bibetis vinum vos, et filii vestri usque in « sempiternum, et domum non ædificabi- « tis, et sementem non seretis, et vineas « non plantabitis, sed in tabernaculis habi- « tabitis cunctis diebus vestris. Obedivimus « ergo voci Jonadab, filii Rechab, patris « nostri in omnibus, quæ præcepit nobis. » Et quibus sic formatur argumentum. Rechabitæ recognoscebant se obligatos ad non bibendum vinum, et ad alias observantias proxime relatas, juxta præceptum patris sui : atqui hujusmodi obligatio non oriebatur primario ex præcepto aliquo : ergo oriebatur ex voto, quo Rechabitæ voluerunt

Proponitur tertium assertionis fundamentum. Hierem. 35.

se

se obstringere ad obediendum patri suo in prædictis observantiis, et consequenter in Rechabitis, atque adeo ante statum legis Evangelicæ fuit obedientiæ votum. Hæc secunda consequentia patet ex prima, quæ recte infertur ex præmissis : quia non occurrit principium aliquod, ex quo ad prædictas observantias obligarentur, nisi vel præceptum, vel votum. Si ergo præceptum non fuit, sequitur quod votum fuerit. Minor autem, in qua poterat esse difficultas, facile ostenditur : tum quia nullibi reperitur tale præceptum naturale, aut positivum, divinum, vel humanum : tum quia illæ observantiæ secundum se erant opera consilii, sicut forent etiam, si modo fierent in statu legis Evangelicæ : ergo antecedenter ad votum non cadebant sub præcepto.

Evasio. P. Mart. 58. Nec satisfacit, si cum Petro Martyre *in lib. de votis*, respondeatur, quod licet Deus immediate non jusserit Rechabitis prædicta observare, jussit tamen mediate, quatenus præcepit quod filii parentibus obediant ; unde ex prædicto loco non infertur, quod obedientia in illis observantiis fuerit opus consilii, nec quod obligatio obediendi fuerit ex voto.

Confutatur. Bellarm. Hæc, inquam, evasio non satisfacit, sed eam efficaciter refellit Bellarmin. *in lib. de Monach. cap.* 21 *de voto obedientiæ*, cujus impugnationes, et verba transcribemus. Refellitur, inquit, *primo* ex testimonio Rabani, qui in commentario hujus loci dicit (formalia ejus verba dedimus *num.* 47 *in fine*), filios Jonadab plus fecisse, quam lex divina præceperat. *Secundo* ex ipso textu Hieremiæ ; nam Deus eo loco exemplo filiorum Jonadab reprehendit populum suum, quod illi obedirent voci unius hominis ; ipse autem voci ipsius Dei obedire noluerit : « Firmaverunt, *inquit*, filii Jona- « dab, filii Rechab præceptum patris sui, « quod præceperat eis ; populus autem iste « non obedivit mihi. » Quæ Domini ratio plane frigeret, si filii Jonadab divino præcepto obstricti fuissent obedire patri suo in rebus illis, ut non biberent vinum, etc., tunc enim nulla esset antithesis inter Deum, et creaturam ; nam filii Jonadab obedivissent Deo, et filii Israel non obedivissent Deo. *Tertio*, idem colligitur ex laude, et remuneratione divina ; non enim tantopere Deus laudasset filios Jonadab, nisi aliquid singulare fecissent. *Postremo* id ipsum ratio manifesta suadet ; nam etiamsi teneantur filii obedire parentibus, non tamen tenentur obedire in omnibus rebus, postquam ad annos pubertatis pervenerint. Est enim unusquisque sui juris in eligendo statu, et genere vitæ ; alioqui nihil interesset inter servos, et liberos, si semper, et in omnibus rebus filii in patris potestate essent. Quod vero D. Paulus ait ad Colossens. 3 : *Filii obedite parentibus per omnia*, vel ita intelligi debet, ut illud *per omnia*, significet per omnia ad quæ patria potestas se extendit, ut recte docet D. Thom. *in* 2, 2, *quæst.* 104, *art.* 5. Quemadmodum si quis diceret, oportere milites obedire Imperatori per omnia, exponendum esset per omnia, quæ ad militiam pertinent. Vel certe tenentur filii per omnia parentibus obedire, sed dum parvuli sunt ; nam ut dicitur ad Galatas 4 : *Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt a servo.* Et Dominus ipse parentibus subditus erat, cum puer esset, ut legimus *Luc.* 2. Hæc omnia Bellarminus, quibus opus non est aliquid roboris adjicere, cum ex eis plane constet, obligationem qua Rechabitæ tenebantur obedire parenti in eis observantiis, ortum non duxisse ex præcepto ; inde enim liquido infertur, quod processerit ex voto, quo ad obediendum se obstrinxerant. Tantum addimus alterius viri docti judicium, Abrahami Bzovii *in Thes. Deip. serm.* 34, ubi ait : « Quod vero præceptum votum fuerit, quo « illos ligaverat pater suus, apud Patres « plusquam clarissimum est. » Et eodem sensu Dionys. Carthus. *ad locum Hierem. artic.* 58, dixit : *Religiosæ vitæ modum posteris suis præfixit* : Et Abulensis 1, *Paralipom. cap.* 2, *q.* 21 de Rechabitis asserit : *Isti erant viri religiosi in veteri Testamento, sicut sunt monachi.*

Coloss. 3.

D. Tho.

Abrah. Bzovius.

Dionys. Carthus. Abulens.

An vero eorum aliqui observaverint continentiam, quæstio est diversa a præsenti difficultate, quam attingemus *n.* 99.

Confirmatur urgenter ex Concilio Senonensi, *decret.* 9, *de vot. monast.* in quo religiosos monet ad suorum votorum observationem exemplo Rechabitarum. « Si quis, « *inquit*, votum aliquod hujuscemodi vo- « verit Domino, etiamsi perpetuum fuerit, « non faciet irritum ; sed Deiparæ Virgi- « nis, Annæ matris Samuelis, et Rechabi- « tarum exemplo omne quod promisit, « implebit. » Supponit igitur ea, in quibus Rechabitæ dixerunt se obedivisse Jonadab patri suo, ipsos ex voto obedientiæ præstitisse. Recolantur quæ supra diximus *num.* 47.

Confirmatio. Concil. Senon.

Quartum conclusionis fundamentum.

Ultimum nostræ assertionis fundamentum desumitur ab his, quæ de Essenis ante statum Evangelicæ legis referunt Authores antiqui; nam inter peculiares instituti ejus observantias recensent obedientiam, quam superiori præstabant, ut constat ex Josepho *lib.* 2, *de bello Judaico*, *c.* 7, ibi: « Venera- « tio quoque apud eos magna legislatoris « est. » Et iterum: « Senibus quoque obe- « dire, et plurium quoque decreto, proba- « bile arbitrantur officium. » Tandem: « Nihil sine præcepto faciunt curatoris. » Et Serarius *lib.* 3, *Trihæres. cap.* 4, ex eodem Josepho refert: « Nihil est, quod non « agant ex curatorum suorum imperio. » Quod vero ad hujusmodi obedientiam, sicut ad reliquas proprii instituti observantias voto se obligaverint, liquido constat ex dictis *num.* 29, ubi ex Josepho, et Cedreno ostendimus, Essenos neminem ad suam professionem admisisse, qui prius juramento non statuisset eam observare. Idque magis respiciebat obedientiam superioribus præstandam, ut constat ex Josepho apud Serarium *loco citato*, ubi refert: « Prius quam communem attingat ille vic- « tum, Sacramentis se obstringit horribi- « libus, quæ sunt hæc, etc. Quarto quod « requirit fides, se semper exhibiturum « omnibus, maxime his, qui præsunt. » Juramentum autem in his rebus æquivalet voto, ut præter Sanchez *num.* 29 relatum, tradit Suarez *tom.* 3, *de Relig. lib.* 6, *cap.* 1, *num.* 3, ubi bene observat, professionem religiosam apud antiquos Patres aliquando votum, aliquando juramentum appellari. Ergo Esseni in veteri lege, sive ante legis Evangelicæ statum emittebant obedientiæ votum.

Joseph.

Serar.

Votum obedientiæ in Essenis.

§ II.

Refertur opposita sententia, et ejus fundamenta convelluntur.

Opinio contraria Suar.

60. Contrariam nobis opinionem defendunt Suarez *tom.* 3, *de Religione. lib.* 3, *c.* 1, *a n.* 8, et alii. Quorum primum, et commune motivum est, perfectionem voti obedientiæ esse propriam legis Evangelicæ, et repugnare imperfectioni legis antiquæ. Sed ad hoc motivum satis superque constat ex dictis *num.* 24, 33 et 48, unde supervacaneum est in eo diluendo immorari.

Secundum motivum est, quia in lege veteri non fuit status religiosus. Sed hoc non premit, nec præsenti difficultati adaptari valet, quia modo agimus de voto obedientiæ secundum se, quo pacto reperiri valet extra statum religiosum, ut patet in pluribus communitatibus, quæ religiones non sunt.

Motiva communia infringuntur.

Tertium motivum, quod fusius expendit Suarez, est pure negativum; ponderat enim prædictus Author, et sæpius ponderat, et inculcat, quod licet constet Elisæum ministrasse Eliæ, et filios Prophetarum fuisse sub aliquali cura Elisæi; nihilominus non certo constat, ipsos emisisse obedientiæ votum, nec ad id asserendum datur fundamentum sufficiens. Sed ad hoc motivum patet ex dictis § *præced.* quæ valde probabiliter ostendunt, Elisæum obedivisse Eliæ, et filios Prophetarum Elisæo, non utcumque, sed ex voto. Quod si Suarius in hac materia quærat majorem certitudinem, quæ vel afferat evidentiam, vel excludat probabilitatem partis contrariæ, profecto fallitur; quia nec nostra sententia affirmans, nec ipsius negans excedit limites sententiæ probabilis historialis; cum hoc tamen discrimine, quod nos positive affirmamus, ob positiva argumenta, signa, et testimonia gravium Doctorum, quæ § *præcedenti* expendimus: ille vero pure negative arguit, nullum producens testimonium veteris alicujus Authoris, qui neget votum obedientiæ in tempore legis antiquæ; neque enim potest. Porro quam inefficax sit in hac materia talis arguendi modus, jam præmisimus in limine præsentis disputationis, et magis ostendemus infra *numero* 149.

Nota.

Speciale argumentum.

61. Aliud motivum brevissime attingit Suarez, quod hic non dissimulare, imo fusius expendere oportet; quia non solum impugnat dicta in hoc dubio, sed quæ in præcedentibus diximus, potestque impedimento esse infra dicendis. Est autem hujusmodi: nam Esseni illi, quorum exemplo nostram assertionem firmavimus, non habuerunt tempore legis veram, et sanam fidem: ergo nec verum, et laudabile obedientiæ votum. Consequentia videtur nota; nam votum est actus religionis colentis Deum, quem profecto infidelis non colit. Antecedens autem suadetur *primo*, quia nomen *sectæ*, et *hæresis*, in malam partem accipitur, et denotat aliquid sanæ fidei contrarium; instituto autem Essenorum in veteri lege nomen *sectæ* tribuit Philo *in lib.*

de

Philo. Joseph. *de vita contemplat.* et nomen *hæresis* Josephus *lib.* 18, *Antiquit. Judaicar. cap.* 2, in D. Epip. ipso titulo. *Præterea*, quia Divus Epiphanius *hæresi* 10, dicit Essenos fuisse genus Samaritanorum, qui erant hæretici in lege veteri. Et rursus hæresi 19, *Ossenos* (qui idem videntur cum Essenis), hæreticos vocat. S. Nilus. Unde S. Nilus in Ascetico, in principio de Essenis agens, inquit: « Habuerunt qui« dem mores similes moribus Monacho« rum; sed quia fide in Christum caruc« runt, nihil eis profuerunt sancti mores. » Si autem caruerunt fide in Christum, nullam veram fidem habere potuerunt. *Ultimo*, quia prædicti Esseni plura habuerunt superstitiosa, et contraria legi Moysis tunc obliganti, ut satis manifeste col igitur ex Josepho *loc. cit.* Nam, relicto Templo Hierosolymitano, seorsim sacrificabant, suas lustrationes sacrificiis a Deo institutis præponebant, precabantur Solem tanquam Deum, in fatum cuncta referebant, et in pluribus a Pythagoricis, qui certe superstitiosi fuerunt, nihil distasse videntur.

Prima argumenti solutio. Huic argumento posset occurri permittendo cuncta quæ affert, nempe Essenos non habuisse sanam fidem, et ex hac parte obedientiam, quam vovebant, non fuisse Deo acceptam. Inde tamen minime concluditur, quod in veteri Testamento votum obedientiæ non fuerit ab aliquibus laudabiliter observatum; sed magis infertur oppositum. Nam iidem Authores, qui referunt Essenorum institutum (et ex quibus colligi posset, quod in aliquibus erraverint), palam tradunt, ipsos promisisse Superioribus obedientiam, in quo minime illos reprehendunt, sed laudant potius, et commendant. Quod ex Judæis minime facerent Josephus, et Philo, si obedientiæ votum esset res eo tempore inusitata, novitasque a solis Essenis introducta. Quidquid ergo sit de Essenorum fide, ex eorum tamen voto obedientiæ ab Authoribus relato, ac laudato infertur, ejus usum non meruisse reprehensionem in veteri Testamento, maxime associatum rectæ fidei, qualem dubium non est habuisse Elisæum, et filios Prophetarum, quos vovisse obedientiam supra ostendimus.

Melior responsio. Respondetur secundo, et melius negando antecedens; oppositum enim evincunt irrefragabilia argumenta. *Primum*, quia si Esseni tempore legis Mosaicæ fuissent hæretici, non laudarentur, nec commendarentur a Judæis multum suam legem zelantibus: atqui Judæi venerabantur institutum Essenorum, tanquam sanctissimum: ergo manifestum signum est, illos eo tempore non fuisse hæreticos, nec aliquid contra fidem docuisse. Minor liquet in utroque Josepho, et Philone eos laudantibus. Unde Abulens. *in c.* 22, *Levit. q.* 7, ait: « Esse- Defenditur recta Essenorum fides. « norum secta inter Judæos videbatur « sanctissima. » Et *cap.* 3, *Matth. q.* 63, ait: « Erant valde laudabiles, unde non « solum Judæi, sed etiam Gentiles eos « valde laudabant. » Abulens.

Secundum, quia Christus Dominus tres sectas, aut instituta reperit in Republica Judæorum, *Essenos* videlicet, *Sadducæos*, et *Pharisæos:* et cum non semel reprehenderit Pharisæorum, et Sadducæorum errores, nunquam legitur Essenos reprehendisse; id vero non omitteret, si eorum vita aliquid haberet reprehensione dignum: quod manifeste indicat eorum institutum fuisse eo tempore laudabile, et ab omni errore purum. *Tertium*, quia hæc est communis veterum, et recentium gravium Doctorum sententia. Quantum eos laudent Soto, et Medina, vidimus *n.* 30 et 48, ex quibus ille palam affirmat, S. Joannem Baptistam sequutum fuisse institutum Essenorum. Bergomens. *in Supplem. Chron.* Bergom. *circa annum Christi* 30, ait: « Nec inho« nestus sermo unquam de illis in histo« riis habitus est. » Baronius in Apparatu, Baron. § *Tres*, ait: « Vitæ moribus fuisse conspi« cuos omnes uno ore fatentur. » Serarius Serar. *in Trihæres. lib.* 3, *c.* 5, inquit: « Neque, « quod sciam, veterum ullus est, qui tur« pissimam iis hæreseos notam inurat, « quin a multis valde laudantur. » Robert. Robert. Arboricens. *tom.* 1, *de tuendo sacro cœli-* Arboric. *batu, pag. nobis* 22, ait: « Essenos male « aliquando audisse, Christoque fuisse in« fensos, nusquam reperies. » Similia proferunt Vasq. *tom.* 2, *in* 3 *part. disp.* 124, Vasq. *c.* 3, Basil. Pont. *lib.* 4, *de Matrimonio, c.* Basil. Pont. 19, Adrianus Adrianius *in lib. de vitæ Mo-* Adrian. *nast. orig. c.* 2, Cornel. a Lapide *in c.* 10, Adrian. Corn. a *Num. vers.* 29, § *Denique*, Cellot. numero Lap. Cellot. sequenti referendus, et quotquot alii de Essenorum instituto, ac rebus tractarunt. Imo tantam fuisse eorum probitatem, ut inde Essenorum, aut Essæorum nomen adepti fuerint, tradit S. Joan. Chrys. *hom.* 44, *in Acta Apost.* Unde non leviter decep- Suspicio Suarii explodi- tur. tus est Suarez ubi supra, *n.* 13, cum de Essenis dixit: « Etiam illo tempore non cre« duntur habuisse veram, et sanam fidem. »

Diluitur primum motivum.

62. Ea vero, quæ ad probandum objectionis antecedens proposuimus, facile explicantur. Ad primum respondetur, quod licet nomen *hæresis*, et *sectæ* apud Christianos in malam partem accipiatur, non sic apud Scriptores prophanos; hi enim hæresis vocabulo significant opinionem, quam sibi quis eligit, ut constat ex Caleno in libro, quem *de hæresibus* scripsit: et *sectæ* nomine significant institutum, formamque vivendi, ut liquet ex Cicerone *in Verrem.* Et in hoc sensu istas voces usurparunt Josephus, et Philo, ut evidenter patet ex eo, quod illis utuntur, cum laudant Essenos tanquam viros sanctos, et religiosos.

Galen. Cicero.

Occurritur secundo.

Ad secundum respondetur, D. Epiphan. in priori testimonio loqui de Essenis Samaritanis, sive de hominibus eo tempore schismaticis, qui cum vidissent Essenorum institutum apud Judæos florere, conati sunt illud imitari, sicut etiam imitabantur plura alia; licet revera postquam cum Jeroboam a regno Judææ discesserunt, fuerint hæretici. Inde vero non infertur, quod Esseni Judæorum non fuerint catholici, pii, et religiosi; adest enim opposita ratio, cum apud illos manserit vera fides, juxta illud Christi Domini ad mulierem Samaritanam, Joan. 4. « Vos adoratis, quod nescitis: nos « adoramus, quod scimus, quia salus ex « Judæis est. » Sicut neque ex eo, quod monachi S. Basilii, aut S. Antonii inter Græcos, et Moschos existentes sint schismatici, et hæretici, minime infertur idem dicendum esse de monachis, qui sub eodem titulo reperiuntur in Ecclesia Catholica. Osseni autem, de quibus S. Epiphanius in secundo loco agit, diversi omnino fuerunt ab Essenis, ut cum Drussio, et Scaligero recte probant Serarius *in Minerval. lib.* 5, *c.* 7, *et in Trihæres. lib.* 3, *c.* 5, et Ludovic. Cellot. *lib.* 9, *de Regularibus, c.* 3, ubi ait: « Essenos Philonis ab Ossenis S. Epiphanii « diversos esse arbitror, quidquid contra« dicat Salmasius. Id mihi suadent duo, « hominum doctrina, et mores. Nam prio« res nullo errore in vera fide adversus « Deum, nulla in moribus pravitate cor« rupti sunt; imo in Dei cultu cum summa « pietate versabantur, proque ea conser« vanda exquisitissimis affecti suppliciis, « omni tyrannorum crudelitate superiores « evasere. » Id quod additur ex S. Nilo, verificatur vel in Essenis Samaritanis, ut proxime dicebamus; vel, quod verosimile est, in aliquibus Essenis Judæis, qui Christi Evangelium recipere noluerunt; ex quo tamen non infertur, quod ante illud tempus fuerint hæretici. Videatur Baronius *tom.* 1, *anno* 64, § *Verus.*

Duo Essenorum genera.

Joan. 4.

Osseni alii ab Essenis.

Serar. Cellot.

Baron.

Ad tertium respondetur, Essenos Judæorum nihil superstitiosum observasse. Nam quod dicitur de sacrificiis, aut lustrationibus extra templum Hierosolymitanum, ad Essenos Samaritanos referendum est. Aut forsan Josephus loquitur de Essenis jam Christianis, quos ipse videre potuit; nam hi relictis ritibus Judæorum, Baptismo, Eucharistia, nostris Sacramentis cœperunt uti. Quod dicitur de adoratione Solis, minime urget, cum certum sit Essenos verum Deum coluisse, ut tradit ipse Josephus *lib.* 2, *de bello Judaico, c.* 7. Oriente vero Sole Deum specialiter adorabant; et inde æquivocatio processit. Unde Philo *in lib. de vita contemplat.* de eisdem Essenis agens, inquit: « Quotidie bis precari solent, mane, et sub « vesperam: oriente Sole, petentes diem « felicem, utque mentes eorum cœlesti re« pleantur lumine. » Sol autem licet corpora tangat, nequit mentes cœlesti luce replere.

Infirmatur tertium.

Joseph.

Philo.

Fati autem nomine non significabant fatum Stoicum, astrave, aut alias causas secundas, quæ liberas hominis electiones destruerent; sed catholicissime significarunt efficacem Dei voluntatem cuncta prædiffinientem, ut satis expressit ipse Josephus *lib.* 18 *antiquit. c.* 2, ubi ait: « Es« seni autem ad Deum cuncta redigunt. » Quod evidentius constabit observando cum Abulensi *in c.* 22, *Matth. q.* 123, tres præcipuas sectas fuisse apud Judæos, scilicet *Pharisæorum, Sadducæorum, et Essenorum.* In Evangeliis autem non fit mentio nisi de Pharisæis, et Sadducæis, quia Esseni non tentabant Christum, neque adversabantur ei in aliquo. Observat præterea idem Doctor, prædictas sectas habuisse diversas valde sententias; nam *c.* 3, *Matth. q.* 63, refert ex Josepho, quod Pharisæi, « fato « geri omnia credunt, sed neque liberum « arbitrium hominibus auferunt. » Componebant enim efficaciam divinæ voluntatis cum creata libertate. Unde ex eodem Josepho subdit: « Providentiam Dei po« nunt, et agere quæ justa sunt, vel negli« gere pro majori parte, in potestate ho« minum esse profitentur; adjuvari tamen « in singulis per divinam providentiam. » De Sadducæis autem refert habuisse (inter alia) tria dogmata parum laudabilia.

Dispellitur ultimum.

Joseph.

Abulens

Dogma Pharisæorum.

Dogma Sadducæorum.

Primo,

Primo, quod non faciebant opera supererogationis. *Nullas*, inquit, *observantias præter legem custodiunt.* Secundo, quod spernebant authoritatem veterum Doctorum. *Adversus Doctores*, inquit, *Philosophiæ suæ certare, et reniti gloriosum putant.* Tertio, « fatum nihil esse existimant, neque « per istud humana concludi, sed omnia « nostræ supponunt potestati, bonorumque « nos ipsos authores, et pejora per nostram « eligi dementiam. Hoc autem est, quia « isti putantes libertatem arbitrii fato, id « est divinæ providentiæ repugnare, fatum « negant, ut libertatem arbitrii confir- « ment. » Ex quibus liquet, quod nec Pharisæi, nec Sadducæi *fati* nomine significarunt fatum Stoicum, aut determinationem naturalem necessitantem, ortam ex Astris, et aliis causis secundis, sed efficaciam divinæ voluntatis cuncta prædiffinientis.

Institutum Essenorum. Esseni autem pene in omnibus repugnabant Sadducæis ; nam in primis supra communes legis observantias plures supererogationes addebant, vitam ducentes valde austeram, et continentem ; castitatis enim, paupertatis, et obedientiæ fuerunt studiosi, ut constat ex dictis in hoc dubio, et duobus

Joseph. præcedentibus. *Cibus illis*, inquit Josephus, *simplex est, habitus insumptuosus.* Et rursus, *Squalorem decorem putant, dummodo semper in veste candida sint.* Et iterum, « Nec « vestimentum, sive calceos mutant, nisi « aut omnino concisis prioribus, aut longi « temporis usu consumptis. » Præterea plurimum colebant doctrinam veterum, et majorum ; nam, ut ex Josepho refert Abulensis, « summum studium habent in scrip- « tis veterum, inde quæ animæ, et corpori « expediant eligentes. » Et infra, « Jurant « etiam nihil de dogmatibus, præter id « quod habent, tradere. » Et inferius, « Veneratio quoque apud eos post Deum, « magna legiferi est. » Tandem (quod ad rem præsentem magis facit), Sadducæis directe repugnabant, affirmantes *fatum*, prout ab illis negabatur, videlicet providentiam Dei opera nostra præordinantis,

Abulens ac efficaciter decernentis. Unde Abulensis : « De his dicit Josephus 13, *antiquit.* Gens « Essenorum omnia sub fato esse confir- « mat, et nihil esse, quod hominibus pro- « veniat sine fatali » (id est efficaci) « de- « creto. De his etiam 18, *antiquit.* ait : « Esseni ad Deum omnia referunt, id est, « quod omnia pendent ex sententia sua. » Et infra : *Præcipue circa Deum religiosi sunt.* Et inferius : *Cum incipiunt, et cum desinunt, quasi datorem Deum laudibus canunt.* Et tandem, *Credunt nec absque voluntate Dei cuiquam posse potentiam principatus accedere.* Ex quibus palam liquet, Essenorum in hac parte sententiam alienam prorsus fuisse a fato Stoico, sive necessitate absoluta ; sed fati nomine significasse efficaciam divinæ voluntatis prædiffinientis libera hominis opera. Quo sensu D. Thom. 1 *part. quæst.* 116, *artic.* 1, inquit : « Solus « Deus potest voluntatem immutare, ut « supra habitum est. Et per consequens or- « dinatio humanorum actuum, quorum « principium est voluntas, soli Deo attri- « bui debet. Sic igitur in quantum omnia, « quæ hic aguntur, divinæ providentiæ « subduntur, tanquam per eam ordinata, « et quasi præloquuta, fatum ponere pos- « sumus ; licet hoc nomine sancti Doctores « uti recusaverint propter eos, qui ad vim « positionis siderum hoc nomen retorque- « bant. Unde August. dicit in 5, *de Civi-* « *tate Dei* : si propterea quisquam res hu- « manas fato tribuat, quia ipsam Dei vo- « luntatem, vel potestatem fati nomine « appellat, sententiam teneat, et linguam « corrigat. » Unde constat Essenos fati nomine non rem superstitiosam, aut falsam, sed sanctam, ac veram significasse. Constat præterea, quam sententiam habuerint in ea controversia, quæ ad hæc usque secula continuatur. Constat denique, quam deceat habere illos, qui de Essenorum instituto, ac legitima successione gloriantur non immerito, sed nec arroganter ; nam par est imitari parentes, qui « summum stu- « dium habuerunt in scriptis veterum, et « jurabant nihil de dogmatibus præter id, « quod habent, tradere. » Recolantur dicta *n.* 28, quibus alia addemus *n.* 66 *et n.* 85.

Quid fuerit fatum apud Essenos.

D. Tho.

Nota.

Quod in objectione adjicitur de similitudine cum Pythagoricis, nihil valet ; quia licet hi plura ab Essenis acceperint, ea tamen plures superstitiones addendo depravarunt. Id quod proportionabiliter videmus nunc in hæreticis, qui non pauca Catholicorum suscipiunt, sed eis admiscent errores. Unde sicut ob aliqualem similitudinem non debet idem esse judicium de Catholicis, et hæreticis ; ita nec de Pythagoricis, et Essenis. Videantur Lezana *tom.* 1, *anno* 3545, *a n.* 42, et N. Franc. a S. Maria *in hist. Prophet. lib.* 3, *c.* 9, *et in Apologia* 5, *p.* 2, § 11, qui fusius hæc prosequuntur.

Lezana. Franc. a S. Mar.

DUBIUM V.

Utrum in veteri lege fuerit aliqua personarum traditio ad cultum Dei.

Traditio addit supra votum.

63. Pro hujus difficultatis resolutione observari debet ex dictis *disput.* 1, *num.* 9, quod cum votum ex sua generali ratione solum sit promissio, nec promittentem, nec rem promissam constituit actu sub speciali promissarii dominio ; sed ad hunc effectum requiritur alius actus, quo quis seipsum alteri donet, et tradat, atque in ejus dominium veniat. Id quod facile apparet in humanis ; licet enim aliquis promittat servire alteri, nihilominus ex vi hujus non fit actu servus, nec debet ut servus tractari ; sed ad hanc denominationem requiritur, quod se actu tradat in servum, et sub speciali alterius dominio constituat. Unde postquam in dubiis præcedentibus vidimus nonnullos in veteri Testamento specialia opera, aut consilia Deo promisisse, succedit ut videamus, an aliqui eo tempore se Deo tradiderint, et actu consecraverint. Porro hujusmodi traditio latitudinem habet ; quædam enim est perfectissima, tam ex parte finis, in ordine ad quem homo se donat Deo, quatenus ei consecrat omnia opera sua, quam ex parte modi quo fit, nempe omnino irrevocabiliter, atque absolute. Et talis traditio intervenit de facto in professione solemni religiosorum, ut explicuimus *disputat.* 1, *num.* 39, *cum sequentibus.* Hanc vero traditionem non fuisse in veteri Testamento, sicut nec solemnitatem istam, quæ de facto in professione concurrit, in præsenti citra controversiam supponimus. Alia potest dari traditio minus perfecta : primo ex parte modi, quo fit, videlicet non omnino absolute, et irrevocabiliter, saltem ex parte acceptantis, ut accidit in illis, qui in sacra Societate emittunt vota simplicia, ut declarat Vasquez *loco citato, n.* 40. Sed hæc minor perfectio non impedit, quod se prædicto modo tradentes, concurrentibus aliis requisitis sint vere religiosi, ut in eodem exemplo liquet. Et de hac traditione non solemni, sive omnino perfecta procedit præsens difficultas. Potest secundo dici minus perfecta ex parte objecti, et materiæ, ad quæ se extendit ; nam alia valet esse traditio ad serviendum infirmis, alia ad vacandum divinis laudibus, alia ad servandam castitatem, etc. In præsenti autem non determinamus modum hujus extensionis, sed illud vage comprehendimus sub nomine cultus Dei, et inquirimus, utrum in ordine ad illum fuerit aliqua personarum traditio in veteri Testamento ? Determinatio vero prædictæ extensionis ex dictis, et dicendis colligenda erit ; si enim constet prædictas personas vovisse tria consilia, obedientiæ, castitatis, et paupertatis ; inde etiam constabit, quod se Deo sacraverint in ordine ad talem finem, sicut modo proportionabiliter accidit in religiosis per vota simplicia.

Duplex traditio.

Puncti difficu tatis

§ UNICUS.

Sententia affirmativa defenditur.

Conclusio.

64. Dicendum est, aliquos in veteri Testamento se Deo tradidisse in ordine ad aliquem ejus cultum. Hæc assertio potius supponitur quam defenditur ab Authoribus ; nam ita palam colligitur ex Scriptura, ut forsan superfluum duxerint eam probare. Probatur tamen *ex c.* 27 *Levitici*, *vers.* 28, ibi : « Omne quod Domino consecratur, « sive homo fuerit, sive animal, non ven- « detur, nec redimi poterit. Quidquid se- « mel fuerit consecratum, sanctum sancto- « rum erit Domino. Et omnis consecratio, « quæ offertur ab homine, non redimetur, « sed morte morietur. » Ubi liquido supponitur, fuisse eo tempore aliquorum hominum consecrationem in ordine ad aliquem cultum Dei, utique absolutam, et perpetuam, ut ibidem exponunt communiter Interpretes. Cornelius a Lapide recte expendit ultimam textus partem his verbis : « Morietur morte propria, et naturali, si « occidi possint, aut si illud occidere liceat, « ut si sit animal mundum, vel si hostes « sint morti a Deo addicti, etc. » Et paulo post : « Si autem res per Cherem Deo vota « mortis proprie dictæ incapax esset, morte « morietur, id est, mori debet morte civili : « sicut religiosi nostri quasi voto Cherem « Deo dicati civiliter mortui dicuntur, quia « omni civili negotio, et hæreditate, ac do- « minio rerum temporalium sese abdica- « runt, perinde ac si mortui essent. Ita « olim in lege veteri, tam Levitæ, quam « agri, qui tanquam Cherem Deo erant de- « voti, civiliter moriebantur ; quia am- « plius ad prophanos usus redire non po- « terant, perinde ut jam domus Ecclesias- « ticorum, et Religiosorum amortizan- « tur. » Luculentius adhuc id explicat Abulensis

Primum fundamentum Levit. 27.

Corn. Lap.

Abulens. lensis ibidem, *quæstione* 67, ubi sibi, et textui opponit Levitas prius fuisse dicatos divino cultui, atque ideo non potuisse ad illum se consecrare : et respondet observando, quod Levitæ non tenebantur servire omni tempore, sed per vices suas, juxta dispositionem David Regis 1, *Paralip. a cap.* 23, *usque ad* 26, et deinde ait : « Aliquis ergo de Levitis manentibus extra « Sanctuarium in urbibus suis, devotione « ductus volebat Domino continuo servire, « et consecrabatur illi, atque manebat semper in obsequio Sacerdotum in tabernaculo. Et sic patet de Samuele, quia pater « ejus erat Levita, et manebat extra Sanctuarium in civitate sua, et solum ascendebat statutis temporibus in Sanctuarium : « mater autem Samuelis consecravit eum, « ut maneret jugiter coram Domino usque « in æternum, ut patet 1, Reg. 1, et sic « postea factum est. » Et inferius explicans « illa verba, *Morte morietur*, inquit : « Ista « etiam est expositio præcedentium, scilicet « quod quidquid consecraretur ab homine, « cum esset vere consecratum, non poterat « redimi, nec vendi, sed debebat mori. Hoc « autem non potet intelligi proprie ; nam « aliqua Domino offerebantur, quæ mori « non poterant, sicut domus, etc. » Et post pauca : « Si autem erat homo, qui proprie « consecraretur, dicebatur mori, et non re« dimi, nec vendi ; quia exuebat propriam « libertatem, et mancipabatur divino cul« tui, non tamen occidebatur ; quia homo « non est animal immolatitium, sed mo« riebatur civiliter, sicut servi dicuntur « mori civiliter. Et sic servi Gentiles, qui « Domino vovebantur, et nunquam redimi « poterant, dici mortui. Sic etiam Monachi « mortui dicuntur, quia abrenuntiaverunt « omni libertati. Ita Levitæ, qui se Domino « consecrabant, quia tota vita manebant in « Sanctuario, mortui censebantur. » Ex quibus satis liquet, fuisse in veteri Testamento aliquam personarum aliquarum traditionem ad specialem Dei cultum.

Secundum assertionis fundamentum. Num. 6.

65. Probatur secundo, et magis specialiter de Nazaræis, de quibus agit sacer Textus *cap.* 6 *Numer.* ibi : *Vir, sive mulier cum fecerit votum, ut sanctificetur, et se voluerit Domino consecrare.* Ubi sermonem fieri de voto castitatis, diximus supra *num.* 21. Quod autem etiam fiat de speciali aliqua personarum traditione, qua Deo specialiter sacrabantur, et donabantur, satis indicant posteriora verba, et docent satis communiter Interpretes. Unde Origenes *hom.* 24, *in Numer.* inquit : « Ille qui appellatur Naza- Origenes.
« ræus, semetipsum Deo devovit ; hoc est « enim votum Nazaræi. Nam filium offerre, « aut filiam, pecus, vel prædium, totum « hoc extra nos est. Semetipsum Deo of« ferre, et non alieno labore, sed proprio « placere, hoc est perfectius, et eminentius « omnibus votis. Quod qui facit, verus « Christi imitator est, qui dedit homini « terram, mare, et omnia quæ in eis sunt « in obsequium, post hæc autem semetip« sum. » Et Abulensis ibidem, *quæst.* 2, Abulens.
ad illa verba, *Ut se voluerint Domino consecrare*, inquit : « Id est, si vir, vel mulier « voluerint se consecrare Deo, id est, dedi« care se, vel exponere se ad cultum illius. « Non tamen est intelligendum, quod con« secrarent se ad aliquod speciale ministe« rium Dei ; quia istud pertinebat ad solos « Sacerdotes, et Levitas : sed consecrabant « se ad quemdam statum, vel modum vi« vendi propter Deum, qui erat strictior « modo vivendi laicorum, et cæterorum « hominum. Quælibet autem applicatio « specialis ad Deum, consecratio dicitur. » Et *quæst.* 3, explicans illa verba, *Cunctis diebus quibus ex voto, etc.* ait : « Id est, om« nia ista, quæ supra dicta sunt, observa« bunt Nazaræi toto tempore consecrationis « suæ, scilicet quandiu durat votum. Hoc « videtur intelligi de temporali consecra« tione ; sed non solum de hac, sed etiam « de illa quæ erat sempiterna, intelligitur ; « et tamen isti rari erant. » Et *quæst.* 22, inquit : « Causa autem, quare Deus posuit « istam observationem in veteri Testa« mento, fuit quia ipse omni tempore vo« luit ad se applicare aliquos homines spe« cialiter. Per legem autem datam appli« cabat sibi totum populum Judæorum, et « tanquam specialem sibi gentem, ut patet « Exod. cap. 19, et Deuteron. 7. Adhuc ta« men erant quidam alii modi specialiores « applicandi ad Deum, et strictiores. Sed « isti non debuerunt dari in legem toti « communitati, ne nimis stringeretur ; « quin potius pro viris, qui specialiter « Deum colere vellent, relinquendi erant. « Nec tamen prorsus Deus debuit illos in « lege subticere ; quia si tacuisset, aliqui « forte vellent applicari Deo, et nescirent « modum. Expressit ergo Deus hic de statu « Nazaræorum, qui erat modus quidam « specialis adhærendi Deo ; et tamen non « posuit sub præcepto, sed reliquit tan-

« quam consilium omnibus volentibus se-
Mendoz. « qui. » Et Franciscus Mendoza 1, *Reg. cap.* 16, *num.* 11, *annotat.* 10, *circa litteram, sect.* 1, affirmat, « ideo Nazaræorum votum « ingens dici, quia se totos in divinum cul-« tum mancipabant ratione voti. » Et Lo-
Lorinus. rinus *in Act. Apostol. cap.* 18, *vers.* 10, inquit : « Nazaræus in lege duplex distingui-« tur, vel perpetuus, qui nunquam radebat « caput, nec alia gustabat huic hominum « ordini prohibita, ut vinum, etc. vel ad « tempus. Hic finito eo tempore, quod sibi « præscripserat, capillum radebat, et in « ignem projiciebat, offerens illum Deo « cum sacrificio, cui ipse suppositus erat. « Et ipse Nazaræus vocabatur Corban, « quasi munus divinum, ut ait Josephus 4, « *antiquit.* c. 4. Multoque magis is qui se « perpetuo ritu dicaverat. » Unde satis li-quet morem fuisse in veteri Testamento, quod nonnulli se Deo traderent, atque con-secrarent ad ipsius majorem cultum, et specialius obsequium.

Tertium pro conclusione motivum. Elisæi traditio ad cultum Dei.

66. Tertio, et adhuc specialius probatur eadem assertio exemplo Elisæi, qui fuit post Eliam filiorum Prophetarum princi-palis dux, ac magister ; ipse enim Eliæ vo-ce, et Spiritus sancti impulsi vocatus ad vitam propheticam, relictis parentibus, cognatis, et omnibus mundi bonis, sequutus est Eliam, et se Deo sub illius disciplina tradidit, et sacravit, ut refertur 3 *Reg. cap.* 19, et latius expendimus *num.* 44. Unde
Abulens. Abulensis ibidem relatus, inquit : « Quia « transibat ad Dominum, omnino volebat « renuntiare sæculo, ita quod nihil relin-« queret in illo, quod ad se pertineret. Et « quia boves duo, et aratrum pertinebant « ad Elisæum, voluit utrumque consumere « tradendo in convivium, et aratrum cre-« mando, ita ut jam nihil ad se pertinens « relinqueret in sæculo, sed totus ipse « transiret ad Dominum. Quod valde mag-« num exemplum est pro eis, qui ad Domi-
Corn. a Lap. « num transeunt, etc. » Et Corn. a Lapide ibidem etiam relatus ait : « Ut liber, et ex-« peditus transiret totus ad Dominum, id-« circo aratrum, et boves consumpsit ; qua « in re exemplum dedit religiosis, ut idem « faciant. » Quam suimet traditionem, ac translationem explicuit Elisæus celebrando convivium quasi nuptiale, ut explicaret, quod sicut in matrimonio fit mutua conju-gum traditio, sic ipse spirituali vinculo se Deo sacrabat. Quod pulchre exposuit Gaspar
Gasp. Sanchez. Sanchez, *ibidem*, his verbis : *Hæc duo vi-deri possunt novo prophetæ, et monacho contigisse ; iniit enim nuptias felicissimas cum Deo, quem ex omnibus sponsum elegit ; atque ideo exhibere voluit aliis nuptiale, et vere geniale convivium.*

Confirmatur primo ; nam Eliæ, et Elisæi exemplo provocati alii modo simili se sa-crabant ad Dei cultum, et obsequium, ut ex Abulensi tradit Cornelius 3 *Reg. cap.* 18, *vers.* 42, his verbis : « Porro Abulensis « hinc colligit, Eliam ab hoc tempore, quo « in monte Carmelo cœlitus ignem devora-« vit, eoque Baalitas prostravit, habitatio-« nem suam in eodem monte ad memoriam « tanti beneficii, et miraculi deinceps fixis-« se, atque eodem confluxisse ad ipsum « plures viros religiosos, qui se totos Deo, « orationi, et divinus rebus, laudibusque « tradebant. » Et Salianus *anno mundi* 3127, *numero* 23, *inquit :* « Hinc autem non « levem accipit probabilitatem, quod scri-« bit Hierosolymitanus Patriarcha Joannes « post reditum Eliæ de monte Oreb, et as-« sumptum Elisæum in discipulum, ac suc-« cessorem, cum Deo visum esset ipsum « hinc abducere, etiam alios discipulos in « montem Carmeli collegisse, eosque ad vi-« tam religiose traducendam, nominatim-« que ad laudes Deo jugiter decantandas « (unde et prophetare dicebantur), instituis-« se, habitu a prophanis hominibus, cultu, « conversationeque distincta. » Et *anno* 3133, *numero* 2, *inquit :* « Hoc tempore « florebat in monte Carmelo Elias cum re-« ligioso discipulorum choro, in quibus « nuper a Deo nominatim vocatis Elisæus « maxime eminebat. » *Et anno* 3139, *num.* 42, in Eliæ elegantissimo elogio inquit : « Hic est, qui per medios iniquitatis tor-« rentes, lectos Prophetarum, et religioso-« rum in Carmelo, totaque Chananitide « manipulos, sui æmulos, atque imitatores « Instituti, ad cœlestem vitam, mundo ig-« notam, ac contemptam traducendam ad-« duxit, tot sæculis suarum precum quasi « facularum ardore calefacit, et ad hanc « diem, tot inter rerum, locorum, tempo-« rumque varietates, constantes reddidit « magni sui Patriarchæ sectatores. » Ex his fuerunt Esseni, ut vidimus *num.* 28, de quibus Arboricensis *tom.* 1, *pag. nobis* 18, inquit : « Non in lege tantum gratiæ, imo « vero et ante Christi adventum emersit « certa aliqua professio virorum. » Et post pauca : « Qui Josepho oculato testi, Plinio « vero aurito tantum, Esseni dicti sunt. »

Fuerunt

Fuerunt ergo in veteri Testamento, qui ad specialem Dei cultum, et obsequium eidem se tradiderunt, atque donarunt.

Roboratur amplius. Confirmatur secundo, quia ut aliqui appellentur *religiosi*, non sat est, quod communia legis præstent, et ordinario modo Deum colant, alias olim homines Judæi, et modo omnes Christiani *religiosi* dicerentur; sed insuper requiritur, quod modo aliquo specialiori cultui Dei se tradant, atque devoveant, ut recte ex Abulensi, Lyrano, et Lezana. Dionysio Carthusiano observat Lezana *tom.* 1, *anno* 4086, *num.* 28. Atqui in antiqua lege fuerunt aliqui, qui dicebantur religiosi. Erant ergo eo tempore aliqui se tradentes, ac sacrantes divino cultui. Minor probatur, tum ex Authoribus proxime relatis. Religiosi veteris legis. Daniel. 3. Tum, et urgentius, ex sacra Scriptura; nam *Daniel.* 3, in illo universali cantico, *Benedicite*, post relatos filios hominum, Sacerdotes, et alios gradus, dicitur : *Benedicite omnes religiosi Domino Deo deorum, laudate, et confitemini ei.* Unbi speciale aliquod hominum institutum designatur, ut egregie expendit Venerabilis Doctor Walden. Thomas Waldensis (cujus opera jussu Martini V examinata, ab eodem Pontifice approbata sunt) *tom.* 1, *lib.* 2, *cap.* 4, ubi contra hæreticos disputans, inquit :« Quare « isti non viderunt, quod in hymno trium « puerorum, post omnium creaturarum « memoriam, recolit religiosos illius tem« poris, specialiter exhortans eos, ut bene« dicant. Benedicite, inquit, religiosi om« nes Domino Deo deorum, laudate, et « confitemini illi, quia in omnia sæcula « misericordia ejus. Quos bene hortatur in « fine hymni, ut per hoc, quod proposuit « Sacerdotes, et Israel, id est populum, et « Ananiam, Azariam, et Misaelem, et « deinde subjunxit religiosos, daretur in« telligi, tales quosdam sanctos alios fuisse « a Sacerdotibus Templi, et a vita, et con« versatione populi segregatos, qui quam« vis ab antiquo fuerint instituti, nunquam « tamen fuerunt usque ad Eliam publice, « et regulariter congregati, qualiter a Hie« ronymo supra dictum est. » Idem etiam Actor. 2. significatur Act. 2 : *Erant autem in Jerusalem habitantes Judæi, viri religiosi, etc.* Unde Bould. Jacobus Boulducus *lib. de Ecclesia post legem, cap.* 7, agens de Enoscæis, sive Essenis, inquit : « Quod si prædictæ omnes « cognationes ortum habent ab Enoscæis, « quos vere Cœnobitas, ac religiosos instituto « Prophetas extitisse dubitare non licere « videtur : jam quoque patet de similibus « viris intelligendum esse, quod habet « Sanctus Lucas, cum historiam refert « missionis Spiritus sancti in die Pentecos« tes : Erant, inquit, in Jerusalem habitan« tes Judæi viri religiosi ex omni natione, « quæ sub cœlo est. Nempe religione Judæi, « sed insuper, juxta Latinæ vocis usum « Ecclesiasticum, pro certo in Ecclesia ho« minum statu, et alienam a communi vi« tam agentes. » Et ex his viris religiosis, sive Essenis plures, quam ex aliis Judæo- Essenorum institutis, ad fidem Christi conversi sunt, fueruntque Apostolorum in prædicatione Evangelii coadjutores; erant enim viri piissimi, et omni pietati, ac continentiæ addicti : unde facilius conversi sunt ad fidem Christi amplectendam, et propagandam. Nam ut Baronius *tom.* 1 *Annalium*, Baroni. *ann.* 34, § *Verum nec in his*, de Essenis sapienter dixit : « Si quod natura insitum « est, ut habentium symbolum sit facilis « communicatio, quomodo non magis ex « his, quam aliarum sectarum Judæis, « Christiana religio potuit propagari? Sane « quidem omnes sectas, quæ erant in Pa« læstina, Christum Dominum aliquo modo « aversatas esse, nempe Pharisæos, Saddu« cæos, Herodianos, et Samaritas, Evan« gelica attestatione exploratum habetur. « De Essenis vero, quod aliquando vel Do« mino, vel ejus Apostolis, atque discipu« lis, vel minimum negotii fecerint, nus« quam legitur. Immo quo magis hi a « Pharisæis, ac Sadducæis dissentirent, eo « facilius Christianis consensisse, quos illi « vehementer aversarentur, facile credi « potest. »

Quæ possent opponi dispelluntur. 67. Hæc sufficere videntur ad firmandam veritatem nostræ assertionis, fuisse videlicet in veteri Testamento personas aliquas, quæ se Deo traderent ad ipsius specialem cultum. Nec reperimus Authores, quibus contrarius dicendi modus arrideat; qui enim negant fuisse in veteri Testamento statum vere, et substantialiter religiosum, nostræ assertioni non adversantur; quippe in ea non affirmamus prædictam personarum traditionem se sola constituisse illum statum, sed eam præmittimus tanquam rem certam, ut videamus utrum cum aliis requisitis (quæ forte alii negabant), statum vere religiosum eo tempore constituerit. Unde qui hoc posterius negant, non recusant concedere illud primum, ut videre est in Torniello *anno* 2545, *numero* 13, ubi

Torniel. ait : « Scire ergo oportet plura fuisse per-
« sonarum genera, quæ divinum cultum in
« populo Israelitico, tanquam ex officio
« procurare, adjuvareve satagebant, inter
« quæ primum locum tenebant Sacerdotes,
« etc. » Et *num.* 14, inquit : « Verum enim-
« vero ex hisce omnibus personis divino
« cultui speciatim, ut dictum est, manci-
« patis, quidam dicebantur, erantque Pro-
« phetæ, etc. » Quocirca supposito quod aliqui in veteri Testamento se Deo tradiderint, atque sacraverint ad ipsius cultum, adhuc discutiendum relinquitur, utrum nonnulli eo tempore fuerint vere, et substantialiter religiosi. Sed prius oportet resolvere.

DUBIUM VI.

An in Ecclesia ante legis evangelicæ tempus potuerit esse status religiosus.

Hic non investigamus, quid fuerit factum, sed quid fieri potuerit. Nec procedit difficultas per respectum ad potentiam Dei absolutam, quippe nulla apparet contradictio in eo, quod fuerit prædictus status ante legem Evangelicam. Sed procedit attentis naturis rerum, et aliis, quæ circa
Nota. imperfectionem legis veteris, et perfectionem novæ credere oportet. Nomine autem status religiosi non comprehendimus omnia, quæ talis status de facto habet, utputa solemnitatem, et jurisdictionem ecclesiasticam; sed ea præcise, quæ ad ejus substantiam, sive essentialem constitutionem desiderantur, nempe tria simplicia vota obedientiæ, castitatis, et paupertatis cum aliqua personæ traditione, licet non omnino absoluta, et ex omni capite irrevocabili; hæc enim requiruntur, et sufficiunt ad constituendum essentialiter prædictum statum, ut constat ex dictis *disp.* 1, *num.* 7, *cum sequentibus, et num.* 40, et de facto accidit in his, qui post biennium emittunt vota simplicia in sacra Societate, et sunt vere religiosi, licet tunc non habeant perfectionem solemniter professorum, ut ibidem explicuimus *num.* 48, his suppositis

§ I.

Pars affirmativa eligitur, et probatur.

68. Dicendum est, quod in Ecclesia ante statum legis Evangelicæ potuit esse status religiosus. Sic docent omnes Authores referendi *numero* 104, et aperte favent Basilius Pont. *lib.* 7, *de Matrimon. cap.* 4, *n.* 22, ubi probans ad essentiam status religiosi non requiri ecclesiasticam jurisdictionem, inquit : « Unde et in lege naturæ, quod multi
« concedunt, statum religiosum esse posse,
« nihil est quod impediat. » Et Suarez *tom.* 3, *de Relig. lib.* 3, *cap.* 2, *num.* 11, ubi ait :
« Bona consiliorum non ideo talia sunt,
« quia Christus illa tradidit; sed potius e
« converso ideo Christus illa tradidit, quia
« talia sunt, id est optima, et aptissima ad
« perfectionem charitatis obtinendam. Unde
« quidquid sit de pura natura, tamen de
« natura illuminata per fidem non videtur
« dubium, quin potuerit consiliorum ho-
« nestatem, et utilitatem spiritualem co-
« gnoscere : inter hæc autem consilia unum
« est consilium religionis : ergo idem de
« illo sentiendum est. Ergo non fuit neces-
« sarium aliter institui a Christo, quam
« per doctrinam, et approbationem natura-
« lis juris. Atque hoc etiam sentiunt, qui
« putant statum hunc fuisse in usu ante
« Christi adventum, licet paucioribus esset
« cognitus. » Quem discursum iterum approbat *num. sequenti.*

Probatur ratione a priori; nam ea omnia, quæ essentialiter constituunt statum religiosum, potuerunt esse ante legis Evangelicæ tempus : ergo et ipse status religiosus. Consequentia est manifesta, et antecedens ostenditur, quia status religiosus constituitur essentialiter per actus, quibus homo promittit Deo obedientiam, castitatem, et paupertatem, et se donat ad illius cultum, ut ostendimus locis supra citatis : sed hi actus potuerunt esse ante legis Evangelicæ tempus, quippe qui ex natura sua non habent necessariam connexionem cum tali lege : ergo ante illam potuerunt esse, quæ statum religiosum essentialiter constituunt.

Confirmatur primo, quia ante statum legis evangelicæ fuerunt et principium sufficiens ad cognoscendam rectitudinem prædictorum actuum, et principium sufficiens ad eos eliciendos : ergo tunc esse potuerunt prædicti actus. Consequentia patet, quia in

eo

eo statu, et tempore potest esse effectus, in quibus concurrunt omnia principia sufficientia ad talem effectum. Antecedens autem probatur, nam ut recte vidit Suarez proxime relatus, ad cognoscendam rectitudinem prædictorum actuum sufficit natura illuminata per fidem : atqui ante statum legis Evangelicæ dabatur fides illuminans naturam, ut ostendimus *dub.* 1, *per totum*, et præsertim *num.* 3 *et* 9. Ergo ante statum legis Evangelicæ dabatur principium sufficiens ad cognoscendam rectitudinem prædictorum actuum. Secunda etiam antecedentis pars ostenditur, quoniam gratia sanctificans cum omnibus virtutibus, et donis est principium plusquam sufficiens ad eliciendos prædictos actus : sed ante statum legis evangelicæ dabatur gratia sanctificans cum omnibus virtutibus, et donis, ut constat ex dictis loco proxime citato, *num.* 5. Ergo eo tempore dabatur principium sufficiens ad prædictos actus eliciendos.

Secunda. Confirmatur secundo, quia ante statum legis Evangelicæ fuerunt alii actus longe excellentiores, quam sint illi, quibus homo promittit tria prædicta consilia, et se Deo tradit : ergo pariter potuerunt esse hujusmodi actus. Consequentia patet a paritate, et a fortiori; nam si perfectiores actus tunc fuerunt, cur non poterunt esse actus imperfectiores ? Antecedens autem est certum, quia eo tempore fuerunt actus fidei, spei, et charitatis, ut locis relatis ostendimus ; hi autem sunt longe perfectiores, quam actus, quibus homo vovet tria consilia, et se Deo tradit. Tum quia isti posteriores pertinent ad virtutem religionis, illi vero sunt actus virtutum theologicarum, quas certum est esse religione perfectiores, ut patet ex eminentia objecti, quod respiciunt, Deum videlicet in seipso ; cum religio versetur circa aliquid creatum, nempe Dei cultum. Tum quia amor charitatis ex natura sua est inconjungibilis cum peccato mortali, actuali, et habituali ; actus vero, quibus homo vovet, et se tradit, possunt cum utroque peccato conjungi, et quandoque conjunguntur, ut patet in aliquibus, qui dum professionem religiosam faciunt, peccant mortaliter. Fuerunt ergo ante statum legis Evangelicæ actus longe perfectiores, quam illi, quibus homo vovet tria consilia, et se Deo tradit.

Effugium. 69. Nec refert, si dicas hoc argumentum cum suis confirmationibus evincere, quod homines ante statum legis Evangelicæ potuerint elicere actus vovendi castitatem, paupertatem, et obedientiam divisive, et seorsim acceptos, ut dubiis præcedentibus ostendimus; secus autem simul, et copulative sumptos : nam hoc posteriori modo considerati constituunt essentiam status religiosi, qui componi non potuit cum imperfectione veteris legis.

Confutatur. Nam contra hanc responsionem stat *primo*, quod manifeste petit principium; nam cum in hoc dubio inquiramus, utrum ante legis Evangelicæ tempus potuerit esse status religiosus ? et ratio a nobis facta probet partem affirmativam ostendendo tunc potuisse concurrere omnia principia ad talem statum requisita, modo negatur potuisse prædicta principia simul concurrere, quia si concurrerent, constituerent religiosum statum; cum tamen de hoc sit quæstio, quæ ex illis principiis decidi debeat. *Secundo*, quia ratio supra facta probat, potuisse prædictos actus elici ante statum legis Evangelicæ, non solum divisive, sed etiam simul, et collective consideratos ; nam eo tempore fuerunt principia sufficientia ad eliciendum prædictos actus non solum divisive, sed etiam collective acceptos ; aderat quippe gratia sanctificans cum fide, et aliis donis, ac virtutibus supernaturalibus, quæ ad efficiendum prædictum effectum sufficere, plusquam certum est apud Theologos. *Tertio*, quia complexum ex actibus fidei, spei, et charitatis est quid perfectius, quam complexum ex actibus vovendi tria consilia, et tradendi se Deo ad ejus cultum, ut satis liquet ex dictis in secunda confirmatione : sed fideles in statu veteris legis potuerunt elicere actus fidei, spei, et charitatis, non solum divisive, sed etiam simul, et collective consideratos, ita quod simul illos actus haberent : ergo pariter poterunt elicere actus vovendi obedientiam, castitatem, et paupertatem, non tantum divisive, sed etiam simul, et collective acceptos, quo pacto essentiam status religiosi constituunt. Id vero quod de imperfectione veteris legis dicitur, nihil valet, ut statim ostendemus.

Expenditur alia ratio. 70. Probatur secundo nostra conclusio alio motivo, per quod simul evertitur principale fundamentum opinionis contrariæ ; nam ideo in tempore veteris legis non potuisset esse status religiosus secundum essentiam consideratus, quia hujusmodi status est valde perfectus, ac proinde non cohærens cum illius legis imperfectione : sed hæc ratio est nulla : ergo in prædicto tempore potuit esse talis status. Probatur minor,

quia in prædicto tempore fuerunt alia non pauca, quæ perfectiora sunt statu religioso: ergo ex capite imperfectionis veteris legis, et perfectionis status religiosi minime colligitur, quod talis status non potuerit esse in prædictæ legis tempore. Consequentia videtur evidens, quia si illud motivum aliquid valeret, a fortiori excluderet alia, quæ statum religiosum excedunt in perfectione: si ergo illa non excludit, minus excludet statum religiosum. Antecedens autem probatur : tum quia Ecclesia Catholica perfectior est, quam religio, aut religiosus status ; et tamen in statu veteris legis, et ante legis evangelicæ tempus fuit vera Ecclesia Catholica eadem substantialiter cum Ecclesia, quæ modo est, ut constat ex dictis *dub.* 1, *num.* 3. Tum etiam, quia gratia sanctificans cum fide, spe, et charitate, religione, ac aliis virtutibus supernaturalibus, et donis Spiritus sancti, per quæ homo interius renovatur, et constituitur amicus, ac filius Dei adoptivus, hæresque vitæ æternæ, quid perfectius est, quam status religiosus, qui quantum est de se, potest conjungi cum peccato mortali : certum autem est, quod gratia cum prædictis omnibus perfectionibus fuit in lege veteri ante Evangelicæ legis statum, ut ostendimus *loco citato*, *num.* 5. Tum præterea (et sequitur ex immediate dictis), quia melior est status justitiæ, quam status religionis; et status justi, quam status religiosi : ille enim essentialiter importat gratiam sanctificantem, cum qua iste non connectitur essentialiter; et nihilominus ante legis Evangelicæ tempus fuerunt veri justi existentes in statu justitiæ, ut liquet ex dictis loco citato. Tum denique, nam majus quid est Sacramentum conferens gratiam ex opere operato, quam status religiosus; quippe certum est, hunc illam non conferre ex opere operato, alioquin verum Sacramentum esset; et tamen ante statum legis Evangelicæ fuit aliquod Sacramentum, nempe Circumcisio, quæ gratiam ex opere operato parvulis conferebat, ut communiter docent Theologi. Qualiter autem hujusmodi perfectiones potuerint cum imperfectione antiquæ legis cohærere, fuse explicuimus loco citato, *a num.* 6, quem Lector omnino repetat.

Fulcitur idem motivum.

Confirmatur urgenter, quia non obstante imperfectione veteris legis, aliqui homines exercuerunt actus perfectiores, quam sint actus, quibus homo vovet tria consilia, tradit se Deo, et religiosus constituitur : ergo pariter non obstante prædictæ legis imperfectione, potuit tunc dari status religiosus. Probatur antecedens, quia actus, quo homo se devovet ad subeundum propter Deum martyrium, est melior, quam actus requisiti, ut fiat religiosus, juxta illud Christi Domini, Joan. 15 : « Majorem hac dilectio- Joan
« nem nemo habet, ut animam suam ponat
« quis pro amicis suis. » Unde major exaggeratio, qua perfectio status religiosi extolli potest, est quod martyrio comparetur, aut sit prolongatum martyrium; quæ similitudo non infrequenter occurrit in Patribus. Atqui certum est, aliquos durante statu, et imperfectione veteris legis, fuisse veros martyres, ut constat de Machabæis, Isaia, Jeremia, et aliis. Unde Christus Dominus *Matth.* 23, dicebat : « Jerusalem, Jerusalem, Ma
« quæ occidis Prophetas, et lapidas eos, qui
« ad te missi sunt. » Et Stephanus Act. 7, Act
ait : « Quem Prophetarum non sunt perse-
« quuti patres vestri? et occiderunt eos, qui
« prænuntiabant de adventu Justi. » Et Paulus *ad Hebræos* 11, agens de justis veteris Ad
Testamenti : « Alii vero ludibria, et ver-
« bera, experti, insuper et vincula, et car-
« ceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati
« sunt, in occisione gladii mortui sunt. »
Ergo aliqui in veteri Testamento exercuerunt actus nobiliores his, quibus homo fit religiosus.

71. Nec refert, si objicias, in hoc argu- Obj
mento, et confirmatione non fieri comparationem inter statum religiosum, et alia, quæ importaverint formaliter statum ; atque adeo non concludere, quia comparatio debet fieri inter extrema ejusdem generis.

Nam facile respondetur, quod cum moti- Infi
vum ad negandum, quod status religiosus potuerit esse in veteri lege, sit prædictæ legis imperfectio, ad vim nostri argumenti sufficit, quod diversæ perfectiones inter se comparentur in genere perfectionis. Si enim id, quod perfectius est, potuit esse in veteri lege ; cur non etiam illud, quod est minus perfectum? Unde non oportet, quod status religiosus comparetur cum statibus ; sed satis est, quod religiosi status perfectio comparetur cum aliis perfectionibus. Nam si imperfectio legis antiquæ non impedivit perfectiora, nec impedire debuit puram perfectionem essentialem status religiosi, quæ illis inferior est.

Verum enimvero, si aliquis vim nostri Ref
argumenti voluerit extendere ad compara- ject
tionem

tionem cum aliquo veteris legis statu, exemplum forsan non ineptum habebit in statu Summorum Sacerdotum, seu Pontificum illius legis. Nam si comparet nudam essentiam status religiosi præcisam a solemnitate, potestate clavium, et aliis perfectionibus superadditis, quæ de facto habet, profecto recognoscet, quod si talis status fuisset in antiqua lege, foret minus perfectus, quam status Summorum Sacerdotum. Tum quia Summi Sacerdotes se habebant ut perficientes, religiosi autem eo modo sumpti ut perfectibiles. Tum etiam, quia Summi Sacerdotes obligabantur ad opera perfectiora, quam obligarentur religiosi illius temporis, si essent; quippe illi obligabantur ad opera ex genere suo egregia, ut orare pro populo, docere fidem, explicare legem, amare gregem, et mortem, ubi opus esset, ad tuendum verum Dei cultum obire, etc. Unde sicut ob hanc proportionabiliter rationem status Episcoporum est de facto perfectior, quam status religiosorum, licet hi sint solemniter professi, et valde perfecti, ut diximus *disp. præced. num* 6, ita status Summorum Pontificum veteris legis excederet statum religiosorum, qui tunc essent tales per sola vota simplicia, et absque omnino irrevocabili traditione. Tum denique, nam status, cui promissa est assistentia Spiritus sancti in rebus, ac controversiis fidei declarandis, nequit non excedere statum, cui talis assistentia non debetur, cum prædicta assistentia egregiam status eminentiam, ac dignitatem importet, ut ex se liquet : statui autem Summorum Pontificum promissa erat prædicta assistentia, ut constat *Deuteron.* 17, ibi : « Si difficile, « et ambiguum apud te judicium perspexe- « ris, etc. Surge, et ascende ad locum, quem « elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad « Sacerdotes Levitici generis, etc. Qui autem « superbierit nolens obedire Sacerdotis im- « perio, etc. morietur homo ille, etc. » Et 2, *Paralipom.* 19, ibi : « Ubicumque quæstio « est de lege, de mandato, de cæremoniis, « de justificationibus, ostendite eis, ut non « peccent in Dominum. Amarias autem Sa- « cerdos, et Pontifex vester in his, quæ ad « Dominum pertinent, præsidebit. » Et Joan. 11, ibi : « Hoc autem a semetipso non « dixit, sed cum esset Pontifex anni illius, « prophetavit. » Unde sic docent communiter Theologi, et videri potest apud Joannem a S. Thom. 2, 2, *quæst.* 1, *art.* 10, *disp.* 1, *art.* 1, § *Respondetur negando, non fuisse in lege antiqua visibilem regulam fidei.* Quæ Summi Sacerdotii dignitas a principio institutionis, et per plura sæcula fuit perpetua; et paucis annis ante Christi Domini nativitatem cœpit esse temporalis, et annalis, ut recte observat Rua *tom.* 1, *controv.* 4, *positiva, pag. nobis* 523. Cum ergo status religiosus talem eminentiam non habeat, sequitur quod si talis status daretur in veteri lege, esset minus perfectus, quam status Summorum Sacerdotum, qui in prædicta lege fuit. Et hinc reassumit vires ratio superius facta, quia non obstante imperfectione veteris legis, fuit in ejus tempore aliquid, quod statum religiosum præcise quoad essentiam consideratum excederet, non solum in genere perfectionis, ut *num. præced.* explicuimus; sed etiam in conditione, aut perfectione status, ut *in hoc num.* ostendimus : ergo ex imperfectione prædictæ legis minime colligitur, quod in ea non potuerit esse status religiosus quoad solam essentiam consideratus, et præcisus a perfectionibus sibi superadditis in lege evangelica.

Deut. 17.
Paral. 13.
Joan. 11.
Joan. a S. Tho.
Rua.
Instaurat argumentum.

72. Ultimo probatur nostra conclusio : nam cum præsens controversia pertineat non ad factum, sed ad posse, possessio, et decisio debet stare pro parte affirmativa, quam defendimus, nisi occurrant urgentia motiva vel authoritatis, vel rationis, quæ persuadeant oppositum : hæc autem non occurrunt : ergo pars affirmativa, quam tuemur, præferri debet. Minor nequit melius probari, quam diruendo adversa fundamenta, quod jam præstamus.

Urgens aliud assertionis motivum.

§ II.

Satisfit motivis opinionis adversæ.

73. Contrariam nobis opinionem videntur defendere omnes illi Authores, qui negant statum secundum essentiam religiosum fuisse in tempore antecedenti legem evangelicam, quos dabimus *num.* 95. Sed revera non omnes ita sentiunt, ut se explicat Basilius *num.* 68 relatus, et ratio facile persuadet, quia (ut vulgo dici solet) a negatione actus ad potentiæ negationem non est bona consequentia; certum quippe est, plura non fuisse, quæ tamen fuisse potuerunt : unde ex eo, quod aliqui negent statum religiosum fuisse ante legem evangelicam, non colligitur, quod senserint prædictum statum non potuisse in tali tem-

Sententia contraria.

Primum argumentum. pore esse. Aliqui tamen eis motivis utuntur, quæ non solum impugnant actum, sed etiam potestatem; et hi nostræ assertioni adversantur, et possunt contra illam merito referri. Quorum sententia probatur primo, quia status religiosus est status perfectionis, ut ostendimus *disp.* 2, *dub.* 1. Sed in veteri lege non potuit esse status perfectionis, juxta illud Apost. ad Hebr. 7 : *Nihil ad perfectum adduxit lex.* Ergo in veteri lege non potuit esse status religiosus.

Ad Heb. 7.

Confirmatio. Et confirmatur; nam perfectio propria legis evangelicæ non potuit esse ante illam : sed status religiosus est perfectio propria legis evangelicæ : ergo non potuit illam præcedere.

Occurritur argumento. Respondetur argumento distinguendo minorem, *In veteri lege non potuit esse status perfectionis*, ex viribus, aut merito legis, concedimus; ex viribus, et virtute gratiæ per fidem in Christum, negamus. Et priorem sensum intendit Apostolus in testimonio relato, sed minime negat secundum. Quæ responsio satis constat tum exemplis § *præced.* adductis, tum doctrina tradita *dub.* 1, *per totum*, et præsertim *num.* 7, *et* 15, quin opus sit alia adjicere. Addimus tamen Patribus, et Doctoribus ibidem relatis, Benedictum Justinianum, qui ad textum Pauli inquit : « Lex nihil de se « ad perfectum adduxit, non quod in ea « lege non fuerint plurimi valde perfecti, « sed propter fidem in Christum, ac ejus « gratiam. »

Bened. Justin.

Diruitur confirmatio. Ad confirmationem distinguenda est minor, *status religiosus est perfectio propria legis gratiæ*, si sermo sit de statu religioso omnino perfecto per solemnitatem, potestatem clavium, et alia quæ de facto habet, concedimus; si sermo fiat de statu religioso solum quoad essentiam considerato, negamus in sensu, quem proxime explicuimus. Unde solum infertur, quod status religiosus ante legis evangelicæ tempus non habuerit perfectionem, quam nunc ex præsentia Christi derivat. Potestque responsio declarari amplius exemplo Ecclesiæ; nam ante tempus legis evangelicæ dabatur vera Ecclesia secundum essentiam, ut constat ex dictis *num.* 4, *cum sequentibus*; et tamen ante prædictum tempus non habebat perfectionem, quam nunc habet, nempe Christum præsentem, abundantiorem gratiam, efficaciora Sacramenta, nobilius Sacerdotium, et alia hujusmodi. Et consequenter non est proprium legis evangelicæ, quod in ejus tempore detur vera Ecclesia utcumque, et præcise quoad essentiam; sed quod detur Ecclesia simpliciter, et omnino perfecta, ut modo datur. Et idem contingeret in statu religioso, si fuisset ante legis Evangelicæ tempus. Unde ex vi hujus minime convincitur, quod non potuerit esse, quidquid sit, an de facto fuerit.

Sec. du arg. ment

74. Arguitur secundo, quia de facto Christus Dominus fuit author, et principium status religiosi, ut constat ex dictis *disp.* 1, *dub.* 2. Sed cum hoc non cohæret, quod status religiosus potuerit esse ante adventum Christi, et tempus evangelicæ legis; quippe effectus nequit suam causam præcedere : ergo status religiosus non potuit esse ante legis evangelicæ tempus.

Diss vitu

Respondetur negando minorem, cujus falsitas apparet in pluribus, quorum Christus est author, et principium; et nihilominus præcesserunt ejus adventum. Nam Christus est Author consiliorum evangelicorum : et tamen ante ipsius adventum nonnulli observaverunt aliqua ex prædictis consiliis, ut ostendimus *dub.* 1, *n.* 12. Est etiam Christus Dominus author gratiæ destruentis peccatum originale, hominemque justificantis : est præterea fundamentum, et caput Ecclesiæ; quo non obstante certum est fuisse gratiam sanctificantem, fuisse homines justos, et fuisse veram Ecclesiam ante adventmu Christi, et tempus evangelicæ legis, ut *dub. citato* fuse ostendimus. Sic ergo licet Christus Dominus sit author status religiosi; potuit tamen hujusmodi in exequutione præcedere ipsius adventum. Et ratio generalis, est quam ex communi Patrum sententia tradidimus *loco citato*, *num.* 9, *et* 16, quia gratia requisita ad prædictos effectus dabatur per fidem in Christum; fides autem potest Christum respicere tam præsentem, quam futurum, cui (sive illo, sive isto modo consideretur), fideles, et justi tanquam membra suo capiti incorporantur : unde omnes prædicti effectus comparabantur ad authorem, et causam. Præterea quotquot ante adventum Christi aliquid perfectum, conducensque ad salutem operati sunt, respiciebant Christum Dominum tanquam exemplar omnis perfectionis, et in omni operatione virtuosa profitebantur se esse illius discipulos, cujus doctrinam per fidem jam acceptabant; unde quod relatæ perfectiones adventum Christi tempore antecesserint, minime impedivit, quod ipse Dominus

Dominus fuerit illarum author, et causa. Quod magis manifestat magnam ejus efficaciam in influendo, et causando quæ conducunt ad salutem ; quippe qui per modum principii universalissimi contulit gratiam, et alia dona hominibus, non solum qui post illum fuerunt, sed et his qui fuerant ante ipsum, ut explicuimus *locis cit.* et fusius adhuc *num.* 38. Sic ergo Christus Dominus diceretur author, et causa status religiosi, licet hic ipsius adventum tempore præcessisset. Unde ex vi hujus minime infertur, quod prædictus status non potuerit esse tempore legis antiquæ.

Replica. 75. Sed instabis urgenter : nam licet non obscure intelligatur, qualiter Christus Dominus potuerit per modum causæ moralis, et exemplaris influere in effectus tempore præcedentes, quia ad concursum prædictæ causæ sufficit existentia intentionalis in cognitione tum Dei, qui movebatur a justitia Christi, ut justificaret homines ; tum fidelium, qui movebantur ad ejus imitationem : nihilominus intelligi non valet, quod Christus Dominus exercite, et executive instituerit religiosum statum, et quod ipsum tempore non præcesserit; quippe hujusmodi concurrendi modus pertinet ad causam efficientem physicam, de cujus ratione est, quod tempore præcedat effectum, vel saltem quod non sit illo posterior : constat autem quod Christus Dominus exercite, et executive instituit statum religiosum, ut patet ex dictis *disputat.* 1, *dub.* 2. Ergo prædictus status non potuit Christi adventum præcedere, nec esse in tempore legis antiquæ.

Vis instantiæ retorquetur. Priusquam huic replicæ occurramus, oportet vim ejus retundere applicando illius formam fundationi, et institutioni Ecclesiæ, unde obligentur Adversarii nos responsionem docere. Etenim causa exercite, et executive aliquid fundans, et instituens nequit tempore illud supponere : sed Christus Dominus exercite, atque executive instituit, et fundavit Ecclesiam Catholicam, Matth. 16. juxta illud Matth. 16 : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam :* ergo Ecclesia Catholica non fuit ante adventum Christi Domini. Quid ad hæc Adversarii? Concedere nequeunt consequentiam, nisi errent in fide; nam certum est unicam esse Catholicam Ecclesiam a suo principio, fuisseque tempore legis naturæ, et tempore legis scriptæ, ut constat ex dictis. *disp.* 1, *a num.* 3. Aliunde negare non valent, quod Christus exercite instituerit, ac fundaverit Ecclesiam, cum id certo constet ex verbis proxime relatis. Quomodo igitur ab his angustiis se expedient? Profecto non admodum difficulter. Nam Ecclesia bifariam considerari potest : uno modo secundum essentiam, altero modo secundum statum perfectionis. Primo modo constituitur per fidem tanquam per formam ; et quia est eadem fides, propterea Ecclesia est semper eadem substantialiter, et quoad essentiam. Posteriori autem modo addit alias perfectiones supra fidem, et quia istæ variari, et superaddi valent ; idcirco potest Ecclesia diversificari secundum statum perfectionis. Unde alium statum habuit in lege naturæ, alium in lege scripta, et alium utique perfectiorem, ac nobiliorem habet in lege gratiæ ; nunc enim habet Christum præsentem, Sacerdotium, et Sacramenta perfectissima, copiosiorem gratiam, explicatiorem fidem, et apertam januam cœlorum, quibus destituebatur sub præcedentibus statibus constituta. Sicut vir est longe perfectior, quam infans; quanvis vir, et infans habeant eandem hominis essentiam cum sola statuum minoris, et majoris perfectionis diversitate. Si ergo sermo fiat de Ecclesia solum secundum essentiam considerata, et secundum statum minus perfectum, sic fuit ante exercitam, et exequutam Christi Domini institutionem, quippe quæ illam tempore præcessit; semper tamen ipsum respexit tanquam causam moralem, et exemplarem, unde totam suam accipiebat perfectionem. Si vero sermo fiat de Ecclesia omnino perfecta, et secundum complementum perfectionis, quod modo habet, sic Ecclesia minime præcessit Christum ; sed ipse potius illam exercite, executiveque fundavit, ac instituit, trahendo illam ab imperfectionibus, sub quibus erat tempore legis scriptæ, veluti sub infantia, ad perfectionem legis evangelicæ, et virilitatis statum. Et hoc expressit ipse Dominus illis verbis, *Ædificabo Ecclesiam meam*, hoc est, adultam, perfectam, Christianam, novam, non utique novitate essentiæ, sed renovatione eminentis perfectionis.

Qualiter Christus fundaverit Ecclesiam.

Sic ergo ad replicam respondetur, statum religiosum posse cum Ecclesia (cujus portio est,) et in essentia, et in perfectionis gradu non incongruenter comparari. Nam quoad essentiam consideratus solum dicit vota simplicia, et aliqualem traditio-

Præmissa doctrina applicatur, et replicæ satisfit.

nem non omnino irrevocabilem : at in statu omnimodæ perfectionis importat solemnitatem, potestatem clavium, traditionem penitus perpetuam, præclaras regulas, aliaque plura, quibus hunc statum fulgere videmus. Si ergo sermo fiat de statu religioso omnino perfecto, et consummato, sic non decuit, quod tempore Christum præcederet, sed oportuit quod Christus illum exercite, atque executive instituerit, evehendo illum ad magnam hanc perfectionem, quam modo habet, et sic de facto credimus accidisse, ut statuimus *disp.* 1, *dub.* 2. Cæterum si loquamur de statu religioso solum quoad essentiam considerato, et quasi sub infantia, et imperfectionibus constituto, potuit optime præcedere tempore exercitam Christi institutionem, respiciendo tamen ipsum tanquam finem, et causam moralem, atque exemplarem totius suæ perfectionis. Nam si Ecclesia sic se habuit ad Christum, cur non potuit ad illum ita se habere status religiosus ? Profecto congruit, quod ita re ipsa fieret (a quo tamen nunc præscindimus), tum ut status religiosus proportionabiliter imitaretur modum, quo se habuit Ecclesia ; tum ut fieret congruus processus a minus perfectis ad perfectiora : tum ut influxus Christi non limitaretur ad solos religiosos, quos post se habuit, sed extenderetur potius ad statum legis antiquæ, causando per modum causæ moralis, et exemplaris sicut alias perfectiones, sic etiam religiosum statum. Tum denique, quia hoc modo verificatur, Christum Dominum instituisse statum religiosum utique perfectum, consummatum, christianum, ac purificatum ab imperfectionibus, quas habebat tempore legis antiquæ, sicut eodem proportionali modo instituit Ecclesiam, ut supra declaravimus. Nec insolens, aut novum est, ut qui rem imperfectam promovet, evehitque ad perfectionis statum, illam dicatur instituere, et fundare. Sic enim *Machab.* 1, *cap.* 1. Alexander Macedo primus dicitur regnasse in Græcia, cum certum sit Philippum patrem ejus prius regnasse ; quia videlicet Alexander mire auxit, perfecit, ac propagavit illud Imperium.

1. Mach. 1.

Alia replica.

76. Sed urgebis adhuc : nam licet per hæc intelligatur, qualiter Christus Dominus possit dici author, et institutor status religiosi, quanquam iste sub imperfectionibus existens præcesserit legis evangelicæ tempus ; nihilominus non potest cum prædicta doctrina componi, quod Apostoli fuerint primi religiosi, si semel ipsos aliqui religiosi præcessissent ; jam quippe non essent primi, ut ex terminis liquet. Absurdum autem est dicere, quod Apostoli non fuerint primi religiosi : tum quia adversatur communi Doctorum sententiæ, tum et præcipue, quia est contra id, quod Ecclesia in quadam oratione significat : *Da*, inquit, *Ecclesiæ tuæ eorum* (Apostolorum videlicet) *in omnibus sequi præceptum, per quos religionis sumpsit exordium.* Ergo cum his, quæ de facto scimus in Ecclesia contigisse, componi non potest, quod in lege veteri fuerit religiosus status.

Ecclesia

Respondetur, Apostolos fuisse primos religiosos primitate dignitatis, et ordine perfectionis, quia in eis Christus Dominus erexit statum religiosum completum, perfectum, et omnino firmum per solemnem professionem, et traditionem prorsus irrevocabilem. Cum quo recte cohæret, quod ante Apostolos fuerint religiosi substantialiter tales, sed qui carerent consummatione, ac perfectione, quos religiosus status accepit ex Christi præsentia, et elevatione ad modum quem de facto habet. Quod minime diminuit excellentiam Apostolorum sub hoc etiam religiosorum conceptu ; ad eam quippe spectat, quod Apostoli fuerint religiosi perfectissimi, secus vero quod ante illos nulli fuerint religiosi substantialiter tales, licet sub statu minus perfecto, et veluti in religionis infantia, sic enim comparantur religiosi per sola vota simplicia, et religiosi per vota solemnia, ut explicuimus *disp.* 1, *n.* 49. Sicut etiam Apostoli dicuntur fundamenta Ecclesiæ, et Doctores fidei ; et tamen inde non fit, quod ante Apostolos non fuerit Ecclesia, et fides, cum certum sit hæc præfuisse, ut vidimus *dub.* 1, *num.* 3, *et* 5. Sequitur autem, et bene, Christum fundavisse Ecclesiam perfectissimam in Apostolis, ipsosque perfectissime, atque omnino explicite fidem prædicasse. Similiter ad eorum excellentiam pertinet, quod fuerint excellentissimi martyres, sed non pertinet quod ante illos nulli veri martyres fuerint ; oppositum enim constat ex Scriptura in aliquibus Prophetis, et Machabæis. Et profecto monachatus non est melior, quam martyrium, ut supra vidimus *num.* 70.

Qualite Apostol dicantu primi r ligiosi

Ea vero quæ ad probandum oppositum in replica adducebantur, nullius roboris sunt. *Primum* quidem, quia licet Doctores communiter

Vires r plicæ enerva tur.

communiter doceant, Apostolos fuisse primos religiosos perfectissimos; tamen non negant, quod ante illos fuerint alii religiosi minus perfecti; sed eorum plurimi contrarium affirmant, ut dubiis sequentibus ostendemus. Et hanc responsionem satis expressit Bellarm. *lib. de Monach. cap.* 5, *de origine Religionum*, ubi postquam contra hæreticos ostendit antiquitatem status religiosi exemplo Eliæ, Elisæi, Joannis Baptistæ, et Essenorum, subdit: *Sexto probatur ex Apostolorum exemplo, qui vere fuerunt primi Monachi Christiani.* Ubi non dixit, Apostolos fuisse primos Monachos ordine temporis, sed primos Monachos *Christianos*, hoc est in lege evangelica, et ordine dignitatis, et perfectionis, juxta prædictæ legis dignitatem.

Bellarm.

Secundum etiam non urget, quia in verbis ibidem relatis, ly *Religionis*, non significat statum religiosum, ut minus recte intellexit Bordonus; sed significat veram religionem, sive Ecclesiam sub perfecto statu legis evangelicæ. Ex quo potius roboratur nostra responsio, quia non obstante, quod religio, sive Ecclesia sub statu perfectissimo exordium sumpserit per Apostolos; tamen certum est ante illos fuisse veram religionem, sive Ecclesiam sub statu minus perfecto. Sic ergo licet Apostoli fuerint primi religiosi perfectissimi, nihilominus ante illos potuerunt esse alii religiosi vere essentialiter tales, licet minus perfecti quantum ad statum, et modum, præsertim respiciendo Apostolos futuros tanquam exemplar Religiosorum. Recolantur quæ supra diximus *a num.* 38, ex quibus huic responsioni plus roboris, ac lucis accedet.

Tertium argumentum.

77. Arguitur tertio, quia ille status religiosus, quem fuisse possibilem in veteri lege asserimus, vel esset ejusdem rationis cum religioso statu nunc existente, vel esset diversæ rationis? Si dicatur hoc ultimum, nihil facit ad præsentis difficultatis resolutionem, quippe nemo negat potuisse in tali tempore esse religiosum statum nomine tenus, æquivoce, et quoad aliquam similitudinem talem; sed quæstio est de statu religioso proprie dicto. Primum vero dici non valet: tum quia derogat dignitati status religiosi nunc existentis, sicut si quis diceret sacramenta legis scriptæ fuisse ejusdem rationis cum sacramentis legis gratiæ. Tum quia ea, quæ in veteri lege fuerunt, contingebant in figura, atque ideo licet tunc fuisset aliqualis status religiosus, tamen non potuit esse vere, et proprie talis, sicut qui modo est, sed solum similitudinarie, et quoad figuram.

Diluitur.

Respondetur, quod ille status religiosus, quem in lege veteri possibilem fuisse dicimus, esset ejusdem rationis cum statu religioso modo existente, non quidem quoad modum, et gradum perfectionis, sed solum quoad substantiam, sive prædicata essentialia. Quia hoc posterius solum exposcit vota simplicia, et aliquam traditionem, licet non ex omni parte irrevocabilem, ut ostendimus *disp.* 1, *n.* 8 *et* 9, *et* 48, hæc autem omnia potuerunt esse in veteri Testamento, ut satis constat ex dictis *in* § *præced. et tota hac disp.* atque ideo potuit tunc esse status religiosus quoad substantiam. Non potuit autem tunc habere solemnitatem, potestatem clavium, perfectionem, ac privilegia, quibus modo gaudet; hæc enim reservabantur exercitæ Christi Domini institutioni, qua statum religiosum in religiosis perfectissimis, nempe in Apostolis erexit, ut supra explicuimus. Et propterea status religiosus in lege antiqua possibilis esset diversæ rationis a religioso statu nunc existente quantum ad perfectionis modum, et gradum. Sed quia hæc diversitas desumpta ex solemnitate, et majori perfectione est extra essentiam, et speciem status religiosi secundum se consideratam; propterea status religiosus, qui foret in veteri lege, esset ejusdem rationis cum statu religioso nunc existente quoad substantiam, et speciem. Sicut ob eandem causam qui in sacra Societate emittunt vota simplicia, sunt religiosi ejusdem speciei essentialis cum aliis solemniter professis, licet differant quantum ad modum, ea plane ratione, qua infans, et vir sunt ejusdem speciei, licet habeant diversos perfectionis status, ut explicuimus *disput.* 1, *n.* 48. Et Ecclesia olim, et modo existens est eadem essentialiter specifice cum sola diversitate quoad status minus, et magis perfectos; et similiter eadem essentialiter est fides antiquorum, et modernorum, cum sola differentia penes cognitionem magis, et minus explicitam, ut supra ostendimus *dub.* 1, *per tot.* et præcipue *n.* 3 *et* 9.

Nota.

Ex quibus (ut id obiter dicamus) fit quod sicut Ecclesia, quæ incœpit ante statum legis evangelicæ, continuata est usque ad illum, et permansit in illo, acquirendo novam, et majorem perfectionem; et sicut

eadem numero fides, quæ in aliquibus erat ante adventum Christi, v. g. in B. Virgine, in Simeone justo, et in Anna Prophetissa, continuata est usque ad prædictum adventum, acquirendo modum cognitionis magis explicitæ ; et sicut idem homo, qui prius fuerat infans, postea sit vir acquirendo debitam quantitatem, et alia viri propria; et denique sicut idem status substantialiter religiosus, qui prius fuerat talis per vota simplicia, continuatur per vota solemnia acquirendo altiorem perfectionis, et firmitatis gradum, ut patet in religiosis sacræ Societatis : ita similiter status religiosus inchoatus in veteri lege potuit continuari usque ad legem evangelicam, et perseverare in illa conservando unitatem, et identitatem specificam, exuendo tamen imperfectiones, sub quibus antea fuerat, et comparando solemnitatem, aliaque privilegia ex præsentia Christi. Quod an ita acciderit, *dub.* 9, explicabimus.

Infringuntur argumenti, vites. Ea vero, quæ contra dilemmatis partem a nobis electam, et defensam objiciebantur, nullius momenti sunt. Ad primum enim respondetur, perfectioni legis evangelicæ minime derogare, quod ante illius tempus fuerit status vere, et substantialiter religiosus, constitutus tamen sub infantia, et imperfectionibus, et complendus, ac perficiendus per Christum in legis evangelicæ tempore. Sicut nec derogat, quod ante legis evangelicæ tempus fuerit vera Ecclesia, vera fides, vera gratia, et alia plura, quæ erant ejusdem speciei cum Ecclesia, fide, gratia, et aliis modo existentibus ; licet pro qualitate temporis habuerint statum minus perfectum, ut locis supra relatis declaravimus. Et quod dicitur de Sacramentis, non urget; fuerunt enim olim vera Sacramenta, sed diversæ speciei a nostris Sacramentis, ob diversum modum specificum causandi gratiam : quæ ratio non militat in statu religioso, sicut nec in Ecclesia, nec in fide, nec in aliis exemplis supra adductis.

Ad secundum dicendum est, ea quæ acciderunt in veteri Testamento, fuisse quidem figuras, seu repræsentationes mysticas eorum, quæ contingunt in novo; inde tamen non inferri, quod in seipsis non habuerint entitatem, et veritatem. Alioquin eodem argumento conficeretur, in veteri Testamento non fuisse veram Ecclesiam, veram fidem, veram gratiam, et alia hujusmodi; sed hæc omnia tunc fuisse meras umbras, et figuras : quod dicere esset hæreticum. Sic ergo status religiosus potuit in veteri lege esse signum, seu figura repræsentans futurum sui statum, ac nobiliorem modum in lege evangelica ; et tamen esse vere, et substantialiter in seipso status religiosus ; imo idem quoad substantiam cum seipso ut continuando in lege gratiæ, sicut idem proportionabiliter accidit in Ecclesia, ut *dub.* 1 explicuimus. Recolantur specialiter quæ ibidem diximus *n.* 16.

Quartum argumentum 78. Arguitur ultimo,quia plura requiruntur ad statum religiosum, quæ non potuerunt esse in veteri Testamento: ergo in eo non potuit esse hujusmodi status. Probatur antecedens ; nam in primis ad hunc statum requiritur approbatio Ecclesiæ ; habere autem authoritatem approbandi religiones, est proprium Ecclesiæ in lege gratiæ : ergo talis approbatio non potuit esse in veteri Testamento. Præterea ad statum religiosum requiritur, quod superior habeat potestatem clavium, qua subditos valeat ligare, et absolvere ; hujusmodi autem potestas est propria Ecclesiæ pro hoc statu, nec potuit dari in veteri Testamento. Tandem ad religiosum statum necessaria est certa regula, qua religiosi dirigantur, et gubernentur ; inauditum autem est, quod in veteri Testamento fuerit, aut esse potuerit regula religiosa.

Dissolvitur Respondetur ex supra dictis, quod status religiosus potest dupliciter considerari : uno modo ut omnino completus per solemnitatem, et perfectionem, quam nunc habet ; et si plura exposcit, quæ nec fuerunt, nec potuerunt esse in veteri Testamento, juxta ea quæ de facto ex Scriptura, et processu Ecclesiæ edocemur; quidquid sit, an absolute esse potuerint. Altero modo secundum substantiam, sive prædicata essentialia; et ita acceptus solum exposcit tria vota substantialia simplicia cum aliqua, licet non omnino irrevocabili, traditione, ut locis supra citatis ostendimus: quæ non solum absolute, sed etiam secundum præsentem providentiam, et doctrinam Scripturæ potuerunt esse in veteri Testamento. Et in hoc sensu (qui est proprius præsentis difficultatis) negamus absolute antecedens, quod minime evincunt inductæ probationes. Ad *primam* enim dicendum est, quod ad statum religiosum secundum se acceptum non requiritur approbatio positiva Ecclesiæ, sed sufficit negativa, sive (et in idem

Ecclesia in veteri lege habuit potestatem approbandi religiosum statum.

idem redit) quod Ecclesia non repugnet, et contradicat rejiciendo talem statum, ut ostendimus *disput.* 1, *num.* 24. Potuit autem Ecclesia in veteri Testamento non contradicere, nec repellere statum religiosum, qui eo tempore oriretur. Quinimo si requireretur approbatio positiva, posset etiam Ecclesia eo tempore illam adhibere, sicut potuit instituere, atque approbare nova jejunia, et festivitates, ut constat *Judith* 16, *Esther* 9, *et* 1 *Machab. cap.* 4. Unde ex vi hujus nequit probari, quod eo tempore non potuerit esse status religiosus quoad essentiam consideratus.

Ad secundum negamus, quod status religiosus essentialiter sumptus exposcat potestatem clavium in superiori; sufficit enim alia inferior potestas, dominativa videlicet, et œconomica, qualis reperiri potest in fœminis, et in laicis, ut satis constat ex dictis *loco. cit. n.* 26, quæ potestas inveniri potuit in veteri Testamento, ut ex se liquet.

Status religiosus in veteri lege an habuerit regulam specialem.

Ad tertiam negamus, quod ad religiosum statum requiratur certa regula, quippe quæ extra illius essentiam existit, ut ostendimus *loco cit. num.* 29. Esto vero, quod talis regula esset necessaria, nihil fuit quod in veteri Testamento prohibuerit eam dari verbo, aut scripto. Unde quoad regulam

Hieron. de Guevar.

scriptam Hieronymus de Guevara ex sacra Societate, *tom.* 1, *in Matth. cap.* 1, *vers.* 1, *observat.* 16, *num.* 11, *inquit :* « Nec ab-
« nuam dicere, Eliam qui prior religioso-
« rum parens, et vitæ eremiticæ fuit insti-
« tutor, nonnullas scripsisse regulas, qui-
« bus vivendi formam uniformem illis
« religiosorum conventibus, qui in Car-
« melo erecti fuerunt, præscripserit : quod
« jugi tenore omnes sacrarum familiarum
« fundatores, qui illius sunt vestigia se-
« quuti, inviolabiliter observarunt. » Et quantam ad regulam verbo, et exemplo traditam (quod magis probamus), plura

Salian.

dicit Salianus ex eadem sacra Societate, *tom.* 4, *anno mundi* 3138, ubi Eliam introducit, qui a discipulis discessurus, illos monet ad religiosæ vitæ observantiam, et nter alia inquit num. 12. « Ibi (nempe in
« monte Horeb) tum mihi nominatim edidit
« (Deus videlicet) Elisæum, nostrum ab eo
« tempore socium, deinceps etiam divino de-
« creto successorem, et omnium vestrum a
« digressu meo parentem : Elisæum disci-
« plinæ religiosæ præpositum, ac magis-
« trum, cui secundum Deum obtemperabi-
« tis, quicumque in Carmelo, et in Bethel,
« et in Galgalis, et in Naioth, et ad Jorda-
« nem, et in Gaba, cæterisque locis divinæ
« militiæ, et religiosæ professioni nomen
« dedistis. Ejus ex ore divina accipietis ora-
« cula, et in eo agnoscetis loquentem Deum.
« Ab eo directionem, et consolationem, et
« auxilium in prosperis, et adversis, tan-
« quam a parente amantissimo, et spiri-
« tualium bonorum locupletissimo expec-
« tabitis. Eum enim scio multum gratia
« valere apud Dominum, ut res ipsa citius
« opinione vestra docebit, et valiturum
« etiam amplius propter vos, in quos Dei
« loco suavissimum exercebit imperium.
« Hunc tanquam e Moysis cathedra loquen-
« tem audietis, in ejus manibus vota vestra
« offeretis Deo. Ergo quam cœpistis caste,
« ac religiose vitam agere, eodem ductore
« constanter ad mortem usque ducere per-
« severabitis, ab eo siquidem ad omnem
« virtutem verbo, et exemplo informabi-
« mini, etc. » Sed hæc magis quam potentiam, factum respiciunt, ad quod jam oportet transeamus.

DUBIUM VII.

Utrum in Ecclesia ante legis evangelicæ tempus fuerit status religiosus.

Viso, quod status religiosus potuerit esse ante tempus legis evangelicæ, succedit ut videamus an re ipsa, et de facto fuerit. Est autem sermo de statu religioso, qualem de tempore possibilem diximus, nempe vere, et substantialiter talem ; nudum tamen, et præcisum a solemnitate, potestate clavium, aliisque perfectionibus ejus essentiæ superadditis, quibus nunc exornatur. In quocumque vero tempore asseratur, semper adstruendum est, quod Christus Dominus fuerit præcipua ipsius causa, et exemplar, ut supra *a num.* 74 explicuimus.

Nota, et cautio.

§ I.

Præfertur sententia affirmans, et D. Th. authoritate fulcitur.

79. Dicendum est, statum religiosum proxime explicatum fuisse in Ecclesia ante statum, seu tempus legis evangelicæ. Hanc assertionem docent plurimi Doctores a *num.* 104 referendi. Et quia multa sunt illius fundamenta, quæ simul posita obscurita-

Conclusio.

tem, et Lectori fastidium afferrent, curabimus illa distinguere, et ad differentes classes, sive arguendi loca reducere. Felix autem initium auspicari desideramus ab authoritate Angelici Præceptoris : tum ob nostram erga Doctorem sanctissimum reverentiam : tum ad dispellendam falsam aliquorum opinionem, qui ipsum nobis contrarium repræsentant : quod est durissimum, efficacissimumque in obæratissimos discipulos arguendi genus. Ut ergo ostendamus D. Thomam pro nobis stare, observandum est ex eodem S. Doctore, quod lex vetus duravit usque ad mortem Christi Domini, ut ipse tradit 1, 2, *q.* 103, *art.* 3 *ad* 2. Quod etiam tuetur Soto *lib.* 2, *de Justit.* *quæst.* 5, *art.* 4, Suarez *lib.* 9, *de legibus, cap.* 12, *num.* 4, dicens esse communem sententiam Theologorum, Gregorius Martinez *ad locum cit. D. Thom. dub.* 2 et Arauxo 1, 2, *quæst* 99, *disput.* 4, *sect.* 1, *num.* 17, ubi statuit, legalia non cessasse ante mortem Christi, idque adeo certum esse apud Theologos, ut oppositum ad minus sit temerarium, et errori proximum.

Deinde nota, legem evangelicam non cœpisse homines obligare saltem ante mortem Christi. Quod etiam expresse docet D. Thom. 3 *p. quæst.* 66, *artic.* 2 *ad* 1 *et in* 4, *dist.* 2, *q.* 1, *articulo* 4, *quæstiunc.* 3, traduntque communiter Theologi, ut videre est apud Suarez *lib.* 10, *de legibus, cap.* 4, *a num.* 6, Arauxo *ubi proxime, num.* 18, Martinez *q.* 106, *art.* 3, *dub. unico.*

Tandem observa, quod lex evangelica primam inchoationem accepit a prædicatione Christi illam docentis, et proponentis; quippe quæ non potuit incipere priusquam ipsius legislator illam sua doctrina, atque exemplis ferret. Unde ante prædicationem Christi solum vigebat, existebatque lex scripta. Quod alte significavit D. Thom. *loco cit. ex* 1, 2, ubi ait : *Ante passionem Christi, Christo prædicante, et miracula faciente, currebant simul lex, et Evangelium ; quia jam mysterium Christi erat inchoatum, et nondum consummatum.* Signanter enim dixit, Evangelium cœpisse currere simul cum lege, *Christo prædicante, et miracula faciente;* ut significaret, quod licet ante illam prædicationem jam legislator esset natus, et in rerum natura existens ; tamen legis evangelicæ inchoatio fuit ab ejus prædicatione, et non prius. Unde Martinez *ad prædict. locum, dub.* 2, inquit : « Quod ait « D.Thom. simul tunc currere Evangelium, « et legem veterem, non est intelligendum « quantum ad præceptum utriusque, sed « Evangelium quantum ad consilium, le- « gem autem quantum ad præceptum : aut « simul currere Evangelium quantum ad « præceptum inchoative tantum, legem au- « tem absolute pro tunc quantum ad præ- « ceptum. Idem docet D. Thom. 3 p. quæst. « 37, art. 1 ad 1, et in 4, dist. 3, art. 5, « quæst. 3. Cum D. Thom. tenet omnis il- « lius Schola, etc. » Recolantur etiam quæ *dub.* 2 statuimus, et his prænotatis queunt majorem lucem afferre.

Duratio legis veteris ex D. Th.

Soto.

Suarez.

Martin.

Arauxo.

Quo tempore obligavit lex nova, ex D. Thoma.

Prima legis novæ inchoatio, ex D. Thoma.

Martin.

80. His suppositis, quod D. Thom tenuerit nostram sententiam, demonstratur in hunc modum, quia lex evangelica non habuit statum ante tempus, quo Christus illam prædicavit ; quippe quæ non obligavit ante ipsius mortem, nec cœpit ante ipsius prædicationem, ut constat ex prænotatis : sed ex sententia D. Thom. fuit status religiosus ante tempus, quo Christus prædicavit legem evangelicam : ergo ex ejus sententia status religiosus fuit ante legis evangelicæ tempus. Consequentia patet evidenter ex præmissis. Minor autem probatur ; nam S. Doctor *quodlib.* 5, *art.* 21, *ad primum*, inquit : « Dicendum quod summum in vita « humana potest accipi dupliciter. Uno « modo secundum comparationem status « ad statum, secundum quod in humana « vita unus status est major alio, et aliquis « est summus. Et sic nihil prohibet aliquem « fieri repente summum. Et hoc apparet « tam in spirituali, quam in sæculari. In- « veniuntur enim aliqui statim a pueritia « ad statum religionis, qui est perfectissi- « mus, convolasse, vel proprio arbitrio, « sicut B. Joannes Baptista, et B. Benedic- « tus, etc. » Quibus verbis palam affirmat, B. Joannem Baptistam statim a pueritia assumpsisse statum religionis. Constat autem, quod durante Joannis pueritia nondum Christus Dominus cœperat prædicare suam legem, ut manifeste liquet ex historia Evangelii. Sentit ergo D. Thom. quod ante statum, et tempus legis evangelicæ fuerit status religiosus.

Probatur conclusio authoritate D. Thom

Joannes Baptista vere religiosus ante legem novam.

Nec refert si ad labefactandum tam perspicuum testimonium, dicas *primo.* D. Thom. non loqui de statu religioso proprie, et essentialiter dicto ; sed solum tali secundum aliquam similitudinem in solitudine, aut pœnitentia. *Secundo,* id accidisse B. Joanni ex speciali aliqua inspiratione. *Tertio,* Joannem pertinuisse non solum ad legem

Effugia

gem scriptam, sed etiam ad evangelicam; D. Tho- ut enim inquit S. Doctor 3 *p. q.* 38, *art.* 1 *ad* 2, fuit terminus veteris, et initium novæ. *Quarto*, pueritiam Joannis fuisse valde proximam prædicationi, et promulgationi legis evangelicæ, atque ideo inde non sumi argumentum ad tempus antiquius.

Præcluduntur. Hæc, inquam, subterfugia facile præcluduntur. Primum quidem, nam D. Thom. expresse loquitur de statu, qui dicitur summus, comparative ad alios status; id vero minime convenit statui, qui esset religiosus, non essentialiter, sed secundum aliquam similitudinem, ut ex se liquet. Præterea eodem modo loquitur de B. Joanne, ac de B. Benedicto; hunc vero fuisse vere, et substantialiter religiosum, nemo est qui neget. Tandem B. Joannem fuisse vere religiosum, docet communis sententia, ut *num.* 91 videbimus. *Secundum* nihil valet: tum quia nos in assertione non dicimus, quod status religiosus ante legis evangelicæ tempus fuerit introductus, vel assumptus absque motione, et inspiratione divina; unde talis evasio intactam relinquit nostram assertionem. Tum quia si Deus prædictam inspirationem Joanni dedit ante legis evangelicæ statum, pariter illam aliis immittere potuit: nec occurrit fundamentum, ut id negemus. *Tertium* etiam evertitur, quia alia est ratio de B. Joanne, ac de prima ejus assumptione ad statum religiosum; quia Joannes attigit tempus prædicationis legis evangelicæ, et fuit baptizatus a Christo; quocirca pertinet etiam ad legem evangelicam. Sed factus est religiosus in pueritia, ut inquit D. Thom. atque ideo ante legis evangelicæ tempus, et consequenter status religionis ab illo assumptus prædictum tempus præcessit, quod pro assertione statuimus. *Ultimum* denique confutatur, quia ad salvandam nostræ assertionis veritatem nihil interest, quod status religiosus longo, aut brevi intervallo antecesserit legis evangelicæ tempus, cum assertio sit indefinita, et præscindat ab his differentiis. Præsertim cum diversitas penes plus, aut minus temporis sit pure accidentalis, et materialis. Si enim status religiosus præcessit legem evangelicam viginti annis, cur non quinquaginta, cur non centum?

Aperitur amplius mens D. Thomæ. 81. Expenditur amplius vis prædicti testimonii destruendo præcipuum motivum opinionis adversæ; nam ideo status religiosus non fuisset ante legis evangelicæ tempus, quia Christus Dominus illum primo instituit in Apostolis, et quia isti fuerunt primi religiosi, et quia talis status est perfectio propria prædictæ legis: sed nihil horum urget, supposito quod B. Joannes fuerit in pueritia sua verus religiosus, ut D. Thom. palam supponit, et affirmat: ergo status religiosus fuit ante legis evangelicæ tempus. Probatur minor, quia cum B. Joannes esset in pueritia, nondum Christus Dominus instituerat statum religiosum, nondum erant Apostoli, nec lex evangelica cœperat esse, aut obligare, ut constat ex supra dictis: ergo D. Th. nullum reputavit inconveniens, quod status religiosus fuisset ante prædicta, et recte vidit ea non urgere. Et quidem merito; nam status religiosus, quem Christus exercite instituit in Apostolis, quemque ipsi primo assumpserunt, et qui pertinet determinate ad perfectionem legis evangelicæ, est status religiosus consummatus per solemnitatem, potestatem clavium, et alias perfectiones, quas de facto habet; cum hoc autem recte cohæret, quod status religiosus vere talis, sed minus perfectus, et constitutus per vota simplicia, atque aliqualem traditionem, fuerit ante legis evangelicæ tempus, cum adhuc prædictæ legis tempori reservetur id, quod in hac parte reservari oportet, nempe perfectio, ac consummatio prædicti status, ejusque initium in esse consummati, et perfecti, ut supra *a n.* 74, fusius declaravimus: merito ergo D. Th. nullum censuit inconveniens, quod ante Apostolos, et statum legis evangelicæ B. Joannes Baptista fuerit vere, et essentialiter religiosus.

Expenditur aliud D. Tho. testimonium pro assertione. 82. Probatur secundo eadem assertio ex eodem Angelico Doctore *in hac.* 2, 2, *q.* 187, *art.* 2, ubi inquirit: *Utrum religiosis liceat sæcularia negotia tractare.* Et pro parte negativa proponit tertium argumentum desumptum ex quodam testimonio D. Hieron. in quo affirmare videtur, non licere religiosis adire regum palatia. Ad quod sic respondet D. Th. « Dicendum quod frequen-
« tare palatia regum propter delicias, vel
« gloriam non competit religiosis; sed ea
« adire propter pias causas eis competit:
« unde dicitur 4, Reg. 4, quod Helisæus
« dixit ad mulierem: Nunquid habes ne-
« gotium, et vis ut loquar Regi, vel prin-
« cipi militiæ? Similiter etiam convenit
« religiosis adire regum palatia ad eos ar-
« guendos, vel dirigendos, sicut Joannes

« Baptista arguebat Herodem, ut dicitur « Matth. 14. » Ex quibus sic arguitur : D. Th. probat Elisæi exemplo licere religiosis adire regum palatia propter pias causas : sentit ergo Elisæum, qui vixit ante legis evangelicæ tempus, fuisse vere, et substantialiter religiosum. Probatur consequentia : tum quia alioquin illo exemplo nihil probaret, quippe cum dubium esset de veris religiosis, et exemplum poneret in eo, qui vere religiosus non fuisset : sicut si quis vellet probare licere veris religiosis matrimonium contrahere, quia id licet eremitæ, qui vere religiosus non est. Tum etiam quia D. Th. in eo articulo, et tota illa quæstione agit de religiosis vere, et substantialiter talibus, ut sola ipsius lectione constabit : ergo inconsequenter valde procederet, si ad confirmandam suam resolutionem exemplum constitueret in homine non religioso, sed vere laico : quæ inconsequentia aliena est a tanto Doctore. Tum denique, quia eodem modo loquitur de Elisæo, ac de Joanne Baptista : sed Joannes in ejus sententia fuit verus religiosus, ut supra vidimus : ergo et Elisæus.

Præcupatur evasio. Nec potest dici D. Th. posuisse exemplum in Elisæo, non sicut in homine vere religioso, sed sicut in homine sancto. Quoniam difficultas illius articuli non procedebat circa homines sanctos, sed circa religiosos, ut constat tam ex titulo ipsius, quam ex eo, quod pervium, manifestumque est licere aliis Sanctis adire regum palatia, in religiosis vero est specialis difficultas ob particularem eorum professionem, qua sæculo renuntiant : ergo si D. Th. posuisset exemplum in Elisæo, non sicut in religioso, sed sicut in sancto, minime probaret intentum, sed ab eo penitus diverteret. Quod cum sit absurdum, et intellectu Angelico indignum, sequitur quod D. Thom. senserit Elisæum fuisse vere religiosum.

Confirmatio ex D. Tho. Confirmatur primo ex eodem D. Thom. 2, 2, *q.* 84, *art.* 8, ubi inquirit : *Utrum Presbyteri, Curati, et Archidiaconi sint majoris perfectionis, quam religiosi.* Ubi certum est, sermonem fieri de religiosis proprie dictis, et quoad statum : tum quia de aliis, qui solum secundum quandam similitudinem dicuntur religiosi, non erat ambigendi locus : tum quia id manifeste constat ex articulo immediate præcedenti, ubi inquiritur, *Utrum status religiosorum sit perfectior, quam status prælatorum.* In proposita ergo difficultate docet D. Th. partem negativam, nempe statum illorum ecclesiasticorum non esse perfectiorem religiorum statu, ut cum S. Doctore statuimus *disp. præc. n.* 11. Sed pro parte affirmativa proponit : *Videtur quod etiam Presbyteri, Curati, et Archidiaconi sint majoris perfectionis, quam religiosi. Dicit enim Chrys. in suo dialogo* (nempe lib. 5, de Sacerdotio, post princip. tom. 5): *Si talem mihi aliquem adducas monachum, qualis, ut secundum exaggerationem dicam, Helias fuit ; non tamen illi comparandus est qui traditus populis, et multorum peccata ferre compulsus immobilis perseverat, et fortis, etc. Ergo videtur, quod Sacerdotes habentes curam animarum sint perfectiores religiosis.* Cui argumento posset D. Th. facillime occurrere dicendo, quod D. Chrys. non comparavit Sacerdotes illos cum aliquo vero monacho, seu religioso ; sed cum Elia, qui vere religiosus non fuit, atque ideo mirum non esse, quod Sacerdotes prætulerit. Id, inquam, respondisset, si eam teneret sententiam, quod Elias, aut alii in veteri Testamento non fuerint vere religiosi. Sed quia vidit Chrys. manifeste supponere Eliam vere fuisse monachum, id quippe evidenter repræsentant illa verba : *Si talem mihi aliquem adducas monachum, qualis ut secundum exaggerationem dicam, Helias fuit,* propterea aliter diluit argumentum hoc modo : *Ad primum ergo dicendum, quod ad illas authoritates Chrysostomi breviter responderi posset, quod non loquitur de Sacerdote curato minoris ordinis, sed de Episcopo, qui dicitur summus Sacerdos. Et hoc convenit intentioni illius libri, in quo consolatur se, et Basilium de hoc, quod erant in Episcopos electi.* Ubi palam concedit, quod licet status Episcocorum sit perfectior religiosorum statu, nihilominus status inferiorum Sacerdotum non est perfectior statu monachi, qui talis sit qualis fuit Elias, ut loquitur Chrys. atqui si Elias non fuisset vere monachus quoad statum religiosi, status monachi similis Eliæ non posset præponi statui inferiorum Sacerdotum ; quippe qui nec status esset, nec ejusdem perfectionis : sentit ergo D. Thom. Eliam fuisse monachum vere, et quoad statum.

Alia confirmatio D. Tho. Confirmatur secundo, quia idem D. Th. 2, 2, *q.* 187, *art.* 6, inquirit, *Utrum liceat religiosis vilioribus vestibus uti, quam cæteri utantur.* Et propositis argumentis pro parte negativa, inquit : *Sed contra est, quod ad Hebr.* 11, *Apost. dicit, Circuierunt in melotis*

tis, in pellibus caprinis. Gloss. ut Elias, et alii. Ergo S. Doctor sentiebat, Eliam fuisse vere religiosum; aliter enim non recte exemplum in Elia constitueret, nihilque ex Eliæ exemplo pro religiosis colligi posset.

Præciditur evasio. Nec refert, quod argumentum *Sed contra*, non semper contineat propriam Authoris sententiam, sed locum relinquat ad aliam tertiam eligendam. Nam licet ita quidem sit, nihilominus argumenta negativa, et affirmativa, et resolutio, etsi diversa concludant, tamen versantur circa idem subjectum, de quo aliquid controvertitur : cum ergo subjectum quæstionis a D. Th. propositæ fuerit an sint vere religiosi, ut liquet ex titulo, et toto contextu; et D. Th. exemplum constituerit in Elia, sequitur ipsum sensisse, quod Elias fuerit vere religiosus. Præsertim cum ipse in corpore articuli teneat sententiam in argumento *Sed contra* Quamsitam, et Eliæ exemplo firmatam. propo magis illustrat *ad loc. cit. Apost. lect.* 8, ubi relatis illis verbis, *circuierunt, etc.* inquit : « Et hæc dicuntur de Elia 4, Reg. « 1, quod erat vir pilosus, et zona pellicea « accinctus renibus. Et de talibus vestibus « dicit Aug. lib. de serm. Domini, quod « potest esse in tali veste intentio mala, « si quis utatur ad vanam gloriam, bona « autem si ad contemptum mundi, et ma- « cerationem carnis. Præcipue autem qui « profitentur statum pœnitentiæ debent « ostendere signa professionis, et ideo licet « eis uti talibus vestibus, non tamen ad « ostentationem, et sic utebantur prophe- « tæ. Quantum autem ad statum personæ, « dicit : Egentes; quia carebant divitiis, « in quo præfigurabant statum perfectionis « novi Testamenti, de quo dicitur Matth. « 19 : Si vis perfectus esse, vade, et vende « omnia, quæ possides. Et hoc fuit specia- « liter de Elia. » Quibus verbis non obscure significat, Eliam professum fuisse statum pœnitentiæ, et paupertatis, atque ideo religiosum; quia carentia temporalium nec solitarie sumpta, nec voto firmata vere constituit statum, nisi aliis votis associetur, eis vero adjuncta religiosum statum constituit. Et neminem moveant illa verba, *In quo præfigurabant, etc.* quasi D. Thom. significaverit in veteri Testamento solum fuisse figuram quandam perfectionis religiosæ; quia optime cohæret, quod status Eliæ, et similium in veteri Testamento præfiguraverit perfectionem novi Testamenti, et quod nihilominus fuerit in se, ac vere religiosus status : sicut fides, et justitia antiquorum nostram fidem, et justitiam repræsentabant, quo non obstante, erant in seipsis vere fides, et justitia, ut explicuimus *num.* 73, et locis ibidem relatis.

Objectio ex aliquibus D. Tho. testimoniis. Arauxo. 83. Ex quibus apparet legitima intelligentia locorum D. Thomæ, quæ nostræ assertioni opponunt Adversarii. Omnia, aut saltem præcipua, collegit Arauxo 1, 2, *q.* 99, *disp.* 4, *sect.* 3, et sunt ista. *In* 1, 2, *quæst.* 107, *art.* 2, inquit : « Tertio adim- « plevit Dominus præcepta legis superad- « dendo quædam perfectionis consilia, ut « patet Matth. 19, ubi dicenti se observasse « præcepta veteris legis, dicit : Unum tibi « deest. Si vis perfectus esse, vade, et « vende omnia, quæ habes. » Et *quæst.* 108, *art. ultimo*, subdit : « Et ideo conve- « nienter in nova, quæ est lex libertatis, « supra præcepta sunt addita consilia, non « autem in veteri lege, quæ erat lex servi- « tutis. » Et *Opuscul.* 17, *cap.* 4, inquit : « Constat Christi discipulos statim in sua « conversione ad fidem esse assumptos ad « Christi collegium, in quo primum exem- « plar consiliorum perfectionis apparuit, « et absque dubio cujuscumque religionis « statum excessit. » Et *ad Hebræos* 11, *lect.* 8, ait : « In quo præfigurabant, etc. » ut *num. præced.* vidimus. Et 2, 2, *q.* 188, *art.* 7, inquit : « Sed et discipuli post Resurrec- « tionem, a quibus omnis religio sumpsit « originem, pretia prædiorum conserva- « bant, et distribuebant unicuique prout « opus erat. » Et *q.* 189, *art.* 1, idem repetit, nempe quod a *Christo omnis religio sumpsit originem.* Unde infert relatus Author, D. Th. negasse, quod in lege veteri fuerit status religiosus; et simul assignasse rationem, nempe legem veterem fuisse legem servitutis, atque ideo in ea non fuisse consilia, cum hæc pertineant ad perfectam libertatem filiorum Dei in lege gratiæ.

Satisfactio. Sed hæc facile explicantur; nam cum D. Thom. tam aperte dicat, D. Joannem Baptistam a sua pueritia fuisse verum religiosum, ut *num.* 80 vidimus; et pueritia Joannis præcesserit statum legis evangelicæ, et exercitam institutionem status religiosi in Apostolis, manifeste sequitur, quod nullum censuerit inconveniens in eo, quod status religiosus fuerit in veteri Testamento, ut magis expendimus *num.* 81. Idque magis firmatur exemplis Eliæ, et Elisæi, quos fuisse vere religiosos recognos-

cit D. Thom. ut supra ponderavimus. Unde testimonia, quæ nobis objiciuntur, sunt ab omnibus explicanda, ne D. Thomas sibi tam aperte repugnet, præsertim cum negari non possit, quod nonnulli in veteri Testamento observaverint aliqua consilia evangelica, ut manifeste constat ex dictis *num.* 12. Mens igitur D. Thom. in prædictis testimoniis est, Apostolos habere primatum in professione status religiosi : tum prioritate, et ordine temporis respectu religiosorum legis gratiæ, qui tales sunt omnino consummate ob solennitatem, et alias perfectiones modo existentes : tum prioritate dignitatis, et in genere causæ exemplaris respectu religiosorum in quocumque statu, et lege : omnes quippe respiciebant, et respiciunt perfectionem Apostolicam tanquam præcipuum exemplar sub Christo Domino. Cum quo tamen recte componitur, quod status religiosus vere talis secundum essentiam (sed minus perfectus ob defectum solemnitatis, et aliorum privilegiorum, quæ modo habet), præcesserit in tempore Apostolos, ut manifeste in Joanne Baptista, et non obscure in Elia, atque Elisæo concedit Angelicus Doctor in locis pro nostra assertione allegatis. Quam responsionem fusius explicuimus, atque exemplis firmavimus *num.* 75.

Consilia qualiter fuerint in lege antiqua

Id quod de consiliis evangelicis additur, non premit ; concedimus enim ea non fuisse in veteri lege observata ex ipsa lege, aut illius viribus ; observata vero ab aliquibus fuerunt per gratiam datam mediante fide in Christum docentem, et consulentem prædicta consilia in lege gratiæ : quocirca homines illius temporis prout illa consilia observantes ad legem gratiæ pertinebant, atque ideo nihil perfectionis ex vi hujus isti legi negatur. Unde D. Th. 1, 2, *q.* 106, *art.* 2 *ad* 3, inquit : « Illi qui in « veteri Testamento Deo fuerunt accepti « per fidem, secundum hoc ad novum Tes- « tamentum pertinebant ; non enim justi- « ficabantur nisi per fidem Christi, qui est « author novi Testamenti. » Et *q.* 107, *art.* 1, ait : « Fuerunt aliqui in statu veteris Tes- « tamenti habentes charitatem, et gratiam « Spiritus sancti, qui principaliter expecta- « bant promissiones spirituales, et æter- « nas ; et secundum hoc pertinebant ad le- « gem novam. » Recolantur alia plura, quæ ex S. Doctore adduximus *a n.* 8, et quæ diximus *a n.* 70, ex quibus hæc responsio omnino firmatur.

D. Tho.

§ II.

Expenditur præcipuum assertionis fundamentum.

Firmatur eadem conclusio

84. Secundo probatur nostra conclusio ex principiis, quæ in hac disputatione stabilivimus, et possunt sub hac forma proponi : quoniam in eo statu datur aliquod constitutum, in quo dantur omnia principia constitutiva illius ; sicut tunc datur homo, cum datur corpus, et anima, et unio, quæ illum constituunt : sed in veteri Testamento fuerunt omnia principia constitutiva status religiosi quoad essentiam : ergo hujusmodi status sic acceptus fuit in veteri Testamento. Cætera constant, et minor ostenditur ; nam principia adæquate constitutiva status religiosi secundum essentiam sunt tria simplicia vota castitatis, paupertatis, et obedientiæ, cum aliqua traditione ad Dei cultum, licet non ex omni parte penitus irrevocabili ; hæc quippe sufficiunt ad verum statum religiosum secundum essentiam constituendum ; et cætera, utputa solemnitas, potestas clavium, certa regula, et alia hujusmodi, non necessario requiruntur, ut ostendimus *disp.* 1, *dub.* 1 *et* 3. Atqui prædicta tria vota, et traditio fuerunt in veteri Testamento : ergo tunc fuerunt omnia principia constitutiva status religiosi secundum essentiam. Minor hujus secundi syllogismi quoad votum castitatis patet ex dictis *dub.* 2, quoad votum paupertatis ex dictis *dub.* 3, quantum ad votum obedientiæ ex dictis *dub.* 4, et quantum ad traditionem ex dictis *dub.* 5. Quibus locis unamquamque partem firmavimus, quantum ad rem historialem, et ad factum pertinentem desiderari videtur, diluimusque argumenta, quibus singula asserta possent oppugnari : unde in præsenti nihil quantum ad hoc, quod adjiciamus, habemus ; sed veritatem illarum assertionum supponimus, quas Lector recolat locis citatis.

Confirmatur

Confirmatur tamen præoccupando, ac præcludendo quoddam effugium ; nam ideo prædicta vota, et traditio in veteri Testamento non constituissent statum secundum essentiam religiosum, quia licet tunc fuissent seorsum in diversis subjectis, tamen non concurrerunt in eodem supposito, quæ conjunctio necessaria est ad prædictum statum constituendum ; certum quippe est, prædicta non seorsim, ac divisive, sed simul, et copulative essentiam religiosi status

tus constituere : atqui prædicta principia constitutiva status religiosi in eodem supposito concurrerunt : ergo constituerunt statum religiosum, secundum essentiam. Probatur minor ; nam Elias, Elisæus, et filii Prophetarum observarunt castitatem ex voto, ut constat ex dictis *n.* 25, *et* 31, iidem etiam observarunt voluntariam paupertatem ex voto, ut vidimus *a n.* 44, iidem præterea observarunt obedientiam ex voto, ut ostendimus *a n.* 55, denique iidem ad specialem Dei cultum se tradiderunt, atque sacrarunt, ut liquet ex dictis *a n.* 66. Ergo prædicta vota, et traditio fuerunt tempore veteris legis, non solum seorsim, et divisive, sed etiam simul, et collective in eisdem suppositis. Probatur deinde minor in Essenis ; nam ostendimus illos ex voto observasse castitatem *n.* 82, paupertatem *num.* 47, obedientiam *n.* 59, et se Deo tradidisse *n.* 66.

Ad hæc : si prædicta vota, et traditio non simul concurrissent in eodem supposito ad constituendum statum vere, et secundum essentiam religiosum, maxime quia inconveniens esset, quod talis status fuerit in veteri Testamento : atqui nec inconveniens, nec repugnantia, nec aliud incommodum sequitur ex eo, quod prædictus status secundum essentiam acceptus eo tempore fuerit, ut ex professo ostendimus *dub.* 6. Ergo tunc concurrerunt simul principia constitutiva status religiosi quoad essentiam, illumque de facto constituerunt.

Esseni in lege veteri fuerunt vere religiosi.

85. Verum enimvero licet ea, quæ de Essenis locis relatis diximus, assertionem nostram satis evincere videantur, placet tamen ipsam eorum exemplo, sed via magis compendiosa fulcire. Nam Esseni illi Alexandrini (de quibus disserit Philo Judæus *in lib. de vita contemplativa supplicum*), fuerunt vere, et substantialiter religiosi, quos in fide evangelica instruxit B. Marcus Evangelista, ut communiter tradunt Authores, D. Hieron. *de Script. Eccles. in Philon.* Niceph. *lib.* 2, *c.* 15, Cassianus *lib.* 2, *de instit. cœnob. c.* 5, Waldensis *l. b.* 3, *doctrin. fid. antiq. c.* 7, Baron. *anno Christi* 64, Bellarm. *lib.* 2, *de Monach. c.* 18, et alii, qui horum Essenorum exemplo demonstrant contra hæreticos religiosi status antiquitatem. In quo studium perderent, si sermonem facerent de religiosis solum specie quadam, et secundum aliquas observantias talibus ; id quippe antiquitus fuisse non negant hæretici, sed statum vere religiosum per vota, atque traditionem. Porro licet B. Marcus Essenos Alexandrinos ad fidem converterit, et simul cum fide magnam ipsis perfectionem communicaverit, qua religiosum eorum statum valde promoverit ; nihilominus quod non primo instituerit eorum religiosam vitam secundum substantiam, sed ipsam in eis supposuerit, probatur efficaciter ex eodem Philone, a quo omnes, qui illos non viderunt, accipiunt. Nam Philo *lib. cit.* totam vitam Essenorum describens inquit : « Extant « etiam apud illos commentarii veterum « quorundam hominum, qui illorum sec- « tæ, et religionis authores, ac duces fue- « runt, quippe complura monumenta de « ea specie, et ratione doctrinæ, quæ in « allegoriis cernitur, post se reliquerunt. « Quibus quidem tanquam exemplaribus « utentes, et professionis illius, et instituti « modum sedulo imitantur. » Hæc Philo, quæ transcribit Eusebius *lib.* 2, *Histor. Eccles. c.* 16, sub hoc titulo, *Quæ Philo de Religiosis in Ægypto commemorat.* Ex quibus sic arguitur : Nam Authores, et duces vitæ illius religiosæ, quam Esseni Alexandrini profitebantur, fuerunt veteres quidam homines, qui tales dicebantur ipsius Philonis tempore, ut evidenter liquet ex ejus verbis : sed hi veteres homines præcesserant tempus, et statum legis evangelicæ, quippe quæ florere inciepiebat ipsius Philonis tempore : ergo religiosorum illorum Essenorum institutum initium habuit anto legis Evangelicæ statum, atque ideo tempore legis scriptæ, et consequenter eo tempore fuit status vere, et quoadsubstantiam religiosus.

Insignis Philonis locus.

Euseb.

Nec vim hujus testimonii declinabit, qui dicat cum Eusebio, loco citato : *Per illos veterum commentarios, quos ait apud eos servatos esse, probabile est eum Evangelia, Apostolorum scripta, et expositiones quasdam veterum, ut videtur, Prophetarum mysteria aperientes intellexisse, quales quidem tum epistola Pauli ad Hebræos, tum aliæ complures ejusdem complectuntur.* Nam hæc responsio est evidenter contra sententiam Philonis, qui duces, et authores illius instituti vocat homines quosdam veteres, quo loquendi genere repræsentat eos se antiquiores, sibique ignotos : Apostoli autem erant ipsius contemporanei, et non penitus ignoti, ut constat ex eodem Eusebio *lib. cit. c.* 15, ubi de Philone agens, inquit : *Quem Romæ sub Claudii dominatu fama es*

Confutatur quædam evasio. Euseb.

Philo Judæus.

D. Hier. Niceph. Cassian. Wald. Baron. Bellarm.

in colloquium Petri, qui Romanis eodem tempore verbum Dei prædicabat, venisse. Atque illud quidem est plane verisimile. Quomodo ergo Philo appellasset veteres homines, quos suo tempore vixisse noverat, et quos vidisse recordabatur? Antiquius itaque illius instituti, quod descripsit, principium intellexit. Et Eusebius non occultat incertitudinem suæ responsionis, sed illam formidolosa *probabilitatis* voce satis aperuit.

Præcluditur aliud effugium.

Nec iterum satisfacit, si dicatur, Philonem homines illos veteres vocasse authores, et duces Essenorum quoad aliquas observantias, secus quoad institutum vitæ religiosæ secundum vota. Nam hæc evasio est prorsus voluntaria, et deserit textum Philonis, cui oportet stare in relatione rei antiquissimæ, quam ille vidit, non autem recentiores. Ipse quippe refert, totum Essenorum institutum complectendo cuncta, quæ tam in castitate, quam paupertate, obedientia, abstinentia, oratione, aliisque observantiis merebantur admirationem, et postea inquit : *Extant etiam apud illos commentarii veterum quorundam hominum, qui illorum sectæ, et religionis authores, ac duces fuerunt, etc.* Ab illis ergo veteribus ortum duxerat religiosum Essenorum institutum quoad suam substantiam, licet insigne incrementum simul cum fide Christiana ex D. Marci prædicatione susceperit.

§ III.

Eadem assertio alio fundamento munitur.

Aliud conclusionis motivum.

86. Probatur tertio eadem assertio : quoniam exemplar in eo, quod exemplar est, debet esse æqualis ad minus perfectionis cum exemplato ; sed Elias fuit exemplar, quod veri monachi, seu religiosi imitati sunt quantum ad perfectionem substantialem religiosi status : ergo Elias fuit vere monachus, et religiosus quoad essentiam, et substantiam prædicti status. Consequentia patet : major autem est D. Thom. *q.* 8, *de verit. art.* 8, *et lib.* 3, *contra gent. c.* 19, et facile ostenditur, quia exemplatum in eo, quod tale imitatur exemplar, indeque suam perfectionem quasi transcribit ; nihil autem imitatur id, quod imperfectius est, cum inde nequeat perfectionem derivare : ergo exemplar in eo, quod exemplar est, debet esse æqualis ad minus perfectionis cum exemplato secundum illam rationem, in qua causalitas exemplaris, atque imitatio exercetur. Unde fit, quod nulla ratio communis exemplari, et exemplato sit propria in exemplato, et impropria in exemplari. Quod esse universaliter verum, recte observat Joannes a S. Thom. 3 *p. q.* 24, *disp.* 10, *art.* 2, § *Probatur ratione primo.* Ante probationem autem minoris prænotare oportet, quod cum Elias dicitur exemplar vitæ religiosæ, minime significatur, quod fuerit primum, et præcipuum exemplar ; hujus quippe ratio tam in ordine ad vitam religiosam, quam respective ad alias perfectiones convenit Christo Domino, ut recte tradit D. Thom. 1, *ad Cor.* 11, *lect.* 1, et supra declaravimus *a n.* 74. Sed sensus est, quod Elias eam excellentiam habuerit post Christum, per Christum, et sub Christo ; quo pacto aliqui justi dicuntur exemplaria peculiarium perfectionum, ut loquitur D. Ambros. *lib. de Joseph. cap.* 1, ubi Abraham appellat exemplar devotionis, et fidei ; Joseph castitatis, et sic de cæteris.

Quo supposito probatur minor. Nam D. Athanasius in vita S. Antonii, qui verus fuit monachus, et plurimorum monachorum parens, ait : *Igitur Antonius secum reputans oportere Dei famulum ex instituto magni Eliæ exemplum capere, et ad illud speculum vitam suam debere componere.* Idem D. Athanasius relatus a Baronio *anno* 328, *n.* 32, de Monachis loquens, ait : *Habemus pro exemplari Elisæum, et conscii quid Elias egerit.*

D. Basil. *hom.* 19, *in Gordianum Mart.* agens de hoc Sancto, qui post militarem vitam factus est monachus, inquit : *Eliæ prophetæ sequutus exemplum, relictis honoribus, relictis omnis generis facultatibus, etc., ad vasta deserta, et hominibus invia concessit.*

D. Greg. Nyssen. *orat.* 7, *in c.* 4 *Cant.* explicans illa verba, *Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad,* affirmat per hæc significari monachos imitantes Eliam. « Itaque omnes, *inquit,* « quotquot ad exemplum Vatis illius vitam « suam instituunt, ornamentum Ecclesiæ « fiunt, gregatim virtutem in conversa- « tione mutua colentes. » Similia scribit *orat.* 15, *et ultima in Cant. et orat. de laudibus fratris sui Basilii,* ait : « An etiam « audebimus ad sublimem Eliam sermone « ascendere, et ostendere nostrum Docto- « rem suæ vitæ instituto illius gratiæ as- « similari. »

D. Isidor.

D. Isid. D. Isidor. *lib.* 7, *etymol. c*, 14, ait : « Anachoretæ Eliam et Joannem, Cœno- « bitæ Apostolos imitati sunt. » Et eodem Cassian. fere modo loquitur Cassian. *collat.* 18, c. 2. Metaph. Metaphrastes in vita S. Pachomii apud Surium *die* 14 *Maii*, inquit : « Erat ei « revera præstantissimi exercitatoris Patris « nostri Antonii vita ad imitationem Magni « Eliæ, Elisæi, et Joannis Baptistæ. »

Eustach. Eustachius *in vita S. Euthychii*, apud Jodocum *de vita monast. fol.* 355, et apud Surium *die* 6 *Aprilis*, inquit : « Se totum « solitariæ vitæ tradidit monachi vestem « induens, et re, atque habitu, et sermone « Philosophiam illam amplectens, quam ex « utero matris adamaverat, imitatus est « Eliam, et Joannem Baptistam. »

Machar. Macharius relatus a Suario *tom.* 3, *de Relig. lib.* 3, *c.* 1, *n.* 1, *in serm.* qui incipit, *Fratres charissimi*, ait : « Eliam, et Eli- « sæum, ac filios Prophetarum, quos cons- « tat veraciter veteris Testamenti mona- « chos, imitari curate. » Et post pauca subdit : « Veniamus ad monachum novi « Testamenti, Joannem scilicet Baptistam, « qui propter sanctitatem, et munditiam a « Domino vocatus est Angelus. Hic ab An- « gelo in spiritu, et virtute Eliæ Dominum « præcursursus prædicatur, et ab ipso Do- « mino de eo dicitur : Si vultis scire, Joan- « nes ipse est Elias. Quorum exemplo, fra- « tres charissimi, in ordine monastico, quem « sectari cœpistis, debetis solicite curare, ut « ab eorum recto tramite, id est monastica « vita, nullatenus recedatis. Hos sequuti Baron. « sunt Paulus, et Antonius, etc. Baronius *tom.* 4, *anno* 340, *n.* 8, agens de Monachatu, inquit : « Erat quidem in Oriente sum- « mum illud vivendi genus instar Eliæ, et « Joannis Baptistæ, cunctis hominibus, etiam « ethnicis, et Imperatoribus venerandum. » Denique ut prolixitatem in aliis recensendis vitemus, Suar. *tom.* 4, *de Relig. lib.* 2, *c.* 10, *n.* 4, fatetur : *Patres aperte ponunt Eliam exemplar Monachorum.*

Suar.

Effugium ex Suario. 87. Nec refert si cum hoc Authore respondeas, prædicta Patrum testimonia intelligenda esse quantum ad aliquam imitationem, aut similitudinem in solitudine, jejuniis, aliisve observantiis ; secus quoad substantiam, sive essentiam status religiosi.

Evertitur. Nam contra hoc est *primo*, quod prædicta responsio est voluntaria, et non habet fundamentum in testimoniis Sanctorum Patrum, quæ allegavimus. Imo est contra illorum mentem ; nam Monachatus principaliter significat statum monasticum, non vero observantias, aut accidentia, quæ illum supponunt, et circumstant : cum ergo Patres dicant, perfectissimos monachos, quales fuerunt Antonius, Basilius, Pachomius, Eutychius, et alii, habuisse suæ professionis exemplar in Magno Elia, de imitatione in monachali statu loquuti sunt, et minus bene eorum asserta ad solas quasdam prædicti status circumstantias restringuntur. *Secundo*, quia sancti Patres non dividunt Monachatum in eas partes, substantiam videlicet, et accidentia ; sed cuncta hæc comprehendunt sub monachi, et monasticæ professionis vocabulo, alias eadem licentia posset quis dicere, Antonium, Basilium, Pachomium, et alios supra relatos fuisse monachos secundum quandam similitudinem, secus quoad substantiam, et statum ; quod est omnino absurdum, favetque hæreticis negantibus antiquitatem status religiosi. Cum ergo Patres liquido affirment, Eliam fuisse exemplar, quod alii in suo monachatu imitabantur, satis aperte significant, in Elia præfuisse non sola accidentia, sed substantiam etiam, sive essentiam monachatus. *Tertio*, quia in rebus facti, sive ad historiam pertinentibus, parum favent ingenii argutiæ, sed stare oportet fidelium testium dictis, juxta communem, et sincerum verborum, quibus utuntur, sensum ; alioquin nihil adeo firmum in historiis reperietur, quod labefactari non possit per distinctiones *proprie, et improprie, absolute, et secundum quid, categorematice, et syncategorematice*, aliasque similes, quibus sophistæ ipsissimam veritatem inuentes oculos ludificare contendunt : verba autem Patrum supra relata, juxta communem, et sincerum sensum intellecta monachatum proprie, et secundum substantiam talem significant, hujusque exemplar Eliam fuisse dicunt : ergo non debent ad extraneum sensum detorqueri, ut significent præcise monachatus accidentia. *Ultimo*, et urgentius, quia verba Sanctorum Patrum accipienda sunt in sensu proprio, nisi ex eo sequatur aliquod absurdum, ut in simili tradunt D. August. *lib.* 3, *de doctr. Christian. c.* 7, et ipse Suar. *lib.* 5, *contra Regem Angliæ*, *c*, 8, *n.* 5; verba autem Patrum supra relata, si in sensu proprio accipiantur, monachatum verum, et quoad substantiam talem significant, ut ex se liquet, et aliunde ex eo, quod sic acci-

D. Aug. Suarez.

piantur, nullum sequitur absurdum, ut ostendimus dubio præcedenti : ergo oportet, quod ita accipiantur. Sic autem accepta plane significant Eliam fuisse vere, et substantialiter monachum.

Objectio. Dices, inferri ex his, quod Elias fuerit non solum monachus, sed solemniter professus (illi enim, qui Eliam tanquam exemplar habuisse dicuntur, tales fuerunt), quod est falsum, et contra id, quod in hac materia sæpe observavimus, nempe in veteri lege non fuisse solemnitatem status religiosi.

Solutio. Respondetur negando sequelam, quia prædicta solemnitas est extra speciem status religiosi secundum se considerati : sicut ætas virilis, et perfecta est extra speciem hominis, ut *disp.* 1, *a n.* 48, explicuimus. Unde sicut ad hoc ut unus alium imitetur, et sit ei similis in ratione hominis, non requiritur quod habeat eandem ætatem, aut aliam accidentariam perfectionem ; sed sufficit, et requiritur, quod conveniant in conceptu specifico habendi essentialia hominis prædicata, ita ut monachi supra relati Eliam imitentur, eique assimilentur in ratione monachorum, requiritur quidem, et sufficit, quod in utroque extremo salvetur vera essentia monachatus ; sed non requiritur, quod utrobique adsit solemnitas ; hæc quippe, ut diximus, est extra speciem illius, et aliunde se habet per modum ætatis adultæ, quam adulto etiam legis evangelicæ statui oportet reservari. Nec id, quod in objectione supponitur, certum est ; plures enim censent antiquos illos monachos, et eremitas fuisse quidem vere religiosos, non autem solemniter professos ; idque magis illis arridet, qui opinantur omnem votorum solemnitatem esse ab Ecclesia introductam, et statui religioso jam instituto, atque exercito superadditam, ut constat ex dictis loco citato, *a n.* 51. Juxta quam sententiam penitus evanescit objectio.

§ IV.

Præcedens fundamentum amplius roboratur.

Confirmatio præcedentis motivi. 88. Potest autem fundamentum immediate propositum magis fulciri aliis Patrum testimoniis, quæ in hunc modum expendimus : nam ut aliquis dicatur aliorum dux, institutor, et author in aliquo vivendi genere, opus est quod eundem modum formaliter, aut eminenter habeat ; aliter enim non apparet ratio, cur in tali prædicato ducatum, et primatum respectu cæterorum obtineat. Qua de causa nemo negabit recte colligi, quod D. Benedictus religiosum suorum monachorum statum habuerit, qui a Benedictinorum dicitur, et vere est author, et pater ; et similiter recte colligi, quod D. Franciscus professus fuerit religiosum Minorum Institutum, quia dicitur, et vere est Minorum dux, et author. Atqui Patres communiter affirmant Eliam fuisse ducem, institutorem, et authorem monachorum, qui vere tales sunt, et secundum religiosum statum. Ergo Elias fuit vere, sive quoad essentiam monachus, et religiosus. Cætera constant : et minor intelligitur quantum ad primatum ordine temporis, et comparative ad monachatum solum secundum substantiam ; sed non intelligitur quantum ad primatum ordine dignitatis, et comparative ad statum religiosum consummatum, et omnino perfectum ; hujusmodi enim primatus soli Christo Domino competit, ut supra vidimus *n.* 74. In quo sensu probatur minor celebri testimonio D. Hieron. *epist.* 13, *ad Paulinum*, quæ est de institutione monachi, ubi ait : « Habet unumquodque « propositum principes suos. Romani duces « imitentur Camillos, Fabricios, etc. Phi- « losophi proponant sibi Pythagoram, Aris- « totelem, etc. Poetæ æmulentur Homerum, « Virgilium, etc. Oratores Demosthenem, « Tullium, etc. Et ut ad nostra veniamus, « Episcopi, et Presbyteri habeant ad exem- « plum Apostolos. » Pergit deinde ad monachos, et ait : « Nos autem habeamus pro- « positi nostri principes Paulos, Antonios, « Julianos, Hilariones, Macharios. Et ut « ad Scripturarum authoritatem redeamus, « noster princeps Elias, præpositus noster « Elisæus, nostri duces filii Prophetarum. » In quo testimonio certum est, quod Maximus Doctor sermonem instituit de monachatu vere, proprie, et quoad substantiam tali : tum quia nemo negabit B. Antonium fuisse vere monachum : tum quia ipse S. Doctor, qui se inter illos monachos recenset, vere monachus fuit, et *proprie religiosus*, ut hoc testimonio convictus concedit Suar. *tom.* 3, *de Relig. lib.* 8, *c.* 7, *n.* 27. Et tamen D. Hieron. recognoscit, quod Elias fuerit illius propositi, ac instituti princeps.

Ubi ponderandum est, quod in omnibus aliis exemplis, quibus S. Doctor probat unumquodque propositum habere principes

pes suos, stat rigorosa proprietas rei per voces significatæ; nam Camillus fuit vere dux Romanorum, Aristoteles vere Philosophus, Virgilius vere Poeta, Tullius vere Orator, Apostoli vere fuerunt Episcopi; aliter enim non possent prædicti appellari duces, ac principes illarum professionum. Cum ergo D. Hieron. eodem tenore dicat Eliam esse principem monachorum, sequitur quod ex ejus sententia vere, et proprie monachus fuerit.

Et urgetur, quia S. Doctor eodem modo dicit Eliam, et Elisæum, eorumque discipulos esse principes sui instituti, monastici videlicet, et vere religiosi, ac Paulos, Antonios, etc. Sed isti fuerunt vere religiosi : ergo et Elias, ipsiusque discipuli. Nec dissimili arguendi genere usus est Suar. *loc. cit.* ubi ait : « Nemo autem (credo) « negabit statum Hieronymi fuisse vere, « ac proprie religiosum, cum ipse multis « aliis locis » (videtur deficere aliquod verbum) « præsertim vero epist. 13, ad Pauli- « num, inquit : Nos autem habemus propo- « siti nostri principes Paulos, et Antonios. » Cujus argumenti vis stat in hoc : « D. Hie- « ron. dicit principem propositi sui esse « Antonium : sed hic fuit vere, et proprie « religiosus : ergo et Hieron. » Quæ consequentia nullius roboris est, si negetur Eliam fuisse vere, et proprie religiosum ; nam posset quis non absimili forma contrarium hoc modo inferre : « D. Hieron. « dicit principem sui instituti esse Eliam : « sed hic non fuit vere monachus : ergo « nec Hieron. » Quod cum falsum sit, concedere oportet, quod ex sententia S. Doctoris Elias vere monachus fuerit, vitamque duxerit religiosam. Idemque est dicendum de Elisæo, et filiis Prophetarum, quos eodem testimonio complectitur. Et in hoc sensu accipienda etiam sunt, quæ scribit *in epist. ad Rustic.* ubi ait : « Filii prophe- « tarum, quos monachos in veteri Testa- « mento legimus, ædificabant sibi casulas « prope fluenta Jordanis, et turbis urbium « derelictis, polenta, et herbis agrestibus « victitabant. » Et idem S. Doctor in vita Pauli Eremitæ, D. Antonium introducit, qui ut per exaggerationem Paulum maxime eremitam, et perfectissimum monachum significaret, dixit : *Vidi Eliam, vidi Joannem in deserto.*

D. Isid. 89. D. Hieronymum imitantur alii gravissimi Patres. D. Isidorus Hispaniarum Doctor egregius *lib.* 2, *de orig. officior. cap.* 15, inquit : « Unde autem ad monachos « studium defluxerit paupertatis? Vel quis « hujus conversationis » (vitæ religiosæ,) « extiterit author, cujus isti habitum imi- « tantur? Quantum pertinet ad authorita- « tem veterum Scripturarum, hujus propo- « siti princeps Elias, et discipulus ejus « Elisæus fuerunt, sive alii Prophetæ qui « habitabant in solitudine, urbibusque relic- « tis faciebant sibi casulas prope fluenta « Jordanis. Hujus deinde propositi in Evan- « gelio Joannes author extitit, qui eremum « solus incoluit, locusta tantum, et agresti « melle nutritus. Jam deinde progeniti « sunt conversationis hujus nobilissimi « principes Paulus, Antonius, Hilarion, « Macharius, cæterique Patres. »

Joannes Hierosolymit. *in lib. de institut.* Joan. Hieros. *Monach. cap.* 2, inquit : Hic propheta Dei « Elias monachorum princeps primus ex- « titit, a quo sancta eorum primæva insti- « tutio sumpsit exordium. »

Joannes Cassianus rerum monasticarum Cassian. sapientissimus *lib.* 1, *de institut. Monach. cap.* 2, ait : « Itaque monachum ut militem « Christi in procinctu belli semper positum, « accinctis lumbis jugiter oportet incedere ; « hoc enim habitu etiam illos ambulasse, qui « in veteri Testamento hujus professionis « fundavere primordia, Eliam scilicet, et « Elisæum, divinarum Scripturarum autho- « ritate demonstratur. »

D. Petrus Damianus *tom.* 1, *opuscul.* 15, D. Petr. Damian. *de origine vitæ eremiticæ, cap.* 2, inquit : « Hujus vitæ normam, ut anteriora præte- « ream, Elias cœpit, Elisæus vero, aucto « discipulorum collegio, dilatavit. »

Rupertus Abbas *in cap.* 4 *Cantic.* ad illa Rupert. verba, *Capilli tui sicut greges caprarum*, inquit : « Hæc dixit, et hæc fecit ille » (Elias videlicet, de quo loquitur) « primus author, « et institutor eorum, qui dicti sunt filii « Prophetarum, quos fuisse monachos in « veteri Testamento, consentit authoritas « Patrum venerabilium. »

Bernardus Cassinens. *in exposit. Regul.* Bern. Cassin. *D. Benedicti*, ait : « Attende bene, quod in « veteri Testamento Elias, et Elisæus mo- « nachorum inventores extiterunt. »

Joachimus Abbas *in c.* 6, *Apocalyps.* Joach. Abbas. *vers.* 18, inquit : *Designatur autem per Eliam sicut per Solem* (aliorum nempe siderum ducem) *ordo monasticus.*

Historia Tripartita, quæ Sozomenum, Hist. Tr. Socratem, et Theodoretum habet Authores, *lib.* 1, *cap.* 11, inquit : « Hujus itaque ele-

« gantissimæ Philosophiæ » (nempe monachismi) « princeps quidem fuit, ut quidam « dicunt, Elias Propheta, et Baptista Joan-
Martyr. ægyptium. « nes. » Denique Martyrologium Ægyptium in die S. Eliæ sic habet : « Sexta die « mensis Tubæ translatus est Elias Pro- « pheta. Hic Elias Propheta fuit primus « in lege veteri, qui deserta incoluit, et mo- « nasticam in montibus egit vitam. »

Veteres monachi Eliam patrem vocabant. Unde antiquissimi, et probatissimi monachi, ut ostenderent se recognoscere Eliam sui instituti ducem, et authorem, illum *patrem suum* appellabant, sicut modo se declarat monachum D. Benedicti, qui ipsum vocat patrem suum, ut ex usu religionum satis innotescit. Sic in vita S. Honu-
Honup. phrii per Pachomium descripta loquitur ipse Honuphrius : « Profecto vitam Patris « nostri Eliæ venerabiles fratres meos au- « divi frequenter laudare, qui se in eremo « in tanta abstinentia, et oratione studuit « affligere, ut maximam virtutem a Do- « mino meruisset accipere, et igneo curru « transvectus Spiritus sancti dona, quæ ha- « buerat, discipulo impertiri. » Quam sententiam aliis verbis, sed eodem sensu refert Lypomanus in vita ipsius Honuphrii, in principio Junii, ubi Honuphrius refert se aliquot annos vivisse in Monasterio, et deinde subdit : « Cum ergo in juvenili « ætate illic degerem, et erudirer, Deique « amorem a Sanctis Patribus, puramque, « ac sinceram fidem docerer, et regulam « pietatis, audivi sanctos Patres dicentes de « admirabili, pioque, et religioso Patre « nostro Elia, quemadmodum ei fuerunt « vires a Deo confirmatæ per tolerantiam, « et patientiam eorum, quæ sustinuit in de- « serto : et rursus de Joanne Baptista, etc. » Quibus verbis diserte manifestat, veteres illos monachos, et monachorum duces reveritos fuisse Magnum Eliam velut communem omnium patrem ; atque ideo fuisse in ea sententia, quam defendimus circa verum, et substantialem Eliæ monachismum, seu religiosum vivendi statum.

Eadem gravium Authorum sententia. Bellarm. Patribus adjungendi sunt graves alii Authores. Bellarminus *lib. de Monach. cap.* 39, inquit : « Vitam eremiticam, sanctam, « et perfectam, et Deo gratam esse probatur « primo testimonio Scripturæ, quæ vehe- « menter laudat Eliam, et Joannem, qui « eremitarum principes fuerunt. » Et infra : « Quocirca veteres Patres Eliam, et Joan- « nem eremitas, et principes eremitarum « faciunt. » Et inferius : « Vita eremitica « est culmen, et fastigium vitæ religiosæ ; « nam omnes fere Patres docent, ad vitam « eremiticam non debere quemquam tran- « sire, nisi prius diligenter in cœnobio se « exercuerit, propterea quod eremus non « afferat perfectionem, sed præsupponat. » Unde vel prædictus Author sibi contradicit, et nihil contra Magdeburgenses, quos ibi impugnat, concludit ; vel convincitur sentire, quod Elias, et Joannes fuerint vere religiosi.

Gravina *in voce Turturis, p.* 2, *cap.* 15, Gravi ait : « Carmelus mons, vere celeberrimus, « in quo fructuosus ille palmes Elias com- « moratus, solitariam ab hominum con- « sortio semotam professus est vitam, quem « primum colendæ virginitatis authorem « Patres, et Doctores appellant, obedientiæ, « et paupertatis prototypum, quem princi- « pem monachorum Hieronymus vocat, « cum Elisæo, cum filiis Prophetarum, « etc. »

Reverendissimus Camartus Ordinis Mi- Camar nimorum Generalis *in lib. de Elia Thesbyte, c.* 6, *sect.* 8, illum cum aliis Prophetis conferens, inquit : « At Elias id habet præemi- « nentiæ supra illos, quod non solum vir- « ginitatem excoluit, sed et præterea au- « thor fuit, cui plurimi discipulorum se « penitus addixerint ; collegia enim, quæ « ibi instituit, viris in cœlibatu degentibus « referta erant, quo fit, ut Hieronymus, « Joannes Hierosolymit. Cassianus, et alii « quotquot de monasticis rebus scripserunt, « asseruerint Eliam omnium monachorum « parentem fuisse. »

Aubertus Miræus Ecclesiæ Antverpiensis Miræ Decanus *in lib. de orig. Ordin. Carmel.* Principibus Belgii dicato, ait : « Anno ante « Christi ortum circiter nongentesimo « tricesimo Elias Propheta clarissimus in « Carmelo Syriæ monte, quem cultu suo « fecit insignem, prima instituti monastici « fundamenta jecit, quæ gravissimorum « Patrum consensio est. » Et infra : « Quid- « quid Orientis, Austrique primores, quo- « rum genere monachorum cœtus glorian- « tur, tradidere ; quidquid etiam ab Oriente « in Occidentem extat invectum, non mi- « nima ex parte institutionis Eliæ quædam « expolitio, et ad nationes diversas coap- « tatio est. »

Trithemius *in lib. de ortu, et laud. Carm.* Trite *c.* 3 ait : *Monastici propositi princeps fuit Elias.*

Cartagena *tom.* 3, *lib.* 17, *hom.* 1, inquit : Carta

Merito

« Merito veteres Doctores sanctum patrem « Eliam appellant totius vitæ monasticæ « patrem, universorum Ordinum exor- « dium, omnis Religionis vexilliferum, ac « cœnobiticæ disciplinæ antesignanum. « Non inventa a me loquor, sed quæ docuit « me D. Hieronymus, etc. » Et relatis plu- rium Patrum testimoniis, subdit : « Nolo, « quamvis facultas mihi suppetat, sermo- « nem protrahere in antiquorum Doctorum « variis monumentis referendis, qui omnes « uno ore testantur, sanctissimum Patrem « Eliam totius vitæ religiosæ ducem, ac « celebrem authorem esse. »

Ben. Haëst. Benedictus Haeftenus *lib.* 1 *disquisit. monast. tract.* 11 ait : « Eximium propheta- « rum, veterisque Testamenti decus Elias « propheta, qui præter naturæ ordinem « factus est paradisi colonus, et in mortali « corpore immortalitatis candidatus, reli- « giosorum omnium jure merito Dux, et « Patriarcha est appellandus. »

Jod. Ascens. Jodocus Ascensius Vadius *super Eclog.* 10 *Mantuani*, inquit : « Monasticæ vitæ prin- « ceps est Elias, cujus filii primi fuerunt, « qui religiosorum more simul vivere, et « monasticam vitam in Carmelo agere cœ- « perunt. »

Alcazar. Alcazar *super cap.* 11 *Apocalyp. vers.* 3, ait : « Vitæ Evangelicæ exemplum in nullo « alio prophetarum ita extat, atque emi- « net, ut in Elia, cujus vitam non tam ex « veteri Testamento prophetam, quam ex « novo virum plane Apostolicum redolet; « quippe non virginalis solum pudicitiæ, « sed vitæ etiam religiosæ fuit patronus, « atque auctor. »

Coëffet. Nicolaus Coeffetau episcopus Massiliensis *in sua Monarch. Eccles. lib.* 2, *cap.* 12, *pag. nobis* 705, impugnat Marcum Antonium de Dominis episcopum Spatalensem, sed hæ- reticum, qui dicebat Eliam, et Joannem Baptistam non fuisse monachos, quod vixe- rint in veteri Testamento, quod Nicolaus refellit his verbis : « Non dubitant ortho- « doxi Patres Eliam, et Elisæum, et Joan- « nem Baptistam facere Patres, et principes « monachorum. Andi Hieronymum de mo- « nachis, in quorum numero seipsum ponit, « loquentem : Noster princeps Elias, etc. »

Lean. Gr. Leander Granatensis *in lib. insinuationis divinæ pietatis, disc.* 4, § 2, ait : « S. Joan- « nes Chrysostomus, S. Macharius, et alii « graves authores pro comperto habent, « Eliam dedisse principium vitæ monas- « ticæ in veteri Testamento. »

Rod. Caro. Rodericus Caro *in notis ad Dextrum, anno* 422, ait : *In veteri Testamento Elias monachorum author, et institutor : in novo Joannes Baptista.*

Joseph. And. Josephus Andreas *in decore Carmeli, num.* 142, observat ex Chrysost. Beda, et Sedulio, Eliam significare Solem, et subdit : « Num « ut innuat ipsum Vatis celeberrimum no- « men, monasticæ, sive potius cœlestis vitæ « cæteris sanctissimis institutoribus, pro- « fessoribusque, religiosarum virtutum « splendore Dei Ecclesiam illustrantibus, « caput, et principem Eliam præluxisse, « sicut reliquis stellarum ordinibus in fir- « mamento cœli fulgentibus Sol præit prin- « ceps, et lux? Ne temere id excogitatum « autumes, ad probationem ex Patrum « quamplurium testimoniis desumptam « properemus, etc. »

Valderr. Valderramas *in Theatro Relig. serm. de Elia*, sic illum alloquitur : « Illustrissime « Patriarcha, antesignane, et primum ca- « put Religionum : felices amici tui. Beati « sunt, qui te viderunt. Beata sacra tua « Religio, quæ tali Patre, ac fundatore « fruitur, quem nos omnium patrem ap- « pellare possumus, quando quidem vitæ « monasticæ initia dedit. »

Corn. a Lap. Cornelius a Lapide, *super Cant. c.* 4, *vers.* 11, explicans illa verba, *Capilli tui, et c.* in secundo sensu, inquit : « Elias ergo « primus videtur Monachorum institutor, « tum alibi, tum in monte Carmelo, ubi « frequentius degebat. » Et infra : « Talis « fuit Elias, qui separatus a turba in monte « Galaad vitam agebat cœlestem, ibique « religiosorum examina, quæ instar capil- « lorum ex uno capite derivantur, et cacu- « men Galaad montis occupabant, illudque « velut involitantes comæ ornabant, insti- « tuit. » Hos Authores sufficiat allegasse; nam si vellemus omnium (prætermissis etiam nostri Ordinis scriptoribus) senten- tias referre, qui affirmant Eliam fuisse vitæ monasticæ ducem, ac principem, possemus quidem integram bibliothecam adornare. Ex illis autem satis colligitur, in Elia præ- fuisse verum statum monasticum quoad substantiam; aliter enim non posset dici dux, ac princeps aliorum in ea perfectione, quam ipse in se non habuisset.

Fulcitur idem discur- sus. 90. Addendum tamen est, instaurationem et innovationem alicujus rei supponere, quod talis res secundum substantiam præces- serit; quippe quod nunquam fuit, non dici- tur instaurari, aut renovari, sed primo in-

cipere. Status autem monasticus renovatus, et instauratus est in principio legis evangelicæ, atque ideo secundum substantiam consideratus hujus legis tempus præivit. Prædictam vero renovationem, ac instaurationem satis aperte expressit D. Bernardus in tractatu, seu epistola de vita solitaria, ad Fratres de Monte Dei, ubi in nonnullos invehitur (quos ipse impios appellat,) impugnantes monachatum, et vitam solitariam, tanquam novitatem, et inquit :

D. Bern. « Sed hæc novitas non est novella vanitas,
« res enim est antiquæ religionis, perfectæ,
« fundatæ in Christo pietatis : antiqua hæ-
« reditas Ecclesiæ Dei, a tempore Prophe-
« tarum præmonstrata, jamque novæ gratiæ
« Sole exorto, in Joanne Baptista instau-
« rata, et innovata, ab ipso Domino fami-
« liarissime celebrata, ab ejus discipulis
« ipso præsente concupita. »

Status religiosus antiquus renovatur in lege gratiæ.

Nec aliquem moveat verbum illud, *præmonstrata*, quasi solam figuram, aut repræsentationem significet; alia enim est propria, et genuina hujus verbi significatio : Nam *monstro* idem valet, ac *indico, ostendo, declaro;* quæ omnia referuntur ad rem præsentem : unde *præmonstrata*, idem valet apud D. Bernardum ac prius, sive ante statum legis evangelicæ de præsenti ostensa, ac declarata. Quod necessario admittendum est, ut stet proprietas in aliis S. Doctoris verbis, *Instaurata, et innovata ;* nam ut supra dicebamus, instaurari, et innovari non valet, quod prius non fuit. Sunt qui in D. Bernardo legant, non *præmonstrata*, sed *demonstrata;* et sic magis vitatur ambiguitas: nam « plerumque demonstratio rem fac-
« tam ostendit » ut dicitur « in leg. Si no-
« minatim, ff. de condit. et demonstrat. »

S. Odilo. Sententiam D. Bernardi imitantur S. Odilo *in vitæ S. Majoli*, apud Lypomanum, qui ait : « Cœpit monasticus ordo pullulare, seu
« (ut melius dicamus) reviviscere, quem a
« B. Elia, et Joanne Baptista novimus pro-

Raym. Fag. « cessisse. » Et Raymundus Fagier *tom.* 14, *tract. Doctor. de Religiosis fol.* 104, ubi de Cœnobitis agens, inquit : *Renovati fuerunt*

Nic. Boer. *a Christo in discipulis.* Et Nicolaus Boërius *tom.* 3, *ejusdem operis, parte* 2, ait : *Fuerunt renovati a Christo qui habuit discipulos pariter habitantes.* Et Collegium Ferra-

Collegium Ferrariense. riense « consil. 3 post consilia Zabarellæ,
« num. 12, » inquit: « Cœnobitæ sub Elisæo
« videntur exorti, et a Christo revocati. »

Salian. Et Salianus *anno* 3139, *num.* 14, refert Eliam, cum discederet a discipulis, eorum dolorem levasse spe Christi venturi, his verbis : « Ille est filius David, filius Abra-
« ham, a quo nova fient omnia, a quo stu-
« dium voluntariæ paupertatis, illibatæ
« continentiæ, et obedientiæ sponte susceptæ
« mirabilia accepit incrementa. » Qui omnes Authores, dum utuntur vocibus *reviviscentiæ, revocationis, renovationis, et augmenti*, plane supponere videntur statum religiosum ab Elia inchoatum, sive institutum præfuisse quidem quoad substantiam consideratum, minus tamen expolitum, et perfectum, sed a Christo accepisse augmentum, consummationem, et robur stabile, aliaque plura privilegia, quibus ad hanc usque diem inconcussus perseverat.

§ V.

Urgentior alia præcedentis argumenti confirmatio.

91. Fulciri magis valet præmissum fundamentum sequenti discursu : nam Elias, et Joannes Baptista eundem vitæ modum professi sunt : sed B. Joannes fuit vere, et proprie monachus quoad substantiam status religiosi : ergo et Elias. Consequentia patet: minor vero communiter conceditur. Unde Suarez *tom.* 2, *in* 3 *part. disp.* 24, *sect.* 6, probat B. Joannem fuisse virginem, non utcumque, sed ex voto ; quia « Patres, *in-*
« *quit*, dicunt Joannem monasticam vitam
« egisse ac monachorum principem fuis-
« se. » Qui discursus vel nullius efficaciæ est, vel evincit Joannem emisisse tria substantialia vota, sine quibus essentia status religiosi non consistit ; ut enim quis figura tenus sit monachus, sicut non requiruntur vota obedientiæ, et paupertatis, ita nec castitatis votum ; atque ideo ex Patrum assertione vel colliguntur tria vota, quod intendimus ; vel neutrum. Firmius, et ardentius loquitur Baronius, dum anno Christi 31, contra Magdeburgenses insurgit, his verbis:
« Eo, *inquit*, devenerunt stultitiæ, vel po-
« tius meræ iniquitatis, ut malint corrum-
« pere verbum Dei, et Joannem vitæ otiosæ,
« et delitiosæ infamare, quam monasticam
« ab eodem Joanne dimanantem vitam in
« Ecclesia altissimis defixam radicibus
« evangelica attestatione, ut subripi, aut
« evelli unquam possit, adstipulari, vel
« profiteri velle. » Et merito ita loquitur Cardinalis, quia Joannem fuisse vere monachum frequenter tradunt Patres, D. Thom.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

D. Tho. Thom. relatus *n.* 80, Chrysost. *hom.* 1, *in Marcum*, Hieron. *epistol.* 22, *ad Eustoch. de custodia virginit.* Isidorus *lib. de divinis officiis, cap. de Monachis*, Cassianus *collat.* 18, *cap.* 6, Niceph. *lib.* 8 *hist. cap.* 39, et alii, quos prolixum esset referre. Satis sit audire D. Bernard. *serm. de privilegiis Baptistæ*, ubi ait : « Joannes ætatis super- « gressus infantiam, et nobilioris generis « generositatem oblitus, soli vacabat divi- « nitati, factus forma vitæ, monachorum « propositum, anachoretarum principium, « totius religionis assertio. » Quæ nisi vero monacho nequeunt accommodari.

D. Chry. D. Hier. D. Isid. Cassian. Niceph. D. Bern.

demgenus professionis in Elia et Joanne. Luc. 1.

Major autem probatur ex Scriptura *Luc.* 2, nam Gabriel Angelus Joannem annuntians, dixit Zachariæ : *Ipse præcedet ante illum in spiritu, et virtute Eliæ.* Quibus verbis significasse, eundum fore in utroque vitæ modum, docent satis communiter Patres. D. Hieron. *in caten. D. Th. Matth.* 11, ait : « Elias ergo Joannes dicitur, quod juxta « aliud testimonium Evangelii venerit in « spiritu, et virtute Eliæ, et eandem Spiri- « tus sancti vel gratiam habuerit, vel men- « suram : sed et vitæ austeritas, rigorque « mentis Eliæ, et Joannes pares sunt. »

D Hier.

D. Tho. Idem D. Thom. *in cap.* 1, *Joan. lect.* 12, inquit : « Sed quid est hoc, quod dicit Joan- « nes : Non sum, scilicet Elias ; cum Chris- « tus dixerit Matth. 11. Ipse est Elias? « Hanc autem quæstionem solvit Angelus « Lucæ 1 : Ipse præcedet ante eum in spiritu, « et virtute Eliæ, in suis scilicet operibus; « quia scilicet similitudinem Eliæ in suis « operibus ostendebat. » Et post pauca iterum addit, fuisse similes *quantum ad vivendi modum.* D. Bonavent. *Luc.* 1, *cap.* 1, ait : *Propter nimiam conformitatem Joannes dicitur Elias.* D. Petrus Chrysologus *serm.* 88, *de Joanne Baptista*, inquit : « Joannes ergo « Eliæ venit in spiritu, et in ejus virtute « graditur, qui totum victu, vestitu, honore, « castitate, abstinentia, et omnibus Eliam « virtutibus repræsentat. » Divus Cæsarius *dialogo* 3, ait : « Eliam merito appellat « propter gratiæ æqualitatam, et admini- « nistrationis similitudinem. » Dionysius Carthusianus *Matth.* 17, explicans illa verba, *Elias jam venit*, inquit : « Elias jam « venit non personaliter, sed æquivalenter, « videlicet alius in spiritu et virtute ejus. »

D Bon. D. Pet. Chryst D. Cæs. Dion. Carth.

Arbor. Quos Patres imitantur Robertus Arboricencis *de cælibatu tom.* 2, *pag. nobis* 32, ubi ait : « Joannes Baptista fuit Eliæ vi- « vum quoddam simulachrum » Jansenius *in Concord. cap.* 2, ad illa verba, *In spiritu, etc.* inquit : « Similem cum Elia habuit « spiritum, eo quod similis fuit vitæ ejus « ratio. » Henricus Helmesius *serm.* 3, *seu Domin.* 3 *Adventus*, ait : « Joannes ergo « non est Elias, in persona, quia non idem « homo. In spiritu Elias fuit, propter simili- « tudinem operationis, paritatem officii, et « conformitatem conversationis. » Aubertus Miræus *loco relato numero* 89, inquit : « Omnia quippe capita hæc in cœnobiis « laudatissima, sic in eo Propheta (Elia vi- « delicet) splenduerunt, ut Joanni Baptistæ « laudi Christus verterit imaginem Eliæ ad « vivum expressisse, quasi animi suspensio, « eremus, asperitas, castimonia, inopia, « cæteræque instituti monastici notæ, qui- « bus Joannes claruit, totidem Eliæ doti- « bus harmonice consentirent. » Cornelius a Lapide *super Malach.* 4, *vers.* 5, ait : « Constat simillimos in officio, zelo, prædi- « catione, sanctitate et fuisse, et fore Eliam « et Joannem, quocirca unus sortitur no- « men alterius. » Quæ similitudo tanta fuit, ut propterea Judæi, qui ex Scriptura, et communi fama habitum, vitamque Eliæ bene noverant, Joannem interrogaverint, *Elias es tu?* Quippe non facile sibi videbantur illum ab Elia discernere.

Jansen. Henr. Helm. Miræ. Corn. a Lap.

Confirmatio. 92. Explicatur amplius vis hujus discursus; nam inde Doctores moderni colligunt, B. Joannem Baptistam fuisse vere, et proprie monachum, quia ex Evangelio constat vitam solitariam duxisse, et Patres ipsum absolute appellant monachum, et monachorum principem ; sed etiam constat ex Scriptura, quod Elias duxerit vitam solitariam, et Patres illum absolute vocant monachum, et monachorum principem, sicut Joannem : ergo Elias fuit vere, et proprie monachus. Consequentia patet : et minor est certa, quia nec Scriptura, nec Patres asserunt expresse, et sub formalibus terminis, B. Joannem emisisse tria substantialia vota monachismi, sive status religiosi : ergo quod B. Joannes fuerit vere, et proprie monachus, non in expressa, et formali Scripturæ, aut Patrum assertione fundatur, sed in eo, quod Scriptura dicat eum elegisse vitam solitariam, et Patres illum absolute vocent monachum. Quod fundamentum optimum est : tum quia verba Patrum exponentium nobis sensum legitimum Scripturæ intelligenda sunt proprie, ut jam supra observavimus *num.* 87; unde cum Joannem vocant absolute mona-

Unde colligatur Baptistam fuisse vere religiosum.

chum, in sensu proprio intelligendi sunt; nemo autem est proprie monachus absque votis substantialibus, ut constat ex dictis *disputat.* 1, *dub.* 1. Tum etiam, quia cum aliquid factum refertur, intelligendum est accidisse, sicut per se loquendo, et connaturaliter fieri postulat, nisi oppositum certo constet : uniformis autem vitæ tenor in castitate, et aliis, quæ B. Joannes observavit, per se loquendo, et connataraliter non accidit absque voto ; istud quippe est, quod firmat, et quasi immobilitat hominem ad observandum uniformem vitæ modum,
D. Tho. et tenorem. Unde D. Thom. 2, 2, *quæst.* 88, *artic.* 4, inquit : « Promissio qua Deo ali-
« quid vovemus, non cedit in ejus utilita-
« tem, qui a nobis certificari non indiget ;
« sed ad utilitatem nostram, in quantum
« vovendo voluntatem nostram immobili-
« ter firmamus ad id, quod expedit facere. »
Et *quæst.* 186, *art.* 6 *ad* 2 ait : « Non aliter
« homo potest totam vitam suam Deo exhi-
« bere, nisi per voti obligationem. » Et similia tradit *opuscul.* 18, *cap.* 12.

Eadem motiva in Elia. Minor denique ostenditur ; nam quod Elias vitam solitariam duxerit, et eremum incoluerit, aperte constat ex Scriptura 3, *Reg. a cap.* 16, et *lib.* 4, *usque ad cap.* 3 Quod vero Patres Eliam absolute appellent non solum monachum, sed et monachorum principem, liquet ex perspicuis eorum testimoniis, quæ expendimus *a numero* 88. Denique quod iidem Patres eodem modo Eliam vocent monachum, ac Joannem, satis constat ex eisdem testimoniis. Tum ex aliis, in quibus fit expressa conjunctio Eliæ, et Joannis in profitendo vitam monasticam, et similitudo, aut potius paritas inter utrumque significatur. Unde D. Hie-
Elias et Joan. monachi eodem modo. D. Hier. ronym. in vita Pauli introducit D. Antonium dicentem : « Vidi Eliam, vidi Joan-
D. Naz. « nem in deserto. » D. Nazianzen. *orat.* 20, *in laudem Basilii*, ait : « Cum Elia, et Jo-
« anne summis Philosophis (hoc est mona-
« chis), solitudinem amplectitur. » Et *orat.* 19, ait : « Carmelum Eliæ considerabam,
« et Joannis solitudinem. » Et *orat.* 29, *in sancta lumina*, Baptistam ita alloquitur :
« Tu, inquam, solitudinis alumne, ac nul-
« lius cibi homo : tu nove Elia. » D. Gre-
D. G. Nys. gorius Nyssen, *lib. de vera, et incorrupta virginit. cap.* 6, ait : « Ambo (Elias videlicet,
« et Joannes) ab adolescentia sese statim
« ab humanæ vitæ societate removerunt. »
D. Amb. D. Ambrosius *lib. epistol.* 10, *epist.* 82, *ad Vercellens. Ecclesiam. pag. nobis* 1146, agit de vita monastica, et inquit : « Hiuc illi
« processerunt viri, Helias, Heliseus, Joan-
« nes Elizabeth, qui pelliceis tunicis, et ca-
« prinis exuviis induti, inopes, atque egen-
« tes, augustiis, et doloribus afflicti, in
« solitudinibus errabant, inter alta, et con-
« densa montium, etc. quorum conversa-
« tione dignus orbis terrarum non erat. »
D. Ephrem *in consil. de vita spirit. cap.* 90, D. Ep
sic monachum instituit : « Noli splendido
« vestium ornatu gloriari, memor quomodo
« ovinis pellibus indutus fuerit Elias, quali
« item Joannes Baptista vestimento usus
« sit. » Sidon. Apollinaris *carm.* 16, agens Sidon Apol
de vita solitaria, inquit : « Qua nunc Elias,
« nunc te jubet ire Joannes. » Antiochus Antio
Monachus *homil.* 39, *de inopia*, ait : « Mona- Mona
« chus altivola est aquila, qui se exuit pos-
« sessione facultatum, Eliæ comperitur esse
« imitator, et Joannis. » Theophylact. *Luc.* Theop
1, ait : « In spiritu, et virtute Eliæ venit
« Joannes, eo quod eremita fuit etiam ipse,
« et frugalis vitæ, sicut ille. » Dionysius
Carthus. *ibidem* ait : « Uterque propheta, D. Ca
« et eremita, ac fervens zelator justitiæ
« fuit. » Et eodem modo loquuntur alii Patres, quod prolixum esset recensere. Et ideo
sufficiat fidem dare Bellarmino *lib. de Mo-* Bellar
nachis, cap. 39, ubi ait : « Veteres Patres
« Eliam, et Joannem eremitas, et principes
« eremitarum faciunt, ut Basilius in epist.
« ad Chilonem, Nazianzenus in apologia,
« postquam e fuga rediisset, Chrysostom.
« homil. 69, in Matth. Hieronym. partim in
« epist. ad Paulin. de instit. monachi, par-
« tim in epist. ad Eustochium de virginit.
« Cassianus collat. 18, cap. 6, Sozonemus
« lib. 1, hist. cap. 12, Theophyl. in cap. 1,
« Lucæ, Isidorus lib. 2, cap. 15, de officiis
« divinis. » Et Alardus Gazæus Benedicti- Alard Gaz
nus *ad collation.* 18, *Cassiani, cap.* 6, inquit :
« Eliam, Elisæum, et Joannem Baptistam
« eremitas, et principes eremitarum nuncu-
« pant sancti Patres. » Similiaque scribit
Jacobus Middendorpius Academiæ Colo- Mid
niensis Procancellarius *in historia monastica, cap.* 1, *et* 13.

93. Adde primo, quod graves Authores Ali confi mati
non solum asserunt Eliam, et Joannem fuisse monachos, ac similis conversationis, sive instituti ; sed insuper affirmant Joannem imitatum fuisse Eliam, ejusque Joa imita Elia professioni adhæsisse. Quod inter alios Abul luculenter tradit Abulensis 4 *Reg. cap.* 1, *quæst.* 15, ubi inquirit . « Qualis erat ha-
« bitus Eliæ, et Joannis Baptistæ, et quare
Joannes

« Joannes voluit imitari Eliam in ha-
« bitu? » Et respondet : « Joannes Bap-
« tista sequutus est per omnia vitam Eliæ,
« ita ut a Judæis putaretur esse Elias, et
« mitterent ei ad dicendum, si erat Elias,
« ut patet Joannis 1. Ipse tamen habuit ha-
« bitum omnino conformem isti habitui
« Eliæ, ut patet Matth. 3, cum dicitur,
« quod Joannes habebat vestimentum de
« pilis camelorum, et zonam pelliceam
« circa lumbos suos. Vestis autem facta de
« pilis camelorum erat nimis hispida, et
« pili prominebant exterius, ita ut non
« videretur vestis facta per artificium, sed
« pellis animalis versis exterius pilis. Ideo
« dicebatur Elias talem vestem habens pi-
Idem. « losus. » Et *quæst.* 16, immediate sequenti
addit : « Elias fuit exemplar virtutis, et
« desiderii futuri sæculi inter antiquos;
« nam de eo dicitur Ecclesiastici 48, quod
« surrexit Elias Propheta quasi ignis, et
« verbum ipsius quasi facula ardebat; ideo
« ipse voluit esse distinctus a cæteris, tam
« in vestibus, quam in communicatione.
« In vestibus quidem, quia habuit de pilis
« camelorum, quæ cæteris duriores erant,
« et contemptibiliores. In communicatione
« autem, quia ipse sequestratus erat a cæ-
« teris hominibus habitans in monte Car-
« melo. Hoc etiam religiositati convenie-
« bat, scilicet fugere sæculi communica-
« tionem. Istam omnino vitam tanquam
Notâ. « perfectissimam tenuit B. Joannes Bap-
« tista; nam ipse egressus urbes habitabat
« in deserto, eratque vestis ejus de pilis
« camelorum, et zona pellicea circa lumbos
« ejus; cibus autem suus erat mel sylves-
« tre, et locustæ, Matth. 3. Et ob hoc puta-
« tus est Elias, quia in nullo differebat ab
« eo. Iste autem modus habitus, et vitæ
« conveniebat magnæ religioni. Unde B.
« Joannes, quo non surrexit major inter
« natos mulierum, tenuit istam vitam tan-
« quam convenientem maximæ perfec-
« tioni. » Et super Matth. *cap.* 3, *q.* 29,
inquirit : « Quare Joannes determinate
Idem. « utebatur tali habitu? » Respondet primo,
quod propter magnam auctoritatem vitæ,
quam tenere volebat. « *Secundo*, inquit,
« propter imitationem antiquorum; nam
« Joannes fuit eremicola, cum tota vita
« manserit in deserto, abstractus ab homi-
« num communicatione usque ad tempus,
« quo manifestatus est Israelitis. Inter an-
« tiquos tamen sanctus Elias legitur fuisse
« major eremicola; nam ipse manebat in
« monte Carmelo, ut patet 3 Reg. 18 et 19,
« et 4 Reg. 1. Cum ergo illius vitam Joan-
« nes tenere vellet, voluit quoque in ha-
« bitu imitari. Elias autem tenuit istum
« habitum, scilicet pilos camelorum, et zo-
« nam pelliceam circa lumbos, et per istum
« habitum cognoscebatur distinctus ab aliis
« hominibus tempore suo, sicut patet 4 Re-
« gum 1, et post pauca subdit : Propter hoc
« autem eremitæ, qui dicunt propositum
« suum, et vitam incepisse in Elia, et pos-
« tea apertius in Joanne Baptista, ut ait
« Hieronym. in libello de vita Pauli primi
« eremitæ, induebantur antiquitus, et etiam
« nunc multi habitu ita aspero. » Hæc om-
nia Abulensis, in littera Scripturæ doctis-
simus, quibus liquido affirmat, Joannem in
habitu, professione, victu, asperitatibus,
aliisque vitæ conditionibus imitatum fuisse
Eliam, et utrumque duxisse eandem vitam
eremiticam, religiosam, valdeque perfec-
tam. Quod adeo connaturaliter, ut sic di-
camus, deducit ex sacris Litteris, ut su-
perfluum videatur alia adjicere. Addimus
tamen veterem, et eruditum alium Autho-
rem (ob magnam in hac parte cum Abu-
lensi concordiam) Joannem Guillemanum Guil.
Canonicum Regularem D. Augustini, qui
in suo Agiologio, *die* 29 *Augusti*, hac ha-
bet : « Quarto Kalendas Septembris, decol-
« latio S. Joannis Baptistæ, Domini nostri
« Jesu Christi in spiritu, et virtute Eliæ,
« Præcursoris. Hic vitam eremiticam ab
« Elia propheta institutam adhuc puer as-
« sumpsit, vestium hispiditate, victus par-
« citate, conversationis similitudine, pari-
« que mentis rigore Eliam semper expri-
« mens, adeo ut Judæi eum esse Eliam
« persona opinarentur. Quapropter in Se-
« baste, oppido Palæstinæ, a suis discipulis
« inter corpora Sanctorum Elisæi, et Abdiæ
« Prophetarum, tanquam eorum condisci-
« pulus, et ejusdem religionis observantis-
« simus alumnus, humatus est. » Adjungi-
mus etiam Jacobum Boulduc *in libro de Ecclesia post legem, cap.* 14, § *Secundo dici-mus*, ubi ait : « Joannes quoque Baptista
« deserticola, et ejusdem cum Elia spiritus,
« et instituti habebat vestimentum de pilis
« camelorum, etc. »

94. Adde secundo Essenos (religiosam Altera confirmatio.
eorum vitam in hac disputatione sæpius expendimus, præsertim *a num.* 28, et *num.* 61 *et* 85), qui tempore B. Joannis Baptistæ vivebant, fuisse ex instituto Eliæ, ut docent graves Authores relati *num.* 28. Sed B.

Joannes vixit inter Essenos, eorumque vitam, sive institutum amplexatus est. Ergo cum B. Joannes fuerit vere religiosus, seu monachus, sequitur idem dicendum esse de prædictis Essenis, ac proinde de Elia, ac Elisæo, eorum in prædicto instituto ducibus ac magistris. Consequentia, suppositis præmissis, est moraliter certa; nam quo pacto potest verificari, Joannem amplexatum fuisse Essenorum institutum, et vitam cum ipsis religiosam duxisse, si ipse vere religiosus fuit, illi autem non fuerunt vere religiosi, sed mere laici, aut seculares? Minor autem (quæ solum in præsenti probari debet) suadetur ex testimonio gravium Authorum, quod in re historiali est aptius, et urgentius probationis genus. Jacobus Zeglerus *in descriptione Palæstinæ in monte Adumin fol.* 38, inquit : « In hujus « solitudinis parte sedit Eliahu Propheta, « et Eliazah construxit cellas Prophetis. « Manavit institutio, et loci religio ad pos- « teros, fuitque desertum hoc usque ad « Enghadi habitatum ab Essenis homini- « bus incredibilis continentiæ, sub quorum « institutis educatus fuit Joannes Zachariæ, « et habitus in Essenis unus prædictæ « sanctitatis. » Ferdinandus Vellosillo perdoctus Episcopus Lucensis *in advert. Theolog. ad Ambrosium, q.* 13, inquit : « Jose- « phus lib. 18 Antiquit. ait ante Christi « adventum fuisse in deserto Judææ colle- « gium Essenorum, more nostrorum reli- « giosorum, et anachoretarum, qui sanc- « tissiman ducebant vitam, ab uxoribus « abstinentes ; quorum institutum sequutus « est Joannes Baptista. » Eadem scribit doctissimus Soto, quæ dedimus *num.* 32. Joannes Cartagena *tom.* 3, *lib.* 17, *hom.* 2, *object.* 10, ait : « Joannes sine dubio vitam « egit in desertis illis locis inter filios « Prophetarum (erant hi Esseni) qui mo- « nasticam Eliæ disciplinam profitebantur. » Jacobus Boulduc *lib.* 1, *de Eccles.* ante legem, *cap.* 13 § *De istis*, inquit : « Consulte credit Abulensis ab Essenis li- « benter Christi receptam doctrinam, quos « ne verbo quidem Christus reprehendisse « unquam legitur ; cum Pharisæos, et Sad- « ducæos creberrime, asperrime, justis- « simeque arguit. Imo propter piissimum, « sanctissimum, et antiquissimum filiorum « Dei ad Christum venturum naturalem Dei « filium analogiam habens institutum, tan- « diu, tamque fideliter, ac religiose serva- « tum in eis, facile crediderim Joannem « ejus præcursorem Essenorum duxisse « vitam. »

Joan. vixit inter Essenos Eliæ successores.

Zegler.

Ferd. Vellos.

Soto.

Cartag.

Boulduc.

Ex quibus omnibus reintegratur vis superioris discursus ; nam quod B. Joannes vere, et proprie fuerit monachus, seu religiosus, recte, ac merito colligitur ex conditione vitæ, quam duxit, et ex testimoniis Patrum, qui ipsum fuisse monachum absolute pronuntiant : atqui Elias habuit eandem vitæ conditionem, et eodem modo appellatur monachus apud Patres, sicut Joannes : imo iste dicitur sequutus institutum Eliæ, et discipulorum ejus, ut constat ex dictis *in hoc* §. Ergo Elias fuit vere, et proprie monachus secundum substantiam.

Summ præcedentis argumenti.

Accedit, quod devicta difficultate circa monachismum Joannis ante statum legis Evangelicæ, tam promulgatæ, quam primo prædicatæ, seu propositæ per Christum Dominum, et similiter antequam Apostoli vitam religiosam assumpserint, devincuntur etiam, et superantur præcipuæ difficultates illæ, quas nonnulli in vero monachismo legis veteris repræsentant. Si enim Joannes ante Apostolos, et ante statum legis Evangelicæ promulgatæ, et prædicatæ fuit vere, et substantialiter religiosus, cur non etiam Elias, cur non Elisæus, Esseni, et alii, quos Patres, et graves Doctores non dubitant monachos appellare ? Quod fusius § 1 expendimus.

His consequens videbatur, ut explicaremus modum, quo tria substantialia vota fiebant in veteri Testamento. Sed id studium superfluit ad salvandam (quod est tolius difficultatis scopus), veritatem nostræ assertionis. Sive enim facta fuerint tacite, sive expresse ; et sive omnino explicite, et sigillatim ; sive tantum implicite, promittendo vitam religiosam ; et denique sive ore, sive scripto, sive alio signo, sufficientia fuerunt ad essentiam religiosi status constituendam ; nam prædictæ differentiæ sunt accidentales, et intactum relinquunt conceptum promissionis Deo factæ, in quo essentia voti consistit. Et si Adversarii circa hoc moleste pulsent, quærendum est ab illis, unde diserte astruant, quod Apostoli, Paulus Eremita, Antonius, et primitivæ Ecclesiæ monachi fecerint vota ore expressa, explicite, et singillatim accepta ? Ad quod respondere non poterunt, nisi divinando. Quod ne faciamus, a re non necessaria præscindimus.

Dubium non necessarium omittitur.

§ 6.

§ VI.

Refertur opinio contraria.

Sententia opposita. Plati. Suarez. Vasq. Mirand

95. Contra nostram assertionem sentiunt Hieronymus Plati *lib.* 2 *de statu religios. cap.* 19 *et* 20, Suarez *tom.* 3 *de Relig. lib.* 3, *cap.* 1, Vasquez 1, 2, *quæst.* 96, *art.* 4, *disp.* 1 5, *cap.* 5, Ludovicus de Miranda *in Manual. Prælat. regular. quæst.* 3, *art.* 2,

Sherlog. Arauxo.

Sherlogus *tom.* 2 *in Cantic. cap.* 1, *vers.* 10, *vestigat.* 12, *sect. unica*, Arauxo *tom.* 2 *in* 1, 2,

Clavel.

quæst. 99, *disp.* 4, *sect.* 3, Alphonsus Clavel *in lib. antiquit. Ordinis D. Basilii, cap.* 1, § 2, et alii plures, qui affirmant in lege veteri non fuisse statum vere, et quoad essentiam religiosum, sed solum secundum aliquam observantiarum similitudinem. Et licet pro hac opinione plura soleant formari argumenta, tamen, quæ difficiliora videntur, soluta reliquimus in variis hujus disputationis locis, quæ proinde attingere

Argumenta communia remissive.

duntaxat oportet. *Primum* desumitur ex imperfectione veteris legis, cum qua perfectio religiosi status non posse cohærere videtur. Ad quod patet ex dictis *num.* 15 *et* 73. *Secundum* ex eo, quod Christus primo instituit statum religiosum in Apostolis, atque ideo prædictus status non præcessit tempore dictam institutionem. Sed hoc diluimus *num.* 74, *cum sequenti. Tertium* ex eo, quod in veteri Testamento non fuerunt tria substantialia vota, paupertatis, castitatis, et obedientiæ. Sed oppositum ostendimus *dub.* 2, 3, et 4, ubi omnibus motivis in contrarium occurrimus. *Quartum* ex eo, quod in veteri Testamento non fuit jurisdictio ecclesiastica, solemnitas votorum, potestas approbandi religiones, certa regula, et alia quæ videntur ad essentiam status religiosi pertinere. Cæterum ad hoc jam respondimus *num.* 78, et locis ibidem relatis. Et hæc quidem sunt principalia fundamenta hujus opinionis, quibus convulsis, nihil fere relinquitur, quo opprimamur.

Primum argumentum

Arguitur tamen primo : nam si status religiosus secundum essentiam talis fuisset in veteri Testamento, illius fieret mentio in aliquo libro Canonico : sed in nulla Scripturæ parte fit talis mentio : ergo prædictus status non fuit in veteri Testamento.

Solutio.

Respondetur hoc argumentum continere plura vitia. *Primum*, quod in re historiali probabili quærit expressum Scripturæ testimonium ; quod si nostræ sententiæ assisteret, actum esset de contraria, et ulterius non esset dicenda opinio, sed error. *Secundum*, quod non distinguit inter mentionem explicitam, et implicitam ; atque eodem modo impugnat statum religiosum in Apostolis, quippe illorum vota, et professio sub his formalibus, et explicitis vocibus significata non reperiuntur in aliqua Scriptura Canonica. *Tertium*, quod destruit traditiones ecclesiasticas, et favet Calvino, et sequacibus non admittentibus nisi verbum scriptum. Plura enim docet, et observat Ecclesia, quæ non reperiuntur expressa in sacra Scriptura, v. g. signo crucis munire frontem, adorare sacras imagines, miscere aquam vino in calice, et alia non pauca. Quæ omnia argumentum factum (si quid valeret), impugnat.

Respondetur ergo, statum vere religiosum veteris Testamenti describi, et assignari implicite in eis Scripturæ locis, qui nobis referunt vitam Eliæ, Elisæi, et B. Joannis Baptistæ : ex quibus (adjunctis etiam, quæ de Essenorum instituto scribunt Josephus, Philo, et alii vetustissimi Authores), non pauci Sancti Patres, et quamplures Doctores assertionem nostram cum magna probabilitate depromunt, ut constat ex dictis tota hac disputatione.

Addimus, quod in re historiali, et ad factum pertinente parum, aut nihil interest, quod plures testes taceant, et negative se habeant, si alii positive affirment : unde vulgo dicitur argumentum negativum nihil probare, ut fusius infra ponderabimus *num.* 149. Quocirca licet Scriptura nullam mentionem explicitam, vel implicitam veteris monachatus in lege scripta faceret, sed quasi negative se haberet, adhuc præjudicium non inferretur nostræ sententiæ. quia superessent aliquorum gravium Patrum, et Doctorum testimonia, qui (absque ulla cum assertis in sacra Scriptura contradictione), prædictum monachatum positive asserunt, ac defendunt. In quo non parum nostra opinio super contrariam evehitur ; istius enim patroni moderni sunt, qui rem suis oculis non viderunt, nec recenti notitia attigerunt ; et aliunde nullum proferunt testem antiquum, qui veterem illum monachatum in propriis terminis neget : nos vero producimus plures Authores valde doctos, et non parum antiquos, qui positive affirmant.

Secundum argumentum.

96. Arguitur secundo, quia B. Joannes Baptista fuit princeps, et initium veri monachatus : ergo ante Joannem non erat

status hujusmodi in veteri Testamento.

D. Chry. Probatur antecedens ex D. Chrysostom. *hom.* 1, *in Marcum*, ubi ait : « Sicut Sacer-« dotum principes sunt Apostoli, sic mo-« nachorum princeps Joannes Baptista « est. » Et homil. de B. Joanne Baptista, inquit : « Considerate monachi dignitatem « vestram : Joannes princeps vestri est dog-« matis, ipse monachus. » Probatur etiam

D. Bern. ex D. Bernardo relato *num.* 91, qui B. Joannem vocat *Monachorum propositum, anachoretarum principium, totius religionis assertionem.*

Diluitur. Respondetur antecedens hujus argumenti, et ea, quibus firmatur, robur addere fundamento a nobis proposito § 1 et 5, siquidem statum religiosum adstruit durante lege veteri, et ante exercitam, atque solemnem prædicti status erectionem in Apostolis. Admisso ergo antecedenti, negamus consequentiam, quia sicut in unico regno dantur successive plures principes, qui cæteris præeminent ; ita etiam in veteri monachatu plures fuerunt principes, primo Elias, deinde Elisæus, et alii, ac denique in crepusculo legis antiquæ, et orto jam Sole legis gratiæ Joannes Baptista, qui propterea appellatur principium anachoretarum, pertinentium videlicet ad statum legis gratiæ, quem ipse attigit. Quam responsionem docent Patres, et Doctores relati *a num.* 88, qui Eliam, et Joannem vocant monachos, et monachorum principes. Spe-

D. Isid. cialiter vero, et expressius D. Isidorus relatus *num.* 89, qui diversa tempora optime distinguens, ait : « Quantum pertinet ad « authoritatem veterum Scripturarum, hu-« jus propositi princeps Elias, et discipulus « ejus Elisæus fuerunt. Hujus deinde pro-« positi in Evangelio Joannes author exti-« tit. Jam deinde progeniti sunt conversa-« tionis hujus nobilissimi principes, Paulus, « Antonius, etc. » Recte quippe vidit nullam esse repugnantiam in eo, quod respectu ejusdem substantialiter instituti dentur in divisis temporibus diversi principes, sive nobiliores magistri.

Tertium argumentum. 97. Arguitur tertio, quia ex nostra sententia sequitur, monachatum veteris legis, et monachatum legis gratiæ esse ejusdem rationis essentialis. Consequens est falsum, cum multum deroget dignitati status religiosi in lege evangelica : ergo in lege veteri non fuit verus monachatus.

Confirmatio prima. Confirmatur primo, quia alias pari licentia posset quis dicere, verum Apostolatum fuisse in veteri Testamento ; quod tamen falsum est, et temerarium.

Secunda. Confirmatur secundo, quia illi monachi veteris legis non erant Christiani : ergo nec veri monachi, quippe monachatus designat specialem vivendi modum in religione Christiana.

Satisfit argumento. Ad hoc argumentum respondetur, quod sicut Ecclesia potest considerari vel secundum essentiam, et ita est una specifice in statibus legis scriptæ, et evangelicæ : vel secundum modum, et gradum perfectionis, et ita prout existens in lege gratiæ longe excedit seipsam prout existentem in lege scripta. Sic etiam proportionabiliter monachatus in utroque statu est ejusdem perfectionis essentialis, sed differt penes perfectionis modum ; et nunc est longe perfectior, quam in lege veteri, ut fusius declaravimus *numero* 77.

Respondetur ad primam confirmationem. Ad primam confirmationem negamus sequelam ; nam modo non agimus de possibilitate, sed de facto. Ut autem asseramus monachatum verum in lege antiqua, habemus plura fundamenta, quæ in hac disputatione expendimus. Sed ad statuendum pro eo tempore Apostolatum, nullum occurrit fundamentum, quinimo occurrit contrarium ; nam ad Apostolatum requiruntur potestas clavium, et alia privilegia, quæ excedunt imperfectionem legis veteris.

Ad secundam. Ad secundam respondetur, quod dupliciter potest aliquis esse Christianus. Uno modo *re tantum*, alio modo *re, et nomine*. Ad primum sufficit, quod quis habeat fidem Christi. Et quia fideles antiqui, tam monachi, quam laici illam habuerunt, propterea fuerunt *in re* Christiani, ut ex Patribus ostendimus *num.* 9. Ad secundum vero præter præsentiam Christi concurrit etiam promulgatio legis evangelicæ, et peculiaris prædictæ vocis institutio, et usus. Sed id minime desideratur ad substantiam status religiosi ; constat enim Apostolos prædictum statum habuisse ante mortem Christi Domini, et tamen tunc non appellabantur Christiani ; hujus enim vocabuli usus cœpit post Christi mortem, ut constat *Actor.* 11, nempe Antiochiæ anno Christi 43, ut observat Baronius eodem anno *num.* 11. Actor. 11.

Quartum argumentum. 98. Arguitur quarto ; nam illi, qui videntur fuisse præcipue monachi veteris Testamenti, non habuerint plura, quæ ab substantiam status religiosi desiderantur : ergo absque fundamento asserimus, quod in lege veteri fuerit verus monachatus. Antecedens

probatur

probatur *primo;* nam ad substantiam prædicti status requiritur votum obedientiæ : Elias autem, qui maxime monachus eo tempore fuisse videtur, non fecit votum obedientiæ ; nec enim habuit superiorem, cui illam promitteret, cum ipse fuerit superior respectu Elisæi, et filiorum Prophetarum. *Secundo,* nam ad prædictum statum necessarium est votum castitatis : ille vero, qui eo tempore monachi censentur, nec promittebant castitatem, nec observabant. Quod in primis constat in filiis Prophetarum discipulis Elisæi ; nam 4 *Reg.* 4, dicitur : *Mulier autem quædam de uxoribus Prophetarum clamabat ad Elisæum dicens : Servus tuus vir meus mortuus est, etc.* Et ipse Elisæus dixit Giezi præcipuo discipulo, 4 Reg. 5. *Lepra Naaman adhæret tibi, et semini tuo.* Constat præterea in Rechabitis, qui *Jeremiæ cap.* 35, dicunt : *Obedivimus ergo voci Jonadab patris nostri in omnibus, quæ præcepit nobis, ita ut non biberemus vinum nos, et mulieres nostræ, filii, et filiæ nostræ.* Denique constat in Essenis, quos uxores duxisse tradit Josephus *lib.* 2, *de bello Judaico, cap.* 7.

4 Reg. 4.

4 Reg. 5.

Hierem. 35.

Joseph.

Confirmatio prima.

Confirmatur primo, quia ad statum religiosum sicut requiritur aliqua traditio personæ illum profitentis, sic etiam aliqua acceptatio ex parte superioris ; nullus autem apparet in veteri Testamento, qui habuerit potestatem acceptandi vota, et traditionem religiosorum : ergo eo tempore non fuit status religiosus vere talis.

Secunda.

Confirmatur secundo ; nam cum vota paupertatis, castitatis, et obedientiæ sint de re valde difficili, ac longe superante veteris legis imperfectionem, non est credibile, quod aliqui eo tempore illa nuncupaverint absque speciali Dei revelatione ; sed de tali revelatione non constat : ergo nemo illo tempore emisit prædicta vota.

Occurritur argumento.

Respondetur argumento negando antecedens, cujus oppositum constat ex dictis *dub.* 2, *cum tribus sequentibus,* ubi ostendimus, quod in lege veteri fuerunt omnia substantialiter requisita ad constituendam essentiam status religiosi. Et ad primam antecedentis probationem dicendum est, quod æqualiter impugnat statum religiosum in primis fundatoribus sacrarum Religionum, v. g. Antonio, Benedicto, et aliis, de quibus certo constat fuisse vere monachos. Cum enim ipsi fuerint primi superiores, non videntur habuisse superiorem alium, cui obedientiam promiserint. Et tamen propterea nemo audebit negare, quod fuerint vere religiosi. Idem igitur de Elia dicendum erit. Et si dicatur Antonium, et Benedictum habuisse saltem superiorem, vel Episcopum, vel Summum Pontificem, cui potuerunt obedientiam promittere, idem proportionabiliter dicemus de Elia, qui tempore legis scriptæ habuit superiorem Summum Sacerdotem, cui obedientiam promittere potuit, præsertim cum ad statum religiosum secundum substantiam non requiratur potestas clavium, sed sufficiat alia jurisdictio inferior, ut constat ex dictis *num.* 78, et locis ibidem relatis.

Sed his angustiis non opprimimur, nec indigemus, quia ad substantiam status religiosi sufficit inter alia exercitum votum obedientiæ in præparatione animi, sive quod aliquis Deo promittat obedire superiori legitime præcipienti ; et per accidens est, quod talis superior non detur. Quæ est doctrina D. Thom. 2, 2, *q.* 188, *art.* 8, ubi agit de religiosis anachoretis, et sibi hanc difficultatem opponit, cui respondet : « Ad « tertium dicendum, quod actu obedire est « necessarium his, qui indigent exerceri « secundum directionem aliorum ad per- « fectionem capiendam. Sed illi, qui jam « perfecti sunt, spiritu Dei sufficienter « aguntur, ut non indigeant actu aliis obe- « dire. Habent tamen obedientiam in præ- « paratione animi. » Quod optime congruit Eliæ, qui sanctissimus fuit, et valde solitarius, promptissimamque semper ostendit voluntatem ad obediendum. Unde tota ejus vita, singulæque ipsius actiones nihil aliud videntur, quam divini mandati exequutio ; nam 3 *Reg.* 17, *num.* 3, illi dicitur : *Vade, et abscondere in torrente Carith.* Num. 9 : *Vade in Sarephta Sidoniorum.* Cap. 18, num, 1: *Vade, ostende te Achab.* Num 34 : *Ego servus tuus juxta præceptum tuum feci omnia verba hæc.* Cap. 19, num. 5: *Surge, comede.* Num. 15 : *Vade, et revertere per terram tuam in desertum.* Ibidem : *Elisæum unges prophetam pro te.* Cap. 21, num. 18 : *Descende in occursum Achab.* 4, Reg. cap. 1, num. 3 : *Surge, et descende in occursum nuntiorum regis Samariæ.* Num. 15 : *Descende cum eo.* Cap. 2, num. 2 : *Dominus misit me usque Bethel.* Num. 4 : *Dominus misit me usque Jericho.* Ibidem : *Dominus misit me usque Jordanem.* Et denique tam notorium eo tempore erat, Eliam in omnibus agi spiritu Dei, ut Abdias 3 *Reg.* 18, *num.* 12, dixerit ad illum :

D. Tho

Summa Eliæ obedientia.

3 Reg. 17.

Cumque recessero a te, Spiritus Domini asportabit te in locum, quem ego ignoro. Et post illius raptum filii prophetarum dixerunt ad Elisæum, 4 Reg. 2, num. 16 : *Ecce cum servis tuis sunt quinquaginta viri fortes, qui possunt ire, et quærere dominum tuum, ne forte tulerit eum spiritus Domini, et projecerit eum in unum montium, aut in unam vallium.* Tandem reservatur jussa Domini adimpleturus in re difficillima, pugnando cum Antichristo, et Christi Domini fidem propugnando, juxta illud Malach. 4 : *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam antequam veniat dies Domini magnus, et horribilis. Et convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum.* In quibus elucet summa magni Eliæ promptitudo in obediendo, ut merito possint adaptari ipsi verba D. Thom. supra relata : *Illi qui jam perfecti sunt, spiritu Dei sufficienter aguntur, ut non indigeant actu aliis obedire. Habent tamen obedientiam in præparatione animi.*

Malach. 4.

99. Ad secundam antecedentis probationem respondetur, satis constare ex dictis *dub.* 2, *per totum*, quod nonnulli in veteri Testamento fecerint votum castitatis, quos (adjunctis aliis ad substantiam status religiosi necessariis), dicimus fuisse vere religiosos. Alii vero, de quibus constat non observasse castitatem, non erant proprie religiosi ; sed solum per reductionem, et secundum aliquam communicationem cum illis, qui tria substantialia vota observabant : sicut modo sub unius religionis vocabulo, et instituto comprehenduntur religiosi proprie tales, et religiosi improprie dicti, ut patet in religionibus militaribus; nam in Ordine v. g. D. Jacobi qui Fratres, vulgo *Freiles*, appellantur, sunt vere, et proprie religiosi, quia vovent tria substantialia religionis consilia : equites vero non sunt proprie religiosi, licet tales appellentur ; quia uxores ducunt, ut explicuimus *disput.* 1, *num.* 13. Et sic proportionabiliter accidit in religiosis veteris Testamenti. ut recte vidit Venerabilis Doctor Thomas Waldensis *lib.* 3 *Doctrinal. Fidei, art.* 1, *cap.* 1, ubi præmittit dari de facto tria prædicta vota, et deinde subdit : « Quæ « quamvis jam sint essentialiter requisita « in omni religione perfecta, non sic ta- « men antiquitus, dum religio infans erat; « sed alii quædam, alii unum, alii uni- « versa (et hos asserimus fuisse vere reli- « giosos) servabant magnis de causis : re- « ligiosi tamen dicebantur omnes, quia « singulariter præ aliis suis concivibus, « vel toto medio, vel aliquo æquivalenti « divino cultui se dederunt. » Et juxta hæc patet ad omnia, quibus illa probatio fulciebatur ; nam quod aliqui ex illis, qui dicebantur filii Prophetarum, et ex Essenis observaverint castitatem ex voto, satis liquet ex dictis *loco citato*. Quod vero aliqui eorum illam non observaverint, minime evincit priores illos non fuisse vere religiosos, sed solum probat sub eorum generali vocabulo comprehendi hos posteriores, qui vere religiosi non fuerunt, sed tantum secundum aliquam reductionem, aut communicationem, ut singulis occurrendo constabit.

Differentia inter religiosos veteris legis.

Walden.

Ad id quod dicitur de filiis Prophetarum, respondemus quod licet eo loco non dicatur, *Mulier de uxoribus filiorum Prophetarum*, sed *de uxoribus Prophetarum;* unde posset dici aliam esse rationem de Prophetis, aliam de his, qui specialiter vocantur *Prophetarum filii*, quos D. Hieron. et alii *virgines appellant :* nihilominus admittimus, quod aliqui ex filiis prophetarum uxores duxerint, et non fuerint vere religiosi ; sed præter hos erant alii, qui castitatem vovebant, aliaque observabant, quæ statum religiosum constituunt. Quam differentiam inter prophetarum filios tradit Abulensis 4 *Reg.* 6, *quæstione* 1, ubi ait : « Erant filii prophetarum conjuncti, con- « ventualiter viventes per diversa collegia ; « et cum istis erant aliqui filii Propheta- « rum non religiosi, qui erudiebantur ab « eis in doctrina legis, et in rectitudine « morum. » Ex his satis constat ad id, quod dicitur de Giezi, qui forte solum posteriori modo erat inter filios prophetarum, et sub disciplina Elisæi. Sed probabilius respondetur, fuisse eo tempore vere religiosum per vota simplicia, et tunc non habuisse uxorem. Quia tamen peccaverat contra votum paupertatis, merito expulsus est ab Elisæo, qui prævidit illum ducturum fore uxorem (sicut modo aliqui a sacra Societate post vota simplicia ejecti contrahunt matrimonia,) et illum pœna lepræ punivit non solum in seipso, sed in persona filiorum, quos habiturus erat, ut supra *num.* 45, agentes de paupertatis voto explicuimus.

100. Eodem modo solvitur, quod dicitur de Rechabitis ; nam distinguere oportet inter eos, qui ducebant uxores, qui non erant vere

vere religiosi, licet obedientiam voverent, et de his fit mentio in loco citato Hieremiæ ; et inter alios, qui tria consilia vovebant, et hi erant vere religiosi quoad essentiam. Porro aliquos Rechabitas duxisse vitam cœlibem, docet post alios Gregorius de Valentia *in hac* 2, 2, *disp.* 10, *quæstione quarta, punct*, 1, ubi ait : *Inter omnes sine controversia constat eos* (Rechabitas videlicet,) *peculiari vitæ ratione præter omnem observationem legis divino cultui seipsos addixisse; vinum enim non bibebant, a conjugio abstinebant, exactamque obedientiam suis majoribus præstabant.* Et sapientissimus Doctor Alphonsus de Villegas Ecclesiæ Toletanæ Canonicus, et Toletani Archiepiscopatus Gubernator *in serm. Beatificat. M. N. S. Theresiæ*, Matriti excuso anno 1615, ait : « Considero etiam, quod D. Hieronym. (qui « cum Joanne Hierosolymitano eodem sæ- « culo, et in eadem Palæstina vixit) in epis- « tola 3 ad Paulinum expresse dicit, quod « Rechabitæ erant ex illis, quos Scriptura « filios Prophetarum appellat. Nostri, in- « quit, duces filii prophetaram, qui habita- « bant in agris, et solitudinibus : de his « sunt illi filii Rechab. Et utrosque vocat « monachos idem Divus Hieronymus, quod « non faceret, si ipsi non observassent cas- « titatem ; nam hic est antiquus loquendi « modus, quem Sancti Patres observant, ut « patet in Divo Dionysio de Ecclesiast. Hie- « rarch. cap. 6. Et Divus Gregorius Nazian- « zenus in definit. exam. castitatem cum « monachatu conjunxit; atque scholiastes « ejus Nicetas ibidem num. 18, ait, quod « monachi, et Rechabitæ sunt termini æqui- « pollentes. Unde puto, quod Rechabitæ, et « filii Prophetarum omnes erant ejusdem « instituti. » Hæc sapientissimus Doctor, qui nobis aliam viam demonstravit, ut possimus interpretari illa verba, quæ objiciuntur : « Nos, et mulieres nostræ, filiis, et « filiæ nostræ. » Nam post relata verba inquit : « Et juxta hoc verba illa Hieremiæ, « Mulieres nostræ, significant illas, quæ se- « quuntur nostrum institutum. Sicut in D. « Luca, Mulieres quædam ex nostris, idem « est, ac mulieres, quæ nobiscum Christum « sequebantur. Alia verba. Filii, et filiæ « nostræ, non significant filios secundum « carnem, sed secundum doctrinam, et spi- « ritum, etc. » Cui expositioni satis aperte favent Theodoret. *in cap. Hierem.* ubi ait : « Sciendum, omnem illum vocari filium « Jonadab, filii Rechab, qui leges illas ob- « servabat. » Et Serarius *in Minerv. cap.* 22, ubi ait : « In Rechabitis, et Essenis verum « illud S. Hieronymi in epist. ad Lætam de « instit. filiæ : Fiunt, non nascuntur Chris- « tiani. » Sed nihilominus priorem responsionem probabiliorem censemus.

Serarius.

Denique id, quod ex Josepho refertur de Essenis, facilius, et evidentius dispellitur ; nam ipse distinguit duo genera Essenorum, asseritque expresse, quod aliqui cœlibatum observabant. *Nuptias*, inquit, *fastidiunt. Non quia conjugia, vel humani generis successionem censeant perimendam, sed quia cavendam putent intemperantiam fœminarum.* Et horum institutum, obedientiam, paupertatem, observantias, et mores late describit : quæ omnia in variis hujus disputationis locis expendimus, et cohærentibus aliorum Authorum, tam veterum, quam recentium testimoniis confirmavimus, ut inde concluderemus, prædictos Essenos fuisse vere religiosos, quod tandem *num.* 85, urgenti testimonio Philonis ostendimus. Deinde post prædictos Essenos meminit Josephus aliorum, his verbis : *Est autem Essenorum alterum collegium, cibos quidem, et mores, et leges cum prioribus similes habens ; distat vero opinione conjugii.* Sed ipse observat, quod magna temperantia in uxoribus utebantur, *ut ostendatur*, inquit, *quod non propter voluptates, sed liberorum causa nuptias contrahant.* Quæ omnia etiam refert Abulensis *in cap.* 3, *Matth. quæstione* 63. Idemque notant Serarius *lib.* 3 *Trihæres. cap.* 9, Boulduc *lib.* 3, *de Ecclesia ante legem, cap.* 12, et alii. Ex quibus magis firmatur priorum Essenorum continentia, siquidem in ea præsertim observantia ab aliis Essenis distinguebantur. Unde ii posteriores comparabantur ad aliorum religionem, sicut Equites militarium ordinum, et sicut aliquarum religionum Tertiarii, ut supra *num.* 99 observavimus.

Essenorum aliqui castitatem vovebant.

Joseph.

Abul.

Serar. Boulduc.

101. Ad primam confirmationem *num.* 98 propositam respondetur negando minorem, quia ut alia exempla ommittamus, Elias qui Dei jussu Elisæum vocavit ad disciplinam propheticam, habuit potestatem acceptandi ejus vota, et traditionem, illaque acceptavit, ut constat ex dictis *num.* 66. Et similem potestatem habuit Elisæus, et reliqui successores. Præsertim cum ad hæc, et alia munia, quæ ad constituendam essentiam status religiosi desiderantur, non sit necessaria potestas clavium, nec jurisdictio propriæ spiritualis ; sed sufficiat

Diluitur prima confirmatio.

alia potestas inferior, cujus laici (hoc est, non sacerdotes), sunt capaces, ut diximus *num.* 78, et locis ibidem relatis. Unde ex natura rei, si Ecclesia modo non contradiceret, posset unus eremita alteri eremitæ laico obedientiam promittere, et eo mediante se Deo tradere ad ejus cultum ; et alter posset illius vota, et traditionem Dei nomine acceptare : quod sufficeret ad statum religiosum secundum essentiam consideratum, et a solemnitate præcisum, ut constat ex dictis *locis supra citatis.*

Satisfit secundæ. Ad secundam confirmationem respondemus, quod licet tria substantialia vota sint de re satis difficili, tamen Sancti aliqui veteris Testamenti prædictam difficultatem superare potuerunt, et de facto superarunt per gratiam, quæ illis dabatur mediante fide in Christum Redemptorem; sicut eadem gratia vicerunt alias non leviores difficultates, cujusmodi est sustinere martyrium, ut supra explicuimus *a n.* 68. Unde Achabo, et Jezabele crudelissime persequentibus fideles, ut Baal colerent, dixit 3 Reg. 19. Deus ad Eliam 3 Reg. 19 : *Dereliqui mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt curvata ante Baal.* Qui videlicet parati erant mori potius, quam illud scelus admittere. Ad quod non videtur necessaria specialis revelatio, sed sufficit communis, et vera fides ; et consequenter ad emittendum vota, et amplexandum religiosum institutum, ut proportionabiliter de facto contingit. Et si adversarii instent, urgeant, et dicant prædictam revelationem fuisse necessariam, minime tamen positive probabunt, quod talis revelatio non fuerit, cum eorum discursus pure negative procedat : quod est inefficax, et despicabile in re historiali arguendi genus, ut *num.* 95 jam diximus. Nos vero, si admittamus talem revelationem necessariam fuisse, dicemus ejus existentiam constare ex ipso effectu, statu videlicet vere, et quoad substantiam religioso ; quippe illum fuisse in veteri Testamento, positive affirmant plures, et graves testes, quorum dicta expendimus in hoc dubio, et alia dabimus in sequentibus.

Argumentum quintum. 102. Arguitur ultimo, quia sicut adstruimus fuisse in veteri lege statum vere religiosum a tempore Eliæ ; ita possemus illum adstruere a temporibus Samuelis, et Henoch : consequens est omnino falsum, cum non adsit fundamentum ad asserendum religiosum statum in temporibus tam antiquis : ergo falsum est, quod talis status fuerit in aliquo tempore ante legem evangelicam. Sequela ostenditur, quia sicut tempore Eliæ occurrunt aliqua vestigia, ex quibus per varias consequentias prædictum statum deducimus; ita etiam occurrunt temporibus Samuelis, et Henoch ; nam Samuel congregavit Prophetas, unde l, *Reg.* 19, dicitur : « Viderunt cuneum Prophetarum, et Samuelem stantem super eos; « sive, ut exponit Lyranus, præsidentem « eis. » Et de Henoch dicitur Genesis 4 : *Iste cœpit invocare nomen Domini.* Per quod, ut plures explicant, significatur quod cœperit congregare homines ad specialem Dei cultum, et cantandum divinas laudes. Et in hoc sensu intelligunt Julium II, qui in quadam bulla affirmat de Carmelitis : « Sanctorum Patrum Eliæ, et Elisæi, et « Henoch, qui montem sanctum Carmeli « juxta fontem Eliæ inhabitaverunt, hæreditariam successionem tenentes. »

Confirmatur, quia si status vere religiosus fuisset in veteri Testamento, mansisset utique usque ad Christum Dominum, sicut cætera illius legis, et translatus esset ad legem gratiæ : consequens est falsum, siquidem nulla in Ecclesia datur familia, aut religio, in qua talis status perseveret : ergo non fuit in veteri Testamento.

Respondetur argumento, quod ad veritatem nostræ assertionis parum interest, quod monachatus veteris legis fuerit in hoc, aut illo tempore, dummodo in illius legis tempore fuerit. Unde non desunt, qui illum adstruant ante Eliam. Sed revera aliter res se habuit, et propterea negamus sequelam. Cujus probatio non urget, quia ut ipsum argumentum supponit, non datur sufficiens fundamentum, ut dicamus fuisse statum vere religiosum temporibus Samuelis, et Henoch : adest autem, ut asseramus fuisse tempore Eliæ, ut constat ex hactenus dictis. Idque non per violentas consequentias deducimus, sed rationabilibus fundamentis, et gravium testium authoritate probamus, quantum res historialis, et antiquissima exposcit. Et ut alias differentias omittamus, Samuel et Henoch non observarunt voluntarium cœlibatum, sicut custodierunt Elias, et Elisæus, eorumque alumni, ut ostendimus *num.* 19 *et* 31. Et illud quod dicitur de Henoch, procedit ex crassa ignorantia historiæ; nam Henoch, cujus meminit Julius II, non est ille antiquissimus. Quod facile poterant observare aliqui

aliqui in hoc impingentes ex ipsis bullæ verbis; nam constituitur post Eliam, et Elisæum quasi tempore posterior, et dicitur habitasse in Carmelo juxta fontem Eliæ, quæ minime adaptari valent Henoch, de quo agitur *Genes.* 4. Sed Julius meminit Henoch de Amathim, montis Carmeli eremitæ post Christum natum, ut videri potest apud Lezana *anno Christi* 36, *num.* 24, *et anno* 45, *num.* 9, et alios historiæ Ordinis Scriptores.

Lezana.

Ad confirmationem posset responderi negando sequelam; nam ad veritatem nostræ assertionis sufficit, quod status vere religiosus fuerit aliquando in veteri Testamento, quidquid sit de ejus tali, aut tanta continuatione; plura quippe nonnunquam extiterunt, quæ deinceps cessarunt, ut in lege gratiæ accidit aliquibus Religionibus. Sed melius respondetur negando sequelam; oppositum enim satis constat ex his, quæ de Essenis, et B. Joanne Baptista diximus, et magis constabit ex his, quæ *dub.* 9, dicemus.

Responsio ad confirmationem.

DUBIUM VIII.

Utrum assertio dubio præcedenti stabilita sit evidenter probabilis.

Nota.

Sæpe contingit, propositionem aliquam simplicem, seu ex se carere evidentia, et certitudine; et tamen propositionem modalem, quæ ejus probabilitatem enuntiat, esse evidentem, et certam. Verbi causa, hæc propositio, *Si Adam non peccasset, Deus non assumeret carnem*, tantum est probabilis, sive opinativa, seu non excludens formidinem, ac perinde nec improbabilitatem partis contrariæ, quia non occurrunt motiva, quæ illam omnino evincant. Sed hæc, *Probabile est, quod si Adam non peccasset, Deus non assumeret carnem*, est certa, et evidens; quia certum, et evidens est, quod non desunt motiva, et gravium Authorum, præsertim D. Thom. testimonia, quæ fundant probabilitatem prædictæ propositionis simplicis. Hoc ergo modo postquam dubio præcedenti probare studuimus, quod *in lege veteri fuit status vere, et quoad essentiam religiosus* (quam propositionem solum probabiliter affirmamus recognoscentes probabilitatem partis contrariæ), discutiendum succedit, *utrum prædictam propositionem esse probabilem* sit certum, et evidens.

103. Pro cujus resolutione observare ulterius oportet, quod aliud est propositionis veritas, aliud propositionis probabilitas; veritas enim consistit in conformitate propositionis cum objecto per eam significato: unde si talis connexio, sive conformitas evidenter appareat, propositio est evidenter vera quoad nos, secus si lateat illa correspondentia. Probabilitas vero non consistit in prædicta conformitate, sed in signis, aut motivis, quæ licet veritatem non manifestent, illam tamen verosimiliter persuadent; et inde sæpe contingit, quod propositio in se falsa sit probabilis.

Probabilitas differt a veritate.

Duplex autem probabilitas distingui solet, alia ab intrinseco, quia videlicet fundatur in rationibus verosimilibus, et cum ipsa re aliqualiter connexis; alia vero ab extrinseco, nimirum quæ desumitur ex authoritate Authorum aliquid affirmantium. Plerumque enim judicamus hoc, aut illud esse probabile, quia videmus Authores graves ita sentire, licet rationes, quibus convincamur, non penetremus. Et hæc posterior probabilitas frequentius locum habet in rebus ad historiam, seu rei factum pertinentibus; istæ quippe non innotescunt communiter per rationes ingenii, sed per fidelium testium depositionem, ut in principio hujus disputationis observavimus, et satis ex se liquet. Quocirca cum gravium Authorum sententia fundet probabilitatem in his, quæ a ratione dependent, qualia sunt plura pertinentia ad mores, majorem longe probabilitatem dabunt iis, quæ ad historiam, sive rei factum spectant, quæque majori ex parte a fideli testium, hoc est, gravium Authorum relatione dependent. Et quidem quod ad probabilitatem circa ea etiam, quæ ad mores pertinent, sufficiat unius gravis Doctoris, vel saltem aliquorum sententia, communis est opinio recentiorum, ut videri potest apud Joannem Sanctium *in select. disputatione* 4, *numero* 61, Franciscum de Lugo *in discept. præv. ad Theologiam moral. part.* 1, *cap.* 3, Machad. *disc. pract. præamb. artic.* 2, Rocaful. *in sua praxi moral. tractat. de conscient. lib.* 3, Oviedo 1, 2, *tractat.* 5, *controvers.* 3, *per totam*, Payum de Ribera *in Apolog. tractat. de probabilit. canonizat. num.* 15, Remigium *tractat.* 5, *cap.* 4, *a num.* 4, Thomam Sanchez, Azor, Vasquez, et alios plurimos, quos refert, et sequitur Caramuel *in comment. ad Regul. Divi Benedicti, num.* 53, et *in Apologemat. pro doctrina de probabilitate,*

Duplex probabilitas.

Joan. Sanct. Lugo.

Machad Rocaful Oviedo.

Payus de Ribera. Remig. Sanch. Azor. Vasq.

per totum Idque a fortiori dicendum est (ut proxime notabamus), in his quæ ad rei factum, sive historiam pertinent; quia circa hæc majorem vim habet extrinseca testium depositio, præsertim in rebus antiquis, quæ sunt difficilis probationis, ut cum Decio, Jasone, Baldo, Mascardo, Oldrado, et aliis pluribus tradunt Quintanaduenas *in lib. Sanctorum Toletanorum, advertent.* 8, et Escolanus *in Chronico sancti Hierothei, anno Christi* 64, *pag.* 272, et alii.

Quint. Escol

Cum igitur probabilitas in communi præscindat ab ea, quæ talis est ab intrinseco, seu per rationem; et ab ea, quæ talis est ab extrinseco, sive per Doctorum authoritatem, et in utraque propria probabilitatis ratio salvetur, fit quod ut aliqua sententia sit absolute probabilis, sufficiat una, aut altera probabilitas. Sed quia materia, quam tractamus, præcipue pertinet ad rei factum, sive historiam, propterea in ea firmanda attendi potissimum debet probabilitas ab extrinseco, juxta ea quæ proxime observavimus. Unde licet ea, quæ *dubio præcedenti* expendimus, satis persuadeant, cum ab intrinseco, et per varias rationes, quæ expendimus, cum ab extrinseco, et ex principiis sacræ Scripturæ, et veræ Theologiæ, et authoritate Patrum probabilitatem assertionis *num.* 79 propositæ, fuisse videlicet in veteri Testamento « statum vere, et « quoad essentiam religiosum, licet destitutum solemnitate, et aliquibus privile« giis, quæ modo habet; » tamen ulterius videre oportet an prædicta sententia sit non solum probabilis, sed etiam evidenter probabilis, et præsertim ab extrinseco, ita ut evidens et certum sit, quod nulli subjaceat censuræ Theologicæ. Quod præcipue discutiendum duximus propter aliquos, qui id etiam in dubium revocare voluerunt, et tentarunt

Punctus difficultatis.

§ I.

Affirmativa sententia demonstratur.

Conclusio.

104. Dicendum est, assertionem dubio præcedenti stabilitam (nempe in veteri Testamento fuisse statum vere, et quoad essentiam religiosum; nudum tamen a solemnitate, et aliquibus privilegiis, quibus nunc gaudet), esse evidenter probabilem. Quod sic ostenditur: nam illa opinio est evidenter probabilis, saltem ab extrinseco, quam docent viginti, aut triginta Authores graves, sapientes, antiqui, et moderni, et quorum non interest ad alios fines talis opinio: sed ita se habet assertio, quam statuimus: ergo est evidenter probabilis. Majorem non solum tradunt omnes Theologi, et Doctores *numero præcedenti* relati, sed admittet etiam quilibet suæ mentis compos; etenim incredibile est, quod tot, ac tales Authores doceant id, quod omni probabilitate destituitur: ergo e converso, si illud docent, sequitur esse evidens, quod probabilitatem habeat. Nullaque erit moralis sententia tot, ac talibus patronis suffulta, quæ non censeatur evidenter probabilis. Minor vero ostenditur prænotando, quod status religiosus cum tribus votis substantialibus est vere, et quoad substantiam religiosus status: nec hoc negant adversarii, qui potius ea via conantur eludere testimonia Patrum, et Doctorum *dubio præcedenti* allegata, quia licet (inquiunt illi) recordentur aliqualis monachatus in veteri Testamento, non tamen recensent vota. Quo supposito, probatur minor referendo Authores, qui expresse affirmant tria substantialia religionis vota fuisse in veteri Testamento. Et primo loco possumus allegare antiquissimos Josephum, et Philonem, qui illa satis expresse referunt in Essenis, ut constat ex dictis *n.* 84 *et* 85. Sed his Authoribus modo relictis.

F. nec

D. Hieronymus relatus *num.* 88, satis aperte loquitur de vero monachatu in veteri Testamento, ut ibidem ponderavimus. Et ne dubitaremus, expresse votorum meminit *in epist.* 28, ubi ait: « Elisæus » (quem sui instituti ducem vocat), « boves, « et juga prioris operis vertit in vota. »

D.

Hugo Cardinalis *super cap.* 9, *Lucæ*, imitatur eandem D. Hieronymi sententiam: « Elisæus, *inquit*, in aratro coxit « carnes, mactavit boves, id est, religionis « votum fecit. » Recolantur quæ diximus *num.* 44.

H. C

Robertus Præsul Arboricensis *tom.* 2, *de cœlibatu*, describit religiosam et sanctam Essenorum vitam, et *fol. nobis* 22, sic concludit: « In his cernere est universam « Therapeutices panopliam suis absolutissime coloribus ornatam. Et hinc quis « non in promptu colligat vitæ monasticæ « formulam tam abesse a novitio invento, « ut evangelicæ etiam legis tempora trans« cendat? » Universa vero Therapeutices panoplia, et vitæ monasticæ formula necessario

R. Ar

sario vota complectitur, ut nemo non dicet harum rerum gnarus.

Trith. 105. Joannes Trithemius Abbas illustrissimi Ordinis Benedictini, *in lib. de laudibus Carmelitarum, cap.* 2, ait : « Fratres Car- « melitæ a suo principe Elia instructi ad « perpetuam castitatem voto religionis se « obligant. » Votum autem religionis cum castitate alia duo complectitur, ut ex se liquet. Addit *cap.* 3, vir doctissimus : « Mo- « nastici propositi Princeps fuit Elias, et « discipuli ejus. » Hoc autem opus esse legitimam Trithemii prolem (ut locum præcludamus calumniæ) constat evidenter ex eodem Trithemio, tum in historia B. Mariæ in Urticeto, ubi eandem antiquitatem Carmelitis defert : tum, et evidentius, *in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis*, edito Parisiis annno 1512, ubi in calce inquit : « Quam- « vis non sim dignus, quod nomen meum « cum Scriptoribus Ecclesiasticis ponere- « tur, propter ingenii paupertatem ; tamen « amicis urgentibus compulsus sum in fine « hujus Catalogi mearum quoque lucubra- « tionum titulos, et exordia ponere, exem- « plo divorum Patrum Hieronymi, Gen- « nadii, etc. Scripsi ergo hæc, præter hoc « opus, etiam subjecta. » Inter quæ recenset, *Laudes Ordinis Carmelit. lib.* 2. Unde

Joan. Drus. Joannes Drusius illius discipulus, et ex eo Possevinus *in Apparatu*, verbo *Joannes Trithemius*, inter ejus opera recenset, *Laudes Ordinis Carmelitarum, libros duos.* Et

Joan. Busæus. idem testatur Joannes Busæus sacræ Societatis, in volumine operum spiritualium Trithemii, Moguntiæ edito anno 1600, in relatione vitæ, et Scriptorum Trithemii, ubi sub anno 1494, dicitur : « De Ordinis « Carmelitani exordio, et progressu, libros « duos. » Et hæc omnia acciderunt priusquam circa hanc materiam ulla controver-

Nota. sia orta fuisset. Unde illis adhibenda est fides ; secus ei, qui edens recenter Trithemii opera, duos prædictos libros (quo animo, nescimus), subtraxit, et invidit. Nec id mirum, cum eo progrediatur audaciæ, ut in novissima editione S. Joannis Chrysostomi detractæ fuerint homiliæ de S. Elia, quæ per tot secula, nemine dubitante, aut reclamante, fuerunt tanquam legitimus fœtus inter cætera S. Doctoris opera. Sed de hoc alias, nunc redeamus ad propositum.

Morig. Paulus Morigia Italus, Ordinis Jesuatorum D. Hieronymi, in historia de Origine omnium religionum, agens de Elia inquit : « Hic sanctus homo habitabat in monte « Carmelo, sicut narrat liber 4 Regum. « Hic cœpit vitam eremiticam, et religio- « sam, et observavit tria puncta substan- « tialia religionis, hoc est paupertatem, « obedientiam, et castitatem. » Quæ non aliter sunt substantialia religionis puncta, nisi per votum.

Magister Honuphrius Saltus *in vita S.* Saltus. *Honuphrii regis, et anachoretæ, cap.* 18, inquit : « Filii Prophetarum in communitate « vivebant sub obedientia Prælati, et profi- « tebantur tria essentialia religionis vota. »

Ægidius Camartus Reverendissimus Ge- Camart. neralis sacri Ordinis Minimorum. *in lib. de gestis Eliæ, cap.* 6, *sect.* 8, ait : « Elias con- « tinentiæ statum, et sibi, et suis indixit, « qui tria essentialia religionis vota pri- « mus ipse opere adimplevit. Quo fit ut « Hieronymus, Joannes Hierosolymitanus, « Cassianus, et alii quotquot de rebus mo- « nasticis scripserunt, asseruerint Eliam « omnium monachorum parentem, qui « tria essentialia religionis vota primus « ipse opere adimplevit. »

106. Dominicus Gravina sapientissimus Or- Gravina. dinis Prædicatorum Scriptor, ut opera contra hæreticos probant, *in voce Turturis, p.* 2, *c.* 15, inquit : « De Carmelitarum vinea quid « eloquar ? Certo gloria Libani data est ei, « et decor Carmeli. Mons vere celeberri- « mus, in quo fructuosus ille palmes Elias « commoratus, solitariam ab hominum « consortio semotam professus est vi- « tam. Quem primum colendæ virginitatis « authorem Patres, et Doctores appellant, « obedientiæ, et paupertatis prototypum, « quem principem monachorum Hierony- « mus vocat cum Elisæo, et filiis Prophe- « tarum, qui habitabant in agris in solitu- « dine, et ædificabant sibi tabernacula jux- « ta fluenta Jordanis. Ad quos allusit « Apostolus : Circuierunt in melotis, in pel- « libus caprinis, in solitudinibus errantes, « in monitibus, in speluncis, et in cavernis « terræ. »

Josephus de Siguenza nobilis Historio- Siguenz. graphus clarissimi Ordinis D. Hieronymi, in vita Doctoris maximi, *col. nobis* 110, inquit : « Ostendemus igitur breviter anti- « quitatem, et originem religionum, et sta- « tus monastici. Et nolo agere de filiis « Prophetarum, qui sub Eliæ, et Elisæi « disciplina vivebant absque uxoribus, et « divitiis, ubi tam perspicue qualificantur « tria vota. De illis autem asserunt Orige-

« nes, et noster Hieronymus, quod ad eo-
« rum imitationem plures erant in Eccle-
« sia. Et S. Doctor in epist. ad Paulinum,
« eos vocat principes, et duces inter eos,
« quos ibi recenset. »

Cartag. Joannes de Cartagena præclarus Scriptor Ordinis Seraphici, *tom.* 3, *lib.* 17, *hom.* 1, inquit : « Nolo, quamvis facultas mihi « suppetat, sermonem protrahere in anti-« quorum Doctorum variis monumentis « referendis, qui omnes uno ore testantur « sanctissimum Patrem Eliam totius vitæ « religiosæ ducem, ac celebrem authorem « esse. Paucis tamen veritas hæc patebit, « si essentialia religionum vota, castita-« tem, paupertatem, et obedientiam esse, « in mentem revocaverimus. » Quæ om-nia fuisse in Elia, et Elisæo, ibidem pro-bat. Et deinde *homil.* 2, *object.* 7, inquit : « Nec mihi ulla ratione persuadere possum, « antiquos illos monachos ab Elia institu-« tos tria vota substantialia religionis non « emisisse. » Quod inferius ita confirmat : « Eliam, ejusque successores tam pauper-« tatis votum, quam reliqua substantialia « religionis emisisse, vel illa una ratio « nervose satis suadet, quod si Elias, ejus-« que successores monachorum institutum « amplectentes Deo se consecrarunt, casti-« tatem, paupertatem, et obedientiam colen-« tes ; certe cum prædicti patres non igna-« ri essent fore Deo gratissimum, longeque « magis meritorium propositum suum vo-« to confirmare (hoc enim, ut supra præ-« misimus, in veteri lege notum, comper-« tumque fuit) ; et præterea cum aperte « scirent plurimum valere hanc votorum « emissionem ad voluntatem nostram, quæ « lubrica, et ad malum propensa est, in « bono firmandam, et officio continendam; « non est dubium, quin hoc votorum ad-« miniculo ad prædictos fines juvarentur.» Et post aliqua tandem concludit : « Quare « existimo Scripturæ, et rationi valde con-« sentaneum esse, viros illos divino lu-« mine ductos institutum monasticum tri-« bus votis firmasse. »

Salian. 107. Jacobus Salianus celeberrimus Annalista e sacra Societate, non semel, sed sæpius « adstruit tria substantialia vota in illis monachis, quos Elias instituit. Nam in primis frequenter approbat opus Joannis Jerosolymitani de institutione primorum monachorum, in quo iste aperte docet nostram assertionem, ut infra *num.* 115 videbimus. Præterea anno mund 3139, agens de raptu Eliæ, inquit : « Prophetarum, et religio-« sorum in Carmelo, totaque Chananitide « manipulos, sui æmulos, atque imitatores « instituit, ad cælestem vitam, mundo igno-« tam, ac contemptam traducendam ad-« duxit. » Cælestis autem vita hæc mundo ignota, non est aliud, quam vita religiosa in paupertate, castitate, et obedientia voto obsignatis. Deinde anno mundi 3204, *nu-mero* 18, de Elisæo agens, inquit : « Hic « est, qui patri, matrique vale dicens, om-« nia in prolusionem evangelicæ pauper-« tatis abdicavit a se, atque contempsit. « Hic est qui religiosæ paupertatis thesau-« ro dives, etc. » Ubi tam perspicue ex-primit paupertatis votum. Præterea *anno* 3139, *numero* 14, refert concionem Eliæ ad discipulos ante raptum suum, et ait : « Studium voluntariæ paupertatis, illiba-« tæ continentiæ, et obedientiæ sponte « susceptæ, quod per Messiam mirabilia « accipiet incrementa. » Supponit igitur id studium ortum, inchoatumque ante tempus Messiæ. Tandem ibidem *numero* 12, ex per-sona Eliæ ita loquitur ad discipulos : « Ha-« betis Elisæum disciplinæ religiosæ præ-« positum, ac magistrum, cui secundum « Deum obtemperabitis quicumque in Car-« melo, etc. cæterisque locis divinæ militiæ « et religiosæ professioni nomen dedistis. « Hunc tanquam e Moysi cathedra loquen-« tem audietis, in ejus manibus vota ves-« tra offeretis Deo. Ergo quam cœpistis « caste, ac religiose vitam agere, eodem « ductore constanter ad mortem usque du-« cere perseverabitis. » Ubi aperte repræ-sentat vota religionis : *Vota*, inquit, *vestra offeretis Deo.* Et in manibus superioris emissa : *In manibus ejus.* Specialius votum obedientiæ : *Cui secundum Deum obtempe-rabitis.* Et castitatis : *Caste, ac religiose vi-tam agere.* Et ne de paupertatis voto dubi-taretur, illud expressit in sua Epitome, *anno* 3145, *numero* 2, ubi inquit : « Sæ-« viente egestate, religiosi ad Elisæum tan-« quam ad communem parentem undique « convolabant, ut ab eo vel divina subsi-« dia per miracula, vel humana per exi-« miam ejus apud omnes gratiam conse-« querentur, et promissam Deo pauperta-« tem facilius ferrent. » Paupertas enim Deo promissa necessario importat votum paupertatis.

Benedictus Aephtenus illustrissimi Or- Aëph
dinis Benedictini, *lib.* 1 *Disquisit. monast. tractatu* 2, *disquisit.* 3, pluribus commen-

dat

dat monachatum Eliæ, et concludit : « Ex « his autem videtur colligi posse, Eliam « non tam umbram, quam corpus ; non « typum, sed veritatem ; non figuram, sed « ipsam substantiam monasticæ religionis « exhibuisse. Unde P. Thomas a Jesu pro- « babiliter sustinet Eliam, ejusque succes- « sores professionem monasticam triplici « (fere ut nunc fit) votorum vinculo ob- « servasse. » Illud probabiliter non est additum a Thoma positum, sed quo Aephtemus sententiam P. Thomæ qualificavit.

Vincent. Baron. Vincentius Baronius egregius Theologus Ordinis Prædicacorum, ut varia ejus opera manifestant, *tom.* 2, *homiliar. in sermon. de S. Theresia*, *pagina* 141, inquit : « Elias « tempore legis scriptæ cœpit practicare « eminentiorem perfectionem evangeli- « cam. Vota fecit castitatis, et voluntariæ « paupertatis, et ut ait S. Hieronymus, « primus vexillum erexit vitæ monasticæ. « Nubecula, figura Deiparæ prænuntiante « Prophetæ isti virginitatem futuram fœ- « cundam, et parituram Deum. Ista enim « induxit, ut virginitatem voveret ; et is « fructus fuit quasi anticipative exemplum « Virginis sanctæ. » Non explicat votum obedientiæ, quia agebat de Elia supremo illius instituti Prælato, juxta ea, quæ diximus *numero* 98, sed illud etiam aliorum duorum, et vitæ monasticæ clara assertione complexus fuit.

Clictov. 108. Jodocus Clictoveus insignis Theologus, *tom.* 2 *homil. in serm. penult.* qui incipit, *Quam dixerint vobis filii vestri*, ex professo ostendit Eliam esse fundatorem Religionis Carmelitanæ. Et ut dubium removeat circa ea, quæ ad religionis substantiam pertinent, inter quæ castitatis votum censetur difficilius, inquit : « Virginitatis per- « petuo servandæ votum, atque propositum « ab Elia primo ejus » (Ordinis videlicet Carmelitani) « institutore eorum habuit. »

Schenn. Paulus Schentnet *in Promontorio malæ spei*, *lib*, 4, § 13, affirmat successores Eliæ tenaces arrepti semel Instituti eodem in loco semper perstitisse usque ad ipsa Christi Salvatoris tempora. Et inferius : « Volun- « taria paupertate, castimonia, obedien- « tiaque sese Deo adstrinxerunt in arctius « ejusdem obsequium, auspicaturi simul « et religiosæ vitæ exemplar, et daturi « aliis pulchræ imitationis occasionem. » Quæ verba sic exprimunt substantialia religionis vota, ut explicari, aut corroborari non debeant.

Valderr. Petrus de Valderrama illustrissimi Ordinis Augustiniani, et concionatorum sui temporis facile princeps, *in Theatro Relig. sermone de S. Elia*, probat ex D. Hieronymo Eliam fuisse primum inventorem vitæ monasticæ, idque asserit ex Scriptura deduci. Postea addit : « Licet verum sit, quod « tempore Samuelis reperiantur Prophe- « tarum filii, et aliqua, quæ videntur ins- « titutum religiosum repræsentare ; nihi- « lominus instituti cum votis, sicut cœpit « Elias, absque dubio ipse fuit primus in- « ventor. » Prosequitur : « Pro comperto « habetur, quod ipse vovit virginitatem, et « quod illam voverunt ipsius discipuli, et « quod hæc virginitas erat perpetua. » Tandem sic concludit : « Supposito igitur, « quod Elias, ejusque monachi observarunt « virginitatem » (utique cum voto, ut proxime dixerat) « etiam videtur indubita- « bile, quod observaverunt obedientiam, « et paupertatem, in quibus sita est reli- « gionum essentia ; quod ad illud usque « tempus visum non fuerat. »

Cœlest. a Mont. Cœlestinus a monte Marsano, religiosissimi Ordinis Capucinorum, *in Clave David*, sive *Arcanis Scripturæ sacræ*, *observatione* 79, inquit : « Elias natione Thes- « bytes, Prophetarum coryphæus, Ana- « choretarum in monte Carmelo, aliisque « sacris Palæstinæ locis religiosam vitam « agentium supremus fuit Archimandri- « ta. » Et ut manifestet se loqui de vita religiosa vere, et proprie dicta, et difficultatem excludat, in qua nonnulli offendunt, subdit : « Ardentissimum Eliæ zelum, ut « suam effectus causam, subsequuta est « singularis, nondumque audita castitas ; « ipse enim primus omnium mortalium « votiva se castitate insignivit. »

Boulduc. 109. Jacobus Boulduc, ejusdem sacri Ordinis Capucinorum insignis Scriptor, ut commentaria in Job manifestant, *in lib. de Ecclesia post legem*, *cap.* 14. *pagina nobis* 100, observat monachos legis gratiæ in pluribus convenire cum monachis veteris legis, et probat : primum quidem, quod sicut modo dantur diversi ritus, diversaque nomina religiosorum, qui tamen conveniunt in eadem substantia religiosi status ; ita etiam in veteri Testamento, quia *omnes*, inquit, *in nomine Enoscæorum conveniebant, quorum si institutum, modusque vivendi diligenter consideretur, præsertim eorum, qui rigidius vivebant, invenietur ad illa tria capita reduci* (castitatem videlicet, pauperta-

tem, et obedientiam), *quæ Christus nuper expressit, adhibito voto, quod etiam in lege naturæ frequentatum fuisse legimus.* Prosequitur explicando, qualiter monachi veteris Testamenti habuerint speciale indumentum distinctum a sæcularibus, *ut patet*, inquit, *in Elia Rechabitarum patre, qui zona pellicea accinctus erat renibus. Joannes quoque Baptista desertícola, et ejusdem cum Elia spiritus, et instituti habebat vestimentum de pilis camelorum, et zonam pelliceam circa lumbos suos.* Et post pauca : « Alii « videntur sub rufis istis pellibus apposuisse « albas, laneasque vestes, eo modo, quo « Patres Carmelitæ induuntur, ut illis sub « nomine Nazaræorum recte conveniat is- « tud dictum : Nazaræi ejus nitidiores lacte, « rubicundiores ebore antiquo (qui su- « brufi, camelinique coloris est), saphiro « pulchriores. » Et in margine habet : *Forma, et color habitus PP. Carmelitarum a Nazaræis derivari videtur.*

Tenas. Ludovicus Tenas, Primarius, ac celeberrimus Academiæ Complutensis Theologus, *in serm. de S. Theresia*, Matriti impresso anno 1615, inquit : « Institutum « monasticum sacræ religionis Carmelita- « rum principium habuit in propheta Elia, « qui referentibus D. Hieronymo, et D. « Isidoro, fuit primus homo, qui castitatem « vovit. » Adjecit hoc, ut aliquorum scrupulum removeret, qui in hoc voto præcipuam difficultatem habent. Eo autem admisso, alia facile connectuntur, quæ necessaria sunt ad *institutum monasticum sacræ religionis*, de quo Tenas loquebatur.

Oxea. Petrus Oxea lector, ac rector Collegii Cæsaraugustani sacræ Societatis Jesu, scripsit Vitam V. P. F. Michaelis a Fonte Carmelitæ, et in dedicatione operis sui sic alloquitur M. Lumbier ejusdem Ordinis : « Habet V. Reverendissima Fratres tot « homines primæ magnitudinis in sancti- « tate, ac litteris, quibus S. Ecclesiam illus- « trarunt a suis principiis (principiis, in- « quam, ipsius Ecclesiæ), quinimo ante « nongentos annos, postquam magnus « ipsius (religionis videlicet), pater, et « propheta Elias illam fundavit in veris « votis veri monachatus, licet absque illa « solemnitate, perfectione, et potestate cla- « vium, quæ Christus huic dedit in lege « gratiæ. »

Xavier. Hieronymus Xavier Ordinis Prædicatorum, et in Academia Cæsaraugustana sacræ Scripturæ emeritus cathedrarius, in approbatione libri immediate relati, inquit : « Antiquissima religio Carmelitarum « faustum principium habuit in monte Car- « melo, celebri ob sui memoriam in Scrip- « tura, eminentem elevationem, et myste- « ria nominis, quod secundum D. Hiero- « nymum significat Agnum circumcisum, « ut jam ex his circumstantiis præmons- « trari posset hujus sacra familiæ eminentia, « cum præter hæc ejus fundator fuerit « magnus patriarcha, et zelo ardens pro- « pheta Elias. Hæc prima in illa luce fuit, « quæ stabilivit statum monasticum, titu- « lum Carmeli verificans. Est enim agnus « in candore, et sanctitate; et circumcisus « non tam corporaliter, quam spiritualiter. « Quod juxta Apostolum consistit in repri- « mendo affectus humanos divitiarum, li- « bertatis, ac voluptatis per tria vota cas- « titatis, paupertatis, et obedientiæ, quæ « eo jam tempore nuncuparunt, ac exer- « cuerunt, etsi absque illa solemnitate, « perfectione, et potestate clavium, quibus « fiunt in lege gratiæ. »

Alii Authores remissive. 110. Prolixum nimis foret, et in immensum opus abiret, si omnes alios authores, qui similem proferunt sententiam, recensere vellemus. Plures alios referunt Lezana in Apparatu, et Sylveira *tom. Opusculor. opusc. 3, resolut. 3, quæst.* 10. Sed relati sufficiunt ad verificandam propositionem *num.* 104 statutam, videlicet esse quamplures authores graves, sapientes, antiquos, et modernos, et quorum alias non interest specialiter veritas nostræ assertionis, qui affirmant, *in lege veteri fuisse verum statum religiosum cum tribus votis substantialibus paupertatis, castitatis et obedientiæ.* Quod, transcriptis fideliter eorum testimoniis, hactenus demonstravimus. Inde vero liquido infertur, prædictam conclusionem esse certo, et evidenter probabilem, ut loco citato arguebamus, et pro præsentis dubii resolutione statuimus.

Lezana. Silveira

Urgens ejusdem fundamenti confirmatio. Quod fundamentum fulciri magis valet ex gravissimis Doctoribus, qui etsi sub explicitis vocibus trium votorum non constituant monachatum in veteri Testamento, nihilominus ex monachatu in prædicto tempore inferunt monachos esse antiquiores Canonicis, et Clericis regularibus, et quod eis debeant in præcedentia, et dignitate loci præferri. Nam si loquerentur de monachatu umbra tenus, et similitudine tali, præcisoque a tribus votis, quibus substantialiter constituitur, nihil profecto concluderent

cluderent; quippe ad judicium circa hujusmodi præcedentiam non figura sola sufficit, sed veritas ipsa, reique essentia necessaria est. Pro hoc autem dicendi modo referre possumus non tantum speciales personas, sed integras, easque sapientissimas academia. Nam Collegium Bononiensis Universitatis de hac re consultum respondit *consil.* 1 (quod extat post consilia Cardinalis Zabarellæ), *num.* 35 in hunc modum : « Ordo monasticus est antiquior cæteris, « nam Paulus, Antonius, Hilarion, Macha- « rias, et alii multi habuerunt vitam mo- « nasticam, ut dicitur, ab Elisæo in veteri « Testamento seminatam. » Et Collegium Paduanum apud eumdem Zabarellam *consil.* 2, *num.* 26, inquit : « Principaliter nos « movet antiquitas monasticæ religionis, « quod etiam apud Cœnobitas, et in eodem « monasterio, sive cœnobio habitantes, ante « adventum Christi variis in locis sacræ « Scripturæ, et in scriptis Patrum, alio- « rumque, qui antiquitates conscripsere, « fuisse adinvenimus. » Et Collegium academiæ Ferrariensis in eadem causa consultum, idem respondit *consil.* 3 *post consilia Zabrellæ*, *num.* 12, et inquit : « Legitur in « historia tripartita, monasticam vitam « habuisse originem in veteri Testamento « ab Elia, et Elisæo, et a Joanne Baptista « in novo. » Et inferius : *Cœnobitæ sub Elisæo videntur exorti, et a Christo revocati.* Pro qua sententia refert archiepiscopum Florentinum *in* 2 *p. tertiæ partis, tit.* 16. Et eandem sententiam docuerat Baptista de Caccialupis advocatus consistorialis, et suo tempore primarius, ac celeberrimus Jurisconsultus, qui *in consil.* 4 *post consilia Zabarellæ, num.* 6, inquit : « Constat etiam « monasticam religionem etiam apud Cœ- « nobitas fuisse ante adventum Christi, ut « legitur in lib. Ecclesiastic. Histor. ru- « brica de signis in morte Domini, ubi fit « mentio de sancto Scharioth, qui fuit ab- « bas monasterii, et monachorum. Et in « eadem historia, sub rubrica de tribus « sectis Judæorum, dum loquitur de Esse- « nis (sunt ipsi Esseni, quorum sæpe me- « minimus) in omnibus vitam monasticam « gerentibus. » Et quod hi omnes loquantur de statu religioso quoad veram ipsius essentiam considerato, liquet tum ex causa, quam versant, ut supra ponderavimus; tum ex verbis, quibus utuntur, *Ordinis monastici, et religionis monasticæ*, et quod *in omnibus monasticam vitam gerebant :* quæ si vota secludantur, minime subsistunt. His omnibus subscribit doctissimus cardinalis Tuschus *tomo* 5 *pratic. conclus. littera M, conclus.* 311, *num.* 7, ubi ait : « Mona- « chi fuerunt, et erant tempore Concilii « Nicæni; imo erant etiam in veteri Tes- « tamento, prout Elisæus. Et quod essent « in veteri Testamento, probatur de Elia, « Elisæo, Joanne Baptista, et post in initio « Ecclesiæ fuerunt. » Quod ex Doctoribus supra relatis confirmat.

Idem fundamentum potest amplius roborari ex sententia illorum authorum, qui licet nostræ oppositam defendant, nostræ tamen probabilitatem recognoscunt, et concedunt. Plures sunt hi, et quos fastidiosum esset referre. Sed unum dabimus, qui plurium loco esse potest, perdoctum videlicet Franciscum Suarez. Hic enim *tom.* 3 *de Relig. lib.* 3, *cap.* 1, inquit : « Multorum « sententia est, statum religiosorum anti- « quiorem esse statu legis gratiæ. » Et *n.* 2 ait : « Præterea ante legem novam in usu « fuisse tria illa vota in quibus substantia « religiosi status consistit, verisimile vi- « detur. » Et *num.* 15, inquit : « Si abstra- « hamus a votis solemnibus hac speciali, « et legitima solemnitate, fortasse fieri « potuit, ut aliquis tria vota emiserit pris- « cis illis temporibus. » Et *cap.* 3, *n.* 1, ait : « Ex Catholicis aliqui censent statum re- « ligiosum, non solum a tempore Christi, « et Apostolorum, sed etiam a tempore « Eliæ, et Elisæi continua traditione usque « ad Joannem Baptistam, et deinceps us- « que ad nos fuisse derivatum, de qua « sententia dicam nonnulla infra, origi- « nem Mendicantium Religionum expli- « cando. Nunc eam non improbo, quia « falsam esse demonstrare non possum : « sed nec eam approbo, sed tamquam in- « certam relinquo. » In quibus Suarii dictis tria reperiuntur observatione digna. Primum, multorum Catholicorum esse sententiam, quod status religiosorum sit antiquior statu legis gratiæ : multi autem Catholici sufficiunt ad deferendam probabilitatem, saltem extrinsecam opinioni illi, quam propugnant. Secundum, quod Suarius ingenue fatetur, *se non posse demonstrare opinionem illam esse falsam :* erat autem vir doctissimus, Theologiæ, Scripturæ, traditionum, et historiæ satis gnarus, qui facile posset opinionis illius falsitatem, si non esset probabilis, demonstrare : unde ipsius confessio nobis robur, et aliis (si

nostram sententiam improbare tenent), desperationem inducit. Tertium, quod Suarius non deserit opinionem nostram tamquam improbabilem, sed tamquam incertam : plurima autem sunt probabilia, et simul incerta, propter ingruentia, et contraria hinc inde motiva. Et de ejus etiam opinione dici potest, quod est incerta, et demonstrari non valet, ut ipse palam concedit. Aliunde vero sententia nostra habet historialem certitudinem, quantum in ejus materia desiderari valet, ut contra prædictum authorem ostendimus *n.* 52, et ex tota hac disputatione satis liquet. Denique Suarius *tom.* 4 *de Relig. tract.* 9, *lib.* 2, *c.* 10, quo loco se acturum de origine religionum mendicantium ubi supra promiserat, inquit : « Est autem valde recepta, et satis « antiqua traditio, religionem, hanc (nempe « Carmelitarum) a temporibus Prophetarum, et signatim ab Eliæ institutione « suam ducere originem, et quasi hæreditariam successionem in monte Carmelo, a « quo nomen etiam accepit. Quam traditionem ut veram suscipimus, præcipue « quia septem Summi Pontifices Sixtus IV, « Joannes XXII, Julius III, Pius V, Gregorius XIII, Sixtus V et Clemens VIII in « bullis huic Ordini concessis de professoribus hujus sacri instituti ita loquuntur : « Tamquam religionis speculum, et exemplar charitate fulgentes, sanctorumque « Prophetarum Eliæ, et Elisæi, et aliorum « Patrum, qui montem sanctum Carmeli « juxta Eliæ fontem inhabitarunt, successionem hæreditariam tenentes, etc. Unde « Sixtus V huic religioni concessit, ut « Eliam, et Elisæum tamquam suæ institutionis patronos coleret, dies festos in « eorum honorem celebrando, propriaque « officia in eorum memoriam recitando, « etc. » Plura ibi cœperat jacere fundamenta nostræ assertionis. Sed priusquam ædificium absolvisset, mors virum doctissimum orbi, et nostræ præsertim sententiæ præripuit, ut in calce illius capitis nondum perfecti adnotatur his verbis : « Hæc « tantum de sacro Carmelitarum ordine « in manuscriptis authoris Suarii invenire « potuimus, quem nisi mors bonis omnibus invidens præoccupasset, tam de hoc « ipso Ordine, quam de reliquis plura « scripturum fuisse non dubitavimus. » Suario alium authorem (propter magnam viri authoritatem), adjungere placet, Antonium Perez, generalem illustrissimi Ordinis Benedictini, et archiepiscopum Tarraconensem. Is in Pentateucho fidei, *volum.* 4, *cap.* 24, *sub c.* 8, agit de ecclesiastica traditione circa monachatum in votis substantialibus consistentem, quem impugnant hæretici. Et primo loco ponit sententiam affirmantem, quod monachatus sic acceptus cœpit a temporibus Apostolorum, quam late probat. Deinde *num.* 56, inquit : « Alii « altius repetunt Monachorum originem « ab Elia, et Elisæo. Nec sane mirum, si « quidem et ipsi lectitarunt verba illa ps. « 132 : Ecce quam bonum, et quam jucundum habitare fratres in unum. Hæc enim « monasteria erexerunt, ut plane Augustinus monuit. » Et in margine habet : « Aliqui adstruunt originem monachorum « ab Elia, et Elisæo, nec temere. »

Perez.

§ II.

Expenditur grave aliud fundamentum ejusdem assertionis.

Motivum ex decretis S. Inquisitionis.

111. Nemo qui sciat summam authoritatem supremi Consilii S. Inquisit. Hispaniæ, quam sapientibus censoribus utatur, quam severos judices adhibeat, et qua vigilantia procedat in doctrinis undequaque ad fidem pertinentibus ; nemo, inquam, qui hæc sciat, et pro meritis ponderet, abnuet concedere sententiam illam esse evidenter probabilem, quam sacrum istud Tribunal semel, atque iterum probavit. Quod aliquorum zelo nostræ contigit. Fuerunt enim viri multæ scientiæ, et non inferioris authoritatis (honoris, et charitatis gratia illos non nominamus), qui nostram hanc sententiam tamquam injuriosam legi evangelicæ, deprimentemque Christi Domini, et Apostolorum gloriam, et negantem B. Mariæ supremum in vovendo virginitatem primatum (quæ omnia quantum a veritate exulent, ostendimus *n.* 38 *et* 74 *cum sequent.*) ad sacrum illud Tribunal deferrent, et graviter accusarunt. Negotii magnitudo, et propositionum absolutissima discussio non dies, non menses tantum, sed plures annos absumpsit. Sed tandem anno 1639, die 9 decembris decretum est, quod sequentes propositiones currant impressæ, et de novo possint imprimi :

In lege scripta fuit votum castitatis, et virginitatis perpetuæ.

Mulieres fecerunt votum virginitatis in lege scripta.

In

In lege scripta fuit votum obedientiæ perpetuæ.

In lege scripta fuit votum paupertatis voluntariæ.

In lege scripta fuit verus monachatus, et religio.

Cautum tamen est, ut in hac materia declaretur, monachatum legis scriptæ non fuisse cum solemnitate, et perfectione, ac potestate clavium, quas habet in lege gratiæ; hujus enim in tota sua perfectione author, et institutor fuit Redemptor noster Jesus Christus, et illius in lege scripta fuit causa exemplaris, et meritoria. Quas omnes, et alias prædicti decreti propositiones reperiet lector in Apologia historicæ propheticæ, et in N. Philippo, *Theologiæ Carmelit. q.* 9, *art.* 1, Lezana *in Apparat. c.* 4, *n.* 28, Antonio a Spiritu Sancto *in tract. de primatu Eliæ*, § 8, *n.* 136, et aliis scriptoribus nostri Ordinis. Et juxta prædictum decretum in hac disputatione processimus, sæpenumero explicantes vota illa, quibus monachatum veteris legis constasse dicimus, fuisse simplicia, ac nuda, tum solemnitate, tum aliis quibusdam privilegiis, quibus religiosus status in lege gratiæ exornatur.

Apolog. histor. proph. Philipp. Lezana. Anton. a Spiritu sancto.

Licet autem omnia sancti, et integerrimi Tribunalis decreta omnem venerationem mereantur, istud videtur habuisse quasdam circunstantias, quæ non levem authoritatem super alia conciliant. Primum, quod materia summa contentione agitata est, productis hinc inde doctissimis allegationibus. Deinde, quod per plures annos discussa fuit. Tandem, quod ad resolutionem illius facta est specialis congregatio (*Junta* vocamus), plurium virorum, quibus sapientiores, ac graviores non habebat Hispania, sed nec alia forte Ecclesiæ provincia. Assistebant enim Doctor D. Josephus Argaiz, postea Episcopus Abulensis, et Archiepiscopus Granatensis. R. P. M. F. Joannes a S. Thoma, Cathedrarius Primarius Complutensis, Confessor regis Philipi IV, Magni, et eruditissimis, profundisque scriptis celeberrimus. D. Antonius Calderon, insignis Ecclesiæ Toletanæ Canonicus, Magister Serenissimi Principis Hispaniarum, et electus Archiepiscopus Granatensis. R. P. F. Petrus de Urbina, Generalis Seraphicæ Religionis, et Archiepiscopus Valentinus, et Hispalensis. R. P. M. F. Petrus de Tapia, Primarius Complutensis, Episcopus Segoviensis, Siguntinus, Cordubensis, et tandem Archiepiscopus Hispalensis, scriptis, et sanctitate conspicuus. R. P. M. Salmeron, Generalis Ordinis B. Mariæ de Mercede, electus Episcopus Truxillensis. R. P. M. F. Luisius de Cabrera, sacri Ordinis D. Augustini, et Concionator Regius. Doctor D. Franciscus de Rioxa, Inquisitor Hispalensis. Doctor Rubinos Ecclesiæ Cauriensis Canonicus Magistralis. R. P. M. F. Joannes Garcia, Lector Theologiæ in Conventu B. Virginis de Atocha. R. P. M. F. Gabriel Gonzalez ejusdem Conventus Prior, et per plures annos Lector. Præsidebat autem huic speciali Congregationi D. D. Ferdinandus de Castro, et Andrada, tunc supremi Consilii Inquisitor, postea Episcopus Gienensis, et electus Archiepiscopus Hispalensis.

112. Expendat, obsecramus, prudens Lector tantorum virorum nomina, sapientiam, prudentiam, authoritatem, et dignitatem; et facile videbit, quod vel extra judicium constituti insignem probabilitatem deferrent opinioni a se subscriptæ Quanto magis ubi materia non solum fidei, ut adversarii clamabant, sed justitiæ etiam, propter apprehensum aliquod partium dedecus, urgebatur? Quanto magis in Tribunali sacerrimo, quod favorum blandimentis non trahitur, ut falsis opinionibus, et fidei non satis cohærentibus parcat. Ergo ex eo, quod sancta Inquisitio prædicta asserta probaverit, efficaciter infertur illa fuisse, et esse evidenter probabilia, alienaque ab omni censura Theologica. Viderunt id viri docti, et licet aliam habuerint sententiam, nostræ probabilitatem post illud decretum liquido confessi sunt. Unde Illustrissimus Arauxo 1, 2, *q.* 99, *disp.* 4, *sect.* 3, sic nostram sententiam proponit: *Prima affirmans monachatum incœpisse ante Evangelium apud Patres veteris Testamenti, defenditur a Clictoveo hom. penult. tom.* 2, *Waldensi de Sacramental. c.* 8, *concl.* 9. *Ægidio Carmelit. lib. de Elia, c.* 6, *sect.* 8. *Trithemio lib.* 1, *de laudibus Carmelit. Francisco Orantio* (fuit hic vir doctissimus Ordinis Seraphici, Confessarius Serenissimi Joannis Austriaci primi, et Episcopus Ovetensis), *lib.* 5, *locorum Catholic. c.* 12, *et Mendoza in quodlib. q.* 2, *expositiva.* « Quos refert, et sequitur « novissime Author historiæ propheticæ « Carmeli Discalceati, ut defendat Eliam, « et Elisæum veri monachatus fuisse pro- « fessores. Quam sententiam absque nota, « vel censura, cum probabilitate, quam ei

Poi deratio præmissi n otivi.

Arauxo.

« sua adstruunt fundamenta, sanctissimum « supremæ Inquisitionis tribunal novissi- « mo decreto, 9 Decembris anni 1630, « expedito defendi, ut antea, et excudi per- « misit. Quam probabilitatem et nos liben- Hieron. Garcia. « ter suscipimus. » Et R. P. Hieronymus Garcia, Diffinitor Generalis illustrissimi Ordinis Hieronymiani, et eruditis scriptis satis notus, *in Politica Regulari, tract.* 10, *difficult.* 4, *dub.* 1, *n.* 4. *cum sequent.* refert nostram opinionem, ejusque fundamenta, et *n.* 8, inquit : « Hæc opinio censenda ad « minus est ut probabilis, et talem esse « qualificavit sanctum Inquisitionis tribu- « nal anno 1629, teste P. F. Francisco a S. « Maria. Unde qui nunc diceret eam im- « probabilem esse, puniretur per sanctum « Officium tanquam contumax, et rebellis « ejus decretis, ac mandatis. Et profecto « licet id sancta Inquisitio non decerneret, « Apologia P. F. Francisci a S. Maria, ubi « tot occurrunt rationes, et authoritates, « eam probabilem faceret ; quinimo non « utcumque probabilem, sed etiam probabi- « lissimam, et ut talem illam refero. Unde « protestor quod si aliquando in hujus ope- « ris decursu non me sufficienter declara- « verim, et visum alicui fuerit me contra « illam sentire, minime id intendo ; nam « si loquor de opinione contraria, semper « eam intelligo non de religione quoad subs- « tantiam, sed quoad completam, et per- « fectissimam perfectionem, sicut hic sta- « tus modo existit in lege gratiæ. »

Aliud decre- tum. 113. Qui discursus fulciri urgenter potest; nam ecce post alcyonidas dies, quas relatum S. Inquisitionis decretum nobis attulerat compescendo tempestatem, iterum Adversarii vocarunt ad arma, et novas allegationes, aut delationes præsentarunt, quibus relatas propositiones, aliasque accusarunt. Unde opus fuit illas rursus in judicio contradictorio per novos Censores, et coram *novis judicibus* examinare : quod negotium pro rei gravitate plures consumpsit annos. Sed tandem prædictæ propositiones, quæ asserunt tria vota substantialia, et verum monachatum (dempta solemnitate, et aliis privilegiis legis gratiæ), fuisse in veteri Testamento, iterum approbatæ sunt, et antecedens decretum de novo confirmatum est Matriti die 6 Martii (in pervigilio scilicet Angelici Præceptoris nostri D. Thomæ), anno 1673, in supremo S. Inquisitionis Senatu, cui præsidebat, et præsidet Excellentissimus Princeps, et eruditissimus vir D. D. Didacus de Valladares, et Sarmiento, Episcopus Ovetensis, ac Placentinus, et in regio, ac supremo Consilio Castellæ Præses. Unde magis elucet maxima prædictarum assertionum probabilitas ; vix quippe inter probabiles alia reperietur, cui tantæ authoritatis extrinsecæ pondus assistat, quæve graviora habeat pro se testimonia. Præser- Nota tim si consideremus authoritatem, doctrinam, potentiam, et zelum eas accusantium, qui facile ipsas subruerent, si potentior, innocentiorque non fuisset illarum veritas. Hoc secundum decretum notissimum est in Hispania, ejusque meminerunt N. Sylveira Sylveir. *tom. opuscul. opusc.* 3, *res.* 3, *q.* 10, *in fine*, Joseph Andr. et Josephus Andreas sacræ Societatis, *in approbatione vitæ V. P. F. Michaelis a Fonte*, ubi ait : « Gratulor antiquæ et sem- « per observante Religioni B. Virginis de « monte Carmelo, quod cognita jam sit, et « ad lydium lapidem affricta veritas voto- « rum, et veri monachatus Eliæ et glorio- « sorum ipsius filiorum in veteri Testamen- « to, per novum Decretum S. Tribunalis « Inquisitionis in præsenti anno 1673. »

§ III.

Roboratur amplius eadem conclusio.

Aliud moti- vum. 113. Licet supremum S. Inquisitionis judicium, et sententiæ plurimorum extra nostrum Ordinem Authorum evidentem probabilitatem a nobis intentam satis evincant, placet tamen id ipsum ostendere alio medio magis familiari in hunc modum ; etenim quod plurimi sapientes, et timoratæ conscientiæ affirmant, est evidenter probabile, saltem ab extrinseco, ut tradit communis Theologorum sententia, et ostendimus *num.* 103. Atqui plurimi viri sapientes, et timoratæ conscientiæ affirmant verum monachatum cum tribus votis substantialibus fuisse in veteri Testamento : ergo talis sententia est evidenter probabilis, saltem ab extrinseco. Probatur minor ; nam prædicta assertio est antiqua, recepta, et communis traditio Ordinis Carmelitarum : nemo autem negavit in hac amplissima religione fuisse, et esse plurimos viros sapientes, et timoratæ conscientiæ.

Præclu- ditur effu- gium. Nec vim hujus motivi diluet, qui dixerit, Carmelitas non esse testes in hac causa audiendos ; quia dicunt in sui favorem, ut supremam inter sacros Ordines sibi vindicent antiquitatem. Nam contra hoc est *primo*, quod

quod valde diversa sunt, fuisse verum monachatum in veteri Testamento, et religionem Carmelitanam in veteri Testamento incepisse ; potestque, quantum est ex vi formæ, prima assertio a posteriori præscindi; et hoc pacto in tota hac disputatione processimus probantes omnia asserta independenter a prædictæ religionis antiquitate : ergo Carmelitæ debent in hac causa ut testes legitimi, et nullo quæstu conducti audiri. *Secundo*, quia sive resolutio hujus difficultatis ad Carmelitarum gloriam referat, sive non, tamen incredibile est, plurimos viros sapientes, et timoratæ conscientiæ tradere uniformiter doctrinam aliquam non probabilem, cum potius hoc sit maxima insipientia, et non leve omnino peccatum : ergo quod plurimi illi viri sapientes, et timoratæ conscientiæ sint Carmelitæ, minime impedit, quod assertio ab illis uniformiter tradita, sit evidenter probabilis. *Tertio*, et urgentius, quia falsum omnino est, quod licet ad gloriam religionis Carmelitanæ veritas nostræ assertionis spectet, non debent admitti, audiri, et authoritatem suis dictis afferre particulares ipsius Doctores. Nam constans, certaque sententia est, testes de communitate, aut collegio admitti, fidemque facere, quando non agitur de eorum particulari commodo, ut tradunt communiter Doctores *in cap. Insuper, cap. Cum nuntius, de testibus.* Idque a fortiori verificatur in religiosis circa causas suarum religionum, et communitatum : tum quia ratione sanctitatis, ac perfectioris status præsumuntur semper dicere veritatem : tum quia nulli alii ita compertas habent res suarum religionum, præsertim quæ ad factum pertinent. Quod etiam communiter tradunt Doctores *locis citatis*, et *in cap. Tertio loco*, de probationibus, et *cap. Veniens, et 2, de testibus.* Unde in negotio gravissimo Canonizationis Sanctorum suæ religionis admittuntur tanquam legitimi testes, ut constat ex praxi, et resolvunt Auditores sacræ Rotæ in Canonizatione S. Franciscæ Romanæ, *p.* 1, *art.* 7. Quinimo non solum religiosis, sed libris etiam, et historiis sacrarum religionum in prædicta causa (quæ est omnium gravissima) fides adhibetur, ut patet in canonizatione D. Bonaventuræ *p.* 2, *art.* 8, et ex professo probat Joannes Andreas *in fine Mercurialium, super ultim. quæst.* Nulla igitur est ratio, ut Carmelitæ, dum communiter tradunt verum monachatum fuisse in veteri Testamento, debeant tanquam testes suspecti excludi.

Nota.

114. Accedit primo, non esse majoris authoritatis traditionem alicujus Ecclesiæ, aut Diœcesis, quam sit traditio unius integræ, et amplissimæ religionis Carmelitanæ, cum non plures ibi, quam hic concurrant viri sapientes, aut sancti, qui omni tempore floruerint, ut videtur per se manifestum. Traditio autem alicujus Ecclesiæ, aut Diœcesis fidem facit, et fundat probabilitatem pro rebus gravissimis, cujusmodi est cultus alicujus Sancti, et veneratio aliquarum Reliquiarum, ut constat ex communi praxi, et late tradunt (pluribus etiam relatis), Ambros. Machin *in defensione Sanctorum Calaritanorum, lib.* 1, *c.* 32, Escolanus *in Chronico S. Hierothei, anno Christi* 64, *pag.* 256, Quintanadvenas *tract.* 7, *singul.* 14, et Martinez de Prado *in opuscul. de stygmatibus S. Catharinæ, quæst.* 2, § 2. Et profecto nisi hæc regula admittatur, corruent plurima, quæ tam in Ecclesiis particularibus, quam in sacris religionibus pie, et probabiliter creduntur; sublata quippe traditionis authoritate, nullum fere relinquetur fundamentum, cui incumbant, et propter quod admittantur. Cum ergo tota Carmelitarum religio uniformiter, et constanter affirmet fuisse in lege antiqua verum monachatum, consequens est, quod suo testimonio hujusmodi assertionem faciat probabilem. Et qui id non admiserit, vitam sternit, ut cunctæ suæ religionis, aut communitatis traditiones spernantur; cum minime possit de majori authoritate sibi blandiri, quam habet antiquissima, amplissimaque Carmelitarum religio.

Confirmatio.

Ambros. Machin. Escol. Quint

Mart. de Prado.

Communis Carmelitarum traditio.

Accedit secundo, eo majorem fidem testibus deberi, quo ipsi plures, ac graviores sunt; nam eo ipso faciunt majorem, firmioremque probationem, ut ex se liquet. Testes autem, quos in hac causa religio Carmelitana offert, plures sunt, et gravissimi, ut aliquos ex innumeris recensendo constabit.

115. Primus occurrit Joannes Ecclesiæ Hierosolymitanæ Patriarcha 44, qui floruit tempore D. Hieronymi, et librum scripsit *de institutione monachorum in lege veteri exortorum, et in nova perseverantium.* Et *c.* 2, inquit : « Propheta Dei Elias monachorum Princeps primus extitit, a quo « sancta eorum primæva institutio sumpsit « exordium. » Et *c.* 9, ait : « Monachus « enim vere deinceps ipse fuit. » Nemo autem est vere monachus absque tribus subs-

Joan. Hieros.

tantialibus votis. Et *cap.* 16, dicit : « Quid-
« quid igitur perfectionis est in hac vestra
« religione eremitica, ab hoc propheta Dei
« tanquam a primordiali, et principe mo-
« nachorum Authore exemplariter ema-
« navit. » Ad perfectionem vero religionis pertinent primo loco vota substantialia.

Nec refert, quod Baronius, et Bellarminus negent prædictum Joannem fuisse illius libri Authorem. Quod enim præjudicium potest afferre illorum duorum (etsi gravissimorum) sententia, ubi innumerabilium, nec inferioris notæ Doctorum adest suffragium? Tales sunt Torniellus, Platus, Morigia, Valentia, Emmanuel Rodriguez, Acuna Archiepiscopus Bracharensis, Salianus, Canisius, Trithemius, Marulus, Cornelius a Lapide, Gaspar Sanchez, Magallanes, et alii innumeri, quos refert Lezana *in Apparatu, cap.* 9, *per totum*, et Wastelius *in lib. de Monachismo Joannis in Carmelo apologetico*, quem vivente Baronio, ut ad ipsum transmitteretur, scripsit. Prolixum esset in re ad præsens institutum non admodum necessaria immorari. Subjiciemus tamen judicium viri gravis, Ferdinandi de Salazar, sacræ Societatis, supremæ Inquisitionis, et electi Archiepiscopi de las Charcas. Is *in lib. de Immaculata conceptione, sæculo* 4, *argum.* 12, *cap.* 42, relata Baronii existimatione, inquit : « Vidi certe, atque evolvi non pauca
« antiquitatis monumenta, ut in hac con-
« troversia aliquid certi definirem ; nihil
« tamen reperi, quod non suaderet, præ-
« missum Joannem Carmelitanum fuisse,
« et dictum de Institutione monachorum
« librum ab ipso conscriptum ; atque adeo
« hanc sententiam libentius amplector, et
« gravissimo, antiquissimoque Ordini, quæ
« sua sunt, libere restituo. » Quod ex immediate dicendis magis firmabitur.

Lezana. Wastel. Salazar.

B. Cyrillus Constantinopolitanus, sanctitate, et doctrina celebris, qui floruit ante annum Domini 1200, eandem tenet sententiam *in epist. ad Eusebium eremitam montis Neroi;* nam ibidem refert præmissum Joannem scripsisse prædictum librum ad Caprasium, et alios monachos montis Carmeli (unde elucet quantum antiquitas illius libri transvolet recentiorum cogitationes), et ait : « In quo libro primariam nostræ
« religionis institutionem, et Fundatorum
« ejusdem dignitatem, atque priscorum
« professorum gesta, sanctas, et gloriosas
« virtutes, exteriorem habitus ornatum
« prædictus Joannes propterea brevi, et
« lucido eloquio ordinate descripsit, ut suc-
« cessores dictorum Patrum in illo, tan-
« quam in nitido speculo Institutionem
« suam intuentes, eam observare propen-
« sius conarentur, etc. » Prædictus autem Joannis liber a S. Cyrillo recognitus, et laudatus verum monachum in veteri Testamento constituit, ut supra vidimus.

D. Cyr. Const.

Venerabilis Doctor Thomas Waldensis, hæreticorum malleus, disputans contra Wicleph. *tom.* 1, *doctrinal. fid. lib.* 3, *art.* 2, *cap.* 4, inquit : « Sufficiat religiosis tales
« habere patronos (scilicet Eliam, Elisæum,
« et filios Prophetarum) et sancti propositi
« fundatores, ut plane se monstret sancta-
« rum Scripturarum ignarum, quicumque
« sic errat, ut dicat non esse jure fundatos. »
Observat autem idem præclarus Author *eodem lib. art.* 1, *cap.* 1, quod olim in veteri Testamento, dum religio erat infans, aliqui observabant quædam vota, alii unum, alii universa, ex quibus essentia status religiosi constituitur, ut constat ex ejus verbis relatis *num.* 99.

Wald

V. et R. P. Joannes Soret, vir pietate, et sapientia insignis, et Generalis Ordinis anno 1450, qui Cardinalitiam dignitatem a Calixto III oblatam recusavit (de quo Wernerus Carthusianus *in Fasciculo temporum, circa annum* 1464, ait : « Vir sanc-
« tæ vitæ, et singulariter Christo fructifi
« cus Andegavis obiit, ubi quamplurimis
« nunc miraculis coruscat), » in præambulo regulæ inquit : « Filii namque pro-
« phetarum sumus, non carnis origine,
« sed operis imitatione : Elias namque
« cœpit facere, et docere regulam hujus
« sacræ Religionis, et quidem perfecte,
« scilicet quoad suum esse essentiale di-
« vina revelatione edoctus. »

Joan. Soret.

116. Id ipsum testantur alii antiquiores hujus Ordinis Scriptores, sed ad magis recentes descendamus, qui extraneis forsan suis scriptis plus innotescunt. Thomas a Jesu virtute, et plurimis scriptis valde celebris *in comment. super Regul. Carmel.* inquit : « Existimo Scripturæ, rationique
« valde consentaneum esse viros illos di-
« vina luce ductos institutum monasticum
« tribus votis firmasse. » Et infra : « Hac-
« tenus constat Eliam prophetam Institu-
« torem fuisse monasticæ professionis,
« docuisseque trium votorum, ex quibus
« religio constat, cultum, et observantiam. »

Thom. a Jesu.

Doctissimus Petrus Cornejo, hujus Academiæ lumen, et eruditis in D. Thom. commentariis

Cornejo.

commentariis notissimus, Romæ in Capitulo generali anno 1613 publicavit, et defendit hanc assertionem : « Forma monasticæ disciplinæ sub observantia trium « essentialium votorum non est novum « inventum in Ecclesia, sed ab Elia primordialiter emanavit, et ad hæc usque « tempora perseverat imitatione in omni « Ecclesiæ monachatu, hæreditaria succ- « cessione in Carmelitis. »

Michael Munoz. M. Michael Munoz Romæ edidit doctissimum propugnaculum Eliæ (permittente non solum, sed approbante etiam R. P. sacri Palatii Magistro Nicolao Ricardo) et *lib.* 2, *tit.* 1, *c.* 2, *art.* 2, *per totum*, monachatum verum cum votis substantialibus statuit, præsertim vero *num.* 14, ubi ait : « Illi igitur religiosi primævi eunuchi, « antiqui sunt, et veteres spadones, Rechabitæ, et Nazaræi, Esseni, ac Assidæi, qui « consiliorum ex voto observationem colebant, ex quo Elias, et Elisæus casti, obedientes, et pauperes ex instituto voti « disciplinam monasticam a Deo traditam « induxerunt. Propter quod monachorum « sub Evangelio vigentium in paupertate, « castitate et obedientia authores, principes, et patroni a Patribus commendan- « tur. »

Lezana. M. Joannes Baptista de Lezana, sapientiæ Romanæ publicus Lector, et S. Congregationis Indicis Consultor, vir piissimus et doctissimus, pluriumque librorum Author, et quo majorem præsens sæculum non habuit, edidit Romæ primum Annalium tomum, et *in Apparatu*, *cap.* 4, *per totum*, probat fuisse in veteri lege verum monachatum cum tribus substantialibus votis, præcipue autem *num.* 11, ubi ait : « Quod autem Elias, Elisæus, et alii pro- « phetarum filii, seu discipuli nuncupati, « obedientiam, castitatem, et paupertatem « ex aliquali voto observaverint, prout ad « religiosi status normam necessario exi- « gitur, attenta tamen veteris legis imper- « fectione, roborandum restat. » Quod ibi lem luculenter, et eruditissime exequitur.

Didacus Benav. 117. M. Didacus Benavides, in Academia Complutensi Primarius sacræ Scripturæ Interpres, et eruditis lecturis satis notus, *in lect. de fuga in Ægyptum*, *vers.* 23, *pag.* 35, ait : « Hic per incidentiam occurrit disserere, an in lege veteri constite- « rit status vere religiosus per emissionem « votorum ? Respondeo non esse instituti « præsentis, sed historialis. Quod si agerem, « latiori calamo scriberem, quod modo « compendio, extitisse sub Elia, et Elisæo « parentibus, et filiis Prophetarum. » Et post pauca addit : « Et certe istam sententiam probavit in judicio contradictorio « supremus Senatus Sanctæ Inquisitionis, « ut jam solum ambigere possit vel ignarus historiarum, vel invidus tantæ excellentiæ. » Et *in lectura de Samsone*, *vers.* 5, *in Indice* 2, *huic loco correspondenti*, ait : « Religio Carmelitarum constitit in statu « vere religioso in veteri lege, non solum « exercitio obedientiæ, castitatis, et pau- « pertatis ; sed ex voto, ut requiritur ad « veram religionem, et monachatum, ut in « nova, detractis solemnitatibus, perfectio- « nibus, potestate clavium, et aliis circunstantiis, quæ adjectæ sunt in lege gratiæ « sub Christo omnis perfectionis exemplari. Hæc est sententia firmissima in « Carmelo antiquæ observantiæ et no- « væ observantiæ PP. Excalceatorum. » Quod ibi productis Authoribus probat. Deinde subdit : « Sed quod vim affert « maximam, id est, quod zelus Elianus « RR. PP. Excalceatorum post prolixas « excussiones historiæ propheticæ, exa- « minatis, et apprime expensis defen- « soriis, a Tribunali sanctæ, et generalis « Inquisitionis editum est decretum anno « 1639, die 9 mensis Decembris, quod « inter alia probat, quo in lege scripta « extitit votum castitatis perpetuæ, obe- « dientiæ, et paupertatis, demptis supra- « dictis perfectionibus, et solemnitatibus « legis gratiæ. »

Philipp. a SS. Trinit. R. P. Philippus a SS. Trinitate Generalis Discalceatorum Congregationis Italicæ plura edidit volumina, tam in Philosophiam, quam in omnes partes D. Thom. aliaque ad historiam pertinentia. In Theologia Carmelitana (quam Romæ edidit), *quæst.* 2, *art.* 4, inquit : « Dicendum quod « in antiqua lege religio Carmelitana vixit « cum observantia trium votorum essen- « tialium a tempore Eliæ, et deinceps, « quamvis non fuerint cum tanta solem- « nitate ac nunc sunt. » Et 2, 2, *in tract. de virtute religionis disp.* 6, *dub.* 1, ait : « Di- « cendum, quod in antiqua lege fuit aliqua « religio cum votis essentialibus, licet non « fuerit tam perfecta, ac nunc est in lege « gratiæ. Ita communiter docent Doctores « nostri Ordinis, etc. » Idem statuit *in historia Carmelit. lib.* 1, *cap.* 2.

118. Antonius a Spiritu sancto, vir doctis-

Anton. a Spiritu sancto.

simus, ut plura Theologiæ Moralis volumina probant, *in tract. de primatu Eliæ* (quem de licentia, et approbatione supremæ Inquisitionis Lusitanæ edidit), § 3, *num.* 22, ait : « Respondeo negando Eliam « non fuisse vere, et proprie Authorem « status monastici cum tribus votis essentialibus, non cum ea solemnitate, quam « hodie habent in Ecclesia, sed cum tribus votis simplicibus. » Et idem statuit § 8 *num.* 133, et fere per totum illum Tractatum.

Sylveir.

M. Joannes de Sylveira, celeberrimus sacræ Scripturæ Interpres, et Concionatorum hujus sæculi facile princeps, ut egregia volumina probant, eandem sententiam late probat *tom. Opuscul. opusc.* 3, *fere per totum*, præsertim vero *resolut.* 3, *quæst.* 4, ubi statuit : « In Essenis fuerunt vota « obedientiæ, castitatis, et paupertatis, « qualia potuerunt esse pro illa lege im- « perfecta, et antiqua. « Et *quæst.* 8, ait : « Ex factis colliguntur vota obedientiæ, « paupertatis, et castitatis in Elia, ac Eli- « sæa, et filiis prophetarum. » Quod ibi, et in sequentibus late probat, et denique totum tractatum his verbis absolvit : « Hunc « tractatum ostendi viris doctissimis ex- « traneis a nostra religione, et in regia « Conimbricensi Academia publice sacræ « Theologiæ professoribus, qui maxime « illum approbaverunt etiam me absente, « et tanquam uno ore mihi dixerunt, quod « his unum deerat, ut integro, ac sincero « animo legerentur. » Eandem sententiam statuit præclarus hic Author *tomo* 1, *in Evang. lib.* 2, *cap.* 2, *quæst.* 10.

Daniel a Virgine.

Daniel a Virgine, vir doctus, *in Vinea Carmeli, in appendice ad historiam, num.* 1229, inquit : « Ex cunctis, quæ hactenus « audivimus, extra controversiam esse « debere videtur, S. Prophetam Eliam « monachum fuisse in observantia votivæ « castitatis, atque etiam aliorum consilio- « rum monasticæ perfectionis. » Et *num.* 1235, addit : « Ex jam dictis sit præsentis « dubii (an videlicet in veteri testamento « fuerint vota explicita, vel implicita) hæc « resolutio. Utrumlibet sustineri potest « quoad vota S. Prophetæ Eliæ, et poste- « riorum ejus monachorum veteris legis, « nempe fuisse expressa, et oretenus facta, « uti nunc fiunt in plerisque Ordinibus, « atque is videtur sensus plerorumque, qui « de votis monasticis sub lege veteri scri- « bunt. Quod autem sic facta non fuerint, « nemo evincet. Si quis objectet id in sa- « cris litteris non exprimi, quæro ubi « magis diserte adstruantur ore tenus, et « explicite facta SS. Apostolorum, S. « Pauli eremitæ, S. Antonii, et aliorum « monachorum vetustiorum in primordiis « Ecclesiæ ? Quod si quis verosimilius « existimet ea fuisse duntaxat mentalia, « aut in actu aliquo alio æquivalente, « equidem sic sufficiunt, ut monachum « constituant. »

119. Omittimus, ut prolixitatem vitemus, quam forte jam incurrimus, formalia aliorum verba referre. Sic tamen docent Petrus Thomas *in Monolog. in vita S. Eliæ, fol.* 111, Thomas de Aquino *lib.* 1, *de Patriarchatu Eliæ*, 3 *part. lect.* 1, Franciscus Angelus *in Catalogo, cap.* 1, Pinto *in Hierarch. Carmelit. tract.* 2, *cap.* 10, Embun. *in Stimulo*, 1 *part. cap.* 1, § 4, Petrus Lucius *in Compend. histor. cap.* 3, Roman. *tract.* 1 *de antiquit. Ordinis, cap.* 2, *et in Elucidario* 6, *in Alphabeto, verbo Elias.* Palionidorus *lib.* 1 *de orig. et antiquit. cap.* 1, Franciscus a S. Maria *in Historia prophetica, et ejus apologia*, Didacus Coria *in Chronico Carmel. lib.* 1, *cap.* 7, Wastelius *lib.* 1, *Cindiciarum, sectione* 5, *art.* 13, Franciscus Bonæspei *de Concep. Virgin. disput.* 5, *per totam*, et alii plures, quos brevitati consulentes prætermittimus. De qua concordi Carmelitarum sententia Hieronymus Garcia *num.* 112, relatus testatur in hunc modum : « Omnes Patres « Carmelitæ, tam Calceati, quam Discal- « ceati, defendunt acerrime, quod succes- « sores Eliæ, et Elisæi fuerint veri reli- « giosi, et tribus prædictis votis ligati in « veteri Testamento. » Ex quibus liquet veritas propositionis, pro qua evincenda eos adduximus, nempe perpetuam esse, et constantem traditionem Ordinis Carmelitani, quod in veteri Testamento fuerit verus status religiosus cum tribus votis substantialibus, nudis tamen a solemnitate, et privilegiis, quæ status religiosus omnino perfectus habet in lege gratiæ.

§ IV.

Refertur sententia contraria.

120. Oppositum nostræ assertioni tenere, ac præsumere videbantur illi, qui monachatum, et ipsius vota in veteri Testamento apud tribunal S. Inquisitionis accusarunt, quos

quos nominare nolumus ; nihil enim meretur censuram theologicam (quam illi adversus doctrinam nostram procudi studuerunt), nisi ad minus sit improbabile. Sed contraria tanti Tribunalis sententia illos conatus fregit, et opinioni nostræ robur addidit, ut § 2, dictum est. Possunt etiam contra nostram assertionem referri Ludovicus de Miranda, Hieronym. Roman, Salinas, Bordonus, et quidam alii tam abjecte de Carmelitarum traditione sentientes, ut quidam eorum ausi fuerint eam vocare *fictionem* a solo vulgo admittendam. Sed quam ipsi excesserint, probat contrarium judicium magnorum virorum, quos § 1 allegavimus : probat etiam lata, et repetita S. Inquisitionis sententia, quæ excessum illum compescuit. Parcendum tamen est illis, quia non videntur legisse Authores ; sed neque omnino parcendum, quia dedecet viros graves censuram, et tam acerbam, non cognita causa, non auditis testibus, non consultis Doctoribus, ferre, et opinionem probabilissimam infamare. Recte observavit Turrianus *in Selectis, disputat.* 30, *dub.* 1, § *secus*, quod « ut dicamus « opinionem aliquam esse singularem » (a fortiori ut dicamus esse improbabilem, aut meram fictionem), « necessarium est ha- « bere exactam notitiam Authorum, si « forte de illa materia disputarunt. In quo « non raro deficiunt aliqui viri docti, ju- « dicantes aliquam opinionem singularem « esse, qui abstinuissent a censura, si au- « thores sedulo lectitassent. In his ergo « omnibus maturo judicio procedendum « est, ita ut neque levibus fundamentis « eligamus singulares opiniones, neque « judicemus esse singulares ante exactam « lectionem Doctorum, quorum scripta « sedulo si evolvamus, sæpe inveniemus « opinionem nec esse novam, nec singula- « rem. » Quam regulam si relati Authores observassent, immaturum illud judicium continuissent, quod sola lectione emendare potuerunt.

Fundamenta vero, quibus suam cogitationem fulciunt, sunt illa tantum, quæ dubiis præcedentibus proposuimus, et diruimus, in eoque potissimum nituntur, quod perfectio status religiosi sit propria temporis legis gratiæ, superetque infantilem conditionem veteris legis. Sed quam parum probent, jam ostendimus, et præsertim *dub.* 6, *per totum.* Reliqua argumenta solvimus *a num.* 95. Nec alia motiva addunt, quibus nunc opus sit satisfacere. Communius vero utuntur argumento pure negativo, quod Scriptura non doceat nostram assertionem. Id autem arguendi genus quam sit invalidum, jam diximus *num.* 95. Præsertim cum offeramus testes antiquos, et majores omni exceptione, qui nostræ suffragantur sententiæ, ut constat ex dictis *a num.* 104. Quod ad ejus maximam probabilitatem (quam, et non certitudinem fidei intendimus), satis superque esse ostendimus ex communi sententia relata *num.* 103, et liquet ex præsenti dubio, per totum.

121. Ex quibus omnibus colligimus, sententiam nostram non solum esse certo, et evidenter probabilem, sed esse etiam probabiliorem opposita. Tum quia fundamenta adversa sunt majori ex parte negativa ; nostra vero positiva, ac proinde præstantiora. Tum etiam, quia cum in re historiali versemur, illis testibus major fides est adhibenda, qui antiquiores sunt, et rem quam affirmant, videre, aut attingere potuerunt, ut docet textus, *in cap. Cum causam, de probationibus*, et observant Glossa ibidem, *verbo Per libros antiquos*, Beral *decis.* 190, *part.* 2, Rodericus Suarez *allegat.* 8, Cardinal. Lancelottus *in Nota* 18 *Novemb. anno* 1596, *decis.* 290, *num.* 7, et alii plures. Nos autem proferimus testes antiquissimos, Philonem, Josephum Hebræum, Josephum Antiochenum, Solinum, D. Hieronymum, Joannem Hierosolymitanum, D. Isidorum, Rupertum, Cassianum, et alios plures, qui tria substantialia vota, et verum monachatum in lege veteri affirmant : adversarii vero nullum testem præsentant ejusdem antiquitatis, qui id positive, et contrarie neget ; et ipsi recentes sunt, qui res pristini illius temporis minime viderunt, atque ideo de illis per seipsos testificari non valent. Tum præterea, quia in rebus antiquissimis, qualem nunc versamus, non solum sufficit unicus testis fide dignus, sed etiam indicia, et conjecturæ plenam probationem efficiunt, ut cum pluribus Authoribus resolvit Mascardus *de probation. concl.* 485, *num.* 11 *et* 12, ibi : « Quod maxime verum est, si essemus « in antiquis ; quia in eo casu indicia, et « conjecturæ pro plena probatione haben- « tur. » Idemque tradunt Decius *consil.* 24, Alexander *consil.* 12, *volum.* 6, Bertrandus *consil.* 20, *volum.* 1, Menochius *de arbitrar. judic.* Paleotus *tract. de spuriis*, et alii satis communiter. Nos autem in propriæ causæ

Mirand. Hieron. Rom. Salinas. Bordon.

Nota. Turrian.

Convelluntur fundamenta.

Consectarium.

Probabilior nostra opinio est. quam opposita.

Glossa. Beral. Roder. Suar. Lancel.

Masc.

Decius. Alex. Bertr. Menoch. Paleot.

patrocinium proferimus gravissima indicia, et probatissimas conjecturas, quæ alias fundantur etiam in textu sacræ Scripturæ, adhibita gravium Patrum, et Authorum interpretatione, ut constat ex omnibus præcedentibus, in quibus singula asserta his fulcris communivimus, aliaque propugnacula dubio sequenti struemus. In quo valde aliter se gerunt adversarii, qui nulla, aut fere nulla positive procudunt, sed negando negant. Tum ultra, quia illa sententia probabilior in hac causa censenda est, quæ magis extendit influxum Christi Domini, B. Virginis, et Apostolorum in genere causæ exemplaris : adversarii autem restringunt hujusmodi influxum ad solos monachos legis gratiæ ; nos vero illum etiam protendimus ad religiosos veteris legis, ut explicuimus *n.* 38, *et* 76. Tum deinde, quia id in hac parte putandum est probabilius, quod magis confert ad dignitatem status religiosi, ad quam dignitatem pertinet antiquitas, ut in aliis vitæ humanæ conditionibus apparet : nos autem antiquiorem asserimus statum religiosum, quam adversarii, et magis contradicimus hæreticis, qui negant prædicti status antiquitatem. Tum denique, quia illa sententia verosimilius explicat modum originis, et profectus status religiosi, quæ procedit cum majori correspondentia ad originem, et profectum Ecclesiæ : certum autem est, quod Ecclesia fuit substantialiter in veteri Testamento, et deinde maximam accepit perfectionem ex præsentia Christi Domini in statu legis gratiæ, ut explicuimus *dub.* 1, *a num.* 3. Ergo verosimilior, et probabilior est sententia, quæ asserit statum religiosum fuisse quidem substantialiter in veteri Testamento, rudem tamen, et impolitum, et sub infantia ; accepisse autem a Christo maximam, et consummatam perfectionem per solemnitatem, et alia privilegia : et hæc est nostra sententia, ut fusius explicuimus *dub.* 6, *per totum*, et præcipue *num.* 74. Tenenda igitur est prædicta assertio non solum ut evidenter probabilis, sed tanquam probabilior. Præsertim cum in veteri Testamento fuerint alia non minus perfecta, quam sit status religiosus secundum solam substantiam acceptus, ut ostendimus *num.* 70. Et aliunde ex prædicta assertione nihil colligatur, quod vel bonis moribus, vel aliis catholice observandis repugnet, ut ex se, et ex decretis S. Inquisitionis supra allegatis satis apparet.

DUBIUM IX.

Utrum status religiosus in veteri Testamento inchoatus perseveraverit usque ad legem gratiæ, et modo continuetur in Ecclesia.

Supposito quod in veteri Testamento fuerit status substantialiter religiosus, procedimus ad difficultatem, quam titulus præsentis dubii proponit. Pro cujus resolutione observandum est, monachatum posse dupliciter considerari : uno modo secundum essentiam, altero modo quantum ad diversas perfectiones, quas habet juxta differentes Ecclesiæ status, in quibus est : nam tempore veteris Testamenti conjungebatur observantiis, et cæremonis legis Mosaicæ ; tempore autem præsenti gaudet solemnitate, et aliis privilegiis, quæ ex præsentia Christi participat. Supponimus autem, quod status religiosus, seu monachatus, nec tempore legis veteris habebat solemnitatem, et privilegia imperfectionem illius legis excedentia ; nec modo habet adjunctas observantias, et cæremonias legis Mosaicæ, quæ nunc mortiferæ sunt. Unde præsens difficultas respicit religiosum statum secundum essentiam acceptum, et a diversitate illorum accidentium præcisum ; ad eum modum, quo homo potest considerari secundum essentiam, ut abstrahit ab accidentibus, et statu infantiæ, et ab accidentibus, et statu ætatis perfectæ. Unde sensus quæstionis est, utrum essentia status religiosi semel introducta in veteri lege permanserit usque ad tempus legis gratiæ, et perseveret in hoc tempore, licet pro eorum diversitate habuerit plura, et valde diversa accidentia : sicut eadem est semper Ecclesia quoad essentiam, licet in diversis statibus, et cum differentibus accidentibus constituta, ut explicuimus *dub.* 1, *a n.* 3. Et quidem loquendo de possibili, facile apparet pars affirmativa, tum Ecclesiæ exemplo immediate præmisso, tum ex defectu repugnantiæ, tum ex dictis *dub.* 6, *per totum*, quæ hanc etiam partem evincunt. Sed oportet ut ulterius investigemus, an de facto ita contigerit. Non autem ita expedit, quod hic etiam inculcemus vota, et alia, de quibus hactenus egimus ; sed quod præcise resolvamus, an prædictus status (qualisqualis fuit in veteri lege), permanserit usque ad legem gratiæ, et modo perseveret. Nemo enim, qui non neget talis status perseverantiam, et continuationem, negabit perseverasse,

verasse, continuarique cum sua illa propria essentia, quam in veteri lege habuit. Et hoc sensu tractanda est difficultas.

§ I.

Defenditur affirmativa sententia.

122. Dicendum est, statum religiosum in veteri lege inchoatum perseverasse usque ad legem gratiæ, et nunc permanere, seu continuari in Ecclesia. Hanc assertionem defendunt omnes Authores *dub. præced.* relati, et alii plures, quos dabimus in præsenti. Quæ supposita doctrina hactenus tradita, posset demonstrari in aliquo particulari individuo; nam Elias in veteri Testamento habuit statum religiosum, ut constat ex dictis *a n.* 86. Sed Elias perseveravit cum prædicto statu usque ad tempus legis gratiæ, et modo etiam permanet in Ecclesia: ergo status religiosus in veteri lege inchoatus usque ad legem gratiæ permansit, et modo etiam in Ecclesia perseverat. Minor, in qua poterat esse difficultas, est certa, quia Elias adhuc non est mortuus, sed vivit in carne mortali, in qua vidit Christum Dominum in sua Transfiguratione, et veniet in fine mundi, ut contra Antichristum pugnet, et veram fidem hominibus aut restituat, aut conservet, ut est communis traditio innitens verbis Christi Domini, Matth. 17: *Elias quidem venturus est, et restituet omnia.* Et Malach. 4: *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, et horribilis. Et convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum.* Aliunde autem illa, per quæ Elias factus fuerat in lege veteri religiosus, in eodem moraliter perseverant, quia ex una parte vota illa non pertinebant ad cæremonialia legis Mosaicæ, quæ per legem gratiæ exclusa sunt, sed ad moralia, sive opera virtutum, quæ possunt ad legem evangelicam transferri, et in illa continuari: et ex alia parte nullum vel apparens fundamentum occurrit, ut dicatur Deum prædicta vota irritasse, aut deinceps non admisisse; cum talia vota, et obligatio ex illis orta sint in omni statu quid bonum, ac Deo gratum. Ergo Elias pervenit ad legem gratiæ, et in illa perseverat cum illomet statu religioso, quem in lege antiqua contraxit; atque ideo aliquis status religiosus inchoatus in veteri Testamento translatus est ad legem gratiæ, et in ea persistit, mutatus tamen quoad accidentia. Quod ad veritatem nostræ assertionis (quæ indefinita est), satis superque erat, et probat nullum adesse inconveniens in hujusmodi translatione, ac permanentia.

Confirmatio.

Possetque hoc fundamentum exemplo satis apposito confirmari: etenim cum illamet numero substantialiter fide, quam Elias habuit tempore legis antiquæ, pervenit ad statum legis evangelicæ, illamque modo conservat, et conservabit usque ad mortem. Nam fides non evacuatur nisi per actum contrarium, vel per visionem beatificam: Elias autem nec illum exercuit, nec istam est adeptus, cum adhuc sit viator ambulans per fidem. Aliunde vero fides non habet necessariam colligationem vel cum statu legis veteris, vel cum statu novæ, sed secundum essentiam considerata ab utroque præscindit. Manet ergo in Elia illamet fides, quam habuit in veteri Testamento, cum sola mutatione accidentali penes notitiam magis explicitam objecti, quam profecto acquisivit tum videns Christum in Thabor, tum ab eo, ut plures docent, visitatus in Paradiso, tum ex novis revelationibus, quibus illustratur, ac roboratur ad pugnandum contra Antichristum. Quæ similitudo etiam evincit permanentiam status religiosi in Elia, si illum habuit in veteri Testamento, ut *dub.* 7 ostendimus. Nam prædictus status secundum essentiam acceptus non habet necessariam connexionem cum statu legis veteris, nec cum statu novæ: quocirca potest, invariata essentia, ab uno statu in alium transferri. Et ex alia parte nec Elias illum in se destruxit, nec Deus Eliam ab ipso absolvit. Permanet ergo in Elia talis status, variatus tantum accidentaliter, quatenus exuit observantiam legis Mosaicæ, quam olim habuit adjunctam, et ex præsentia, et colloquio Christi tum in Thabore, tum in Paradiso, novam, insignemque perfectionem acquisivit.

Alius motivum.

123. Secundo posset eadem assertio probari ex supra dictis *a n.* 34, quoniam Esseni (qui alias dicti sunt filii Prophetarum), habuerunt institutum, sive statum religiosum in veteri Testamento: sed eorum institutum pervenit ad tempus legis gratiæ, et deinceps in Ecclesia continuatum est: ergo status religiosus inchoatus in veteri Testamento translatus est ad legem gratiæ, et permanet in Ecclesia. Minor, quam hic tantum probare oportet, suadetur; nam Esseni Alexandrini (de quibus agit Philo

in lib. de vita contemplativa supplicum), fuerant religiosi ante adventum Christi Domini, ut ex eodem Philone *n.* 85, efficaciter ostendimus. Prædicti autem Esseni sunt ad Christi fidem adducti prædicatione S. Marci Evangelistæ, ut tradunt Authores ibidem relati. Et ab Essenis propagata est vita religiosa eremitica per Ægyptum, aliasque provincias, et modo permanet substantialiter in Ecclesia, ut Authores eo loco relati, et alii communiter concedunt. Ergo institutum Essenorum pervenit ad legis evangelicæ tempus, et modo in Ecclesia continuatur, licet sub diversa forma, et accidentium figura.

Confirmatio. Quod motivum posset non incongrue fulciri; nam illa, quæ ex gratia sunt, non minus procurant suam conservationem, et propagationem, quam illa, quæ sunt ex natura: sed aliqui in veteri Testamento divina gratia adjuti instituerunt, amplexique sunt statum religiosum, nempe Elias, Elisæus, et filii Prophetarum, qui deinceps appellati sunt Esseni, ut supponimus ex dictis *dub.* 7. Ergo prædicti studuerunt conservare, et propagare illud institutum. Quod revera sunt assequuti perducentes ipsum continua successione usque ad tempus Christi Domini, sicut constat ex Josepho, et Philone, qui eorum tunc existentiam affirmant, ut non Plinius. immerito de illis dixerit Plinius *n.* 30 relatus, « Gens sola, et in toto orbe præter « cæteras mira, sine ulla fœmina, omni ve« nere abdicata, etc. Ita per seculorum mil« lia (incredibile dictu) gens æterna est, in « qua nemo nascitur. » Unde B. Joannes Baptista ab infantia (durante adhuc statu veteris legis), horum Essenorum institutum, et vitam religiosam professus est, ut ex gravibus Authoribus vidimus *n.* 94. Prædictum vero institutum secundum substantiam, hoc est vota, consideratum, nihil habuit incompossibile cum lege evangelica; atque ideo illa adveniente, non cessavit substantialiter, sed novam acquisivit perfectionem, et ad posteros in Ecclesia derivatur.

Confutatur quædam evasio. Nec dicat aliquis, institutum religiosum in filiis Prophetarum, sive Essenis inchoatum, supervenientibus gravissimis persequutionibus tempore tam Prophetarum, quam Machabæorum, interruptum penitus fuisse. Nam hoc facile refutatur, tum ab effectu, siquidem post omnes illas persequutiones perseverabat institutum Essenorum, ut constat ex proxime dictis. Tum exemplo, quia non obstantibus persequutionibus, et transmigrationibus, permansit vera fides in aliquibus: eodem autem modo potuit perseverare status religiosus; ad hujus quippe substantiam non requiritur, quod plures in communitate vivant, sed potest in quolibet seorsim sumpto salvari, sicut et fides, ut liquet ex dictis *disp.* 1. *n.* 31. Aliunde vero Esseni erant pauperrimi, et degebant in eremis, errantes in solitudinibus, in montibus, et speluncis, et in cavernis terræ: quos proinde nec ita facile reperit, nec omnino absumpsit tyrannorum persequutio. Tum denique alio exemplo status religiosi in lege gratiæ, qui a Christo Domino omnis perfectionis authore approbatus, et erectus in Apostolis non est interruptus, ut quidam falso existimarunt, usque ad tempora D. Antonii, aut D. Basilii; sed permansit semper, et continuatus fuit, ut cum communi sententia docet Suarez *tom.* 3, *de relig. lib.* 3, *c*, 3, *n.* 2, et Su diximus *disp.* 1, *n.* 19. Et tamen toto illo tempore, a Christo videlicet usque ad Constantinum, non fuerunt minores persequutiones et contra fidem, et contra statum religiosum, quam fuerant tempore veteris Testamenti, sed potius longe graviores. Ergo sicut, eis persequutionibus non obstantibus, permansit status religiosus, non quidem in Conventibus, aut Cœnobiis (quæ tunc non erant), sed in particularibus personis se Deo sacrantibus: ita proportionabiliter status religiosus in veteri lege inchoatus potuit in medio persequutionum permanere, ac continuari, et deinde ad legem gratiæ transferri.

124. Verum enimvero etsi prædicta motiva non obscure evincant veritatem nostræ assertionis, nolumus in eis amplius roborandis morari, ut fusius expendamus aliud urgens fundamentum, cui tam assertio, quam aliæ veritates a nobis intentæ innitentur. Quod in hunc modum proponimus; nam Elias est vere author, institutor, et fundator religionis Carmelitarum: ergo aliquis status religiosus inchoatus in veteri Testimento perseveravit usque ad tempus legis gratiæ, modo perseverat in Ecclesia. Consequentia, supposita veritate antecedentis, videtur evidens; nam religio Carmelitarum est quidem status religiosus, et modo existit in Ecclesia, ut ex se liquet: aliunde vero Elias non potuit prædictam religionem fundare, et instituere in statu legis evangelicæ; siquidem ipse non vixit inter

ter nos in prædicto statu, sed ante illum raptus est ad locum nobis ignotum : ergo si vere est prædictæ religionis author, et institutor, oportet quod illam fundaverit tempore veteris legis, a qua proinde ad statum legis gratiæ translata, et perfecta per Christum continuatur, et persistit modo in Ecclesia. Antecedens autem, in quo est difficultas, potest multipliciter suaderi. Sed claritatis gratia differentes ipsius probationes ad diversas classes reducemus. Unde

§ II.

Probatur primo ex Summorum Pontificum bullis.

Prima probatio. 125. Licet ea, quæ Summi Pontifices tradunt de origine, et antiquitate Ordinis Carmelitani, non diffiniantur ab ipsis tanquam fide divina credenda ; nihilominus eam authoritatem habent, quod a nullo testimonio humano excedantur, ut cordatus quilibet facile concedet. Igitur Sixtus IV, in bulla, quæ incipit, *Dum attenta*, data anno 1476, et vocatur *Mare magnum* privilegiorum hujus Ordinis, inquit : « Dumque sublimium dicti Ordinis utriusque sexus personarum virtutum merita, Deo quidem grata, et in conspectu Apostolicæ Sedis accepta, digna memoria recensemus, ac Ordinem ipsum, et illius personas sub Sedis Apostolicæ, et Ecclesiæ Romanæ protectione immediate existentes, et inter cæteros Regularium Ordinum professores in firmamento Catholicæ Fidei militantes, tanquam religionis speculum, et exemplar speciali charitate fulgentes, Sanctorumque Prophetarum Eliæ, et Eliæi, et aliorum Patrum, qui montem sanctum Carmeli, juxta Eliæ fontem inhabitarunt, successionem hæreditariam tenentes, etc. » Eodem fere verba in suis bullis scribunt Joannes XXII, Julius II, Pius V, Gregorius XIII, Sixtus V, et Clemens VIII, in quibus plane asserunt, Carmelitas esse hæredes, et successores Eliæ, non quidem in aliquibus bonis temporalibus, ut ex se liquet; sed in eo honorifico titulo, quem Pontifices immediate præmittunt, *tanquam religionis speculum, et exemplar*, hoc est, in modo vitæ religiosæ. Sentiunt ergo, Eliam esse authorem, et institutorem prædictæ religionis. Unde Suar. *tom.* 4, *de relig. tract.* 9, *lib.* 2, *c.* 10, his gravissimis testimoniis convictus inquit :

Sixtus IV.

Suarez.

« Est autem recepta, et valde antiqua tradi-
« tio, religionem hanc a temporibus Pro-
« phetarum, et signatim ab Eliæ institu-
« tione suam ducere originem, et quasi
« hæreditariam successionem in monte
« Carmelo, a quo etiam nomen accepit :
« quam traditionem ut veram suscipimus,
« præcipue quia septem Summi Pontifices
« Sixtus IV, etc. » Et Gaspar Sanchez *lib.* 3 *Reg. c.* 17, inquit : « Accedit ad hæc a Pon-
« tificum judicio gravissimum pondus, quo
« sacrum hunc Ordinem ab Eliæ disci-
« plina, atque instituto exordium habuisse
« testantur. Ita sane in suis bullis SixtusIV,
« etc. qui docent familiæ Carmelitanæ vi-
« ros ab Elia, et Elisæo hæreditariam suc-
« cessionem tenere. Hæc mihi gravissima
« sunt. » Similia proferunt Salianus *tom.* 3, *anno* 3139, *num.* 45, Cornelius a Lapide 3, *Reg. cap.* 18, Poyræus *de triplici corona Virginis*, *tract.* 1, *cap.* 12, *num* 14, et alii plures.

Gasp. Sanch.

Salian. Corn. a Lap. Poyr.

Nec possunt, aut debent verba Pontificum detorqueri, ut præcise significent, quod Carmelitæ succedunt Eliæ in loco materiali Carmeli, in quo ipse vixit, ut Bordonus, et quidam alii tentarunt interpretari. Nam hæc interpretatio non est, sed perversio sensus Pontificum : tum quia ipsi verbis relatis intendunt Carmelitas commendare ; ex eo autem quod isti successerint in eo loco, in quo Elias aliquando habitavit, nullam laudem merentur, ut ex se liquet. Imo vero si nihil aliud intenderent, quam quod illi Authores dicunt, possent eodem elogio honorare Mahumetanos, appellando ipsos successores Eliæ, et Sanctorum Prophetarum, qui montem Carmelum habitarunt ; nam Mahumetani possident prædictum montem, et illorum multi vivunt in eo. Id vero est plane ridiculum, et absurdum, indignumque sapientia, et gravitate Summorum Pontificum in suis bullis. Tum etiam, nam quod prædicti Pontifices non loquantur de successione adeo materiali in loco tantum habitationis, sed in vita religiosa, evidentius adhuc constat ex Clemente VIII, qui aperit suorum Prædecessorum sensum in litteris ad regem Persarum, datis Romæ die 5 Octobris, anno 1604, quæ incipiunt, *Illustri, ac potentissimo*, ubi ait : « Misimus jam ad te Paulum, Simonem, Joannem, Thaddæum, et Vincentium Fratres Ordinis B. Mariæ de monte « Carmelo. » Et infra inquit : « Habuerunt « olim religionis hujus professores, sicut a

Evasio quædam præcluditur.

Clem. VIII.

« Romanis Pontificibus prædecessoribus « nostris memoriæ proditum est, sui insti- « tuti authores sanctos Prophetas Eliam, et « Elisæum, omnibus nationibus, et genti- « bus notos. » Quibus verbis suam, suorumque prædecessorum, quos supra allegavimus, mentem apertissime declarat, et locum vanis subterfugiis præcludit. Ergo ex mente Summorum Pontificum Elias fuit Author, et institutor religionis Carmelitanæ. Qualis vero fuerit religio, quam Elias inchoavit, et ad successores deduxit, satis liquet ex dictis *dub.* 7, præsertim a *num.* 86.

§ III.

Probatur secundo ex Officiis Ecclesiasticis.

Secunda probatio. 126. Breviaria, et officia divina ab Ecclesia Romana approbata habere insignem authoritatem, facile concedet, qui sciverit summam vigilantiam, et industriam sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium huic negotio incumbentium in eis recognoscendis, et approbandis. Nihil enim in hac parte concedunt, nisi prævio maturo examine, productisque solidis, et authenticis monumentis, auditisque, aut consultis viris gravibus, atque antiquitatis peritissimis. Unde sacra Rota Romana in una decisione Cæsaraugustana coram Domino Coccino, anno 1630, merito dixit, historias contentas in Breviario approbato censeri ab Ecclesia canonizatas. Et sacra Congregatio Cardin. anno 1618, die 14 Junii declaravit, *quod historiæ, quæ in Breviario per sanctam Sedem Apostolicam approbato recitantur, ut maxime veræ ab Ecclesia venerantur*, ut refert Sylveira *opusc.* 3, *q.* 1, *n.* 4. Et profecto prædicatio D. Jacobi Apostoli in Hispania, impressio sacrorum stygmatum in corpore B. Francisci, et alia similia nullo alio graviori fundamento probantur, et admittuntur, quam quod ita referantur in Breviariis, aut officiis per Sedem Apostolicam approbatis. De quo videri possunt Morales *in Chronico, lib.* 9, *cap.* 14, Mariana *in tract. de adventu D. Jacobi*, Quintanadvenas *in lib. Sanctorum Toletan. advert.* 9, et alii. Unde videndum est, an assertio nostra insignis hujus generis subsidio roboretur. Et prætermissis modo pluribus approbationibus Breviarii Carmelitani, quas recenset Lezana *in Apparatu, cap.* 6, *a num.* 18, præmittendum est, Officia Sanctorum nostri Ordinis concessa Congregationi Fratrum Discalceatorum (qui Breviarium Romanum admisimus, eoque utimur), fuisse semel, et iterum approbata a sacra Rituum Congregatione, recognoscentibus Eminentissimo Cardinali Bellarmino die 20 Junii, anno 1609, et Eminen- Card. Torres die 12 Junii, anno 1628, et tandem alia approbavit, et concessit Sanctiss. D. N. Clemens X, die 27 Julii, anno 1672.

Sacra Rota Rom.

Cong. Card.

Nota.

Moral. Marian. Quint.

Quo supposito, probatur urgenter nostra assertio ex prædictis Officiis per Ecclesiam approbatis : nam in primis in Officio S. Eliæ (quod specialiter jam concesserat Sixtus V, anno 1589, die 27 Julii, in bulla *Eximium quod nobis*), vocatur dux, pater, et author nostri Ordinis ; num hymnus ad primas Vesperas sic habet :

Elias Carmetarum dux, pater, fundator.

Hic sacri est auctor, columen, decusque
Ordinis, cujus soboles ab Ortu
Usque ad Occasum bene prosperata
Crevit in orbe.

Et hymnus ad Laudes :

Pergamus, socii, tollere canticis
Tresbytæ eximii vatis in æthera
Res hilares : nam decet hodie
Nostri memores ducis.

Et hymnus ad secundas Vesperas,

Nos tui præsens clypeo favoris,
Patris et mira pietate fretos
Liberos, dextra petimus benigna
Protege semper.

Et concedentibus Innocent. X, Alexandro VII, et Clemente X, dicimus in Collecta cujusdam officii : *Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut sicut S. Eliam Prophetam tuum, et Patrem nostrum, etc.* Et in Officio S. Angeli, illustrissimi hujus Ordinis Martyris, dicitur in 5 lectione : « Insignem « sanctitate virum, patribusque suis Eliæ, « ac Elisæo persimilem, miraculis Deus si- « milibus illustravit. » Et in Officio omnium Sanctorum prædicti Ordinis dicitur in primo responsorio : « Sancte Propheta « Dei Elias, Carmelitarum dux et pater, « intercede pro nostra, omniumque salute. « Devoto gregi tuo subveni pia intercessione, etc. » In quibus omnibus evidentissime significatur, Magnum Eliam esse patrem, authorem, et fundatorem Ordinis Carmelitani. Quod evidentius adhuc constat ex aliis Officiis : nam in Officio S. Avertani dicitur

dicitur in 5 lectione; «Sibi Christum,et ma-
« gnum Eliam Prophetam,sui ordinis Fun-
« datorem in exemplar paupertatis pro-
« posuerat. » Et in Collecta S. Spiridionis dicitur : « Sancti Spiridionis Confessoris « tui, atque Pontificis nos, Domine, festa « tueantur, ut sicut ille religionis a Pro-« pheta Elia institutæ orationibus, et ope-« ribus fuit fidelis imitator, etc. » Profecto non aliis expressioribus verbis significat Ecclesia B. Dominicum, v. g. esse fundatorem ordinis Prædicatorum, et B. Franciscum esse fundatorem ordinis Minorum, et sic de aliis, quam ipsos appellando *Institutores*, et *Auctores*, ac *Patres* prædictorum ordinum. Eisdem autem verbis M. Eliam appellat patrem,et fundatorem ordinis Carmelitani, et hanc dicit esse religionem ab Elia institutam. Unde in hoc approbationis genere (quod, ut diximus, est valde efficax), nihil majus, aut expressius desiderari valet. Tandem id ipsum, et antiquissima hujus religionis origo, continuatio, ac propagatio liquido significantur in Officio Commemorationis solemnis B. V. Mariæ de monte Carmelo, concesso ab Ecclesia non solum pro religione Carmelitana, sed etiam pro omnibus regnis (quæ plura sunt), subjectis Regi Catholico; nam 4 lectio sic habet : « Cum sacra Pentecostes die Apostoli « cœlitus afflati variis linguis loquerentur, « et invocato augustissimo Jesu nomine, « mira multa patrarent, viri plurimi, qui « vestigiis Eliæ, ac Elisæi insiterant, et « Joannis Baptistæ præconio ad Christi ad-« ventum comparati fuerant, rerum veri-« tate perspecta, atque probata, evangeli-« cam fidem confestim amplexati sunt, ac « peculiari quodam affectu Beatissimam « Virginem (cujus colloquio, et familiari-« tate feliciter frui potuere), adeo venerari « cœperunt, ut primi omnium in eo mon-« tis Carmeli loco, ubi Elias olim ascenden-« tem nebulam Virginis typo insignem « conspexerat, eidem purissimæ Virgini « sacellum construxerint. » Quibus non oportet addere, quia nec plura, nec majora asserimus. Qualis autem fuerit religiosus status Eliæ, ejusque successorum, constat ex dictis *dub.* 7.

§ IV.

Probatur tertio ex revelationibus probatissimis.

Tertia probatio.

127. Revelatio est manifestatio alicujus veritatis, quæ vel ex parte objecti, vel ex parte modi, quo fit, excedit naturalem intellectus efficaciam, atque ideo ex altiori luce procedit. Et alia dicitur *universalis*, nempe quæ fit toti Ecclesiæ, nobisque innotescit per sacram Scripturam, vel per Apostolicas traditiones ; et ista fundat, mereturque assensum fidei Catholicæ. Alia vero dicitur *particularis*, non solum quia personæ particulari fit, sed quia non ordinatur ad totam Ecclesiam, sed ad alium finem magis specialem ; et ista nec fundat, nec sibi vendicat fidei Catholicæ assensum, sed alium inferiorem, ut explicuimus *tract. de fide, disp.* 1, *dub.* 4, § 1 *et* 2. Eoque majorem, firmioremque assensum istæ revelationes particulares merentur, quo plura concurrunt, quæ persuadeant illas esse divinas : ad quod plurimum facit tum authoritas, et sanctitas personarum, quibus fiunt, quæve de prædictis revelationibus testificantur : tum gravis, sedulaque ipsarum discussio, ut approbentur, ut videri potest apud D. Thom. 2, *ad Cor. cap.* 11, ad illa verba, *Satanas transfigurat se in angelum lucis :* Gerson 1, *part. Alphab.* 14, *lit. E*, et Suarez *de fide, disp.* 3, *sect.* 10, *num.* 7. Ostendamus igitur, quod assertio nostra habet ex hac parte excellentissimum fundamentum, ob magnas, et valde probatas revelationes, quæ merito inter privatas possint obtinere primatum.

Duo revelationum genera.

D. Tho.

Gerson. Suar.

Et primo occurrit celeberrima revelatio facta Summo Pontifici Joanni XXII, quam ipse refert in Bulla, quæ incipit, *Sacratissimo uti culmine*, ubi testificatur apparitionem Beatissimæ Virginis sibi factam. *Mihi flexis genibus* (inquit Pontifex), *Virgo visa fuit Carmelita* (hoc est, induta habitu Carmelitano) *sequentem affata sermonem :* « O « Joannes, o Joannes, etc. Istam gratiam, « et amplam meo sancto, et devoto Carme-« litarum Ordini confirmationem debes « præconcedere per Eliam, et Elisæum in « monte Carmeli inchoato. » Et integram hanc Joannis bullam inseruit Alexand. V alteri diplomati, quod incipit, *Tenore cujusdam.* Ejusque mentionem in suis bullis faciunt Sixtus IV, Pius V, Gregorius XIII, Clemens VIII, et Paulus V. In ea vero re-

Insignis revelatio.

velatione diserte dixit purissima Virgo Maria, Carmelitarum Ordinem fuisse ab Elia, et Elisæo in monte Carmelo *inchoatum*, illosque proinde palam significavit fuisse authores hujus religionis, quam ipsa Dei Genitrix pro sua pietate *suum sanctum, et devotum Ordinem* appellavit. Prædictam vero revelationem esse inter privatas certissimam, negabit nemo qui recte expenderit authoritatem personæ, nempe Summi Pontificis, qui illam habuit, et sua bulla assertam reliquit, admittentibus etiam, ac suffragantibus aliis Summis Pontificibus.

Alia celebris revelatio.

128. Occurrit secundo alia ejusdem sanctissimæ Virginis revelatio facta S. Petro Thomæ Patriarchæ Constantinopolitano, et Legato Apostolico circa annum 1351. Quæ in officio hujus Sancti, *lect.* 5, refertur in hunc modum : « Pro sui Ordinis perpetua « conservatione, et augmento frequentes « ad Deum, et Beatissimam Virginem ora« tiones fundens, intimaque inter oran« dum edens suspiria, ipsa nocte Pentecos« tes, cum id instantius postularet, et Bea« tissima Virgine mirabili hoc responso « dignatus est : Confidito, Petre ; religio « enim Carmelitarum in finem usque sæ« culi est perseveratura. Elias namque ejus « Institutor jam olim etiam a filio meo id « impetravit. » Quæ revelatio est authoritatis insignis, non solum quia continetur in Officio approbato per Eminentissimos Cardinales sacræ Rituum Congregationis, juxta dicta *num.* 126, sed etiam ob specialius examen. quod circa ipsam processit ob instantias Lucæ Wadingi Chronographi Ordinis Seraphici, qui hunc Divum suo Ordini adscribere satagebat. Sed detecta, convictaque veritate, ipse Wadingus non solum ab incœptis destitit, sed vitam hujus Divi Carmelitani eleganti stylo edidit, priorem sententiam retractans, et Eminentissimi Cardinales prædictam revelationem approbarunt, ut modo est in officio. De quo videri possunt ipse Wading. *lib. cit.* Ferdinandus Ughellus Cisterciensis *in sua Italia sacra, tom.* 2 *in Appendice*, et Lezana *tom.* 4 *Annal. anno Christi* 1354 *a num.* 5. In hujusmodi autem revelatione B. Virgo apertissime vocat Eliam *Institutorem religionis Carmelitarum*. Nec mirum Sacratissimam Virginem fore de tantæ antiquitatis, ac excellentissimi fundatoris prærogativa solicitam, cum sit ipsa prædictæ religionis specialis mater, *suumque sanctum, et devotum Ordinem* appellet, ut vidimus *num. præced.*

Wading Ughell. Lezana.

Aliæ revelationes.

129. His revelationibus adjungimus apparitiones mirabiles, in quibus Magnus Elias visus est cum habitu Carmelitano, ut se ostenderet hujus Ordinis fundatorem, et patrem. Describit Seraphica Virgo, et M. N. S. Theresia *in lib. Fundationum, cap.* 25, extraordinariam vocationem V. Beatricis a Matre Dei, primæ novitiæ in Monasterio Hispalensi, et refert, quod huic Virgini apparuit quidam venerabilis senex, barba oblonga, capillis velut argenteis, et indutus habitu Carmelitano. Interrogata postea prædicta virgo a suis confessariis, quis esset ille senex, respondit fuisse *Patrem nostrum Eliam*, ut refert Franciscus a S. Maria *tom.* 2 *de reformat. lib.* 3, *cap.* 38, *num.* 8.

S. Ther.

Franc. a S. Maria.

Describit præterea eadem Seraphica Virgo in prædicto libro Fundationum, *cap.* 17, admirabilem, et asperrimam vitam V. Catharinæ de Cardona, cui Christus Dominus prius monstravit habitum Carmelitanum, et deinde ipsi apparuit Magnus Elias illo habitu indutus. Unde solebat dicere, *Vidi in carne et ossibus Patrem nostrum Eliam*, ut gravissimi viri sub juramento juridice deposuerunt, et refert citatus Author *lib.* 4, *cap.* 15, *num.* 4.

V. Anna a S. Bar.

V. Virgo Anna a S. Bartholomæo, miraculis in Belgio notissima (quam multum dilexit M. N. S. Theresia, et in cujus manibus spiritum Deo reddidit), Superiorum imperio suam vitam scripsit, et *c.* 24 testatur se vidisse, *Patrem nostrum Eliam*, extendentem pallium suum album super conventum Vallisoletanum eo tempore, quo ibidem quoddam Capitulum celebrabatur. Et prædicti Capituli effectus satis probarunt et veritatem revelatiouis, et protectionem tanti Parentis.

Doroth. a S. Ren.

Non sunt minus mirabilia quæ sequuntur. Refert Dorotheus a S. Renato *lib.* 2 *in Apocalyp. quæst.* 10, *sect.* 3, quod cum hæretici Angli anno 1580 conarentur destruere conventum Carmelitanum civitatis Mechlinensis, S. Eliæ peculiariter consecratum, apparuit supra Conventum quidam senex Carmelitarum habitu indutus, et gladium distringens contra hæreticos, qui terrore percussi statim recesserunt a conventu. Communi autem omnium opinione receptum est, prædictum senem fuisse Eliam, qui filios, et conventum sibi dicatum protegebat. Et similia scribit Ludovicus Canitellius

Ludov. Canitell. tellius Patritius Cremonensis in Annalibus suæ patriæ, *fol.* 402.

Nicol. Beltr. Nicolaus Beltrand. Advocatus, et Juris professor Tolosæ, *in lib. de inventione S. Susannæ Babylonicæ*, impresso Tolosæ anno 1515, refert Danielem Prophetam apparuisse cuidam Joanni de Bosco presbytero Gallo indutum habitu, inquit ille, *Carmeli, seu Eliæ*. Et cum prædictus presbyter admiraretur, quod Daniel tali indueretur vestimento, ipse protestatus est se in captivitate Babylonica constitutum, *talem habitum accepisse, aliosque Prophetas ad eundem Ordinem pertinere*. Ex quibus omnibus valde verosimiliter constat, Eliam fuisse Ordinis Carmelitani patrem, et authorem, filiosque Prophetarum illum continuasse, ac propagasse in medio etiam captivitatis. Porro Danielem, cujus meminit posterior apparitio, pertinere ad hunc Ordinem, recte ostendunt Lezana *tom.* 1, *ann.* 3428, et Daniel a Virgine *in sua vinea, num.* 302.

Lezana. Daniel a Virg.

§ V.

Probatur quarto ex perpetua Ordinis Carmelitani traditione.

Quarta probatio. 130. Quod uniuscujusque religionis traditiones insignem habeant authoritatem, magnamque fidem mereantur, jam supra ostendimus *a num.* 113. Hujusmodi autem subsidium nostræ assertioni suffragari, tam certum est, ut supervacaneum videatur illud expendere; nullus enim Carmelita reperitur, qui de authore, et fundatore sui Ordinis requisitus non respondeat, esse sanctissimum Patrem, et Prophetam Eliam; idque religionis stemmata, antiquissimæ imagines, vetustissima Breviaria, Conventuum fundationes, archivorum monumenta, Scriptorum libri, et cuncta hujus Ordinis propalant. Unde non oportet in roborando fundamentum istud multum immorari. Sed referemus personas aliquas sanctitate insignes, quæ gravissimam authoritatem huic proprii Ordinis traditioni conciliant.

Perpetua Carmelitarum traditio.

S. Cyr. Const. S. Cyrillus Constantinopolitanus, qui statuit ante annum 1200 *in lib. de processu, et variis regulis hujus religionis*, directo per modum epistolæ ad Eusebium eremitam montis Neroi, inquit: « Ex tunc pro-
« fessores nostræ religionis sategerunt ad
« perfectionem, et finem vitæ solitariæ
« tendere, secundum formam institutionis
« Prophetæ Eliæ. »

S. Broc. Hieros. S. Brocardus Hierosolymitanus, qui antiqua Ordinis statuta compilavit, in eorum exordio inquit: « Testimonium veritati
« perhibentes dicimus, quod a tempore
« Eliæ, et Elisæi ejus discipuli, montem
« Carmeli, qui non longe ab Achon distat,
« devote inhabitarunt multi sancti Patres,
« tam veteris, quam novi Testamenti, soli-
« tudinis montis ejusdem pro contempla-
« tione cœlestium veri amatores: ibidem
« juxta fontem Eliæ in sancta pœnitentia
« sanctis successibus continuata sunt pro-
« culdubio conversati laudabiliter. »

S. Petr. Thom. Idem affirmat S. Petrus Thomas *in lib. de peccato originali, cap.* 3.

De S. Avertano in ejus officio ab Ecclesia approbata dicitur, *sibi in exemplum paupertatis proposuisse magnum Eliam sui Ordinis fundatorem*, ut vidimus *num.* 126.

Joan. Bacho. Joannes Bacho pietate, et doctrina insignis (quem Bellarminus *in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis*, vocat *Theologum, et Philosophum doctissimum*, et Sixtus Senensis *lib.* 4 *Biblioth. sacræ*, dicit fuisse *Theologorum sui temporis principem*), floruit circa annum 1340, et *in tract. de institutione Ordinis, cap.* 1, ait: « Licet omnes salvandi
« tempore Prophetarum filium B. Mariæ
« venturum venerati sint, secundum Au-
« gust. in epist. 29, ad Deogratias; Fratres
« tamen de Carmelo tempore Elisæi ven-
« turum venerantes, in Carmelo B. Mariæ
« religionem suam incœperunt, ut habetur
« in historia de antiquitate Ordinis. Ad
« ejus igitur venerationem originem ha-
« buerunt. Et antiquis Patribus Ordinis de
« ortu ejusdem tempore Prophetarum cre-
« dendum est; nam in negotiis ecclesia-
« rum illi potissimum assumendi sunt,
« qui eadem negotia tractaverunt. » Et
« *cap.* 2, inquit: *In Carmelo B. Mariæ dato, Prophetæ Elias, et Elisæus patres nostri inhabitabant.*

Wald. Venerabilis Doctor Thomas Waldensis de quo Possevinus in Apparatu: « Sui tem-
« poris hæresum, ac deinceps exortarum
« eversor fuit, a Martino V, Pontifice Ma-
« ximo commendatus, a nostri ævi Scrip-
« toribus, præsertim a Joanne Cochlæo, at-
« que Stanislao Hosio Cardinali magno-
« pere celebratus, qui mortuus est non sine
« opinione sanctitatis, etc.) » floruit circa annum 1424, *et tom.* 3, *de Sacramental. tit.* 9, *cap.* 89, introducit hæresiarcham Wicleph dicentem: « Ut fingunt Carmelitæ,
« Elias fundavit eos in monte Carmeli,

« tanquam filios Prophetarum. » Cui Thomas, « Quod dicit Carmelitæ, hoc inquam, « præjudicium infert testimonio Carmelitæ. « Nolo, dicat cum perfidis Judæis : Tu de « teipso testimonium perhibes, testimo- « nium tuum verum non est. Sed teste- « tur, etc. » Profert eo capite plurima, eaque extranea nostræ antiquitatis monumenta, et illa ad compendium reducens, ait: « Ordo Carmelitarum a prophetis Elia, « et Elisæo prius incœpit, post Salvatoris « adventum cum Apostolis in Evangelio « solicitissime laboravit, a Joanne Patriar- « cha Hierosolymitano primo Carmelita « regulam vivendi græce scriptam accepit, « quam pleniore post sub Alberto itidem « Patriarcha forma digestam inspexit. »

131. Hæc sufficiebant ad præsentis argumenti robur. Sed æquum est, ut post Patres, et Doctores audiamus Doctricem, et Matrem, Theresiam videlicet cœlesti luce perfusam, hanc suorum parentum traditionem fidelissime amplectentem, et ad filios
S. Ther. derivantem. In *lib. Fundat. cap.* 26, ait : « Contigit, cum videlicet Malagone Veasium « peteremus, febri æstuarem, et tot simul « malis oppressa essem, ut viæ, qua eun- « dum erat, longinquitatem considerans, « meque ita constitutam cernens, Patris « nostri Eliæ Jezabelem fugientis recorda- « rer. » Et *cap.* 27, inquit : « Monasterium « hoc intra sylvarum est abdita, et solitu- « dine satis devota. *Et infra :* Florida pri- « morum Ordinis nostri Patrum tempora « in hac imagine intueri videbar. *Et infe- « rius:* Aditus porro illius subterraneus est, « velut per cavernam, quæ speciem refere- « bat ejus, in qua Pater noster Elias desti- « terat. » Et *c.* 28, exhortans ad perfectionis studium, ait : « Vestros in stirpem, et « propaginem, a qua descendimus, Sanc- « torum, inquam, illorum Prophetarum, « oculos semper conjicite. » Et *cap.* 29, ait : « Die qua festum S. Patris nostri Eliæ « recolebatur, sacrum ibi celebratum est. » *Et in lib. Mansion. mans.* 7, *cap.* 4, *in medio*, ait : « Hinc forte proveniebant in- « gentes illæ penitentiæ, quas plures Sancti « fecerunt, et specialiter gloriosa Magda- « lena, quæ vitam prius duxerat delitiosam: « hinc fames illa honoris Dei, quam ha- « buit Pater noster Elias, et habuerunt S. « Dominicus, et S. Franciscus, ut animas « Deo compararent, ac lucrarentur, » In quibus omnibus recognoscit Magnum Eliam fuisse sui Ordinis patrem, et fundatorem.

Eodem modo loquitur fidelissimus Seraphicæ Virginis coadjutor, et illuminatissimus Doctor mysticus B. Joannes a Cruce. B. Joan. a Cruce.
Nam *lib.* 2, *Ascensus in montem Carmelum, cap.* 8, inquit : « De Elia Patre nostro dici- « tur, quod vultum suum operuit in præ- « sentia Dei. *Et* cap. 20, *ait :* Nuntius erat « Pater noster Elias. *Et* cap. 24, *sic :* Hæ « visiones adeo substantiales, sicut illæ, « quas habuerunt Paulus, Moyses, et Elias « Pater noster, etc. » Et *lib.* 3, *cap.* 32, ibi : *Præcepit Deus Patri nostro Eliæ, ut ascenderet in montem Oreb.* Et *lib. Canticor. cant.* 14, *et* 15, ait : *Sicut Pater noster Elias.* Unde satis liquet, perpetuam, et uniformem religionis Carmelitanæ traditionem esse, quod Magnus Elias fuerit ejus fundator, et pater, in eo perfecto statu, quem descripsimus *dub.*7.

§ VI.

Probatur quinto ex gravissimis externorum testimoniis.

132. *Laudet te alienus* (monet Spiritus sanctus Proverb. 27), *et non os tuum; extra- neus, et non labia tua.* Minori quippe suspicioni obnoxia sunt testimonia, quæ patrocinium propriæ causæ non procudit, sed exteri subministrant ultronei. Unde non solum Carmelitas (etsi Divos, etsi exceptiones majores), oportet audire, sed consulamus etiam extraneos. Quinta probatio. Prov. 27.

Josephus Antiochenus (qui teste Posse- Joseph. Ant.
vino *in Apparatu*, vixit anno Christi 130), *in Speculo perfectæ Ecclesiæ primitivæ*, *cap.* 10, inquit : « Perfectorum militum « Christi Apostolorum coadjutores surrexe- « runt strenuissimi viri, solitarii, contem- « plationi dediti, Sanctorum Prophetarum « Eliæ, et Elisæi imitatores, qui de monte « Carmelo descendentes, per Galilæam, Sa- « mariam, et Palæstinam fidem Christi « constantissime sparserunt, quique in Vir- « ginis Mariæ honorem in montis Carmeli « declivio fabricantes oratorium, Salvato- « ris Matri specialissime servierunt. »

Luitprandus, sive Eutrandus Episcopus Luitpr.
Cremonensis (qui floruit circa annum Christi 900), *in Fragmentis, num.* 172, inquit : « Magna pars eorum, qui dispersi « in persequutione S. Stephani ad varias « partes trajecerant, et ad Hispaniam plu- « rimi venerant, erat ex Monachis montis « Carmeli, prædicationibus Christi, et Apostolorum

« tolorum ad fidem conversis, in quibus « Elpidius, et socii Pontifices a Jacobo « creati, et post Martyres facti. » Et *num.* 256, ait : « Mihi valde probabile est, et le« gitur in Orientis historiis, Elpidium, et « reliquos Episcopos, quos traxerat S. Ja« cobus in Hispanias, et ab ipso S. Jacobo « baptizatos, fuisse de numero Carmelita« rum, qui in Hispania et per alias religiones « monachatum introduxerant. Istos vocat « Eusebius lib. 2, cap. 3 Prophetici Ordi« nis. » Et *num.* 263, inquit : « Magna pars « eorum, qui ex Judæa trajecerant in His« paniam tempore Nabuchodonosoris, erat « ex discipulis Sanctorum Eliæ, et Elisæi, « et successores illorum. » Et *num.* 100, inquit : « Sunt qui putent, quod et ego credo, « S. Leocadiam monialem fuisse Ordinis « Carmelitani, quem Ordinem Monachi Car« melitani ad fidem Christi conversi in « Hispaniam intulerunt, ex quibus fuit El« pidius primus Toletanus Præsul a S. Ja« cobo constitutus. » Similia asserit numero sequenti.

Sigeb. Sigebertus Monachus Gemblacensis (qui vixit ante annum 1100), *in historia Hierosolym.* apud Quintanadvenas *in lib. de SS. Toletanis, pag.* 137, inquit : « Cum in « sancta pœnitentia Carmelitæ perseveras« sent a tempore Eliæ, et Elisæi Propheta« rum, tandem Christum prædicantem au« dierunt, et processu temporis per Aposto« los baptizati sunt. »

Armac. Armacanus Primas Hiberniæ (qui vixit ante annum 1400), apud Navarrum *de Horis Canon. c.* 21, *n.* 27, inquit : « Ut dicunt « fide dignæ historiæ, a tempore Eliæ, et « Elisæi Prophetarum, qui sæpius mora« bantur in Carmelo, secretius solebant ho« mines devoti inhabitare usque ad tempora « Salvatoris. Et tunc Carmelitæ prædicanti« bus Apostolis in fide solidati, in latere uno « montis ipsius primo Ecclesiam construxe« runt in honorem B. Mariæ Virginis.

Trith. 133. Joannes Trithemius Abbas Benedictinus (qui vixit ante annum 1500), *in lib. de laudibus Carmelitarum* (de quo supra n. 105), *c.* 2, inquit : « Elias Propheta Do« mini eximius recte, et catholice fundator « Carmelitanæ religionis dicitur, si ejus « facta ex voluminibus regum absque invi« dia discutiantur; enimvero ipse montem « Carmeli primus habitasse legitur, a quo « fratres Carmelitæ nominantur. Triplici « autem ratione ostenditur, quod istius ob« servantiæ princeps Elias habeatur, a loco « videlicet, ab habitu, et conversatione. » Quod ibi ex professo ostendit. Recolantur quæ de hoc Authore diximus *n.* 105, quibus alia ex Hieronymo Romano addemus *num.* 143, *in fine.*

Jodocus Clictoveus *tom.* 2, *homil. serm.* Clictov. *penult. in impress. Coloniensi novissima anni* 1643, inquit : « Animadvertere non est in« dignum, Carmelitarum Ordinis exordium « ob duo præcipue excellentiam quandam « habere. Primo quia ante institutionem « præcognitum est divino nutu, et revela« tum; memoriæ enim proditum est, ut « Scholastica refert Historia, quod Sabatha « pater Eliæ nondum nati vidit in somnis « viros candidatos se salutantes, etc. » Et infra : « Secundo quia hi, qui primam Car« melitano Ordini præstiterunt originem, « ut Elias, et Elisæus, ex Judæis nati sunt; « qui vero cæteris religionibus jecerunt « fundamenta, ex gentibus progeniti sunt. « Constat itaque antiquiorem Carmelitanæ « religionis, quam aliorum Ordinum esse « originem, et ratione exordii cæteris præs« tare. »

Gilbertus Genebrardus, vir doctissimus Geneb. Ordinis Benedictini, *in sua Chronologia, lib.* 4, *anno* 1142, cum retulisset sententiam Polydori sentientis Ordinem Carmelitarum cœpisse a temporibus Aymerici Præsulis Antiocheni, illam corrigit his verbis : « Sed eorum origo altius repetitur, nempe « a Prophetis Elia, et Elisæo, qui Carmelum « montem terræ sanctæ primitus consecra« runt, et discipulos illic reliquerunt, quos « Scriptura filios Prophetarum appellat. » Et *in tractatulo de dogmatibus fidei*, qui incipit, *Quinta ætate pietas, et religio floret, et illustratur per innumerabiles Prophetas*, sub hoc ticulo, *Religiosorum vita, et vota, et instituta varia*, hæc habet : « Filii prophetarum « in Bethel, in Jericho, etc. Elias vir pilo« sus, zona pellicea accinctus, et Elisæus « hanc vitam illustrarunt. »

Guillelmus Eisengreneus in sua historia, Guil. *centuria* 1, *tit. de Religionibus, et monasticæ* Eisen. *vitæ cultoribus*, disputans contra Magdeburgenses, inquit : « Elias Propneta primus « Carmelita. » Et deinde : « En, hæretice, « Eliæ posteritatem dici monachos Carme« litas. » Et rursus : « Sanctus Elisæus Car« melita, princepsque Eliadum. » Et denique : « En quam antiquus sit Ordo B. Vir« ginis. »

Renatus Choppinus, vir clarissimus in Ren. supremo Parisiorum Senatu, *lib.* 1, *Mo-* Chopp.

nast. titul. 3, *num.* 15, ait : « Nec Carmeli-
« tani voti professoribus desunt viri exi-
« mio sanctitatis titulo nobilitati secundum
« Eliam Thesbytem Ordinis signiferum. »
Et eodem *lib. tit.* 2, *n.* 14, inquit : « In hoc
« quoque genus referuntur Carmelitæ, pri-
« mum eremicolæ, Elia Thesbyte religionis
« Patriarcha : deinde in Collegium redacti
« ab Alberto Hierosolymorum Antistite, et
« Romano Legato, etc. »

Wern Rov. 134. Wernenus Rovelinck Carthusianus *in chronico seu fasciculo temporum, anno* mundi 4300, inquit : « Elias Propheta,
« auriga Israël et origo Carmelitanæ reli-
« gionis, Elisæo vivente rapitur. » Et *anno Christi* 450, ait : « Elisæi prophetæ Carme-
« litanæ religionis primi post Eliam pa-
« tris, et patroni, Sigeberto Gemblacensi
« teste, ossa transferuntur de Samaria in
« Palæstinam. » Et *anno Christi* 1291, hæc habet : « Nobilissima civitas Acconis a
« Sarracenis destruitur, ac demum Deiferæ
« Mariæ in Carmelo Monasterium ad quatuor
« milliaria civitati vicinum, ab eis igne
« crematur. Et tunc (proh dolor) Ordo Car-
« melitarum mellifluum locum ex toto
« perdidit, in quo ab Eliæ, et Elisæi Pro-
« phetarum tempore, duobus millibus du-
« centis, et viginti uno annis perstite-
« rant.

Joan. Molan. Joannes Molanus *in Martyrologio, ad* 15 *Kal. Julii*, inquit : « In Arabia raptus
« in cœlum S. Eliæ Prophetæ Domini,
« et Carmelitanæ religionis Patriarchæ,
« qui tantam invenit coram Domino gra-
« tiam, ut verbo clauderet, et aperiret
« cœlum. »

And. Saus. Andreas Sausay, vir doctissimus, et Episcopus Tullensis, *in Martyrologio Gallico, die* 20 *Jul.* inquit : « Raptus Eliæ Pro-
« phetæ Ordinis Carmelitarum Instituto-
« ris, hodie solemnis est in universo Or-
« dine. »

Villeg. M. Alphonsus de Villegas, vir eruditus, et piissimus, *in Floribus Sanctor.* 2 *p. in vita S. Eliæ Prophetæ, pag. nobis* 293, inquit : « Tempore Eliæ erant religiosi, qui
« cum ob sanctitatem, tum ob propheticas
« illuminationes Prophetæ appellabantur,
« et qui de novo ad hanc admittebantur
« religionem, dicebantur filii Propheta-
« rum. Horum plures congregavit Elias in
« monte Carmelo, ipsos specialibus regulis,
« et documentis instruendo, ac guber-
« nando. Quod etiam post Eliæ raptum
« præstitit Elisæus. Nunquamque eo loco
« abfuerunt prædicti religiosi usque ad
« adventum filii Dei, cujus doctrinam,
« evangeliumque amplexati sunt, coope-
« rante etiam glorioso Præcursore Joanne
« Baptista, qui cum ipsis habitaverat in
« deserto. » Et post pauca subdit : « Unde
« in prædicto monte permanserunt perpetuo
« illi religiosi, qui ante adventum Christi
« observarunt legem Mosaïcam cum eis
« simul institutis, quæ ab Elia acceperant :
« sed post Christi adventum receperunt
« legem evangelicam. Et hoc modo alii
« post alios succedebant usque ad Aymeri-
« cum Patriarcham Antiochenum, etc. »
Quæ omnia testatur Villegas accepisse, et ad compendium redegisse ex S. Antonino, Cassaneo, et aliis Authoribus.

Barth. Salig. Bartholomæus Saligniacus, Protonotarius Apostolicus, *in suo Itinerario Hierosolym. tom.* 10, *c.* 6, inquit : « Prodigium
« visitur in monte Carmeli, qui est in
« inferiori Galilæa situs ad occidentem.
« Montem enim hunc olim Prophetæ S.
« Elias, et Elisæus incolere soliti erant cum
« filiis Prophetarum, quorum successores
« sunt Fratres, qui Carmelitæ vocantur. »

Petrus Bertius. Petrus Bertius, Geographus, et Professor regius in Galliis (qui abjurato Calvinismo, Fidem Catholicam cum insigni eruditione conjunxit), *in epist.* 2, *ad Abrahamum Bertium*, Parisiis impressa anno 1618, expendit monachatum Eliæ, Religionis progressum, et circa epistolæ finem sic concludit :
« Atque hæc quidem sunt Carmelitarum
« origines, omnium aliorum Monachorum,
« si verum fateri volumus, originibus an-
« tiquiores. »

Jodoc. Ascens. Jodocus Ascensius Vadius *super eclog.* 10 *Mantuani*, inquit : « Monasticæ vitæ
« princeps est Elias, cujus filii primi fue-
« runt, qui Religiosorum more simul vi-
« vere, et monasticam vitam in Carmelo
« agere cœperunt.

Camart. Ægidius Camartus Generalis sacri Ordinis Minimorum, *in lib. de Elia, c.* 6. *sect.* 8, affirmat : « Hieronymus, Cassianus, et
« quotquot de rebus monasticis scripserunt,
« asserunt Eliam omnium monachorum
« parentem fuisse, qui tria essentialia re-
« ligionis vota primus ipse opere adimple-
« vit. » Et *c.* 5, *sect.* 10, ait : « Credibile
« certe est, Eliæ discipulos non defuisse,
« donec ad Christi discipulos, evangelicam-
« que doctrinam confluerent. » Et infra :
« Ex eorum vero reliquiis tanquam ex equo
« Trojano prodiit celeberrimus in Ecclesia

Ordo

« Ordo B. Virginis de monte Carmelo. »

Chrys. Henriq. 135. Chrysostomus Henriquez, nobilis Historiographus Cisterciencis, tam in apologia pro Benedicto XI, quam in vita V. Annæ a S. Bartholomæo, inquit : « Certum est or- « dinem Carmelitarum nomenclaturam ac- « cepisse a monte Carmelo, unde et origi- « nem trahit ; et magnum Prophetam « Eliam esse patrem, et institutorem reli- « giosorum istius nominis. »

Caram. Joannes Caramuel, Episcopus Satrianensium, et vir doctissimus, *in Theol. Regul. disput.* 34, in qua agit de origine, et generibus Cœnobitarum, *num.* 345, inquit : « Carmelitani Ordinis spiritus intenditur « successu temporis, qui alias remitteretur, « nisi Deus illum manuteneret gratia par- « ticulari. Eliæ Institutori successit Eli- « sæus, cujus spiritus fuit duplo major, « etc. » Et infra transcribit doctissimi Suarii judicium : « est valde recepta, et satis an- « tiqua traditio, religionem hanc a tempo- « ribus Prophetarum, et signanter ab Eliæ « institutione suam ducere originem, etc. »

Prosper Stellart. Prosper Stellartius Illustrissimi Ordinis Divi Augustini, in politissimo opere *de Tonsuris, lib.* 2, sic proponit titulum capitis 13. « De Elia Thesbyte, Propheta, reli- « gioso, Nazaræo, piloso, comato, Mona- « chorum Patre, et Ordinis a se denominati « fundatore. »

Valder. Petrus Valderrama, celeberrimus concionator ejusdem Ordinis D. Augustini, *in Theatro relig. serm. de S. Elia* (cui præfigit hunc titulum, « De magno Patriarcha Elia, « fundatore Ordinis nostræ Dominæ de « monte Carmelo), » inquit : « Beata religio « tua sacra, quæ tali patre, et fundatore « fruitur, quem nos omnes patrem appel- « lare possumus, quandoquidem vitæ mo- « nasticæ initia dedit. »

Basil. Pont. Basilius Pontius prædictæ sacræ religionis, et hujus Academiæ clarissimum lumen, *lib.* 7, *de Matrim. c.* 1, *num.* 2, ait : « Quam vitæ rationem ad Eliam, et Eli- « sæum, et filios Prophetarum, Carmelita- « næ religionis primordia, et immobilia « fundamenta, refert Hieronymus epistol. « 4 et 14. »

Didacus Yepes. Didacus Yepes, illustrissimi Ordinis D. Hieronymi, Concionator, et Confessarius Philippi II et Episcopus Turiasonensis, in vita M. N. S. Theresiæ, *c.* 20, ait : « Nata « est hæc religio in monte Carmeli, et pa- « tres habuit sanctos Prophetas Eliam, et « Elisæum. »

136. Ludovicus Tenas vir doctissimus, et Primarius Complutensis, in sermone S. M. N. Theresiæ, Matriti impresso anno 1615, ait : « Institutum monasticum sacræ « Religionis Carmelitanæ principium ha- « bet in Propheta Elia, qui primus homi- « num vovit castitatem, ut referunt D. « Hieronymus, et D. Isidorus. »

Tapia. Carolus Tapia *in Authent. Ingressi, de sacrosanctis Eccles. cap.* 17, inquit : « Elias « cum Elisæo, quem sibi socium adcivit, « Carmelum incoluit, ibique Propheta- « rum instituit conventum, et demum glo- « riosus in currum igneum assumptus, « Elisæum spiritus sui duplicis hæredem, « Deo permittente, reliquit, 4, Reg. 2. » Et infra addit : « In eo Carmeli loco sem- « per hujusmodi Prophetæ habitarunt us- « que ad Joannem Baptistam, qui sua sanc- « titate multos ad inibi habitandum conci- « tavit. Et deinde ab Apostolis ad fidem « conversi, juxta evangelicam fidem, ac « Eliæ traditiones pie, et sancte vivebant, et « Dei sanctissimæ genitrici Mariæ tem- « plum, quod primum in orbe fuit, dedi- « carunt. »

Cartag. Joannes Cartagena, celebris Homiliographus Ordinis Seraphici, *tom.* 3, *lib.* 17, *hom.* 1, *in principio*, ait : Quemadmodum « in scientiis edocendis prima earum prin- « cipia non probantur, sed supponuntur « tanquam lumine naturæ per se nota : « ita Prophetam Eliam primum hujus sa- « cræ Carmelitanæ Religionis Institutorem « fuisse (Beata Virgine specialiter ad ejus « conservationem postea cooperante), pri- « maque ejus fundamenta adinstar peri- « tissimi architecti jecisse, probatione non « indigebat : cum tanquam rem notissi- « mam sancti Patres testentur, sacri Pon- « tifices ei subscribant, ac diversarum tra- « ditionum monumenta confirment ; solum « superciliosi negent, invidi inficientur, « historiarum ignari discredant : et si qui « viri perdocti, ac sapientes inficias ierint, « argumentum hoc non ex professo, sed « per transennam obiter attigerunt : quo- « rum excellenti doctrinæ nihil detrahere « nos arbitramur, si in hac parte eorum « opinioni refragemur. Ut tamen deinceps « in hoc genere argumenti nulla supersit « ratio dubitandi, gravissimis testimoniis « id nunc constabiliam, et latius in se- « quentibus. » Idque uberrime, et erudite per quatuor homilias prosequitur.

Cœlestinus a monte Marsano sacri Ordi-

Cœlest. a Mont. nis Capuccinorum, in Clave David, sive arcanis sacræ Scripturæ, *observat.* 79, ait : « Elias natione Thesbytes, Prophetarum « coryphæus, Anachoretarum in monte « Carmelo, aliisque sacris Palestinæ lo- « cis religiosam vitam agentium supre- « mus fuit Archimandrita. » Et infra : « Patriarchatus piissimi Carmelitarum Or- « dinis sanctissimo Prophetæ Eliæ pluri- « bus argumentis vindicari potest. Et quia « in ore duorum, vel trium testium stat « omne verbum, duas diversorum testimo- « niorum classes in medium adducam, « etc. » Quod fuse præstat.

Gravin. Dominicus Gravina, vir doctissimus Ordinis Prædicatorum, *in voce Turturis, part.* 2, *cap.* 15, inquit : « De Carmelita- « rum vinea quid eloquar ? Certe gloria « Libani data est ei, et decor Carmeli. « Mons vere celeberrimus, in quo fructuo- « sus ille palmes Elias commoratus, soli- « tariam ab hominum consortio semotam « professus est vitam, quem primum co- « lendæ virginitatis authorem Patres, et « Doctores appellant, obedientiæ, et pau- « pertatis prototypum, quem principem « monachorum Hieronymus vocat cum « Elisæo, cum filiis Prophetarum, qui « habitabant in agris, in solitudine, et « ædificabant sibi tabernacula juxta fluen- « ta Jordanis. » Et infra : « Permanse- « runt vero hi Prophetarum filii usque « ad tempora Apostolorum, ex Eusebio. « Successerunt enim eis illi, qui supra « Eliæ institutiones alias supererogave- « runt, forte ab Elisæo Propheta eorum « magistro, et authore acceptas. Hi fue- « runt Esseni, S. Marci Evangelistæ pos- « tea legibus, et institutionibus instruc- « ti, vitæ monasticæ præcipui cultores, « Apostolorum prædicatione ad fidem « Christi instructi. Ab his porro Monacho- « rum agmina in Ægyptum, et Palesti- « nam descendisse, Doctores, et Historici « tradunt. »

Ramir. Didacus Ramirez, ejusdem sacri Ordinis Prædicatorum, Qualificator Inquisitionis Supremæ, et Visitator Aragoniæ, *in lib. Enceniorum Matritensium, part.* 2, *fol.* 50, inquit : « Patria hujus antiquæ religionis « est Carmelus. Et cum hic mons plus- « quam duas leucas ambiret, repletus ta- « men fuit Carmelitis, viris sanctis, ac « filiis Prophetarum, ita quod accedentes « ad Elisæum, quem post Patris raptum « omnes ut Prælatum venerabantur, pos- « tulaverint ab ipso licentiam ad cons- « truendum cellas prope Jordanem. Sic « fecit Elisæus. Illi vero se extenderunt, « pluresque dilatati sunt usque in Jericho, « et in campis Ephraim, Sareptha, et Beth- « lehem primi illi Carmelitæ vixerunt. »

Laurent Beyerl. Laurentius Beyerlinck *tom.* 6, *lib.* 16, *lit. R. verbo Religio, pag.* 248, agens de Ordine Carmelitarum, inquit : « Agnos- « cit hic Ordo religiosus primos suos Insti- « tutores, et velut fundatores Eliam, et « Elisæum Prophetas veteris Testamenti. « Quos tanquam instituti monastici prin- « cipes, et authores, verum plerique sen- « tiunt. Siquidem plures discipulos, et se- « quaces eos habuisse, qui sub certa norma « per eosdem tradita, locis ab hominum « consortio remotis vitam in castitate, « austeritate, ac contemplatione rerum « divinarum transigebant, vel ex sacris « Litteris non obscure colligitur, dum sub « nomine filiorum, idest, discipulorum, « Prophetarum, istiusmodi sacra Congre- « gatio non semel describitur, ut advertit « Nicolaus de Lyra in postilla super lib. 4 « Reg. c. 2. » Et infra subdit : « In lege « autem gratiæ Joannes Baptista venit in « spiritu, et virtute Eliæ, et conversatus « circa Jordanem in deserto, ut existima- « tur, cum his qui ibidem normam viven- « di ab Elia observatam, ab Elisæo quoque « traditam, sub nomine Prophetarum vi- « vebant, Carmelitani Instituti zelatores. « Ita de hac re S. Bernardus ad Fratres de « monte Dei : Antiqua hæreditas Eccle- « siæ Dei est a tempore Prophetarum de- « monstrata (loquitur autem de monasti- « cis institutis), jamque novæ gratiæ Sole « exorto, in Joanne Baptista instaurata, « et renovata. Et Philipus Hieropolitanus « super cap. 1 Joannis, ubi dicitur, Mise- « runt Judæi ab Hierosolymis Sacerdotes, « et Levitas ad Joannem Baptistam : addit « ille : Habitantem cum Carmelitis con- « fratribus suis in eremo prope fluenta « Jordanis, ubi Carmelitæ filii Prophetа- « rum manebant. Et inferius subjungit : « Igitur ut Elias religionem Carmeli in- « choavit in lege veteri, sic in nova S. « Joannes circa Jordanem, et B. Enoch « quidam in Carmelo eam continuarunt, « aliisque post se tradiderunt. »

Jacob. Tirinus. Jacobus Tirinus sacræ Societatis Jesu *lib.* 3 *Reg. cap.* 17, inquit : « Et videtur « in Carmelo Prophetarum coloniâ ob fre- « quentiorem istic Eliæ, ac Elisæi præsen- tiam,

« tiam, et prælustriora ibi patrata mira-
« cula inter reliqua eorundem cœnobia
« principem locum tenuisse. Unde et no-
« men illis adnatum Carmelitarum. Quod
« idem nomen in evangelica lege usque
« eo placuit viris, fœminisque sub nomi-
« ne, et auspicio B. Virginis in Ecclesia
« Christi hucusque magna vitæ sanctitate,
« ac religionis gloria militantibus, ut plu-
« rima alia ad speciem nobiliora nomina
« uni illi posthabenda putarint, vel eam
« maxime ob causam, ni fallor, ut etiam
« ipso suo nomine palam orbi facerent sa-
« crum hunc Ordinem suum ab Eliæ, atque
« Elisæi disciplina, institutioneque exor-
« dium habuisse. Quod et Sixtus IV, etc. et
« alii Pontifices suis bullis (ut historicos,
« et alios authores nunc omittam), aperte
« profitentur.

Sanch. Gaspar Sanchez, clarissimus sacræ Scripturæ Interpres Societatis Jesu, *lib.* 3 *Reg. cap.* 17, *num.* 12, inquit: « Cum tot essent
« discipulorum Eliæ excitata cœnobia, non
« est difficile in Carmeli montem deduc-
« tam esse quandam quasi coloniam, quæ
« quia in loco tot nobilitato miraculis, et
« ipso Eliæ nomine, et sacrificiis illustri,
« principem tandem locum inter reliquas
« Prophetarum domus obtinuit. Quod cu-
« rasse Elisæum verisimile est, cum tot a
« magistro esset ornatus modis, nec bene-
« ficiis notari vellet ingratus, et imme-
« mor; a quo loco iste sanctorum Ordo re-
« cepisse videtur nomen, et qui institutum
« illud sunt complexi, Carmelitæ vocati.
« Hinc opinor ortum habuerunt antiquum,
« et nobilem, qui nostro ævo Carmelitæ
« dicuntur, viri religionis gloria, et vitæ
« sanctitate conspicui. Quod ut credam fa-
« cit non solum illius Ordinis, sed et om-
« nium pene gentium constans, et perpetua
« traditio. Et quidem si ab hac mea cogi-
« tatione nihil staret præter traditionem
« omni memoria superiorem, satis putare-
« tur habere præsidii ; quia communis,
« conspiransque consensio nullo inter-
« rupta tempore eam habet authoritatem,
« quam nulla, nisi magna fides, convel-
« lere, aut infirmare posset. Qua de re nos
« pluribus in nostro libello de adventu S.
« Jacobi in Hispaniam, tract. 2. Sed præ-
« ter traditionem, quæ, ut diximus, cons-
« tans existimatur, atque perpetua, sunt
« alia multa, quæ ad hanc cogitationem
« plurimum afferunt momenti. Doctorum
« nimirum non tantum ex illa religiosa
« familia, quorum ingens numerus, sed
« externorum, quos longum esset nume-
« rare, gravis authoritas, et tam veteres,
« quam recentes historiæ, et sacri Ordinis
« antiqua monumenta. Accedit ad hæc
« Pontificum judicio gravissimum pondus,
« qui sacrum hunc Ordinem ab Eliæ disci-
« plina, atque instituto exordium habuisse
« testantur. Ita sane aperte in suis bullis
« Sixtus IV, Julius II, Gregorius XIII, Cle-
« mens VIII, qui dicunt Carmelitanæ fami-
« liæ viros ab Elia, atque Elisæo hæredita-
« riam successionem tenere. Hæc mihi
« gravissima sunt, nec pauca, nec levia,
« quæ si Carmelitanæ causæ vindicem age-
« rem, libens adducerem, a quibus in præ-
« senti abstineo, ne ab Interpretis munere
« (quod longas digressiones non admittit),
« defecisse videar. »

Flores. Ildephonsus de Flores, ex eadem sacra Societate *in Comment. ad cap.* 14 *Ecclesiastici, p.* 3, *in tractat. ascetico, sect.* 36, inquit: « Cum videam hanc nobilissimam
« familiam a temporibus Prophetarum, et
« signatim a Sanctissimi Eliæ institutione
« suam trahere originem, et quasi hære-
« ditariam successionem ; idque septem
« Pontificum, Sixti IV, etc. authoritate
« roboratum animadvertam. Cum videam
« tot, eosque nobilissimos Scriptores, et e
« nostra familia Jesuitarum quamplures,
« vetustissimam hanc traditionem susci-
« pere; nefas duxi nonnihil huic sacræ
« Carmelitarum familiæ de sua vetustate
« detrahere. »

Joan. Bonif. Joannes Bonifacius ex eadem sacra Societate *in hist. de B. M. lib.* 2, *cap.* 1, ait: « Mirabiles quidam solitudinis amatores
« Eliæ, et Elisæi vestigia persequuti, rerum
« divinarum attentissimæ meditationi se
« totos dediderunt; ad quorum tamen au-
« res cum Apostolorum primæ de Christo
« mundi per crucem Servatore evangelicæ
« voces pervenissent, continuo veteri legi
« nuntium remittentes, sese ad novam
« transtulerunt; neque solum se Apostolo-
« rum benevolos, et dociles auditores, sed
« etiam adjutores præbuerunt. Et cum ex
« monte Carmelo descendissent, Christi
« fidem per Galilæam, Samariam, et Pa-
« læstinam universam constantissime præ-
« dicaverunt. Hi sunt qui in latere montis
« Carmeli primum sanctissimæ Virginis
« sacellum erexisse dicuntur, cui in illo
« ipso loco studiosissime servierunt. »

Joannes Bussieres ex eadem sacra Socie-

Joan. Bussier. tate, 2 *part. Florum histor. c.* 6, *circa annum* 1582, ait : « Diva Theresia reformavit « Ordinem Carmeli, revocans illum ad « pristinum rigorem, quem in sua origine « habuit, tanquam partus ardentis spiritus « Prophetæ zelatoris, qui primus ejus exti- « tit pater. »

N. Caus. Nicolaus Caussinus ejusdem sacræ Societatis, et Confessarius Ludovici XIII, regis Christianissimi, *in* 7 *parte Curiæ sanctæ*, agens de Magno Elia, inquit : « Ipse fuit « primus homo, qui vexillum virginitatis « erexit, illam corpore suo consecrando, « cum non cognoscebatur, sed parvi fiebat « in mundo, instituendo Ordinem angeli- « cum in monte Carmelo, ubi deposuit « spiritum suum in magna, ac suavi poste- « ritate, quæ reperit contemplationis sca- « turigines ad orbem postea decurrentes, « ut sterilem terram uberrime fœcundaret. « Ipse invenit omnium virtutum exempla- « ria in perjucundo illo Carmeli monte, et « in ea sacra solitudine, quæ prima fuit « ejus in terra paradisus. »

Joan. de Alloza. Joannes de Alloza ex eadem sacra Societate, *lib.* 4 *Cœli stellati*, *cap.* 1, *stella* 33, sub hoc titulo, « Qualiter religiosi Carme- « litani post gloriosæ Virginis in cœlum « Assumptionem ædificarunt in monte « Carmelo primam ejus nomini Ecclesiam, « ibique collocarunt sanctam ipsius imagi- « nem, » refert ex gravibus Authoribus mirabilem Agabi historiam, et in Carmelo monachismum, quæ contigerunt ante nativitatem Christi Domini, et deinde subdit : « Vixit in eo Carmeli conventu quadraginta « septem annos, meruitque cum aliis reli- « giosis assistere Sanctissimæ Virginis « morti. Erat tunc ipse Carmeli Archiman- « drita, et tanquam Prælatus, et Virginis « consanguineus, primus fuit, qui curavit « Dominæ nostræ eo loco Oratorium con- « secrare. Hic est S. Propheta Agabus, « cujus meminit B. Lucas in Actis Aposto- « lorum. »Idem Author *lib.* 4, *cap.* 11, *stella* 28, agens de S. Cyrillo Constantinopolitano, aperte supponit, firmatque continuationem status religiosi in monte Carmelo a temporibus Eliæ.

Joseph. Andr. Josephus Andreas ex eadem sacra Societate, *in decore Carmeli*, *decor.* 34, *num.* 140, inquit : « Extant quoque ex nostra Societate « Doctores egregii, qui eadem instaurent, « ac roborent. Hic est (inquit Jacobus Sa- « lianus ad annum ante Christi Domini « natalem 914), qui per multos iniquitatis « torrentes, lectos Prophetarum, et reli- « giosorum in Carmelo, totaque Phanani- « tide manipulos sui æmulos, atque imita- « tores instituti, ad cœlestem vitam, mundo « ignotam, ac contemptam, traducendam « adduxit. Hæc sanctissimum Vatem Eliam « exaltans Annalista hic celeberrimus. Qui « ne potius benevolentiæ erga religiosissi- « mum Carmelitarum Ordinem, quam « veritatis testimonium hoc aliquis arbi- « tretur, Constitutionibus Pontificiis, qua- « rum meminimus supra, illud communit. « Multis quoque adstruit, septemque Pon- « tificum diplomatibus eundem Eliæ Pa- « triarchatum firmat sacrarum Scriptura- « rum Interpres piissimus P. Cornelius a « Lapide lib. 4 Reg. cap. 18, vers. 42. « Idem accuratissime præstat Paulus Schen- « tnet in Promontorio malæ spei, lib. 3, § « 13. Consentiuntque Tirinus in cap. 13, « lib. 3 Reg. Petrus de Oxeda in informa- « tione pro Immaculata Virginis Concept. « Josephus Fernandez in approbat. concion. « R. P. Sorribas, aliique quamplures. » Quibus addendus est R. P. Franciscus Lopez, insignis ejusdem sacræ Societatis Magister, et Concionator, qui in solemni Octavario Canonizationis S. Mariæ Magdalenæ de Pazzi Ulyssipone celebrato, et typis commisso, in sermone quartæ diei inquit : « Negari non potest, quod forma vitæ spi- « ritualis, et professio religiosa principium « habuerit in Elia Patriarcharum monar- « cha, quæ in filiis ejus continuata est per « nongentos annos ante adventum Christi « usque ad præsentem ætatem. Hinc tan- « quam ex primo fonte ortum duxerunt « quatuor capita religionum Monachalium, « etc. » Quæ ibi fuse prosequitur.

138. Comes Antonius Montecatinus, Consistorialis Aulæ Advocatus, coram sanctissimo Urbano VIII, et Eminentissimis Cardinalibus in publico Consistorio hæc protulit pro canonizatione S. Andreæ Corsini anno 1629. « Carmelitanæ familiæ dat nomen « Andreas, aut potius flos hic jam delibatus e spinis in amœnissimo Carmeli vertice collocatur. Et sapienter ille quidem « hanc sibi præ cæteris religiosam fami- « liam selegit, quæ tum originis antiqui- « tate, quam vel ab ipsis Prophetis Elia, « atque Elisæo repetit, tum instituti inte- « gerrimi sanctitate, tum illustrium vita, « doctrinaque virorum copia in Christiana « Republica floruit semper, ac magis, ma- « gisque floret in dies. » A. M

Prolixum

Prolixum foret alios, qui idem affirmant, referre. Sed qui plures (plures etiam dabimus *num.* 150), desiderat, videat Lezanam *in Apparatu, cap.* 6, Antonium a Spiritu sancto *de Primatu Eliæ*, § 2, Sylveram *opusc.* 3, *res.* 2, *quæst.* 1, *a num.* 14, Danielem a Virgine *in Vinea, part.* 2, *cap.* 2, *per totum*, et *in Appendice, a num.* 1202, et alios hujus Ordinis Doctores. Sed omnium agmen claudat judicium Academiæ Cantabrigensis olim in Anglia celeberrimæ, anno 1374, et eo tempore catholicissimæ, quæ ut aliquos compesceret Ordinem Carmelitarum impugnantes, hæc post maturum examen, et causæ cognitionem statuit : « Auditis rationibus, et allegationibus, visisque privilegiis, lectis, et examinatis una cum nonnullis aliis monimentis, et scripturis antiquis, de consilio, et consensu Discretorum, et Jurisperitorum dictæ Universitatis nobis assistentium in ea parte, et per eandem deputatorum, dictum Ordinem Fratrum B. Mariæ de monte Carmeli in jure communi, ac speciali confirmatum, et titulo B. Mariæ Deigenitricis fore specialiter insignitum, ac etiam Fratres dicti Ordinis, prout sufficienter apparuit per præmissa, exhibita, producta, et allegata, Eliæ, et Elisæi Sanctorum Prophetarum fore imitatores, et successores, causæ cognitione, et juris ordine in ea parte de jure requisitis ad plenum observatis, reputamus, decidimus, et decidendo declaramus in his scriptis. Inhibentes quibuscumque nostris, et dictæ Universitatis subditis, ne contra has decisionem, et declarationem nostras, in ipsorum Fratrum præjudicium, et dictæ Universitatis vituperium, et studentium in eadem inquietationem venire temere præsumant, sub pœnis, et censuris nostro, et successorum nostrorum arbitrio debite in contravenientes ferendis. In quorum omnium, et singulorum testimonium præmissorum, præsentes litteras decretum nostrum continentes, sigilli officii nostri appensione fecimus communiri. Data Cantabrigiæ, 23 Februarii, anno 1374. »

ezana. nton. a Spir. anct. ylveir. aniel a Virg.

Decrem Academiæ Cantarigensis.

§ VII.

Probatur sexto ex falsarum opinionum confutatione.

Sexta probatio.

139. Licet præmissa veritatem nostræ assertionis satis evincere videantur, et fundamentum *num.* 124 propositum valide fulciant; aliunde tamen possumus eadem confirmare sequenti discursu. Nam certum est Ordinem Carmelitarum habuisse aliquem peculiarem Institutorem, et incœpisse in aliquo tempore determinato. Si enim hæc sibi vendicant alia humanæ vitæ officia, atque instituta, cur non amplissima, et maxime nota religio? Nullus autem hujus Ordinis Institutor potest designari, quam Magnus Elias, nec aliud suæ durationis initium, quam tempus veteris legis. Quod aptiori via ostendi non valet, quam referendo, et refellendo præcipuas quorundam Authorum nostræ sententiæ adversantium opinationes, quæ circa hujus religionis Institutorem, et ortum circumferuntur. Quibus plane Authoribus alias doctissimis vulgare illud proverbium aptari potest, « Plus sapit stultus in domo « sua, quam sapiens in aliena. » Dum enim posthabita notitia peculiari historiarum, et traditionum Ordinis Carmelitani, vetustissimam ipsius originem, quasi Nili ignotum caput investigare, atque designare contendunt, absurdas, et quæ de evidenti falsitate accusentur, proferunt sententias, ut jam ostendimus.

Opinio Volaterrani.

Primam igitur tradit Raphael Volaterranus *in Antropologia, lib.* 21, his verbis : « Carmelitæ in monte Carmelo mora Eliæ, « et Elisæi nobilitato, ab Alberto Patriarcha Hierosolymitano anno 1286, primum « instituti fuere diverso, quo nunc utuntur « amictu. Honorius IV illos a Sultano « ejectos excepit. »

Refellitur.

In qua opinione plures sunt errores, atque inconsequentiæ, quam verba. *Primo*, quia D. Albertus Patriarcha Hierosolymitanus mortuus est anno 1214, ut constat ex tabula Ecclesiæ Vercellensis, cujus prius fuerat Episcopus, atque adeo non potuit hunc Ordinem instituere anno 1286, nisi fingatur a mortuis resurrexisse. *Secundo*, quia regula ab Alberto data confirmata est ab Innocentio IV, anno 1248, in bulla, quæ incipit : *Quæ honorem Conditoris omnium*, ut plane constat ex ultimis bullæ verbis : « Actum Lugduni anno Domini 1248, Do-

« mini Papæ Innocentii IV, anno 5, Ka-
« lendis Septembris. » Non ergo potuit Albertus hunc Ordinem primum instituere anno 1286, nisi fingatur quod Ordinis confirmatio præcesserit ejus institutionem. *Tertio*, quia ipse Volaterranus affirmat S. Cyrillum Constantinopolitanum, et S. Angelum fuisse hujus Ordinis alumnos : sed Cyrillus floruit ante annum 1200, et Angelus martyrio coronatus est anno 1220, quomodo igitur potuit Ordo primum institui tempore sequenti, anno videlicet 1286. *Quarto*, quia Honorius IV vivebat anno 1286, quando Volaterranus constituit primam prædicti Ordinis institutionem, et paulo post mortuus est : quomodo ergo potuit recipere Carmelitas a Sultano ejectas, qui eodem anno dicuntur instituti a Patriarcha Hierosolymitano in monte Carmelo ? *Tandem* errat Volaterranus, et confundit Honorium IV,cum Honorio III, nam hic fuit qui Camelitas ab Oriente profectos excepit, ut plane constat ex Officio B. V. Mariæ de monte Carmelo concesso pro omnibus provinciis Hispaniarum Regi subjectis, *lect.* 5, ubi dicitur : « Cum olim in « Europa Ordo esset ignotus, et ob id apud « Honorium Tertium non pauci pro illius « extinctione instarent, adstitit Honorio « noctu purissima Virgo Maria, planeque « jussit, ut Institutum, et homines benigne « complecteretur. » Cœpit autem Honorius III, regere Dei Ecclesiam anno 1216. Tædet in refutando hanc Volaterrani evidenter falsam opinationem amplius immorari. Sed ex dicendis penitus corruet.

Opinio Sabellici.

140. Secunda opinio tradit, hunc Ordinem institutum fuisse ab Alberto Patriarcha Hierosolymitano tempore Innocentii III, qui Concilium Lateranense congregavit anno 1215. Ita Sabellicus, et quidam alii.

Refutatur.

Sed falsam esse eorum existimationem potest multipliciter demonstrari. Nam Albertus non instituit prædictum Ordinem, sed jam existenti regulam dedit, vel potius sibi oblatam approbavit, ut plane constat ex ipsa regula inserta bullæ Innocentii IV supra relatæ ; nam in principio dicitur : « Albertus Dei gratia Hierosolymitanæ « Ecclesiæ vocatus Patriarcha, dilectis in « Christo filiis Brocardo, et cæteris fratri- « bus eremitis, qui sub ejus obedientia « juxta fontem Eliæ in monte Carmeli « morantur, etc. » ubi Patriarcha plane supponit, Fratres Carmelitas viventes sub obedientia, et religiose. Unde S. Cyrillus Constantinopolitanus, qui floruit ante annum 1200, *in lib. de processu, et variis regulis hujus Ordinis, cap.* 5, agens de prædicto Alberto, inquit : « Postmodum » (tradita videlicet regula, ex libro Joannis Patriarchæ itidem Hierosolymitani 44 desumpta), « eodem anno Monasterium in « hoc monte Carmeli, juxta fontem Eliæ « Prophetæ ædificari fecit, intra cujus « septa includi, ac renovari jussit Capel- « lam, quam ad honorem Beatæ Dei geni- « tricis Mariæ prædecessores eorum post « Ascensionem Christi construxerant. » Et profecto ipse Cyrillus, qui hæc scribit, et fuit prædicti Ordinis Prior Generalis, illum ingressus est anno 1173, atque ideo ante Innocent. III, et Concilium Lateranense. Unde fateri oportet, prædictum Ordinem illud tempus præcessisse, ut viderunt graves Authores Baronius, cujus verba infra dabimus, et Bellarminus, qui in sua Chronologia inquit : *Ordo Carmelitarum confirmatur ab Alexandro III, anno* 1180. Et Jacobus de Vitriaco Episcopus Achonensis, *lib.* 1 *Histor. Hierosolym. cap.* 52, agens de reflorescente Ecclesia in terra sancta post captam Hierosolymam anno 1099, longo tempore ante Concilium Lateranense Carmelitas religiose viventes commemorat : « Juxta fontem, *inquit*, qui fons Eliæ « dicitur, non longe a Monasterio B. Mar- « garetæ, vitam solitariam agebant, in « alvearibus modicarum cellularum, tan- « quam apes Domini dulcedinem spiritua- « lem mellificantes. » Præcesserat ergo Ordo Carmelitarum tempus Alberti, Innocentii III, et Concilii Lateranensis.

Confirmatur primo, et urgenter : nam prædictum Concilium statuerat : « Ne quis « de cætero novam religionem inveniat ; « quod si aliquis vellet inservire Deo, « unam ex religionibus jam approbatis « eligeret. » Hoc tamen non obstante, aliquæ religiones post prædictum Concilium cœperant introduci. Cui incommodo ut obviam iret Concilium Lugdunense congregatum sub Gregorio X, anno 1274, præcepit, quod aliæ religiones post Concilium Lateranense introductæ extinguerentur, exceptis quatuor Ordinibus Mendicantium, scilicet Prædicatorum, Minorum, Augustinianorum, et Carmelitarum, ut refertur *in cap. unico de religiosis domibus, in* 6. Et quidem quantum ad religiones Prædicatorum, et Minorum, ut perseverarent,

rent, non eam rationem reddidit Concilium Lugdunense, quod videlicet fuerint ante Lateranense institutæ, sed quod institutæ post illud uberes fructus Ecclesiæ attulerint. « Sane, *inquit*, ad Prædicatorum, et « Minorum Ordines (quos evidens ex eis « utilitas Ecclesiæ universali proveniens « perhibet approbatos) præsentem non pa- « timur constitutionem extendi. » Sed quantum ad Ordines Eremitarum S. Augustini, et Carmelitarum hac ratione, aut consideratione non indiguit Concilium; sed videns eorum institutionem præcessisse tempora Concilii Lateranensis, eos in proprio statu reliquit, ut constat ex verbis sequentibus : « Cæterum Eremitarum S. « Augustini, et Carmelitarum Ordines, « quorum institutio Concilium generale « præcessit, in solido (legunt alii, *in solito*, « quod ad præsens nihil refert), statu volu- « mus permanere. » Sensit ergo, et docuit Concilium Ordinem Carmelitarum fuisse institutum ante Concilium Lateranense, et Ordines Prædicatorum, et Minorum longo tempore præcessisse, ut recte viderunt Alvarus Pelagius *lib.* 2, *de planctu Ecclesiæ*, *art.* 23, et Renatus Chopinus *lib.* 2 *Monast. tit.* 1, *n.* 29, et Joannes Marquez *de origine Eremitarum S. Augustini*, *cap.* 14, § 9, *cum sequenti*.

Alvarus Pelag. Renatus Chopin. Joannes Marquez

Confirmatur secundo, et non minus urgenter ex duabus epistolis, quas Episcopus Nicosiensis, aliique Prælati Terræ sanctæ simul cum Magistro Templi, et Magistro S. Joannis Hierosolymitani miserunt ad Romanum Pontificem anno 1283, ut Carmelitis eo tempore in terra sancta ob rerum penuriam, et varias calamitates afflictis subsidio aliquo spirituali, ac temporali succurreret. In prima sic loquuntur : « Cre- « dimus enim vos non ignorare, Pater « sancte, qualiter Ordo Fratrum B. Mariæ « de monte Carmeli (qui inter cæteras sa- « cras Religiones Apostolicæ Sedi devotas « claret devotione conspicua) fuit in cis- « marinis partibus a tempore cujus non « extat memoria, a prædictis Patribus in « ejusdem terræ sanctæ solatium institu- « tus. » In secunda scribunt : « Invenimus « siquidem in nostræ memoriæ tabula exa- « ratum, quod Ordo Fratrum B. Mariæ de « Monte Carmelo in cismarinis partibus a « tempore, de quo memoria non existit, a « sanctis Patribus in ejusdem terræ sanctæ « solatium extitit institutus. » Si autem Ordo iste institutus fuisset ab Alberto Patriarcha tempore Innocentii Tertii, recens profecto, et vivida esset talis institutionis memoria apud prædictos Prælatos; quippe cum centum anni nondum post illam institutionem defluxissent, ut ex se liquet. Cum ergo contestentur institutionem Ordinis Carmelitani excedere memoriam hominum tunc viventium, aperte sequitur, quod longo tempore fuerit ante Albertum, et Innocentium. Cujus argumenti vires op time expendit Venerabilis Doctor Waldensis *tom.* 3, *in doctrinali fidei*, *tit.* 9, *cap.* 89, ubi ait : « Audiat testes istos Wicleph (*qui* « *Religiosos Ordines*, novellas vanitates « *vocabat*), quamvis judex iniquus. Non a « re, quam testantur, remoti ; non ab ejus « experientia sunt longinqui : ejusdem « erant terræ sanctæ coloni, domestici, « vicini, noti negotio, de quo tractant, et « scriptis pronuntiant, litteris exponunt, « chirographis testantur. quod Ordinis an- « tiquitas, aut initium hominum tunc ibi « viventium memorias superabat. » Ex quibus satis elucet manifesta falsitas prædictæ opinionis, magisque ex dicendis constabit.

Confutatur aplius.

141. Tertiam opinionem tradit Baronius *tom.* 12, *anno* 1181, ubi agens de Alexandro III, qui eo anno e vita migravit, inquit : « Antequam ab Alexandro ad ejus succes- « sorem convertamus orationem, constan- « tior illa videtur assertio, quod Ordo Re- « ligiosorum Carmelitarum, qui in Palæs- « tina in ipso Carmelo monte fixere sedes, « sub eodem Alexandro Romano Pontifice « sumpsit originem ; quoto autem anno « ejus Pontificatus, habetur incertum. Ho- « rum autem promotor, propagator, et « custos fuit ille, qui fungebatur in Oriente « Legatione Apostolicæ Sedis, Haimericus « Patriarcha Antiochenus, qui considerans « plures ex Occidente, qui venerant vitam « eremiticam acturi in Terra Sancta, hinc « inde dispersos, expositos barbarorum « incursibus, collegit eos in unum, duxit- « que in montem Carmelum Eliæ habita- « tione egregie olim nobilitatum. Fuere « ista principia, ex quibus, ut ex parva « scaturigine flumen, immensus est auctus « cœtus Religiosorum virorum, etc. » Opinio Baronii.

Verum enimvero, licet sic asserat doctissimus Cardinalis, minime tamen probat, nec ullum aliquod fundamentum pro sua cogitatione adducit. Unde possumus respondere, quod ex Caramuele refert N. Sylveira *opusc.* 2, *resolut.* 2, *quæst.* 2, *n.* 22, ibi: Incertitudo prædictæ opinionis. Sylv.

« Sum jam assuetus Baronio non credere « dicenti, sed non probanti. » Præsertim cum præclarus hîc annalista fidem nostram sola sua athoritate nequeat extorquere, qui in aliis etiam sit homo, et in lapsus circa historiam non semel impingat, ut sapientissimus Ordinis Prædicatorum Annalista

Thomas. Malv. Thomas Malvenda observavit anno Christi 1198, his verbis : « Non miror tam conspi- « cuum lapsum in Annalium conditore « (nam quid promptius, quam impingere?) « Sed quod tam asper esse soleat in sugil- « landis aliorum erratis, cum non pauci in « ejus Annalibus, inter tot sane bene dicta, « facile animadverti possint, et ipsi plura comprehendimus. » Et Alphonsus de S. Vi-

S. Vitor. tores Episcopus Zamorensis *in suo Occidentis Sole prælud.* 2, *cap.* 2, *n.* 24, de eodem Baronio inquit: « Aliquando dormitat Home- « rus. Periculis se exponit, qui persuadere « nititur novitates. Cæsares succumbunt « difficultatibus, quas inconsulte aggrediun- « tur : et Baronius vincitur, quamvis Cæ- « sar. » Quæ satis erat Baronio dicenti, et non probanti respondere; præsertim cum ipse non videatur pedem figere, sed dubiam proferre opinionem. *Constantior*, inquit, *illa videtur assertio*. Et aliunde non significet Aymericum fuisse Ordinis Carmelitani institutorem, sed promotorem, propagatorem, et custodem: quod optime fieri valuit, licet Ordo fuisset antiquior.

Baronii opinio confutatur. Cæterum falsitatem illius qualisqualis opinationis facile est ostendere, declarando quomodo prædictus Ordo non fuerit institutus tempore Aymerici, sed ejus protectionem, et favores longo durationis intervallo antecesserit. Et Cardinali contrarium opinanti opponimus Cardinales Sacræ Rituum Congregationis, opponimus Sanctissimum D. N. Clementem X, qui Officium S. Bertholdi approbarunt, et Carmelitis concesserunt, cujus 4 lectio sic habet : « Cum sacræ illius temporis expeditioni pro « recuperanda Terra Sancta interesset» (ipse videlicet Bertholdus) « ingrediendæ Reli- « gionis votum emisit, ut Deus exercituum « Christianorum copias in maximis angustiis, in quibus conjectæ erant, dignarentur eripere. Quod postmodum, re obtenta, Altissimo redditurus in Carmeli montem as- « cendit, postulatumque Ordinis habitum « suscepit. In sanctæ Religionis palæstra « novus athleta cæteros virtutum exercitio, « et præsertim vitæ asperitate antecedere « nitebatur, etc. » Prosequitur deinde quinta lectio in hunc modum : « Factum « est autem, ut eo tempore Aymericus « Antiochenus Patriacha, et ejus consan- « guineus in terram sanctam Apostolicæ « Sedis a Latere Legatus missus sit, qui cum « aliquando in Carmeli montem ascendis- « set, fratrumque cœlestem vivendi ratio- « nem contemplatus esset, eos maximis « favoribus prosequutus est, novasque le- « ges edidit pro eorum perfectiori institu- « tione. Tum vita functo Ordinis supe- « riore, S. Bertholdum ob insignem pru- « dentiam, et sanctitatem unanimi omnium « assensu electum ipsit præfecit, moreque « Latinorum Priorem Generalem nuncu- « pavit. » Ex quibus plane constat, Aymericum reperisse Carmelitas constitutos in statu Ordinis, et Religionis, solumque addidisse aliqua prædicto statui accidentalia, quibus tamen ipsius protectionem, et famam apud Latinos promovit. Quod præter alios affirmat vetustissimus testis (vel sola antiquitate, et sanctitate superans quaslibet Baronii cogitationes), D. Cyrillus D. C. Constantinopolitanus, qui vixit ante annum 1200, et Aymericum cognoscere potuit; nam *lib. supra cit. cap.* 3, refert qualiter Godefridus de Bullion sanctam civitatem Hierusalem, et totam terram sanctam dominio Christianorum reduxerit anno 1099, et addit : « Propter quod cœpit tunc cultus « nostræ religionis in monte Carmeli am- « pliari. Quamplures enim devoti peregrini, « qui ab Occidente supervenerant, odore « hujus sancti loci tracti, et devotione reli- « giosorum eremitarum montem hunc in- « habitantium permoti, mundo renuntia- « bant, et per contemplationem cœlestium « se eorum contubernio jungebant. Erat « autem in diebus illis Patriarcha Antio- « chenus, et in terra sancta Apostolicæ Se- « dis Legatus vir quidam amabilis Deo, et « hominibus nomine Aymericus Malafaida, « natione Levomicensis, de villa appellata « Salamaicum, qui prædictorum antecesso- « rum nostrorum Eremitarum Fratrum B. « Mariæ de monte Carmelo laudabilem con- « versationem attendens, eos multum spe- « cialiter suo tempore enutrivit, etc.» Unde satis liquet Aymericum non fuisse hujus Ordinis Institutorem, sed promotorem, et protectorem; fovit enim, et defendit, et aliqualiter reformavit illos religiosos, quos in Carmelo sancte viventes repererat, ut optime vidit vir doctissimus Gilbertus Genebrardus, Gen. qui in Chronologia circa annum Christi 1280 refert

refert sententiam Polydori (quæ eadem est cum Baronii opinione), his verbis : « Ordo « Carmelitarum (qui tunc variegata chla- « myde utebatur) initium habuit in deser- « tis Syriæ, Aymerici Antiocheni Antisti- « tis opera. » At ipse Genebrardus Polydori sententiam sic corrigit, et refellit : « Sed « eorum origo altius repetitur, nempe a « Prophetis Elia et Elisæo, qui Carmelum « montem terræ sanctæ primi consecra- « runt, et discipulos illic reliquerunt, quos « Scriptura filios Prophetarum appellat. » Gualt. Gilberfum imitatur Gualterus *in tabul. chronograph. sæculo* 12, dum Aymericum vocat Ordinis Carmelitani non auctorem, sed *promotorem et restauratorem*. Eodem Pavin. modo loquitur Onuphius Pavinus in Chronico Ecclesiastico, circa annum 1141, et Roder. Acuna. Rodericus Acuna Bracarensis Archiepiscopus *in* 1 *part. Decreti. cap. Generalis*, 12, *distinct.* 54, *num.* 3, ubi ait : « Suscepérunt « post Christi adventum Eliæ successores « Carmelitani Christi fidem cum Baptismo, « ac vota substantialia religionis emisere. » Et infra : « Nata Carmelitanis eremitis « primum regula est in scriptis a Joanne « 44. Patriarcha Hierosolymitano, qui flo- « ruit circa annum 440. Deinde ab Ayme- « rico Antiocheno Legato Apostolico anno « 1141, sub Innocentio II. Tertio acceperunt « regulam, quam nunc servant, ab Alberto « Patriarcha Hierosolymitano. » Quibus plane supponit, Religionem Carmelitanam longo tempore ante Aymericum extitisse cum omnibus substantialibus. Et hæc satis sunt ad refellendam opinionem Baronii, præsertim adjunctis quæ *numero præcedenti*, in secunda confirmatione expendimus, et pari pondere illam impugnant, ut expendenti constabit. Sed urgentius refutabitur ex dicendis *num. sequenti*.

Urgens motivum contra præcedentes opiniones.

142. Ut autem omnes tres relatæ opiniones, et quædam aliæ ipsis similes uno ictu percutiantur, ac prosternantur, motivum proferimus, quod omnem intellectum recte dispositum convincat, ut judicet institutionem Ordinis Carmelitani antiquiorem esse, quam prædictæ opiniones imaginantur. Etenim Romani Pontifices antiquiores Honorio IV, Innocentio III et Alexandro III, concessere speciales indulgentias Ordini Carmelitarum : ergo prædictus Ordo existebat ante prædictos Pontifices. Consequentia est manifesta, quia Pontifices non potuerunt indulgentias Ordini non existenti concedere. Et antecedens certo constat ex bulla Sixti IV, quæ incipit, *Cum attenta*, data Pontificatus ipsius anno 6, et ex alia bulla Gregorii XIII, quæ incipit, *Ut laudes*, data Pontificatus ipsius anno etiam 6, in quibus ex certa scientia testantur Leonem IV, Adrianum II, Stephanum V, Sergium III, Joannem X, Joannem XI, Alexandrum II, Sergium IV, Gregorium V, aliosque plures (ut prolixitatem vitemus), Romanos Pontifices prædecessores suos indulgentias huic Ordini concessisse, quas ipsi in prædictis bullis specialiter recensent, et confirmant, ut prædicto Ordini de Ecclesia benemerito faveant, quem præterea Sixtus his elogiis illustrat : « Dum attenta medi- Elogium Ordinis Carmelitani ex Sixto IV. « tatione pensamus, quod gloriosissima « Dei genitrix Maria Virgo venustissima, « cujus ineffabilem pulchritudinem Sol, et « Luna mirantur, cujusque precibus juva- « tur populus Christianus, et quæ florem « pretiosissimum, immarcescibilem, et « æternum D. N. Jesum Christum, im- « mensa S. Spiritus cooperante virtute ge- « nuit, produxit sacrum Ordinem B. Ma- « riæ de monte Carmeli, a Sancta Sede « Apostolica, et a pluribus Romanis Pon- « tificibus prædecessoribus nostris, et « etiam a nobis multipliciter approbatum, « quem ejusdem gloriosissimæ Dei gene- « tricis, semperque Virginis Mariæ speciali « titulo voluit insigniri, ut ob ejusdem « Virginis reverentiam Ordo ipse a Christi « fidelibus merito peramplius honorare- « tur, ipsique fideles propterea ejusdem « Virginis Mariæ suffragiis adducti æternæ « retributionis premia facilius consequi « mererentur. Dumque sublimium dicti « Ordinis utriusque sexus personarum vir- « tutum merita, Deo quidem grata, et in « conspectu prædictæ Sedis accepta, digna « memoria recensemus, ac Ordinem ipsum, « et illius personas sub Sedis Apostolicæ, « et Ecclesiæ Romanæ protectione imme- « diate existentes, et inter cæteros Regula- « rium Ordinum professores in firma- « mento Catholicæ fidei militantes, sanc- « torumque Prophetarum Eliæ, Elisæi, et « Henoch, necnon et aliorum sanctorum « Patrum, qui montem sanctum Carmeli « juxta Eliæ fontem inhabitarunt, succes- « sionem hæreditariam tenentes, fructus « quoque uberes, quos dictus sacer Ordo « in agro militantis Ecclesiæ, in propaga- « tione Religionis, et fidei ortodoxæ hac- « tenus produxit utiliter, et producit, ac « in futurum producturum fore indubi-

« tanter speramus, paterna charitate in-
Greg. XIII. « tuemur, etc. » Et Gregorius inquit : « Nos igitur Ordinem ipsum, illiusque « personas inter cæteros Regularium Or- « dinum professores in Catholica Ecclesia « militantes, tanquam Religionis exemplar « speciali charitate fulgentes, etc. » Quod autem illi Pontifices, quos Sixtus, et Gregorius recensent, longo intervallo præcesserint tempora, quæ sententiæ supra impugnatæ pro institutione religionis Carmelitanæ designant, evidenter ostenditur; nam Stephanus V regebat Ecclesiam anno 816, Leo IV, anno 847, Adrianus II, anno 868, Sergius III, anno 909, Joannes X, anno 913, Joannes XI, anno 931, Gregorius V, anno 996, Sergius IV, anno 1009, Alexander II, anno 1061, ut ex Chronologia Bellarmini, et aliorum liquido constat. Easdem prædictorum antiquorum Pontificum indulgentias, eorum nominibus expressis, novissime expendit, ac confirmavit Sanctissimus D. N. Clemens X, in bulla quæ incipit, *Officium*, data anno Domini 1673, Pontificatus ipsius anno 3.

Major præmissarum opinionum confutatio. Quod motivum potest alia via non minus urgenti, ac plana fulciri; nam longo tempore ante Alexandrum III et Innocentium III, fundata fuere plura Ordinis Carmelitarum monasteria : ergo existebat hic Ordo ante prædictos Pontifices. Consequentia est manifesta, et antecedens constat ex ipsis monasteriorum fundationibus; nam Florentinum erigitur anno 743, Pisanum anno 838, Romanum S. Martini in Montibus anno 847, Boppardianum in Germania anno 1045, Coloniense anno 1099, et sic de aliis, ut ex authenticis instrumentis, et aliis monumentis antiquitatis probat Lezana. Lezana *tom.* 3, *ad prædictos annos.* Imo omnia monasteria Britanniæ, et Scotiæ, quæ præcesserunt adventum Augustini, et sociorum in Angliam circa annum 596, fuisse Ordinis Carmelitani, probat Clemens Reyner. Reynerus in libro, cui titulus, *Apostolatus Benedictinorum in Anglia, tract.* 1, *sect.* 1, § 12, *et* 18, *et* 29. Et ut ab aliis provinciis ad Hispaniam nobis notiorem, et ad Toletum Hispaniæ caput oculos convertamus, monasterium Carmelitarum in regia urbe Toletana antiquissimum est, et quod plura secula, Maurorumque irruptionem ante-
Julian. Petri. vertit. Unde Julianus Petri vetustus Scriptor (florebat enim ante annum 1100, ut ipse testatur *in tract. de Eremitoriis, num.* 17), in eodem tractatu, *n.* 15, inquit : « Eremitorium Toleti in suburbio S. Ma- « riæ de Als » (hoc est Alficem) « a tempo- « ribus antiquissimis tertium templum « Toletanorum, quo venerunt olim Mona- « chi Carmelitæ, et tempore captivitatis « hæc fuit Ecclesia Aldefonsi Sexti. » Et Petrus Sanctius *in histor. morali, et philosophica,* 3 *part. in tract. de Ecclesiis Toletanis,* inquit : « Monasterium Toletanum « Dominæ nostræ de monte Carmeli est « antiquius inter omnia religiosorum mo- « nasteria, quæ Toleti existunt. » Et Fran- « ciscus Ruspuerta *in historia Giennensi, seculo* 7, *cap.* 5, ait : « Quod monachi Car- « melitæ eandem Toletanam domum con- « servent, urgenter confirmat veritatem « Juliani, istaque evincit magnam Car- « melitarum in Hispania antiquitatem. » Ipse vero hoc ulterius sic confirmat : « Sanctos monachos Fabricium, et Phili- « bertum, qui Titultiæ anno 308, martyrio « coronati sunt, ut Dexter scribit ; et vir- « gines Deo consecratas, quarum memi- « nit Concilium Eliberitanum cap. 13, et « monachos ac moniales, de quibus agit « Concilium Cæsaraugustanum cap. 6, et « 8, pro comperto habeo fuisse Carmelitas « Ordinis Prophetici ; nam eis tempori- « bus D. Augustinus nondum fundaverat « suum Institutum, nec D. Benedictus in « pluribus sequentibus annis suum in- « choavit. »

Petrus Sanct. Rusp.

Quibus omnibus robur adjicit testimonium Eutrandi, seu Luitprandi *in fragmentis, a n.* 100, ubi ait : « Sunt qui putent, « quod et ego credo, S. Leocadiam monia- « lem fuisse Ordinis Carmelitani, quem « Ordinem monachi Carmelitani ad fidem « Christi conversi in Hispaniam intule- « runt, ex quibus fuit Elpidius primus To- « letanus Præsul a S. Jacobo constitutus. » Et numero sequenti prosequitur : « S. El- « pidius, quem S. Jacobus præfecit Toleta- « nis primum Pontificem, Carmelita mo- « nachus fuit, et prima Petri concione « conversus ad fidem cum sociis multis « venit in Hispaniam, et Toleti fundavit « monasterium virginum, et monachorum, « ubi postea fuit Agaliense, quod fuerat B. « Virgini curæ monialium harum matri. » Quæ magis illustrat Quintanaduenas e sacra Societate *in hist. sanctor. Tolet. pag.* 131, his verbis : « Incolebat Elpidius celebrem « montem Carmelum inter Syriam, et Ju- « dæam, ubi fervidi illi Patriarcharum « Eliæ, et Elisæi filii habitarunt a primis seculis

Anti-quitas Carme-tarum i Hispani Luitp. Quint.

« seculis usque ad aurea tempora legis « gratiæ. Tunc vero dispersi per civitates « Judææ, Samariæ, et Galilææ, audita præ- « dicatione Christi Domini nostri, et Bap- « tistæ ipsius præcursoris, atque Apostolo- « rum, non tantum illustrati splendore « Evangelii fuere, sed constituti etiam « eorundem Apostolorum coadjutores ad « mundi conversionem, electique ab ipsis « magistri, et Prælati diversarum religio- « num, ubi eisdem Apostolis associati fi- « dem plantaverunt. Horum unus fuit El- « pidius, etc. » Similia tradunt Comes Morensis, Castejon, et alii, quos refert Tamayo. Tamayo *in Martyrolog. Hispano, tom.* 6, *die* 9 *Decembris, fol.* 429, et novissime Paulus de la Pena Eques S. Mauricii *in Memor. pro Primatu S. Elpidii in Eccles. Toletana, pag.* 39. Omittimus (quia præmissa sufficiunt), alia addere ex Chronico Haudberti, quod in lucem dedit Gregorius Argaez illustrissimæ familiæ Benedictinæ Chronologus Generalis. Satis sit aliqua insinuare. Anno Christi 55, Haudbertus inquit : « Eliodorus « Græcus Eremita Carmelitanus Caucæ « monasterium confluxit. » Anno 58 « S. Eu- « logius Abbas Carmelita Toleti obiit. » Addit Argaez : « In monasterio, scilicet « Agalienſi a S. Elpidio monacho quoque « Carmelitano erecto » Anno 66 « Caucæ du- « centi monachi Carmelitani combusti in- « tra eremitorium, quod construxerant, « die 15 Julii. » Alia relinquimus, quæ collecta reperiet lector apud Josephum Andream sacræ Societatis Jesu *in decore Carmeli, a n.* 160.

Paulus de la Pena. Haudb. Argaez. Joseph. Andr.

§ VIII.

Confutatio aliarum opinionum.

143. Ex dictis convulsæ etiam manent aliæ duæ opiniones nobis contrariæ. Quartam in ordine sic refert Cartagena, Ordinis Seraphici, *lib.* 17, *homil.* 2, *object.* 5, ibi : « Hieronymus Roman lib. 6, quem vocat « de Republica, c. 10, ait Religionem Car- « melitarum non habuisse primordia ab « Elia, et ejus successoribus in monte Car- « melo, sed anno 796, tempore Leonis III, « accepisse quandam regulam ex approba- « tis ab Ecclesia, Basilii scilicet, Augustini, « etc. » Quintam, et ultimam docent alii, qui cum ex una parte nolint nostræ sententiæ subscribere, et ex alia videant se opprimi motivis, quæ hactenus expendimus, dicunt prædictum Ordinem exordium accepisse a Joanne Patriarcha Hierosolymitano circa annum Christi 412. Hanc opinionem sub incerto nomine refert Coriolanus *in Breviario Chronolog. ad eundem annum*, quam ipse non reprobat.

Quarta opinio. Cartag. Quinta opinio. Coriol.

Sed quod ad opinionem Romani attinet, illam acriter, et nervose refellit Cartagena *loco citato*, ab illis verbis : « Cæterum ut « clarius innotescat delirium hujus homi- « nis, etc. » Nec videtur verbo excedere ; nam profecto in re historiali adeo gravi, et antiqua, qualem versamus, delirium est aliquid affirmare absque ullo testimonio, aut rationabili fundamento ; nihil autem horum occurrit, ut dicatur Ordinem Carmelitarum incœpisse tempore Leonis III, et anno 796, et non potius tempore antecedenti, aut sequenti ; nec id dici potest nisi divinando. Præterea optime cohæret, quod aliquis religiosus Ordo sit longe antiquior regula, quam postea suscipit ; cum hæc ad essentiam status religiosi non requiratur, ut constat ex dictis *disputatione* 1, *num.* 29, unde dato, ut minime concesso, quod Ordo Carmelitanus suscepisset regulam B. Basilii, vel D. Augustini anno 796 (quod est prorsus falsum), minime hinc inferretur, quod prædictus Ordo non fuerit ante prædictam regulam, ejusve professionem. Addimus longe verosimilius esse, quod D. Basilius (quidquid sit de Divo Augustino), primo sequutus fuerit Institutum Eliæ, et Carmelitarum, quam quod isti aliquando illius regulam fuerint professi. Nam primum illud (ut alia testimonia omittamus), significat D. Gregorius Nyssenus Basilii frater in oratione de ipsius laudibus, ubi ait : « An etiam audebimus ad sublimem « Eliam sermone ascendere, et ostendere « Doctorem nostrum suæ vitæ instituto « illius gratiæ assimilari. » Nec contemnendum est argumentum, quo utitur illustrissimus Sanvictores Generalis Ordinis Benedictini, et Episcopus Zamorensis, *tom.* 1, *prælud.* 6, *cap.* 1, *num.* 22, ubi cum Baronio probat, D. Basilium fuisse particularem in Ponto monachum, quando ad Concilium Lampsacense vocatus est, et subdit : « Nunc inquiro, quam regulam ibidem pro- « fitebatur magnus ille pater Orientis ? « Profecto non suam, quem nondum scrip- « serat. Aliam itaque observavit, nempe « vel Divi Antonii, vel Pachomii, vel quod « certius est, Carmelitarum. »

Refellitur opinio Romani. D. Greg. Nyssen. S. Vict.

Accedit plura, quæ supra expendimus, et

infra addemus, satis evincere, quod istorum Ordo tempus illud, et Leonem III præcesserit. Nec oportet amplius in refutando cogitationem nulli fundamento innitentem immorari.

Nota. Sed observamus, quod in eo loco, quem Cartagena designat, non agit Roman de Carmelitis, sed de Canonicis regularibus. De Carmelitis vero loquitur *cap.* 15. Et licet eo loco plura falsa, indigesta, et fundamento destituta accumulet, opinionem tamen, quam ipsi Cartagena attribuit, non tuetur, sed relatis *n.* 140 et 141, subscribit. Et ibidem testatur se in monasterio Montis Serrati vidisse librum manuscriptum Abbatis Trithemii *de origine, et laudibus Carmelitarum*, in quo nostram sententiam propugnat. Quod obiter notamus ob aliquos, qui de prædicto opere dubitarunt; validum quippe existit testimonium, quod juratus nostræ antiquitatis hostis ultroneus edit. Recolantur quæ diximus *n.* 105.

Refellitur quinta opinio. 144. Quod vero posterior sententia affirmat, nullum habet prope testimonium, aut fundamentum, quam ipsum librum Joannis Patriarchæ 44 ad Caprasium ; quia enim prædictæ sententiæ Authores viderunt in eo libro quandam regulam Carmelitis tradi, eamque antiquissimam esse, arbitrati sunt Carmelitas ab eo tempore incœpisse. Sed eorum absurda cogitatio non aptius, aut evidentius refutatur, quam ex ipso Joannis libro, cui eam committunt. Nam Joan. Hieros. prædictus Joannes totus est in demonstrando originem religionis Carmelitanæ ab Elia, illiusque continuam successionem usque ad sua tempora. Et quia prolixum nimis esset omnia referre, pauca quædam, et satis evidentia dabimus. *Cap.* 21, inquit : « Quo-
« niam igitur Elias præ cæteris eremis, in
« quibus habitavit, montem Carmeli tan-
« quam commodiorem ad plantandum in
« eo Propheticam religionem vitæ mo-
« nasticæ, et docendam melius, et exer-
« cendam (ut dictum est) elegit, quem etiam
« montem præfatis miraculis clarissime
« decoravit ; ideo Elisæus, et cæteri Eliæ
« discipuli, religiosi viri, Prophetarum
« filii, necnon eorum tam veteris, quam
« novi Testamenti successores, montem
« Carmeli in veneratione speciali semper
« habentes, ipsum aliis eremis, ut religioni
« suæ magis congruum prætulerunt, etc. »
Et *cap.* 28, ait : « Intuentes quidam viri mo-
« nachos in monte Carmelo nunc habi-
« tantes esse Christianos, putaverunt (ut
« asseris dilecte Caprasi), eos non esse
« ejusdem religionis cum illis monachis,
« qui olim per sanctum Eliam Dei Prophe-
« tam fuerunt in eodem monte instituti,
« pro eo quod illi non fuerunt Christiani,
« sed Judæi. Quam autem erronea sit isto-
« rum virorum opinio, et a veritate deviet,
« ex sequentibus tibi manifestum fiet. An-
« tiqui namque hujus montis monachi, etsi
« non nomine, tamen recta fide fuerunt
« viri Christiani, sicut sunt monachi mo-
« derni. Quoniam illi firmam fidem in
« Christum habuerunt, a quo et animarum
« salutem speraverunt, pro qua conse-
« quenda mundum reliquerunt, et corpora,
« ac animas suas obtulerunt Deo, de qui-
« bus ait Apostolus : Circuierunt in melotis,
« et in pellibus caprinis, angustiati, etc. »
Et *cap.* 32, inquit : « Postquam autem pro-
« fessores hujus religionis fuerunt per
« Apostolos baptizati, et sacri Evangelii
« eloquiis eruditi, intellexerunt plane illud
« mysterium esse impletum, quod per
« Deum fuerat Prophetæ Eliæ in monte
« Carmeli revelatum, etc. » Ex quibus liquet, Ordinem Carmelitarum ortum non ducere a prædicto Joanne, qui vetustiorem ipsius originem tam evidenter tradit, et recognoscit.

Urgentior prædictæ opinionis confutatio. Adde primo, ipsum Joannem, antequam ad dignitatem Patriarchalem assumptus fuisset, et præfatum librum scripsisset, fuisse monachum Carmelitam, hujusque religionis alumnum : ex quo satis evincitur, quod ipsa ab illo non duxerit suum exordium. Unde Salianus vir doctissimus Salian. *tom.* 4, *anno mundi* 3123, *numero* 7, de prædicto Joanne agens, inquit : « Eum ille
« librum conscripsit, cum post diuturnam
« vitæ religiosæ cum fratribus montis Car-
« meli professionem, Hierosolymis post S.
« Cyrillum factus Pontifex, ad alias voca-
« tus curas, non potuit eos ultra domesti-
« cis exemplis, verbisque instituere ; ro-
« gatus enim a Fratribus, maximeque a
« Caprasio, quem ille Præpositum religio-
« sorum suo loco relinquebat, ad eorum
« consolationem, certioremque institutio-
« nem edidit librum, in quem non pauca
« partim ex Scriptura mandavit litteris,
« partim ex traditione seniorum, quibus-
« cum a puero vixerat, qui et ipsi a majo-
« ribus eadem per manus acceperant, etc. »
Et Ferdinandus de Salazar *lib. de immaculata Conceptionne Virgin. sæculo* 4, *argum.* 12, *c.* 42, inquit : « Vidi certe, atque evol- Salaza

vi

« vi non pauca antiquitatis monumenta, ut « in hac controversia aliquid certi defini- « rem ; nihil tamen reperi, quod non sua- « deret præmissum Joannem Carmelita- « num fuisse, et dictum de Institutione « Monachorum librum ab ipso conscrip- « tum, atque adeo hanc sententiam liben- « tius amplector, et gravissimo, antiquis- « simoque Ordini, quæ sua sunt, libere « restituo. » Et Hieronymus Plati *lib.* 2, *de bono statu religiosi, cap.* 22, inquit : « Car- « melitarum quoque Institutum, etsi an- « nis demum 1200, post Christum natum « in Italiam illatum est, multo tamen an- « tiquius fuisse asserunt viri gravissimi, « cum memoriæ proditum sit in ipso anno « salutis 412, Joannem Hierosolymitanum « Patriarchatum, qui ex hoc ipso Ordine « antea fuerat, eique præfuerat, regulam « ei constituisse : ex quo apparet, ipsum « etiam vetustius esse. » Et Lælius Zechius *in lib. de Republica Ecclesiast. tract. de Relig. c.* 2, *n.* 2, de Carmelitis disserens, inquit : « Joannes Hierosolymitanus Patriar- « cha, qui ex eodem Ordine fuerat, regu- « lam eis præscripsit, quo notatur eos « ante extitisse. » Similia proferunt plures alii, tam ex extraneis, quam propriis, quos refert Lezana *in Apparatu, c.* 9. Sed præ aliis audiendus vir sapientia, sanctitate, et antiquitate insignis D. Cyrillus Constantinopolitanus, *in lib. sive epist. de processu hujus Ordinis, cap.* 1, ubi ait : « Fuit autem « tempore Arcadii, et Honorii Imperato- « rum in monte Carmeli Pater dictorum « Religiosorum, quidam vir miræ virtutis, « et perfectionis, Joannes nomine, qui « cæteros consortes suos, ejusdem montis « monachos exemplo suo, et magisterio « solicite inducebat ad perfectionem inqui- « rendam secundum propheticam disciplí- « nam vitæ monasticæ per Eliam Prophe- « tam institutæ, quam Joannes eis expo- « nebat ex diversis dictis, tam veteris, « quam novæ legis, et ex nonnullis tracta- « tibus editis a professoribus prædecesso- « ris suis. Qui tandem propter ejus sancti- « tatem in Pontificem Hierosolymitanæ « Ecclesiæ sublimatus, Apostolo Jacobo in « Episcopatu ejusdem Ecclesiæ quadrage- « simus quartus successit, etc. » Unde plane constat, prædictum Joannem non authorem, sed Religionis Carmelitanæ jam diu institutæ sectatorem fuisse.

Hieron. Plati.

Zechius.

Lezana.

D. Cyril. Const.

Major impugnatio.

145. Adde secundo, quod sicut sententias supra relatas refellimus, quia ante tempora ab ipsis designata reperimus hujus religionis statum, ac memoriam, ut constat ex dictis : sic etiam rejiciendus est posterior hic dicendi modus, quoniam ante prædicti Patriarchæ Joannis ætatem, tam in lege nova, quam veteri occurrunt non obscura ejusdem religionis indicia, et quantum materia historialis, et antiquissima fert, satis efficacia argumenta, ut fuse ostendimus *a num.* 125. Occasio vero, ut omnes relatæ sententiæ a vero deviaverint, fuit (ut minus attentam ad traditionem hujus Ordinis, aliaque antiquitatis monumenta considerationem prætermittamus), falsa quorundam apprehensio existimantium, non aliter statum religiosum secundum essentiam consideratum incipere, quam a positiva Ecclesiæ approbatione, et determinatæ regulæ professione. Et quia viderunt Religionem Carmelitanam diversis temporibus regulas accepisse, aut ab Ecclesia approbatam fuisse ; propterea juxta diversa tempora prædictarum regularum, aut approbationum designarunt illius initium, ipsum referentes vel ad tempus Innocentii III, vel ad tempus Aymerici, vel ad tempus Joannis Hierosolymitani. Sed profecto tam in principio, quam in decursu falluntur ; quia ad essentiam status religiosi (si prætermittamus accidentariam Ecclesiæ dispositionem, quæ a Concilio Lateranensi sub Innocentio III, longo tempore post Ordinem Carmelitanum incœpit), non requiritur positiva approbatio, sive confirmatio Ecclesiæ, nec certa regula ; sed sufficiunt tria vota substantialia cum traditione ad Dei cultum, ut ostendimus *disp.* 1, *dub.* 2, *et* 3. Hæc autem adfuerunt pro constituendo statu religioso etiam in lege veteri, ut constat ex dictis in præsenti disputatione, per totam. Dato autem, et non concesso, quod certa regula, et positiva Ecclesiæ approbatio requirerentur, adhuc inde non inferretur, quod religio Carmelitana non fuerit a tempore antiquissimo veteris legis ; quippe illo etiam potuit ab Ecclesia approbari, et determinatam vivendi formam profiteri, ut *num.* 78 explicuimus. Et quod ita contigerit, constat ex omnibus, quæ probant prædictæ Religionis antiquitatem, et hucusque expendimus ; non enim aliter extitit, quam cum omnibus essentialiter requisitis.

Detegitur aliquorum æquivocatio.

Ab illis autem, qui nimis scrupulose circa ista se gerunt, inquirendum est, quam regulam profitebantur illi Religiosi, qui

Aliquorum motiva retorquentur.

fuerunt in Ecclesia a tempore Apostolorum usque ad Basilium, aut Antonium, aut Augustinum certarum regularum Authores ? Fuisse enim viros religiosos certo constat ; habuisse autem determinatam regulam, aut specialem Ecclesiæ confirmationem, non constat. Quod ergo illi responderint, idipsum respondemus. Et merito id ipsum, quia omnes monachi, qui primis tribus, aut quatuor seculis floruerunt, priusquam status religiosus per varias formas, aut regulas esset divisus, non alterius Instituti fuerunt, quam Eliani, Prophetici, et Carmelitici, ut non immerito Joannes Cartag. Cartagena Ordinis Seraphici *lib.* 17, *homil.* 2 *circa finem*, hæc scripserit : « Ut uno verbo « 2 innumeros hujus Religionis comme- « morem, quotquot ab Elia (hoc est ab ejus « tempore, et religiosa institutione) in spe- « luncis, cavernis, montibus et desertis « Ægypti, et Thebaïdæ, et aliarum regio- « num monasticam vitam professi sunt, « Eliani Instituti fuerunt cultores, ac hujus « sacræ Religionis filii. Unde Trithemius « ait : Tot sancti sub Ordine Carmelitano « fuerunt, ut penitus numerari nequeant ; « etenim si quis stellas cœli dinumeret, et « Sanctos hujus Ordinis numerare pote- Joseph. Andr. « rit. » Et Josephus Andreas sacræ Societatis Jesu, *in lib. sæpius laudato, decore* 38, hanc statuit assertionem : « Monachi et « Anachoretæ omnes, qui per quatuor fere « prima sæcula floruerunt, Eliani Instituti « pressere vestigia. » Et ibidem refert Leand. Granat. Leandrum Granatensem illustrissimi Ordinis Benedictini, *in vita S. Gertrudis*, qui ait : « Existimo quod optime, et verissime « ad hanc Religionem reduci queant omnia « Cœnobia Orientis, omnesque viri illus- « tres sanctitate, et doctrina, qui ex illis « prodierunt, omnes Patriarchæ, Archie- « piscopi, et Episcopi, qui orientalem Ec- « clesiam rexerunt. » Majus quid addit Joan. Bus. Joannes Bussieres sacræ Societatis Jesu 2, *part. Florum histor. c.* 5, *circa annum* 1170, ubi ait : « His temporibus florebat jam « Carmeli gloria, quæ ab Elia et Elisæo « originem ducens tot seculis perdurave- « rat in sanctis Anachoretis. Albertus Hie- « rosolymitanus ipsam reparavit, et Ale- « xander III, primus approbavit regulam. « Vere ipsa Religionum origo, etc. » Sed hæc Ordinis Scriptoribus, et Annalistis relinquimus.

§ IX.

Motiva contrariæ sententiæ referuntur, et diluuntur.

Sententia opposita. 146. Oppositam nobis opinionem tuentur plures Authores § *præcedenti* relati, et alii, quos dedimus *num.* 95, *et n.* 120. Illorum vero præcipuum fundamentum est, quod status religiosus secundum essentiam consideratus non præcesserit tempus evangelicæ legis, atque ideo non potuerit ad illud usque continuari, et multo minus ad præsentem istam durationem extendi. Sed motivum istud diruimus locis citatis, firmando contrarium, quod hic supponendum est. Unde oportet, quod Adversarii ad alia fundamenta recurrant, et probent statum religiosum in veteri lege inchoatum cessasse aliquando absolute, et hæc usque tempora non pervenisse. Quo pacto, et non aliter nostram assertionem directe oppugnabunt: et in eorum favorem.

Primum argumentum. Arguitur primo : Nam admisso, quod Elias instituerit aliquam religiosam familiam in monte Carmelo, nihilominus post ipsius raptum usque ad Christi adventum supervenerunt gravissimæ populi Judaïci persequutiones, in quibus illa gens dispersa a propriis sedibus fuit, ut constat ex libris Regum, Prophetarum, et Machabæorum : Ergo incredibile est, quod prædicta familia in monte Carmelo, et duraverit usque ad legis evangelicæ tempus.

Confirmatio. Confirmatur, quia tempore Vespasiani paulo post mortem Christi Domini, non erat in prædicto monte verus Dei cultus, sed potius vigebant sacrilegæ Gentilium superstitiones : ergo signum est, quod tempore immediate præcedenti non fuerat ibidem verus status religiosus, qui sine legitimo Dei cultu minime consistit. Consequentia videtur manifesta, quia credibile non videtur, quod prædictus status, si ibidem fuisset, tam repente cessaverit. Et Cornel. Tacit. antecedens probatur ex Cornelio Tacito, qui agens de Vespasiano a Nerone misso ad subjugandam Judæam, inquit : « Est Ju- « dæam inter Syriamque Carmelus, ita « vocant montem, Deumque. Nec simula- « chrum Deo, aut templum (sic tradidere « majores) ara, et reverentia. Illic sacri- « ficanti Vespasiano, cum spes occultas « versaret animo, Basilides Sacerdos ins- « pectis extis, quidquid est (inquit) Vespasiane,

« siane, quod paras, seu domum exstruere,
« seu prolatare agros, sive ampliare, datur
« tibi magna sedes, ingentes termini, mul-
Sueton. « tum hominum. » Et Suetonius *in Vespa-*
« *siano, c.* 5, inquit :« Apud Judæam Car-
« meli Dei oraculum consulentem ita con-
« firmavere fortes, ut quidquid cogitaret,
« volveretque animo, quantumlibet ma-
« gnum, id esse proventurum pollicerен-
« tur. » Ubi omnia, sacrificia videlicet, exta, fortes, Deique Carmeli nomen, redolent ethnicismum.

Occurritur argumento. Ad argumentem respondetur negando consequentiam, saltem quoad ultimam partem, quæ (quidquid sit de continua permanentia in Carmelo) excludit absolutam perseverantiam religionis ab Elia institutæ; nam oppositum constat ex omnibus testimoniis supra adductis *a num.* 125. Et quod incredibile minime sit, dupliciter potest ostendi. *Primo*, quia prædictæ persequutiones non minus respiciebant fidem, quam religionem, quinimo magis, ut rem magis notam, et Gentilibus magis exosam; et tamen certum est, quod fides non defecit absolute in populo Judaïco, sed permansit usque ad Christum : sic igitur potuit in aliquibus conservari religiosus status. *Secundo*, quia prædictæ persequutiones graviores non fuerunt illis, quas plures Tyranni excitaverent contra fidem Christi Domini post ipsius mortem, et tamen eis obstantibus, perseveravit non solum prædicta fides, sed etiam status religiosus erectus, et approbatus ab ipso Christo. Cur ergo status elle, quem Elias inchoavit, non potuit similiter inter persequutiones similes conservari, et usque ad tempus legis evangelicæ progredi? Præsertim cum ad salvandam prædicti status perseverantiam opus non fuerit habere publica et communia monasteria, determinatum, et peculiarem habitum, aliaque similia huic statui accidentaria, quæ quia Adversarii (imaginatione præsentis conditionis Ecclesia detenti) non transcendunt, trahuntur ad magnas angustias, vel circa ipsum etiam statum religiosum in primitiva Ecclesia, in qua prædicta accidentaria non erant.

Nota. Quod facile declinarent advertendo statum religiosum salvari substantialiter penes vota et traditionem, ut fuse ostendimus *disputatione* 1, *dub.* 1 *et* 3, sive quis talem statum profiteatur in particulari domo, sive in monasterio, sive in eremo, sive in captivitate constitutus. Et hoc modo permansit status religiosus ab Elia institutus, ut facile apparet in Essensis ipsius alumnis, cum quibus vixit B. Joannes Baptista, et qui usque ad tempus Christi, et prædicationem Evangelii continuo perseverarunt, ut ostendimus *num.* 84, et locis ibidem relatis. Quinimo valde probabile est, permansisse continuo in ipso monte Carmeli, ubi Elias prædictum statum inchoavit, ut satis constat ex Joseph Antiocheno, et aliis Authoribus relatis *a n.* 132, et luculenter tradit Joannes Hierosolymitanus *lib. de instit.* Joan. Hier. *Monach. cap.* 26, et facile intelligitur ex eo, quod persequutionis illæ regna, civitates, et divites respiciebant; non sic autem religiosos, pauperes, afflictos, errantes in solitudinibus, et occultos in cavernis terræ, quorum nec arma timebant, nec sperabant divitias.

Diluitur confirmatio. Ad confirmationem posset, omisso antecedenti, negari consequentia ; quia religio ab Elia instituta non erat alligata illi materiali loco montis Carmeli ; unde ex eo, quod eo tempore in illo monte non fuisset, minime inferretur, quod eo tempore nullibi existeret; poterat enim in aliis Judææ, et orbis locis conservari, præsertim cum eo jam tempore Apostolis cooperaretur in prædicatione Evangelii, ut constat ex dictis *num.* 126, *et* 132. Unde prædicta consequentia non valet magis, quam ista : « Post invasionem Sarracenorum non fuit « religio Carmelitarum in monte Carmelo : « ergo prius non erat, nec tunc alibi con- « servabatur. » Et quam ista : « Post « Henricum VIII, non fuit publicus veræ « fidei cultus in Anglia : ergo prius non « fuerat, nec tunc erat in alio loco. » Quæ illationes sunt absurdæ, et ridiculæ, ut ex se liquet.

Sed respondetur negando antecedens : nam eo tempore, quo Vespasianus accessit ad Carmelum, anno videlicet tertio ante Hierosolymitanum excidium, vigebat in Carmelo et vera fides, et vera religio, ut satis constat ex Officio ab Ecclesia approbato, cujus verba dedimus *num.* 26, *in fine*, et ex aliis testimoniis, quæ supra allegavimus. Ad antecedentis vero probationem respondetur primo, Carmelum montem satis extendi ; nam vel solus tractus occidentalis respiciens mare continet quinque circiter leucas. Unde olim in sortem cessit tribus Tribubus Israel, pars meridionalis tribus Issachar, septentrionalis tribui Asser, media vero tribui Zabulon. In ea vero

tam extensa situs magnitudine fieri optime potuit, quod quædam montis pars retinuerit verum Dei cultum apud monachos Eliæ imitatores, ac discipulos ; et quod in alia ejusdem montis parte Ethnicismus sedem fixerit, et sequaces habuerit. Sicut de facto videmus religiosos Carmelitas Discalceatos habitare modo quandam, etsi satis parvam, prædicti montis partem, reliquum vero montis spatium ab infidelibus occupari, inter quos plurimi sunt eremitæ legis Mahometicæ, ut refert oculatus testis Philip. a SS. Trinitate *lib.* 8 *Hist. Carmelitanæ, cap.* 5. Unde dato, ac permisso, quod ea quæ Tacitus, et Suetonius referunt, fuerint sacrilega, in aliquaque Carmeli parte contigerint, nullo modo infertur, quod eo tempore legitimus veri Dei cultus a toto monte penitus abfuerit ; oppositum enim satis constat ex supra dictis.

Cæterum quia longe probabilius est, oraculum, cujus Scriptores illi meminerunt, fuisse veram Dei revelationem, et Basilidem vera ipsius fide imbutum, propterea respondetur secundo, et melius, Scriptores illos gentiles loqui more, et vocabulis Gentilium, qui verum Dei cultum, et ex vero Deo oraculum nominibus apud ethnicos familiaribus obscurare voluerunt, aut forte melioribus referre nescierunt. Quod in eisdem Tacito, et Suetonio notat Baronius anno Christi 328, ubi ait : « Nec mirari « quis debet, si subobscure, neque adeo « dilucide ethnicus Scriptor mysteria nos- « tra sit prosequutus, cum id ipsum sit « observare in cæteris Scriptoribus Genti- « libus omnibus, qui rerum Christiana- « rum meminerunt ; nam eadem obscure, « concise, dubie, et haud usquequaque fi- « deliter, in omnibusque vere referre « consueverunt, ut Suetonius, et Tacitus, « Lucianus, et alii. » Unde iidem Suetonius, et Tacitus Vespasiano deferebant plura, quæ sacræ litteræ tribuunt Messiæ, ut idem Baronius observat anno 71. Sic ergo hallucinati sunt in referendo revelationem factam Carmeli eremitæ de gestis Vespasiani futuris.

Baron.

Secundum argumentum.

147. Arguitur secundo, quia status legis scriptæ, et status legis gratiæ habent conditiones valde diversas, et essentialiter repugnantes : ergo monachatus veteris legis differt essentialiter a monachatu legis evangelicæ, atque ideo cum isto continuari non potuit, sed eo adveniente cessavit.

Respondetur negando utramque consequentiam ; nam sicut non obstante prædictorum statuum diversitate, Ecclesia sub illis constituta est substantialiter una, et eadem, et similiter fides, et gratia, ut *dub.* 1 late expluicuimus ; sic etiam monachatus. Quia ad ejus essentiam sufficiunt tria substantialia vota cum aliquali traditione ad Dei cultum ; quæ omnia queunt cum identitate specifica salvari in utroque Testamento. Quam essentialem identitatem haud obscure docuit Venerabilis Abbas Joachimus, qui (referentibus Bivar. *lib.* 1 *de veteri Monachatu, cap.* 1, et Quintanilla *lib.* 4, *de arca Testamenti, in explanat. moral. thes.* 8.) sensit duos illos Cherubinos assistentes Propitiatorio repræsentasse Monachatum veteris, et novi Testamenti. « Sic enim (ait Quintanilla) ille rescripsit « ad Summos Ecclesiæ Pontifices Lu- « cium III, Urbanum III, et Clement. III, « Et hanc effigiem ipse humili ingenuitate « fassus est e sapientiæ cœlestis arcanis « deprompsisse. » Eamque cogitationem appellat relatus Author *piam et vere auream.* Quanta autem fuerit inter eos Cherubinos similitudo, superfluum est hic expendere, cum satis constet ex Scriptura, et communi Doctorum expositione. Accessit tamen monachatui, sicut etiam Ecclesiæ, insignis perfectio tempore legis gratiæ ob præsentiam Christi Domini : sed augmentum istud sicut non variat essentialiter Ecclesiam, ita non præstat, quod monachatus sit a præcedenti substantialiter diversus. Et quia hanc difficultatem sæpius diluimus, in ejus enodatione non amplius immoramur. Recolantur dicta *loco cit. et num.* 77, *et n.* 97.

Respon sio.

Ob eandem rationem omittimus hic argumenta desumpta ex necessitate approbationis, confirmationis, regulæ, potestatis clavium, et similium, quæ videntur requiri ad religiosum statum, et non fuisse in veteri Testamento ; nam ad hæc satis constat ex dictis *num.* 95, et locis ibidem relatis ; et non tam impugnant continuationem status religiosi instituti tempore legis scriptæ, quam primam ipsius eo tempore institutionem : cujus contrarium supponimus in præsenti ex dictis *dub.* 7, per totum.

Tertium argumentum.

148. Arguitur tertio, quia si religio ab Elia instituta continuata fuisset tempore legis gratiæ, et permansisset prioribus illis primitivæ Ecclesiæ seculis, maxime in Palæstina, ubi primum Prophetica religio magis

magis floruerat : atque ibidem non permansit, nec continuata est : ergo nullibi.

D. Hier. Minor probatur ex D. Hieronymo in vita S. Hilarionis, ubi affirmat, quod ante Hilarionem non erant monasteria, aut monachi in Palæstina ; sed quod ille fuerit primus vitæ monasticæ Author in ea provincia. Idemque argumentum fieri potest ex eo, quod idem D. Hieronymus in vita S. Pauli dixerit, eum fuisse primum eremitam.

Confirmatio. Confirmatur, quia D. Hieronymus, et alii Patres non meminerunt religionis Carmelitanæ in illis primis seculis, imo neque in aliquod subsequentibus : signum ergo est, prædictam religionem (quæ alias dicitur ab Elia instituta), non permansisse illis temporibus, sed vel fuisse interruptam, vel (quod verius videtur), postea incœpisse.

Augmentum difficultatis. Et urget hoc Roman, quia Elias (a quo Carmelitæ dicunt se optum ducere), non vixit in Carmelo, unde illi nomen habent. Quod tam constanter asseverat ille Author, ut dixerit nullibi reperiri, quod Elias in Carmelo vel unum duxerit diem.

Satisfit argumento. Ad argumentum respondetur, quod Scaliger, et Sectarii eo utuntur, ut negent non solum vetustam Carmelitarum originem, sed totius etiam status religiosi antiquitatem, ut in principio hujus disputationis observavimus ; unde ab omnibus Catholicis, et veri amatoribus diluendum est. Sed quod nostra attinet, possemus respondere negando sequelam, seu minorem ; quia religio ab Elia instituta poterat eo tempore conservari aliis locis, præsertim vero apud Essenos Alexandrinos (de quibus diximus *num.* 84), et aliis mundi partibus, ad quas Carmelitæ simul cum Apostolis migrarunt, ut ex gravibus Authoribus vidimus *num.* 142. Unde ex non existentia prædictæ religionis in Palæstina, inefficaciter colligitur, quod absolute eo tempore non extiterit. Eo vel maxime, quod præcipua sedes, in qua religio ab Elia instituta mansit, fuit mons Carmelus ; hic autem non occupat Palæstinam, sed vel est in Phœnicia, vel inter utramque, ut ex Cluverio, Jacobo de Vitriaco, et Glossa *super caput* 26 *Isaiæ*, recte observat Daniel a Virgine *in Vinea*, *num.* 1124. Atque ideo non infertur, prædictam religionem non perseverasse in Carmelo ex eo, quod Palæstinam non occupaverit, ad illamve non se extenderit.

Dan. a Virg.

Sed respondemus absolute negando minorem, quam minime docet D. Hieronymus : neque intendit, quod ante Hilarionem nulli fuerint monachi in Palæstina, nec ante Paulum eremitæ in desertis ; sed eo loquendi genere significat eos fuisse prædicti instituti insignes promotores, ac propagatores, juxta familiarem tam sacræ, quam prophanæ Scripturæ usum, quo Auctores vocantur, qui rem ab alio cœptam amplificant, ut exemplo jam explicuimus *n.* 75, *in fine*. Et hoc modo dicit, non fuisse monachos ante Hilarionem in Palæstina, per comparationem videlicet ad insignem eorum multitudinem, qui in eadem provincia verbo, exemploque Hilarionis instructi, postea floruerunt. Videantur Bellarminus *lib. de Monach. cap.* 5, Bollandus *in Actis Sanctor. die* 17 *Januarii, in prolegom. ad vitam Antonii, cap.* 3, Gualterius *in tabul. chronograph. sæculo* 3, ubi de Paulo agens hæc habet, quæ præsenti argumento, et similibus applicanda sunt : « Si proprie lo- « quendum sit, Auctor vocatur » (vitæ scilicet eremiticæ) « potius quod illam magno- « pere illustraverit, ac perfecerit, quam « quod invenerit ; siquidem (ut nihil dicam « de Elia, qui ut plurimum versabatur in « Carmelo, ut ex lib. Regum perspicuum « est) Thelesphorus, ut in secundi seculi « columna prima observatum est, Anocho- « reta prius fuit, quam in Pontificem eli- « geretur. » (Hujus ut proprii Sancti sui Ordinis celebrant diem festum Carmelitæ cum Officio ab Ecclesia approbato). « Adde, « quod non solum S. Cyprianus, ac Tertul- « lianus meminerint voti castitatis, velique « sanctimonialium in Ecclesia practicati, « sed præterea S. Dionysius Areopagita « Pauli Apostoli discipulus monasticam « professionem extollit, etiam designata « inter alias ceremonias tonsura, et habi- « tus mutatione suo tempore usitata. Adeo « ut neque dubium cuiquam esse queat, « quin vitâ anachoretica generalius sumpta « sit antiquissima, imo et ante Christi præ- « dicationem trita : neque negare quis « possit, statum monasticum, ac religiosum « pressius sumptum jam ab Apostolorum « temporibus in Ecclesia Christiana exti- « tisse. » Eadem fere tradit Jacobus Servetius Theologus Parisiensis *in chronologia historica Antistitum Lugdunensium*, 3 *part. cap.* 1, *sect.* 2, § 6, ubi Calvinum negantem antiquitatem status religiosi in primis Ecclesiæ seculis valide refellit, et inter alia inquit :

Bellarm. Bolland. Gualt.

Servel.

« pati sunt monachi a D. Dionysio in sua « Hierarch. et epist. quas ad Caium, et De- « mophilum monachos misit, Apostolis id « nomen, et eam sanctimoniam precandi « assiduitate probantibus. Hinc S. Theles- « phorus Martyr ante Pontificatum, et se- « miseculum humanæ partæ salutis, mona- « chatum professus est. Quod vitæ genus « habuit tertio post seculo D. Antonius « præter socios plures. » Unde liquet insti- tutum monasticum, et eremiticum anti- quius esse Paulo, Antonio, et Hilarione.

S. Hila. Carme- lita. Addimus ipsum B. Hilarionem fuisse Instituti Eliani, sive Carmelitani alum- num, ac mirificum propagatorem, ut const- tat tum ex Officio ipsius specialiter appro-

D. Cyr. Const. bato pro hac religione. Tum ex D. Cyrillo Constantinopolitano Carmelita in epistola Abbatem Joachim præfixa Oraculo Ange- lico, ubi hæc habet : « Igitur cum pro ve- « neranda celebritate B. Hilarionis coere- « mitæ nostri quondam, sacrarum Missa- « rum solemnia inchoassem, etc. » Tum ex

Aub. Mir. Auberto Miræo Decano Antverpiensi *lib. supra cit. cap.* 6, ubi ex pervetustis Græco- rum monumentis exhibet hoc S. Hilarionis elogium.

Hilarion Thabatensis Palæstinus, natu Gentilis,
Alexandriæ Christum cognoscit.
Bimestris Antonii discipulus, eremi cultor.
Essenorum dispersorum in Carmelo Pales- tinæ
Reparator magnificus.
Quos item Gazæ, Bethelieæ, Pelusii, Lych- lini mire propagat.
Episcopos exules visitat.
Sub Augusti Imper. Const. et Const. Ju- lianum fugit.
Siciliam, Dalmatiam, et Cyprum pera- gratus.
Jejuniis maceratus, senio moritur sancto.
Anno cclxxii.

Occurri- tur confir- mationi, 149. Ad confirmationem respondetur continere argumentum pure negativum, quod in materia facti nullius est efficaciæ ; parum quippe interest, quod isti, aut illi testes aliquid non dicant, si dantur alii, qui ipsum affirment. Quod autem religio Carmelitana ab Elia ducat ortum, et usque ad hæc tempora non interrupta successione perduret, asserunt quamplures testes anti- qui, et moderni, adjuncta etiam traditione, aliisque urgentibus motivis, ut *a num.* 125 demonstravimus, ut late expendimus. Op- positum autem arguendi modum docuerunt hæretici, qui traditiones spernunt, doctri- nam Patrum parvifaciunt, nihilque ad- mittunt, nisi expressum sit in verbo Dei scripto, ut supra observavimus *num.* 95. Bella Unde Bellarminus simili argumento occur- rens *lib.* 2, *de Roman. Pontif. cap.* 8, in- quit : « Respondeo nihil concludi ex argu- « mentis ab authoritate negativa ; non « enim sequitur, Lucas, Paulus, et Seneca « non dicunt Petrum fuisse Romæ : igitur « Petrus non fuit Romæ. Non enim isti « tres omnia dicere debuerunt. Et plus cre- « ditur tribus testibus affirmatibus, quam « mille nihil dicentibus. » Qua doctrina suam, et communem de Essenorum anti- quitate sententiam protegit Baronius anno Baro Christi 64, *a num.* 8; quia nec Trogus Pom- peius, nec Aristæas, nec Strabo, nec alii plures antiqui, qui de Republica Judaica scripserunt, instituti Essenorum memine- runt, sed alio silentio obscurarunt ; et ta- men cordatus nemo negabit prædictos Es- senos extitisse apud Hebræos, cum id asse- rant Josephus, Philo, et Alinius : « Et plus « creditur tribus testibus affirmantibus, « quam mille nihil dicentibus. » Sic ergo, si in præsenti materia simile argumentum fiat ex eo, quod D. Hieronymus, Ruffinus, Cassianus non expresse meminerint Insti- tuti Carmelitani, stamineum profecto, et nullius roboris est ad negandum ipsius existentiam ; quia illam affirmant Josephus Antiochenus, Joannes Hierosolymitanus, et alii plures *a num.* 132 relati : « Et plus « creditur tribus testibus affirmantibus, « quam mille nihil dicentibus. »

Addimus huic confirmationi (si quid ro- Infirm tur au boris haberet), oportere etiam alios occur- plius e sum ire, quia apud antiquos Scriptores dem nunquam, aut raro auditur nomen mona- confi mati chi Basiliani, vel religiosi Augustiniani, et similium ; sed hic distinctionis usus re- centior est, ut recte observavit Thomas Thon Bozius *de signis Ecclesiæ, lib.* 9, *cap.* 8, *circa* Boziu *finem*, his verbis: « Quamvis antea plurimi « sequerentur instituta Antonii, Hierony- « mi, Benedicti, Basilii, Augustini, non « videas tamen monachos illos fere a Scrip- « toribus nominari a nomine istorum. His « temporibus (nempe post annum 1200) « cœperunt distingui familiæ, quasi mem- « bra unius corporis ab uno spiritu conten- « ta, et gubernata. Prius universi monachi « communi nomine nuncupabantur. » Quod

a fortiori dicendum est de monachis Eliani Instituti, propter rationem statim assignandam. Unde respondemus, quod licet Patres in primis tribus, aut quatuor sæculis non meminerint status religiosi sub expresso vocabulo religionis Carmelitanæ (quod est falsum, ut constat vel in uno Josepho Antiocheno, cujus verba dedimus *num.* 132), nihilominus quotquot asserunt existentiam, et continuationem status religiosi a tempore primitivæ Ecclesiæ, id ipsum in re testantur de religione Carmelitana ab Elia instituta. Quia ante divisionem prædicti status secundum varias regulas, et diversas vivendi formas (quæ primo incœpisse videtur tempore D. Antonii, aut D. Basilii, omnes monachi erant ejusdem instituti, nempe Eliani, Prophetici, seu Carmelitici ; semel enim ab Elia instituti, continuati sunt absque multiplici divisione, recognoscentes illum tanquam ducem, et authorem sui Instituti, ut palam affirmant D. Hieronymus, et Patres relati *a num.* 86. Quocirca opus non habuerunt speciali nominis charactere distingui. Possumusque huic rei applicare, quæ in simili observavit Garsias Loaisa in notis ad Concilium Toletanum III, cap. 4. « Monasteria, et « Xenodochia postea sunt appellata novis « nominibus ; res autem ipsæ ante sua « nomina erant.» Et quamvis nonnulli religiosi succedentibus temporibus elegerint peculiares regulas, asciverintque sibi particulares patronos ; Carmelitæ tamen in antiquo illo substantiali modo perseverarunt, retinentes vetustissimum Authorem Eliam, a quo proinde trahunt nomen, et successionem hæreditariam, ut expresse dicunt Summi Pontifices relati *numero* 125. Unde in eisdem locis, in quibus Patres docent explicite existentiam status monachorum in tribus primis, aut quatuor seculis, implicite id ipsum tradunt de religione Carmelitana, quæ in re erat illemet status, et cum eo convertebatur, cum alterius instituti Monachi non fuerunt tunc in Ecclesia. Recolantur quæ diximus *n.* 145, *in fine*.

Addimus ulterius, Patres satis antiquos meminisse Ordinis Carmelitarum sub vocabulo Ordinis Prophetici, quod non raro apud illos occurrit. Unde D. Ildelphonsus in epitaphio SS. Isidori, et Leandri, dixit.

Crux hæc alma gerit Sanctorum corpora [*fratrum*
Leandri, Isidorique, Priorum ex Ordine [*Valum.*

Et Eusebius Cæsareensis Ildelphonso longe antiquior, *lib.* 2, *Histor. cap.* 3, ait : « Apud Antiochiam floridissima congrega- « tur Ecclesia, in qua etiam fuerunt Pro- « phetici Ordinis viri quamplurimi. » Et Tuffinus *lib.* 1, *Histor. Ecclesiast. cap.* 5, agens de Spiridione (quem ut proprium sanctum colit religio Carmelitana Officio ab Ecclesia approbato), inquit : « Ex eo- « rum numero fuisse dicitur Spiridion « Cyprus Episcopus, vir unus ex Ordine « Prophetarum. » Et similia apud alios occurrunt.

Euseb. Cæsar.

Ruffin.

150. Ad id quod addebat Hieronymus Roman, respondetur continere insignem ignorantiam, vel non mediocrem temeritatem in re historiali, nam communis Interpretum sacræ Scripturæ, et aliorum gravium Authorum sententia est, Eliam habitasse specialiter in monte Carmelo, ibique discipulos congregasse. Tædet in his detineri, sed opus est importuno homini satisfacere. D. Gregorius Nazianz. *in oratione de pauperum amore*, ait : « Præclara est « solitudo, et vita ab hominum consortio « semota, idque nunc docet Eliæ Carmelus, « et Joannis desertum.» Et *in apologet.* postquam e fuga rediit, inquit : « Ut ab omni « negotio tranquille philosopharer, me- « cumque ipse colloquium haberem, Eliæ « Carmelum cogitabam. » Et rursus *orat. ad Maximum*, ait : « Nam et Elias libenter « in Carmelo cœlesti Philosophiæ operam « dabat, et Joannes in deserto. »

Augmentum difficultatis evacuatur.

D. Greg. Nazian.

Joannes Hierosolymitanus *lib. de institut. Monach. cap.* 19, ait : « Elias ad sui, et « suorum discipulorum jugem mansionem « elegit præ aliis eremis Carmeli montem, « tanquam commodiorem ad propheticam « disciplinam, et vitam monasticam in eo « docendam, et exercendam. »

Joannes Hieros.

Abulensis 4 *Reg. cap.* 1, *quæst.* 16, inquit: « Elias sequestratus a cæteris homi- « nibus, habitans in monte Carmelo. Hoc « etiam religiositati conveniebat, scilicet « fugere seculi communicationem. » Et *super Matth. cap.* 3, *quæst.* 29, ait : « Inter « antiquos Sanctos Elias legitur fuisse ma- « jor eremicola; nam ipse manebat in monte « Carmelo, ut patet 3 Reg. 18, et 19, et 4 « Reg. 1. »

Abul.

Guillelmus Tyrius *lib.* 5 *continuat. belli sacri, cap.* 3, sic : « Est Carmelus mons in « Syria mora tam aliorum Prophetarum, « quam Eliæ, et Elisæi nobilis. » Eadem fere verba habet Sabellicus, *lib.* 5 *ennead.*

Guillel Tyrius.

Sabell.

Volat. Volaterran. *in antropolog. lib.* 22, scribit : « Carmelitæ a monte Carmelo mora Eliæ, « et Elisæi nobilitato. » Polydor. Virgilius *lib. de inventor. rer. cap.* 7, ait : « Est in « Syria mons Carmelus olim cum aliorum « Prophetarum, tum Eliæ in primis me- « moria nobilis. »

Genebr. Genebrardus *lib. Chronic. circa annum* 1180, inquit : « Origo Carmelitarum repe- « tenda est a Prophetis Elia, et Elisæo, qui « Carmelum montem Terræ sanctæ primi « consecrarunt, et discipulos ibi reliquе- « runt. »

Adric. Adricomius *in Theatro Terræ sanctæ, in tribu Issacar, n.* 19, scribit : « In hoc monte « (Carmelo) spelunca est, et fons ubi habi- « tavit Elias, et Elisæus, et filii Propheta- « rum. »

Gualt. Gualterus *in Chronolog. ad ann.* 300, *pag.* 221, ait : « Elias utplurimum versabatur in « Carmela, ut ex libris Regum perspicuum « est. »

Salian. Salianus anno mundi 3139 : « Elias Pro- « phetarum et religiosorum in Carmelo, « totaque Chananitide manipulos sui æmu- « los, atque imitatores instituit. »

Gravina. Gravina *in voce Turturis, part.* 2, *cap.* 15, ait : « Carmelus mons vere celeberrimus, « in quo fructuosus ille palmes Elias com- « moratus solitariam ab hominum con- « sortio semotam professus est vitam. »

Quares. Franciscus Quaresmius Ordinis Seraphici, *in elucidat. Terræ sanctæ, tom.* 2, *lib.* 7, *cap.* 3, scribit de sacro Carmelo monte : « Cele- « brem hunc montem reddidit primo Elias « Propheta sua habitatione, sicut Elisæus, « et alii postea. Hoc ut explicemus, animad- « vertendum est, S. Vatem vitam eremiti- « cam coluisse. Hinc S. Hieronymus epist. « 12, ad Paulinum, dixit. Princeps noster « Elias. » Et infra agens de filiis Prophe- tarum, ait : « Ideo dicitur illos in monte « Carmelo continuo habitasse, quia illum « pro suo domicilio elegerunt, ibique pro « majori parte habitabant, et habitassent « semper contemplationi vacando, nisi ali- « ter fuisset ordinatum a Deo, ut solitudine « relicta ad civitates, et loca hominum con- « cursu celebria proficiscerentur, actioni « etiam vocando, propter majorem Dei « gloriam. » Et tandem concludit : « Quo- « modo ex Carmelo monte, et Elia origi- « nem traxerit sacra Carmelitarum Religio? « Dico id haberi ex antiqua, satisque re- « cepta traditione, etc. »

Ludovicus Cellotius sacræ Societatis *lib.* 5, *de Regularib. cap.* 9, ait : « Negari non « potest, Eliam, comite Elisæo, sacram il- « lam specum (quæ in monte Carmelo est). « habitasse, et Carmelitanos Patres dici a « Pontificibus Romanis eorum successio- « nem hæreditariam tenere. Quam specum « ut paternam hæreditatem incolunt adhuc « Patres Discalceati, antiqui spiritus Eliæ, « et eremiticæ severitatis restauratores. »

Suarez *tom.* 4, *de Relig. lib.* 2, *c.* 10, *n.* 13, ait : « Elisæus post raptum Eliæ eundem « Carmelum incoluit, ut ex citato loco col- « ligitur, et communiter Authores docent. »

Cornelius a Lapide *in cap.* 3 *Cant. vers.* 1, *sensu* 2, inquit : « Elias ergo primus vi- « detur Monachorum Institutor, tum alibi, « tum in monte Carmelo, ubi frequentius « degebat. Unde ab eo Religiosi Carmelitæ « nomen acceperunt, seseque Eliæ discipu- « los, et sequaces profitentur. » Eodemque modo loquuntur generaliter alii Authores, quos in hac disputatione allegavimus, et prolixum esset referre. Sed omnium loco demus Summos Pontifices Sixtum IV, Jul. II, Gregor. XIII, et Clem. VIII, qui in bullis Ordini Carmelitarum concessis, de quibus supra *n.* 125 sic loquuntur : « Sanctorum « Prophetarum Eliæ, et Elisæi, et aliorum « Patrum, qui montem sanctum Carmeli « juxta Eliæ fontem inhabitarunt, succes- « sionem hæreditariam tenentes. » Ut videat Author ille quibus præcipiti judicio se opponat.

151. Arguitur quarto : nam si concedatur hanc, quam nunc videmus, Carmelitarum religionem ortum ducere ab Elia, et non interrupta serie ad hæc usque tempora pervenisse, opus est concedere prædictam religionem permansisse per quamplura secula, ea videlicet, quæ ab Elia tempore ad usque nostrum defluxerunt : hoc autem apparet prorsus incredibile, præsertim in tot, ac tam diversis rerum mutationibus, quæ prædictis seculis contigerunt : ergo nostra sententia, quæ id asserit, falsa, et incredibilis est.

Et confirmat hoc Roman, quia prædicta sententia non ad aliud videtur inventa, quam ut religio Carmelitarum plurimos Sanctos sibi attribuat, et de antiquitate super alios sacros Ordines glorietur; in quo ipsa reprehensione non caret, cum ex affectu ad hanc gloriam tot conflaverit commentitia.

Ad argumentum respondetur concedendo sequelam, et negando minorem; quod enim major

major deducit, non solum incredibile non existit, sed est verosimilius, et longe probabilius, quam oppsitum, ut in hoc dubio, imo in tota disputatione fuse ostendimus, et judicio gravissimorum Scriptorum firmavimus. Potestque urgenter confirmari tum exemplo Ecclesiæ, quæ antiquior est religione ab Elia instituta, cuique obviam fuere non minores persequutiones, et rerum mutationes; et tamen una, et eadem substantialiter perseverat, ut *n.* 3 ostendimus. Tum exemplo status religiosi a Christo Domino in Apostolis approbati, et erecti, qui post tot annos, et inter gravissimas persequutiones persistit, perseverabitque (ut par est credere), usque ad finem mundi. Cur ergo non potuit religio ab Elia instituta similiter conservari? Fallitur autem arguens; dum in corpore morali, cujusmodi est religio, imaginatur identitatem ad instar substantiarum incorruptibilium, quæ nulli subjacent mutationi. Et tamen res longe aliter se habet; nam ad continuam persistentiam corporis moralis sufficit, quod defluentibus aliquibus partibus, aliæ loco illarum succedant, ut patet in Ecclesia, in regnis, in civitatibus, in religionibus, et in omnibus communitatibus, quæ hac ratione dicuntur continuari, atque persistere. Unde Jurisconsultus *in l. Proponebant, ff. de judic.* affirmat : « Legionem « eandem haberi ex qua multi decessissent, « quorum in locum alii suffecti sunt. » Et hoc modo religio ab Elia instituta continuatur propter non interruptam alumnorum successionem, non minus ac religiones, quas D. Basilius, D. Augustinus, aliique Patriarchæ instituerunt. Quæ Carmelitanæ religionis continuatio haud obscure constat ex dictis § præcedenti, adjunctis quæ per totam disputationem sparsimus. Sed magis dearticulata temporum, et personarum designatio ad nostros Annalistas spectat, quos Lector consulat, et cum minori difficultate nostræ assertioni subscribet.

Jurisc.

Diluitur confirmatio.

152. Ad confirmationem respondemus, malitiosam cogitationem illam Hieronymi Roman injuriosam esse Ordini Carmelitarum, qui ut aliis sacris Ordinibus non invideat, opus non habet ad tempora antiquissima recurrere, cum ab eo, quod Roman, aliive § *præced.* relati voluerint ei designare, tot Sanctos, et insignes Doctores numeret, sicut quivis alius. Unde non jactantia, sed veri amor nostram assertionem firmat, consignantibus plurimis, ac gravissimis Scriptoribus extraneis. Nec omnes excellentias, quas origo obsignat, evolvimus, sed aliis explicandas omittimus. Videantur Authores relati *n.* 145, in fine. Et parci nobiscum non sunt alii Illustrissimi, et florentissimi Ordinis Augustiniani (ex quo Roman) Patres, et Doctores, qui immensam proprii luminis gloriam in alios derivare possunt, et solent. Nam ut Valderramam, et Stellartium relatos *num.* 135, nunc omittamus, M. Gabriel Hernandez apud Josephum Andream *lib. cit. num.* 225, hæc de Carmelitis protulit : « Carmeliticus Ordo ipse solus multiplex « ortus est. » Marianus, « quia a Maria « sanctissima plantatus, nominatus, et « excultus. » Propheticus, « ab Elia, Eli- « sæo, filiisque Prophetarum. » Apostolicus, « propter Elpidium, aliosque Aposto- « lorum coadjutores, quorum voce, et spi- « ritu fides eluxit toti mundo. » Essenus, « propter insignem Baptistam, cæterosque « Essenos ante, et post Christi præcones ». Eremiticus, « ob Paulum, Antonium, Hi- « larionem, Onuphrium, Anastasium Per- « sam de Carmeli solitudine ad martyrii pal- « mam evocatum, Prothum, Hiacynthum, « Gerardum Hungariæ (ultra Antioche- « num, et Hierosolymitanum Hospitalis « Institutorem principem), Chrysostomum, « et alios innumeros, qui (ut loquitur Hie- « ronymus) tanquam verum Patrem, et sui « Instituti principem Eliam venerantur. » Cœnobiticus, « propter infinita monasteria « Thebaidæ, Palæstinæ, Syriæ, et Ægypti, « quæ (teste Leandro de Granada in vita « S. Gertrudis, in prologo) ante parentem « nostrum Augustinum, et Benedictum « omnia Eliana fuerunt. Horti quidem « arborum adeo sublimium, ut dederit « Ecclesiæ Papas (juxta Ægidium Gale- « num lib. 3, de magnitudine Coloniæ), Cle- « mentem, Thelesphorum, Dionysium, Syl- « verium, Zachariam, et Benedictum : Pa- « triarchos Alexandrinæ, et Hierosolymi- « tanæ, utrumque Cyrillum, Joannem 44, « et alios. Dedit etiam Damascenos, Basi- « lios, Spiridiones, Joannes, totque fortis- « simos Martyres, inclytosque Confessores, « ut juxta gravissimi Trithemii sententiam « facilius sit cœli stellas, quam Elianæ fa- « miliæ Sanctos dinumerare. Dedit et pal- « mas virginitate candidas, passione pur- « pureas, litteratura insignes, Syncleticam, « Leocadiam, Euphemiam, Febroniam, « Euphrasiam, Euphrosinam, Angelam; Cy-

Gabr. Hera.

« rillam, Theresiam, Magdalenam de Pazzi, « aliasque innumeras. Multa prætereo (ait « August. P.) quia multum festino. » Hæc perdoctus familiæ Augustinianæ Magister, ut deobligemur alia Romano reponere.

Quod de antiquitate addit, responsionem specialem non exposcit, cum sit totus difficultatis cardo, in qua versamur, cujusque decisio liquet ex dictis per totam disputationem, et præsertim *num.* 145, *in fine.* Unde non moramur addere quæ quæ Baptista Mantuanus *in Eclog. ante annum* 1500 canebat.

Bapt. Mant.

Bembe genus nostrum, generisque exordia [dicam.
Venimus Assyriis (ut candidus inquit) ab [oris.
Et pater Helias nobis, qui sustulit armis
Pastorum genus omnes malum, qui traxit [Olympo
Flammigeros ignes, qui ascendit in æthera [curru.
Pastores alii, quotquot rura vagantur
Omnia, sunt rivi nostris de fontibus orti.
Nos dedimus leges, pascendi ostendemus [artem :
Nos radix, alii rami : sed nos quoque rami
A vetere radice Patrum, etc.

Recolantur etiam quæ profert Jodocus Clictoveus relatus *num.* 113. Petrus Bertius relatus *num.* 134. Et Chassaneus referendus *num.* 154.

Quintum argumentum.

153. Arguitur quinto : nam ante Aymericum Patriarcham Antiochenum (de quo supra *a numero* 141) eremitæ montis Carmeli non emittebant obedientiæ votum : Sed absque illo non consistit status vere religiosus : ergo dato, quod iste fuerit in antiqua lege, non potuit, ut intendimus, per Carmelitas ad hæc usque tempora continuari, sed aliquo saltem tempore intermissus est. Cætera constant; et major probatur ex D. Cyrillo Constantinopolitano *in lib. de processu et regulis hujus Ordinis, cap.* 4, ubi affirmat, quod prædictus Aymericus Carmelitas *per obedientiæ vinculum colligavit*, quo opus non esset, si ipsi prius obedientiæ votum nuncupassent : non igitur emittebant tale votum.

D. Cyr. Const.

Respondetur negando majorem, ad cujus probationem dicendum est. D. Cyrillum non loqui de antiquis, et propriis montis Carmeli eremitis, qui tempore Aymerici, et ante sequebantur Institutum Elianum; sed de quibusdam advenis, qui occasione recuperationis terræ sanctæ eo advenerant, volebantque Carmelitis adjungi, ac montis devotione frui; renuebant tamen se ad hujusmodi vitam obedientiæ vinculo obstringi, unde alios eremitas turbabant, et molesti erant senioribus. Illos itaque obligavit Patriarcha, ut si vellent Carmelitarum titulo insigniri, et de sancta illorum conversatione participare, obedientiam promitterent montis Superiori, quem ipse deinceps voluit Latinorum more *Priorem* Generalem vocari. Unde minime sequitur, quod cæteri votum obedientiæ non fuerint soliti facere, sed magis infertur contrarium, ut evidentius constabit referendo textum D. Cyrilli : « Intelligens autem (Aymericus) « quosdam eorum, qui ab Occidente super- « venerant, spretis seniorum montis non « recte ambulare ad veritatem religiosæ « vitæ eremiticæ in prædicto libro Joannis « descriptæ, et perpendens hoc ideo ma- « xime contingere, quia Græcas litteras « ignorantes nesciebant codicem illum le- « gere, fecit illum de Græco in Latinum « transferri. Et ut illorum improborum « coerceretur audacia, tutaque inter eos « esset seniorum Eremitarum illius montis « innocentia, ipsos omnes per obedientiæ « vinculum colligavit. Statuit enim, quod « ex ipsis unus, qui diceretur Prior, dein- « ceps eis ita præesset, ut quilibet aliorum « obedientiam ei devoveret, sub cura cujus, « et regimine omnes viverent, etc. » Ex quibus liquido constat nostræ responsionis veritas. Tum quia D. Cyrillus expresse tradit, improbos illos non recte ambulantes, quibus opus fuit obedientiæ frenum imponere, fuisse advenas ex partibus Occidentalibus. Tum quia aperte dicit, præter relatos fuisse in illo monte sancto seniores, quorum conservandæ innocentiæ studuit Aymericus consulere coercendo eremitas peregrinos, et obligando ipsos ad uniformem cum Sanctis, et antiquis senioribus vitæ modum, et tenorem. Tum denique, quia Cyrillus asserit hujus montis eremitas solitos esse gubernari juxta formam religiosam traditam in libro Joannis Patriarchæ Hierosolymitani 44, propterea que curasse prædictum librum de Græco in Latinum converti, ut advenæ Latini ipsum probe intelligerent, et ipsius normæ se sicut seniores incolæ proprii illius montis adaptarent. Porro in prædicto Joannis libro expresse ponitur

Responsio.

ponitur obedientiæ votum in Carmelitis, ut constat *ex cap.* 7, et expressius *ex cap.* 39,

Joan. Her. ubi agit Author de Carmelitarum habitu, et inquit : « Per hoc autem, quod hæc vestis « (constans videlicet scapulari, et caputio), « capite, et scapulis ea onustis, et opertis « jugiter a Monacho portatur, denotatur « Monachum debere semper jugum obe- « dientiæ super se humiliter ferre, et Su- « periori suo irrefragabiliter subjacere, « Apostolo Paulo ita prædicante : Obedite « præpositis vestris, et subjacete illis. »

Dan. a Virg. Aliam responsionem tradit Daniel a Virgine *in notis ad lib. D. Cyrilli, a n.* 25, sed eam omittimus ut non necessariam.

Sextum argumentum. 154. Arguitur sexto, quia si Ordo Carmelitarum fuisset ab Elia institutus, et ad hæc usque tempora continuatus, præcederet alios Ordines in Capella Pontificis, in publicis processionibus, et in narrativis Constitutionum Apostolicarum ; quippe loci præcedentia debetur sacris Ordinibus juxta eorum antiquitatem : consequens est falsum, et contra praxim, et experientiam : ergo signum est, vel quod prædictus Ordo non fuerit ab Elia institutus, vel quod absque interruptione usque ad hæc tempora non perduraverit.

Satisfactio. Respondetur negando sequelam, quam inserta probatio minime evincit, quia prædicta præcedentia non semper revocatur in majorem antiquitatem, sed vel in favores Principum, vel in humilitatem eas prærogativas respuentem, vel in peculiaria merita, vel denique in alias, et varias causas, ut recte observavit Joannes Nævius *in lib. de instit. Eremitar. D. Augustini, capite* 12. Ratio autem ob quam Carmelitæ non habeant præcedentiam maximæ suæ antiquitati correspondentem, est quia illorum Ordo initium, et specialem sedem habuit in Oriente, ibique permansit, et præcipue floruit quousque ingruentibus Sarracenorum persequutionibus venit apertius in Europam tanquam hospes, et peregrinus. Reperit autem tunc (et *tunc* dicimus, quia primis, et antiquis Ecclesiæ seculis non erat controversia inter Monachos circa istas præcedentias), alios Ordines in suis præcedentiis constitutos, cum quibus non oportuit novam in Europa plantam decertare, sed magis in pace radices figere. Præsertim cum Ordo esset eremeticus, quique raro illis temporibus civitates incolebat, sed deserta loca : unde parum, aut nihil curavit de meliori loco in Capella Papæ, et aliis actibus publicis. Et quod tunc sincere accidit, factum est quasi jus commune ubilibet observandum ; quamvis nec omnino ubilibet, cum in pluribus civitatibus non alius in præcedentiis ordo servetur, quam temporis fundationum, in quo non raro religiones aliæ Carmelitanam sequuntur. Porro rem ita, ut diximus, se habere, et non semper attendi majorem Ordinis antiquitatem, vel ex eo liquet, quod Ordo Carmelitanus habet locum in Capella Papæ non solum post aliquos Ordines, qui forsan possent de antiquitate contendere, sed post aliquos etiam, quibus certum est antiquiorem esse : nam Ordines D. Dominici, et D. Francisci non fuerunt ante Concilium generale Lateranense ; Ordo autem Carmelitarum illud præcessit, ut liquido constat ex dictis *a num.* 140. Non ergo in præcedentia attenditur sola antiquitas, nec ex negatione illius infertur istius negatio ; sed possunt hæc aliter disponi ob causas supra relatas, ut recte vidit Chassaneus *in Catalogo gloriæ mundi, part.* 4, *considerat.* 70, ubi de Carmelitis agens inquit : « Isti præ- « ferendi sunt et fratribus Prædicatoribus, « et S. Augustini, et Minoribus, cum primo « fuerint instituti, etc. In multis locis in « processionibus vidi eos præcedere, et « esse in loco digniori : in aliis vero vidi « et Fratres Prædicatores, et Minores præ- « cedere, et esse in digniori loco. Unde « tanta discordia, et diversitas videtur esse « ex consuetudine loci, etc. » Chassan.

Septimum argumentum 155. Arguitur septimo : nam Ordo Carmelitarum appellatur Ordo B. Mariæ : ergo tempus, et existentiam B. Virginis non præcessit : ergo ex duratione, et permanentia prædicti Ordinis in Ecclesia non potest inferri, quod aliquis Ordo in veteri lege, atque adeo ante B. Virginem fuerit institutus, modoque in Ecclesia persistat. Antecedens est certum, ut constat ex bullis Apostolicis : et secunda consequentia recte infertur ex prima. Quæ facile ostenditur ; nam denominatio Ordinum attenditur penes eorum institutionem ; atque ideo quod hic Ordo dicatur B. Virginis, non potuit aliunde provenire, nisi ex eo, quod initium, sive institutionem habuerit ex speciali aliquo sacræ Virginis favore, seu patrocinio, ut liquet exemplo in sacra religione B. Mariæ de Mercede : ad id autem opus est, quod existentia ipsius Virginis talem Ordinem præcesserit, ut ex se constare videtur.

Diluitur. Respondetur concedendo antecedens, et negando primam consequentiam, quia optime fieri valet, quod Ordo secundum substantiam antiquior nomenclaturam sortiatur ab aliquo, quod secundum durationem posterius est, ut patet in sacro Ordine Cisterciensi, qui D. Bernardum tempore præcessit; et tamen Ordo D. Bernardi communiter appellatur, ob insignem splendorem, qui ex tam illustri filio (merito deinceps patrono, et patre), ipsi accessit. Idque proportionabiliter accidit in re præsenti; nam Ordo ille Elianus, Essenus, et Propheticus in veteri lege institutus nativitatemque B. Virginis tempore præcedens, tot ab ipsa beneficia accepit, ut merito illam sibi singularissimam Patronam asciverit, et de filiatione glorietur, ut omissis nunc aliis testimoniis, liquet tum ex verbis Sixti IV relatis *num.* 142, tum ex Officio (cujus particulam dedimus *num.* 127, *in fine*) Commemorationis B. Virginis Mariæ de monte Carmelo, concesso huic Ordini, et omnibus Provinciis Catholico Regi subjectis. Hic latissimus et floridissimus sese offerebat campus, ut prædicta beneficia recenseremus, simulque correlativam Carmelitarum in Matrem dilectissimam devotionem. Sed a perjucundo hoc studio violenter abstrahimur, ne ab instituto hujus disputationis, quæ solam religiosi status antiquitatem considerat, divertere videamur. Consulat tamen Lector Lezanam *in Maria Patrona*, Paulum ab omnibus Sanctis *in Thesauro Partheno Carmelitano*, aliosque Ordinis Scriptores, et Theophilum Raynaudum sacræ Societatis, in eleganti opere de *Scapulari Parthenico*. Et modo recolat hunc Ordinem sic temporaliter præcessisse B. Virginis existentiam, ut ipsam nihilominus tanquam singularissimam suæ perfectionis id eam a primis delineamentis habuerit in nubecula illa notitiæ Eliæ Fundatoris proposita, ut diximus *num.* 41. Et hæc sufficiant pro hoc Tracatu, et toto Opere. Quæ cedant in laudem Omnipotentis Dei, Beatissimæ Virginis Mariæ de monte Carmeli, Sanctissimi Patriarchæ Eliæ, Seraphicæ Matris Theresiæ, et Angelici Doctoris, ac Præceptoris nostri D. Thomæ. Si quid autem doctrinæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ in nostris Operibus reperiatur contrarium, aut Angelico Doctori adversum, libentissime iterum revocamus.

Lezana. Paul. ab omnibus Sanctis. Theop. Rain.

LAUS DEO

INDEX RERUM ET VERBORUM

QUÆ IN TOMO XII CURSUS SALMANTICENSIS THEOLOGICI CONTINENTUR

In quo prior numerus paginam, postremus vero marginales numeros designant.

A.

ACTUS. Unus actus nequit esse a duplici principio immediato *quo* naturali, et supernaturali, p. 117, n. 8.

Actus vitalis nequit esse a principio extrinseco, p. 119, n. 11.

Nec actus voluntarius, p. 119, n. 14.

Actus charitatis secundum providentiam ordinariam nequit fieri per solum auxilium actuale, p. 127, n. 22.

Actus disponentes ad infusionem gratiæ justificantis procedunt ab ipsa, p. 130, n. 27.

Actus charitatis dependet essentialiter a gratia, p. 141, n. 46.

Actus meritorii disponunt physice ad augmentum charitatis, p. 162, n. 20.

Soli actus intensiores disponunt physice ultimo ad charitatis augmentum, p. 164, n. 25.

Actus charitatis remissi non sunt peccatum, p. 172, n. 38.

Qualiter mereantur charitatis augmentum, p. 174, n. 40, et seqq.

AMICITIA. Amicitiæ diffinitio, p. 5, n. 1.

Amicitiæ divisio, ibid. n. 2.

Possibilis est vera amicitia supernaturalis inter Deum, et homines, p. 6, n. 5.

An ad amicitiam requiratur æqualitas inter amicos, p. 12, n. 12.

De facto datur vera amicitia inter Deum, et homines, p. 16, n. 17.

Hujusmodi amicitia est charitas, ibid. n. 18.

An inter personas divinas detur vera amicitia, p. 22, n. 23.

Intra ordinem naturæ non est possibilis vera amicitia creaturæ ad Deum, p. 35, n. 47.

Quæ communicatio requiratur ad amicitiam, p. 38, n. 51.

Inter Angelum, et hominem non datur amicitia naturalis, bene autem inter ipsos Angelos, p. 36, n. 48, et p. 38, n. 52.

Amici qualiter habeant idem velle, p. 70, n. 44.

An possit esse amicitia amantis ad seipsum, p. 74, n. 53.

Nulla præter charitatem est supernaturalis proximi amicitia, p. 75, n. 55.

An eadem possit esse amicitia excellentiæ, et æqualitatis, p. 77, et seq. n. 59.

An liceat mortem subire pro amico, p. 62, n. 29.

An possit honeste præferri parentibus, et filiis, p. 67, n. 39.

Amicitia naturalis non est virtus, p. 289, n. 4.

AMOR. Duplex amor, affectivus, et effectivus, p. 11, n. 11, et p. 14, n. 15.

Maximus Dei amor erga creaturas, p. 19, n. 19.

An omnis amor charitatis sit essentialiter actualis amicitia cum Deo, p. 30, n. 39.

Possibilis est amor naturalis Dei super omnia, p. 33, n. 45.

Amor potest dici major objective, appretiative, et intensive, p. 94, n. 7.

Unde habeat ordinem in attingendo objecta, p. 95, n. 9.

Ad amorem Dei finis naturalis super omnia non datur, nec est possibilis virtus aliqua, p. 288, n. 3.

APOSTOLI. Apostoli fuerunt religiosi, p. 481, n. 55.

Qualiter dicantur primi religiosi comparative ad religiosos veteris legis, p. 498, n. 76.

Insignis Apostolorum perfectio, p. 223, n. 127.

Quam pauperes fuerint, p. 227, n. 132.

Non utebantur calceis, ibid. n. 133.

Vilia eorum vestimenta, ibid.

Apostolorum alimenta, p. 228, n. 134.

Aliæ incommoditates, p. 229, n. 135.

Sancte prædicans imitatur Apostolos, p. 230, n. 136.

Apostoli docuerunt studium contemplationis, et fugere secularia negotia, p. 231, 138.

B.

BEATITUDO, ET BEATUS. Duplex hujus vitæ beatitudo. p. 298, n. 22.

BONUM. Bonitatis divinæ multiplex acceptio, p. 49, n. 8.

Differentia inter ens simpliciter, et bonum simpliciter, p. 51, n. 12.

Summa bonitas quid formaliter importet, p. 52, n. 14.

Quid requiratur ut aliquid sit summum bonum per essentiam, p. 54, n. 17.

Quæ bonitas divina sit motiva amoris beatifici, ibid. n. 18.

Summum bonum positive, et negative, p. 62, n. 30.

Differentia inter bonitatem, et excellentiam, p. 88, n. 79.

C.

CAUSA. Qualiter causæ ejusdem speciei possint habere diversos effectus, p. 356, n. 49.

Causæ adinvicem sunt causæ, et possunt mutuo in diversis generibus se præcedere. Late explicatur, p. 109, n. 36.

CHARITAS. Charitas etymologia, et variæ acceptiones, n. 1, in proœmio.

Est vere amicitia inter creaturas, et Deum p. 17, n. 18.

Charitatis effectus, p. 19, n. 19.

Charitas potest secundario elicere amorem concupiscentiæ, p. 22, n. 26.

Esse amicitiam convenit charitati essentialiter, p. 25, n. 30.

Charitas supponit essentialiter gratiam sanctificantem, p. 26, n. 31.

Est complete, et adæquate amicitia cum Deo, p. 28, n. 36, et p. 31, n. 42.

Objectum *quod* primarium, et adæquatum charitatis est Deus, p. 46, n. 1.

Objectum secundarium charitatis complectitur omne ens creatum, ibid. n. 3.

Ratio *sub qua* charitatis est bonitas divina, p. 49, n. 8.

Quæ bonitas divina sit ratio *sub qua* charitatis, p. 52, et seq. n. 14, et seqq.

An relationes divinæ pertineant ad rationem *sub qua* charitatis, p. 58, n. 22.

Differentia inter motiva propria charitaritatis, et luminis gloriæ, p. 59, n. 24.

Charitas habet rationem amicitiæ respectu proximi existentis in gratia, p. 66, n. 36.

Est etiam amicitia respectu proximi existentis in peccato mortali, p. 68, n. 41.

An etiam repectu Christi, p. 71, n. 48.

Sola charitas est supernaturalis proximi amicitia, p. 75, n. 55.

Diligere justos ob perfectionem intrinsecam quam in se habent, est actus elicitus a charitate, p. 78, n. 60.

Eadem charitas sub conceptu amicitiæ fertur in Deum, et proximum ut justum, p. 80, n. 63.

Quare eadem charitas sufficiat ad diligendum Deum, et justos ; et eadem religio non sufficiat ad eos colendos, p. 87, n. 76.

Charitas servat ordinem in attigendo sua objecta, p. 91, n. 1.

Ordo charitatis magis attenditur penes affectum, quam secundum affectum, p. 93, n. 6.

Et magis penes affectum appretiativum, quam secundum intensivum, p.94, et seq. n. 7.

Ordo charitatis cadit sub præcepto, p. 94, n. 8.

Attenditur penes conjunctionem objectorum ad Deum, et ipsum diligentem, p.95, n. 9.

Expenditur ordo, quo charitas se habet ad diversa objecta, p. 96, n. 11, cum seqq.

An per charitatem possimus intensius diligere alia, quam Deum, p. 97, n. 15, et p. 99, n. 18.

Homo secundum naturam spiritualem debet se diligere magis, quam proximum, p. 100, n. 20.

Secus si comparetur anima proximi cum proprio corpore, p. 100, et seq. in fine.

Plus ex charitate amamus corpus proprium, quam alienum, p. 105, n. 29.

Secundum ordinem charitatis plus debemus amare personas sanguine, aut alia ratione conjunctas, quam extraneas, p. 109, n. 36.

Quid si extraneus sit sanctior, p. 109, n. 37.

Quid si amicissimus, p. 110, n. 38.

Quis ordo servandus inter personas sanguine conjunctas, p. 111, n. 40.

Principium immediatum *quo* actus charitatis non est de facto Spiritus sanctus, sed virtus creata, p. 112, n. 1.

Oppositum implicat contradictionem, p. 114, n. 3.

Actus charitatis secundum ordinariam providentiam nequit fieri per solum auxilium actuale, p. 127, n. 22.

Et ita de facto semper sit per habitum charitatis p. 130, n. 27,

Prædictus actus dependet essentialiter a gratia sanctificante sicut a principio effectivo, p. 141, n. 46.

Est essentialiter meritorius vitæ æternæ, p. 46, n. 16, et p. 122, n. 56.

Charitas secundum se sumpta est capax intensionis syncategorematice infinitæ, p. 152, n. 1.

Charitas viæ semper potest augeri absque termino, p. 154, n. 4.

Quid dicendum de charitate patriæ, p. 155, n. 7.

An actus nostri efficiant physice charitatis augmentum, p. 160, n. 16.

Charitas augetur dispositive physice per nostros actus, p. 162, n. 20.

Qui actus disponant physice ultimo ad charitatis augmentum, p. 164, n. 25.

Non augetur gratia, quin augeatur charitas, et e converso, p. 170, n. 33.

Actus charitatis remissi merentur de condigno charitatis augmentum, p. 171, n. 36, et p. 181, num. 53.

Qualiter hoc meritum exponendum sit, p. 173, et seq. 40.

Unde actus physice remissi augeantur moraliter, p. 177, n. 45.

Quando conferatur charitatis augmentum, quod actibus ejus remissis correspondet, pag. 248, n. 185.

Non confertur in hac vita, p. 254, n. 195.

Datur per se loquendo in primo glorificationis momento, p. 259, n. 204.

Confertur non semel in Purgatorio, p. 260, n. 207.

An, et qualiter actus aliarum virtutum disponant ad charitatis augmentum, p. 270, n. 223.

Charitas non diminuitur, nec remittitur per peccata venialia, p. 275, n. 1.

Qualiter diminuatur quoad fervorem, p. 282, n. 15.

Charitas est virtus quoad essentiam, p. 287, n. 1.

Non datur virtus naturalis charitatis ad diligendum Deum naturalem finem, p. 288, n. 3.

Charitas semper habet statum virtutis, p. 289, n. 5.

Charitas viæ, et charitas patriæ sunt idem habitus, p. 291, n. 8.

Charitas est perfectior fide in esse virtutis, pag. 296, n. 17.

Est etiam perfectior fide simpliciter, et in esse entis, p. 299, n. 23.

Est perfectior omnibus virtutibus status viæ, sed minus perfecta, quam lumen gloriæ, p. 309, n. 41.

Charitas est forma aliarum virtutum pag. 310, n. 42.

Et qua ratione, p. 311, n. 44.

Hæc formatio ponit aliquid intrinsecum in virtutibus, et earum actibus, p. 313, num. 48.

An præcedat actuale exercitium charitatis, p. 315, n. 53.

Charitas unius viatoris potest esse æqualis charitati alterius comprehensoris, pag. 323, n. 66.

Secus si fiat comparatio ad idem subjectum, p. 324, n. 69.

Christus Dominus est author originalis status religiosi, p. 337, n, 17.

Christus Dominus fuit author, et causa omnis perfectionis repertæ in justis veteris legis, p. 444, n. 15 et seq.

Qualiter fuerit causa, et auctor status religiosi in lege veteri, p. 497, n. 75.

Christi gratia an potuerit augeri, pagin. 157, n. 10.

Christi vita exemplar perfecti concionatoris, p. 223, n. 127.

Christus fuit pauperrimus, p. 224, n. 128.

Ejus vita plena fuit incommoditatibus, et asperitatibus corporalibus, ibid. et sequent. num. 129.

Christus docuit studium comtemplationis, et parvipendere regum, et divitum palatia, p. 230, et seq. n. 137.

Qualiter elegerit vitam communem, p. 238, n. 149.

Quæ dicantur in Christo opera condescensionis, p. 241, n. 152.

CONCIONATOR. Concionatoris labor unde habeat perfectionem, p. 201, n. 86 et seq.

Vide *Perfectio*.

Vana aliquorum concionatorum gloriatio, p. 213, n. 109, et p. 220, n. 124.

Ut concionator fructuose prædicet, debet ducere vitam pœnitentem, p. 222, n. 126.

Et imitari vitam Christi Domini, et Apostolorum, ibid. et seq. n. 127.

Vacare contemplationi, et fugum palatia, p. 230, n. 137.

Qualiter se gerat cum aliis, p. 238, n. 149.

Oportet ut contemnat divitias, p. 240, n. 151.

CONSILIUM. Differentia inter consilia, et præcepta, p. 442, n. 11.

Aliqui justi ante statum legis evangelicæ observarunt aliqua consilia, p. 443, n. 12.

DEUS. Dei actus nequeunt habere pro objecto motivo aliquid creatum, p. 7, n. 6.

Dei essentia considerata physice, et metaphysice, p. 60, n. 26.

Per quid constituatur Deus amabilis super omnia, et objectum charitatis, p. 63, n. 30 et p. 97, n. 15.

Deus nequit creaturæ uniri per modum virtutis activæ, p. 118, n. 10.

Quare primus voluntatis actus reducatur in Deum sicut in specialem auctorem, p. 121, n. 14.

Deus potest uniri intellectui per modum verbi, secus voluntati per modum ponderis, p. 125, n. 20.

E.

ECCLESIA. Qualis approbatio Ecclesiæ requiratur ad statum religiosum, p. 341, n. 24.

Ecclesia statuit solemnitatem votorum, p. 359, n, 54 et p. 262, n. 59.

Multiplex Ecclesiæ acceptio, p. 435, n. 1.

Quid sit, p. 435, n. 2.

Semper fuit, et est una, et eadem substantialiter, p. 436, n. 3.

Quos status habuerit, p. 436, n. 4.

Qualiter se habuerit in veteri, et novo Testamento, p. 441, n. 10.

ELIAS. Elias est virgo, p. 448, n. 19.

Elias fecit in veteri lege votum castitatis, p. 451, n. 23.

Fuit eunuchus spiritualis, p. 453, n. 25.

Imitatus fuit exemplar B. Virginis Mariæ, p. 467, n. 41.

Coluit voluntariam paupertatem, p. 467, n. 42.

Erat suo tempore princeps, et caput omnium prophetarum, p. 479 et seq. n. 53.

An regulam vitæ religiosæ scripserit, vel tradiderit, p. 500, n. 78.

Elias fuit vere religiosus, cum fuerit monachorum exemplar, p. 508 et seq. n. 86.

Patres illum vocant ducem, et principem monachorum, p. 510, n. 88.

Fuit monachus, sicut B. Joannes Baptista, p. 514, n. 91.

Insignis Eliæ obedientia. p. 520, n. 98.

Instituisse verum monachatum in lege veteri cum tribus votis simplicibus substantialibus, est evidenter probabile, p. 526, n. 104, cum seq.

Et probabilius, quam oppositum, p. 539, n. 121.

Elias transtulit in propria persona statum religiosum a lege scripta ad legem gratiæ, p. 541, n. 122.

Eliam instituisse in veteri Testamento Religionem Carmelitanam, quæ eadem substantialiter permanens continuatur, et perseverat in Ecclesia, probatur ex bullis Pontificum, p. 543, n. 125.

Ex officiis ab Ecclesia approbatis, p. 544, n. 126.

Ex revelationibus probatissimis, p. 545, n. 127.

Ex perpetua Ordinis Carmelitani traditione, p. 547, n. 130.

Ex testimoniis gravium Auctorum externorum, p. 548, n. 132.

Ex falsarum opinionem confutatione, p. 554 et seq. n. 139.

Elias specialiter habitavit in Carmelo, p. 569, n. 150.

ELISÆUS. Elisæus observavit castitatem ex voto, p. 458, n. 31.

Elegit voluntariam paupertatem, p. 468, n. 42.

Ex voto, p. 469, n. 44.

Fecit votum obediendi Eliæ, p. 481, n. 55.

Se tradidit ad Dei cultum, p. 490, n. 66.

EPISCOPUS. Status Episcoporum est status perfectionis, p. 328, n. 4.

Et perfectior statu religiosorum, p. 329, n. 6.

ESSENI. Esseni tempore legis scriptæ observabant castitatem ex voto, p. 456, n. 29.

Amplexati sunt voluntariam paupertatem, p. 468, n. 42.

Et ex voto, p. 473, n. 47.

Emittebant obedientiæ votum, p. 484, n. 60.

Esseni habuerunt sanam fidem, et sanctos mores, p. 484, n. 61.

Esseni Alexandrini fuerunt vere religiosi, ortumque ducebant ab antiquis Prophetis, p. 507, n. 85.

B. Joannes Baptista vixit inter Essenos, p. 517, n. 91.

Essenorum aliqui ducebant uxores, p. 523, n. 100.

Esseni statum religiosum in lege veteri inchoatum continuarunt in lege gratiæ, p. 541, n. 123.

F.

FINIS. An finis possit influere in bonum volitum non influendo in voluntatem, p. 15, n. 16.

G.

GRATIA. Qui existit in gratia nequit non diligi a Deo, p. 27, n. 34.

Qualiter concurrat ad constituenda amicitiam cum Deo, p. 28, n. 36.

Actus ultimo disponentes ad gratiam justificantem procedunt ab ipsa, p. 104, n. 27.

Nequit homo certo cognoscere, quod habeat gratiam, p. 111, n. 40.

Qualiter gratia sit forma charitatis, et aliarum virtutum, p. 111, n. 41.

Gratia an possit augeri infinite, p. 118, n. 10.

Qui actus disponant ultimo ad gratiæ infusionem, et augmentum, p. 270, n. 223.

H.

HABITUS. Ad quæ objecta possit unicus habitus se extendere, p. 88, n. 79.

Habitus tam naturales, quam supernaturales augentur secundum latitudinem actus ad eos disponentis, p. 251, n. 190.

HUMILITAS. Humilitas gignit pacem, p. 93, n. 5.

I.

JEJUNIUM. Jejunii, et pœnitentiæ laudes, p. 233, n. 143, cum seq.

Cur Ecclesia obliget fideles ad aliqua determinata jejunia, p. 246 et seq.

IMPERIUM. An imperium potentiæ moventis imprimat aliquid potentiæ motæ, p. 320, n. 63.

INTENSIO. Intensio charitatis fit dependenter a nostris actibus, sicut a dispositione physica, p. 162, n. 20.

Distinguenda est duplex intensio in actibus charitatis, alia physica, et alia moralis, p. 174, n. 41.

S. JOANNES BAPTISTA. B. Joannes Baptista sequutus est institutum Essenorum, p. 457, n. 30.

Vide *Esseni*.

Fuit vere religiosus durante veteri lege, p. 502, n. 80.

Fuit simillimus Eliæ in modo, et statu vitæ, p. 514, n. 90.

Sequutus, et imitatus fuit institutum Eliæ, p. 516, n. 93.

Vixit inter Essenos Eliæ discipulos, p. 517, n. 94.

Qualiter dicatur princeps monachorum, p. 519, n. 96.

L.

LEX. In statu veteris legis fuerunt veri justi per gratiam ejusdem rationis cum nostra, p. 437, n. 5.

Lex Mosayca suo tempore fuit absolute bona, et utilis, p. 440, n. 7.

Durante prædicta lege fuerunt aliqua consilia, et vota, p. 443, n. 12.

Quare prædicta lex dicatur imperfecta, p. 444, n. 15.

In lege veteri non erat prohibitum observare castitatem, p. 446, n. 17.

Aliqui in veteri lege duxerunt vitam cœlibem, p. 448, n. 19.

Ad castitatem voto simplici se obligarunt, p. 450, n. 22.

Eunuchi spirituales in lege veteri, p. 451, n. 24.

Votum paupertatis in lege veteri, p. 469, n. 43.

Justi in lege veteri expectabant bona æterna, p. 475, n. 49.

In lege veteri fuit simplex obedientiæ votum, p. 479, n. 54.

In lege veteri fiebat aliqua personarum traditio, et consecratio ad cultum Dei, p. 488, n. 64.

In lege veteri potuit esse status substantialiter religiosus, p. 492, n. 68.

Aliqua fuerunt in lege veteri perfectiora statu religioso, p. 493, n. 70, et seq.

De facto fuit status substantialiter, et vere religiosus in lege veteri, p. 501, n. 79.

Renovatur, et perficitur in lege gratiæ, p. 513, n. 90.

Fuisse in veteri lege statum vere, et quoad essentiam religiosum, est opinio evidenter probabilis, p. 526, n. 104.

M

MACULA. Differentia inter maculam peccati mortalis, et maculam venialis, p. 284, n. 18.

B. V. MARIA. An B. Virgo fuerit prima in tempore, quæ vovit virginitatem, p. 462, n. 35.

Est principium, et exemplar omnis virtutis, ibidem.

Primatus hic pertinet ad genus causæ exemplaris, p. 464, n. 38.

Movit suo exemplo justos veteris legis, [illegible]68, n. 42.

virtu[illegible]RIMONIUM. Tripliciter usurpatur [illegible]96, n. 62.

Matrimonium ratum non consummatum dissolvitur per professionem solemnem, p. 488, n. 63.

Non solo jure ecclesiastico, p. 491, n. 67.

Nec ex jure naturali, p. 493, n. 69.

Sed jure divino, p. 493, n. 70.

Professio solemnis jure naturali divino dirimit sequens matrimonium, p. 499, n. 77.

Secus ordo sacer, p. 500, n. 78.

Matrimonium ratum non consummatum equit dissolvi per dispensationem Pontiis, p. 527, n. 106.

MERITUM. Actus charitatis est essentialer meritorius, p. 141, n. 46.

Implicat actum esse condignum vitæ ernæ, nisi procedat a gratia habituali, ut a principio effectivo, p. 143, n. 51.

An actus charitatis remissi mereantur ejus augmentum, p. 175, n. 41.

Ad agendum valorem operis meritorii plus confert continuatio, quam repetitio, p. 177, n. 45.

N

NAZARÆI. An Nazaræi observaverint castitatem ex voto, p. 469, n. 32.

Eorum traditio, et consecratio ad cultum Dei, p. 489 et seq. 65.

NECESSARIUM. Triplex necessitas, et libertas, p. 191, n. 69.

O

OBJECTUM. Objectum charitatis est perfectius in esse objecti, quam objectum fidei, p. 302, n. 28.

OPINIO. Duplex probabilitas opinionis, alia ab intrinseco, et alia ab extrinseco, p. 525, n. 103.

Opinio docens fuisse in lege veteri statum vere, et quoad essentiam religiosum, est evidenter probabilis, p. 526, n. 104.

Et probabilior, quam opposita p. 539, n. 121.

P

PECCATUM. An peccata venialia diminuant charitatem, p. 275, n. 1.

In quo consistat macula, quam inducunt, p. 284, et seq. n. 18.

PERFECTIO. In quo consistat, p. 327, n. 2.

Tria consilia specialiter requiruntur ad perfectionem, p. 328, n. 5.

Magis placet Deo, ipsumque glorificat unus justus perfectus, quam plures tepidi, et imperfecti, p. 195, n. 76.

Conversio unius peccatoris ad insignem perfectionem magis placet Deo, illumque glorificat, quam conversiones plurium peccatorum ad justitiam tepidam, et imperfectam, p. 197, et seq. n. 80.

Concionator, vel pater spiritualis, qui unum peccatorem convertit ad insignem perfectionem, magis Deo placet, eumque glorificat, quam alius, qui plures convertit relinquendo illos tepidos, et imperfectos in justitia, p. 200, n. 85.

Magis glorificat Deum, qui justum tepidum ad perfectionem insignem trahit,

quam qui plures peccatores convertit ad justitiam imperfectam, p. 205, n. 93.

Perfectio vitæ Christianæ in quo consistat, p. 217, n. 117.

Ad eam plurimum conferunt mortificationes, et asperitates corporales, p. 230, n. 136.

Et studium contemplationis, ibidem, et seq. n. 137.

Melius, et perfectius est, quod religiones observent jejunia, et alias mortificationes ex obligatione regulæ, aut voti, quam eadem præstare absque tali obligatione, ibid. et seqq.

Vide *Jejunium.*

PONTIFEX. Pontifex nequit generaliter statuere, quod matrimonium ratum in hoc, aut illo eventu dissolvatur, p. 268, n. 68.

An possit circa hoc in aliquo casu dispensare, ibid.

Non valet Pontifex dispensare, ut solemniter professus contrahat matrimonium, p. 387, n. 91.

Potest tamen ad id dispensare cum sacerdote non professo, p. 397, n. 104.

Nequit Pontifex dispensare, ut matrimonium ratum non consummatum dissolvatur, p. 398, n. 106.

Nunquam Pontifex dispensavit cum solemniter professo, ut contraheret matrimonium: et historiæ oppositum affirmantes refelluntur, p. 400, n. 109.

Nequit cum solemniter professo dispensare in voto paupertatis, nec in voto obedientiæ, p. 406, n. 116.

PROFESSIO. Professio simplex, et solemnis qualiter differant, p. 347, n. 35.

Solemniter professus peccans contra castitatem an debeat suum statum manifestare in confessione, p. 353, n. 44, cum seqq. et p. 357, n. 50.

Professio solemnis dissolvit matrimonium ratum, non consummatum, p. 365, n. 63.

Secus matrimonium consummatum, p. 365, n. 65.

[illegible]ure dissolvat matrimonium ratum, p. [illegible]27.

Professio solemnis dirimit sequens matrimonium, et quo jure, p. 374, n. 76.

Nequit semel facta rescindi dispensatione Pontificis, p. 387, n. 91.

Est vinculum non minus firmum, et perfectum, quam matrimonium consummatum, p. 399, n. 108.

PROPHETÆ. Filii Prophetarum qui dicerentur, p. 455, n. 28.

Colebant castitatem ex voto, p. 456, n. 29.

Et voluntariam paupertatem, p. 471, n, 45.

Vivebant in communitate sub unius regimine, p. 479, et seq. n. 53.

Cui promittebant obedientiam, p. 479, n. 54.

Consecrarunt se Dei cultui, p. 490, n. 66.

Aliqui Prophetarum filii ducebant uxores, secus alii, p. 522, n. 99.

PROXIMUS. Quæ personæ significentur nomine proximi. p. 65, n. 35.

Qualiter proximus terminet amorem charitatis, p. 66, n. 36, et seq.

Vide *Charitas.*

Proximus in quantum justus potest dupliciter amari, p. 78, n. 60.

Quis ordo charitatis in eo diligendo servandus, p. 100, n. 20.

Qualiter proximo in necessitatibus spiritualibus subvenire teneamur, p. 104, n. 27.

R.

RATIO. Duplex ratio *sub qua* in habitibus distinguenda, p. 81, n. 65.

RECHABITÆ. Voluntaria Rechabitarum paupertas, p. 473, et seq. n. 47.

Fecerunt obedientiæ votum, p. 482, n. 57.

Rechabitæ aliqui non ducebant uxores, p. 530, n. 110.

REGULA. Regula religionis quid sit, p. 340, n. 23.

An requiratur ad statum religiosum, p. 344, n. 30.

RELIGIO. Ut quis fiat religiosus requiruntur tria vota, castitatis, paupertatis, et obedientiæ, p. 329, n. 6.

Sufficiunt vota simplicia, p. 330, n. 8, et p. 360, n. 56.

An requiratur traditio, qua homo se donet Deo, p. 331, n. 9.

An Equites militares sint vere religiosi, p. 333, n. 13,

Status religiosus est ex institutione divina, p. 337, n. 17.

An ad talem statum secundum essentiam consideratum requiratur jurisdictio Ecclesiastica, p. 339, n. 21, et p. 342, n. 26.

Qualis approbatio Ecclesiæ requiratur ad talem statum, p. 341, n. 24.

An sit necessaria potestas clavium, p. 342, n. 26.

Antiquarum religionum modus, ibid. n. 27.

An regula requiratur ad statum religiosum, p. 345, n. 30.

Et vivere in communitate, p. 345, n. 31.

Quid circa hæc decreverit Ecclesia, ibid. n. 32.

Qualiter differant vota simplicia, et solemnia religionis, p. 347, n. 35.

Quomodo distinguantur solemniter professi, et religiosi per tria vota simplicia, p. 261, n. 56.

Religiosi post professionem solemnem contrahentes matrimonium excommunicantur, p. 360, n. 76.

Religiosus professus nequit ex dispensatione Papæ contrahere matrimonium, p. 387, n. 91.

Religiosus professus factus Episcopus non liberatur a voto paupertatis, nec habet dominium Ecclesiasticorum proventuum, p. 406, n. 116.

Religio alia contemplativa, alia activa, alia mixta, p. 419, n. 19.

Unde proveniat multiplex diversitas religionum, ibid. et seq.

Varietas hæc est Ecclesiæ utilissima, ibid. et seq. n. 20.

Inter quas religiones datur distinctio essentialis, p. 421, n. 21.

Qualis sit hæc diversitas, p. 305, n. 23.

Religio pure contemplativa est simpliciter perfectior, quam religio pure activa, ibid. et seq. n. 24.

Religio mixta est simpliciter perfectior religione pure contemplativa, et religione pure activa, p. 425, n. 28.

Quæ conditiones requirantur, ut religio dicatur profiteri vitam mixtam, ibid. et seq. n. 29.

An religio pure eremitica sit perfectior religione cœnobitica, p. 430, n. 36.

Status vere, et substantialiter religiosus fuit in lege veteri, p. 501, n. 79.

Et talis assertio est evidenter proba p. 526, n. 104.

Auctores id affirmantes, ibid. et p. n. 115.

Religiosi audiendi sunt tanquam legitimi in causis pertinentibus ad communitatem, ibid. p. 535, n. 113.

Religio Carmelitarum inchoata cur bus votis substantialibus in veteri perseverat eadem numero in præsenti legis gratiæ, p. 542, n. 524.

Falsæ opiniones circa ejus initiu 555 et seq. n. 139.

Præcessit Honorium IV, ibid.

Antiquior est Innocentio III, et Co Lateranensi sub eo celebrato, p. n. 140.

Fuit instituta ante Alexandrum Aymericum ipsius Legatum, p. 55 141.

Antiquitas hujus religionis in His tempore Apostolorum, n. 559, n. 142

Præcessit tempora Leonis III, p. seq. n. 143.

Quod fuerit antiquior Joanne Hie lymitano, probatur ex ipso Joanne, p n. 144.

Innumeri hujus religionis Sancti nachi, Martyres, et Prælati, p. 563, n et p. 571, n. 152.

Non cessavit hæc religio in perseq nibus contra Judæos, et Christianos, n. 146. et p. 571, n. 151.

Est eadem specifice in veteri, et Testamento, p. 566, n. 147.

Natale hujus religionis solum est Carmelus, in quo specialiter hab Elias, p. 569, n. 150.

Quare hæc religio alias in actibu blicis non præcedat, p. 573, n. 154.

Quare religio ab Elia instituta d Ordo B. Virginis Mariæ, p. 573, n.

Ad religionum perfectionem plur conferunt jejunia, chorus, solitudo, milia, p. 232, n. 140.

Quomodo possit ex hoc capite excessus religionis in perfectione,

Religiosi habent vestimenta a co nibus diversa, in signum pœnitent 244, n. 156.

Decet hæc vestimenta esse aspera, milia,

Et observare jejunia, aliasque mor tiones corporales ex vi regulæ, au p. 246 et seq. Vide *Jejunium.*

Religiones, quæ ita se gerunt, perfectiori modo se habent, ibid.

Inconvenientia, quæ ex opposito consequuntur, ibid. et seq.

REVELATIO. Revelàtiones probatissimæ de antiquitate religionis Carmelitanæ, p. 546, n. 127.

Vide *Elias*.

S

SACRAMENTA. Sacramenta illa sunt perfectiora, quæ primam gratiam supponunt, et illam augent, et perficiunt, p. 211, n. 104.

SOLEMNITAS. Solemnitas votorum in quo consistat, p. 357, n. 52.

Aliud est solemnitas votorum, et aliud essentia votorum solemnium, p. 359, n. 54.

Qualiter solemnitas comparetur ad vota, p. 361, n. 58.

STATUS. Quid sit status, p. 326, n. 1.

Alius status vitæ communis, et alius status perfectionis, p. 327, n. 2.

Ad statum perfectionis pertinent consilia, et quomodo, ibid. n. 3.

In quo differant status Episcoporum, et religiosorum, ibid. n. 4.

Ad statum religiosum requiruntur tria vota, castitatis, paupertatis, et obedientiæ, p. 329, n. 6.

Sufficiunt vota simplicia, p. 330, n. 8.

Requiritur etiam traditio, qua homo se donet Deo, p. 331, n. 9.

Status religiosus est ex institutione divina, p. 337, n. 17.

Est de jure divino, et in quo sensu, p. 338, n. 20.

Status religiosus est valde perfectus, p. 409, n. 1.

Et Ecclesiæ utilissimus, ibid. n. 3.

Sed est minus perfectus, quam status Episcoporum, p. 412, n. 6.

Prædictus status fuit de facto in tali lege, p. 501, n. 79.

Translatus est ab illa lege ad legem gratiæ, et modo perseverat in Ecclesia, p. 541, n. 122.

Status integritatis naturalis in quo consistat, p. 33, n. 44.

T

TEMPLUM. Tepiditas quam periculosa in negotio salutis, p. 207, n. 96.

TRADITIO. Aliqua hominis traditio requiritur ad essentiam status religiosi, p. 331, n. 9.

Qualis requiratur ad solemnem, p. 254, n. 40 et p. 362, n. 59.

Traditio Apostolica quid dicatur, p. 368, n. 68.

Plures sunt traditiones, quæ in Scriptura expresse non continentur, p. 519, n. 95.

Traditio personarum ad cultum Dei in lege veteri, p. 488, n. 64.

V

VIRGINITAS. Virginitas non prohibebatur in lege veteri, p. 446, n. 17.

Aliqui eam illo tempore observarunt, p. 448, n. 19.

Licebat illius votum emittere, p. 449, n. 21.

Aliqui ad illam se voto obligarunt, ibid. et seq. n. 22.

VITA. Operationem esse vitalem in quo consistat, p. 119, n. 11

VIRTUS. Nulla datur virtus moralis infusa, quæ sit vera proximi amicitia, p. 75, n. 55.

Repugnat virtutem operativam non esse aliquid intrinsecum agenti, p. 115, n. 5.

Virtutes qualiter in suo augmento dependeant a gratia, p. 273, n. 229.

Quid requiratur ad essentiam virtutis, p. 287, n. 1.

Unde desumatur excessus inter virtutes, p. 303, n. 30.

Virtutes formantur per charitatem, p. 310, n. 42.

VOTUM. Tria vota requisita ad statum religiosum, p. 329, n. 6.

Non requiruntur vota solemnia, sed sufficiunt simplicia, p. 330, n. 8.

Olim requirebantur vota solemnia ad constituendum statum religiosum, p. 335, et seq. n. 15.

Ex votis religionis oritur vinculum de jure divino, p. 338, n. 20.

Qualiter differant vota simplicia, et solemnia religionis, p. 347, n. 35.

Habent effectus valde diversos, p. 349, n. 38.

Radix hujus differentiæ, p. 350, n. 39.

An hæc distinctio sit essentialis, p. 353, n. 44.

Solemnitas votorum in quo consistat, p. 357, n. 52.

Vota simplicia Societatis non dissolvunt matrimonium ratum, p. 366, n. 66.

Solemnia dissolvunt matrimonium ratum non solo jure ecclesiastico, ibid. n. 67.

Nec ex natura rei, p. 369, n. 69.

Votum simplex castitatis jure natu impedit, et dirimit sponsalia, p. 3 n. 80.

In veteri Testamento fuerunt alic vota, p. 443, n. 13.

Votum castitatis durante veteri lege, 450, n. 22.

Votum paupertatis in eadem lege, p.4 n. 43.

Votum obedientiæ, p. 479, n. 54.

Opera bona ex voto facta sunt n liora, quam si absque illo fiant, p. 2 n. 157.

BRUXELLIS. — TYPIS A. VROMANT.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

LIBRARY USE ONLY

2578

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

GTU Library
3 2400 00281 4907

2578

BX
1751
S2
1870
v.12

AUTHOR

BX
1751
S2
1870
v.12